Sala A
13

16-9-18

16-9-6

Ldo. Fer.do Alfonso Jimenez
de A. Aguila Roxas



Sala A
Cód. 13

16 - 3

16-96

Ldo. Fco. Alfonso Jiménez
de N. Aguila Roxas

NICOLAI VIGELII DE
DREISA HESSORVM
IVRISCONSVLTI

DIGESTORVM
PARS SECVNDA:

De Iure quod in perſonis habemus, cum ſuis cauſis & actionibus.

de la libreria
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. 2.º C. 25. N. 2.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA

BASILEÆ, EX OFFICINA
OPORINIANA.

DIGESTORVM LIBER DECIMVSQVARTVS:

DE IVRE INTER MARITVM & uxorem.

Dispositis ijs quæ publici sunt iuris, sequuntur nunc iura priuata disponenda, primum quidem ea quæ in personis, deinde quæ in rebus consistunt. Inter ea verò quæ in personis consistunt, primum locum obtinet matrimonium, seu ius inter maritum & uxorem: de quo in hoc & sequente Libro dicetur. Matrimonij autem iura iuxta ordinem quatuor temporum proponemus, matrimonij scilicet contrahendi, contracti, dissoluendi & dissoluti: quibus subijciemus ad finem huius Libri iura concubinatus. Planè iura dotis & antenuptialis donationis, quæ & ipsa matrimonij iura sunt, in Libro sequente separatim proponentur. Matrimonij igitur contrahendi sunt iura sponsaliorum & nuptiarum contrahendarum, primo loco ponenda.

DE SPONSALIBVS. Cap. I.

I. DEFINITIO SPONSALIORUM.

DEfinitio proponitur *l.1. ff. de sponsalibus, his uerbis:* Spõsalia sunt, mentio & repromissio futurarum nuptiarum.

II. RATIO nominis proponitur *l.2. cum lege sequente. ff. eod. tt. his uerbis:* Sponsalia dicta sunt à spondendo. nam moris fuit ueteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. Vnde & sponsi sponsæque appellatio nata est.

III. DE CAVSA SPONSALIORUM, eiusque exceptionibus.

Consensu sponsalia contrahuntur. quæ regula approbatur l. sponsu. ff. de sponsalibus, his uerbis: Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt: & ideo sicut nuptijs, ita sponsalibus filiamfamiliàs consentire oportet. *Huius regulæ, necnon sponsaliorum exceptiones hæ sunt.*

I. *Exceptio:* Nisi *sponsalia contrahantur inter eos easq;, qui quæue nuptias contrahere prohibentur. quæ exceptio approbatur l. si quis. 61. §. quamuis. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Quamuis uerbis orationis cautum est, ne uxorem tutor pupillam suam ducat: tamen intelligendum est, ne de sponderi quidem posse. Nam cum quæ nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerunque ne desponderi quidẽ potest. nã quę duci potest, iure desponderetur. *Concordat l. tutor. 15. ff. de sponsalibus, his uerbis:* Tutor factam pupillam suam necipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adiungere potest. Scias tamen, quòd de nuptijs tractamus, & ad sponsalia pertinere. *Concordat l. oratio. 16. ff. eod. tt. his uerbis:* Oratio imperatorum Antonini & Commodi, quæ quasdam nuptias in persona senatorum inhibuit, de spõsalibus nihil locuta est: rectè tamẽ dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti, ut suppleatur quod orationi deest. *Sanè qui quæue inter se nuptias contrahere prohibeantur, dicetur §. in sequent. capitibus.* Propositæ exceptionis replicatio prima est *in impuberibus. Quæ proponitur & approbatur l. in sponsu. 14. ff. de sponsalibus, his uerbis:* In spõsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonijs. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur: id est, si non sint minores quàm septem annorum. *Concordat l. quæsitum. 9. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò inferius.* Altera propositæ exceptionis replicatio est *in eo, qui sponsalia contrahit cũ ea, quæ ex ea prouincia, quam administrat, est oriunda. Quæ replicatio proponitur & approbatur l. si quis. 38. in prin. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Si quis officium in aliqua prouincia administrat: inde oriundam, uel ibi domicilium habentem uxorem ducere non potest, quamuis sponsare non prohibeatur: ita scilicet, ut si post officiũ depositum mulier nuptias contrahere noluerit, liceat ei hoc facere, arris tantũmodò reditis, quas acceperat. *Concordat l. unica, in fine. C. si rector prouinciæ, &c. cuius uerba uide §. quæst. 4. reg. 2. except. 2.*

II. *Exceptio:* Nisi *furiosus furiosáue sponsalia contrahat. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. furor. 8. ff. de spõsalibus, his uerbis:* Furor quin spõsalibus impedimento sit, plus quàm manifestum est. Sed postea interueniens, sponsalia non infirmat.

III. *Exceptio:* Nisi *inter absentes sponsalia contrahantur.*

hantur. Hæc exceptio reprobatur l.sufficit.4.ff.de sponsalibus,his uerbis: Constat & absenti absentem desponderi posse,& hoc quotidie fieri. *Concordat l.ult. ff.eodem tt. his uerbis:* In sponsalibus constituendis parui refert, per se & coràm, an per nuncium uel per epistolam, an per alium hoc factum sit.Et ferè plerunque conditiones interpositis personis expediuntur.

IIII. Exceptio: *Nisi nudo consensu,sine stipulatione uel arris sponsalia contrahantur. Et hæc exceptio reprobatur d.l.4.his uerbis:* Sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. *Planè sola deductione in domum uiri sponsalia facta non uidentur. Quod approbatur l. quæsitum. 9. ff. eod tt. his uerbis:* Quæsitum est apud Iulianum, an sponsalia sint ante duodecimum annum,si fuerint nuptiæ collatæ? Et semper Labeonis sententiam probaui,existimantis,siquidem præcesserint sponsalia, durare ea, quamuis in domo loco nuptæ esse cœperit: si uerò non præcesserint, hocipso quòd in domum deducta est, non uideri sponsalia facta, quam sententiam Papinianus quoque probat.

V. Exceptio:*Nisi sine scriptura sponsalia contrahantur. Et hæc exceptio reprobatur l.in sponsf.7. in prin.ff. de sponsalibus,his uerbis:* In sponsalibus nihil interest, utrū testatio interponatur, an aliquis sine scriptura spondeat.

VI. Exceptio: *Nisi non consentiant ij qui desponsentur, & ij quorum consensus in nuptijs requiritur. Hæc exceptio approbatur d.l.7.his uerbis:* In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est,quorum in nuptijs desideratur. *Concordat l.hæc ita.5.ff.eod.tt. his uerbis:* Hæc ita, si scientibus his qui absunt, sponsalia fiant, aut si postea ratum habuerint. *Concordat item l.si puellæ. 6.in fine.ff.eod.tt.cuius uerba uide ℨ.except.prox.repl. i. Item concordat l.sponsalia.11. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ℨ.ead.quæstione,in princip. Item concordat l.filiofam.13.ff.eod.tt.his uerbis:* Filiofamiliàs dissentiente, sponsalia eius nomine fieri non possunt. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non euidenter dissentiat. Hæc replicatio approbatur d. l. 7. in fine. ff. de sponsalibus, his uerbis:* Intelligi tamen semper filiæ patrem consentire, nisi euidenter dissentiat, Iulianus scribit. *Concordat l.sed ea.12.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Sed ea quæ patris uoluntati non repugnat, consentire intelligitur. *Altera replicatio est:* Nisi *dignum & honestum sponsum pater filiæ deligat. hoc enim casu filiæ consensus necessarius non est. Quæ replicatio approbatur d.l.12.his uerbis:* Tunc autem solùm dissentiendi à patre licentia filiæ conceditur, si indignum moribus, uel turpem sponsum pater eligat. *Reliquas replicationes uide ℨ.cap.4.except.6.*

VII. Exceptio: *Nisi sponsalibus renuncietur. Hæc exceptio approbatur l. 1. C. de sponsalibus, his uerbis:* Alij desponsata renunciare conditioni, & nubere alij non prohibetur. *Concordat l.2.in fine. C.de repudijs. cuius uerba uide ℨ.except.9. Modus renunciandi sponsalibus proponitur l. 2. ℨ. in sponsalibus.ff.de diuortijs,hisce uerbis:* In sponsalibus quoque discutiendis placuit renunciationem in teruenire oportere.In qua re hæc uerba probata sunt: Conditione tua non utor. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutor sponsæ sine eius consensu renunciauerit.Hæc replicatio approbatur l.si puellæ.6.ff.de sponsalibus,his uerbis:* Si puellæ tutores ad infringenda sponsalia nuncium miserint, non putarim suffecturum ad dissoluendam nuptiarum spem hunc nuncium: non magis quàm sponsalia posse eos solos constituere: nisi fortè omnia ista ex uoluntate puellæ facta sint. *Concordat l.si pater.4. C.d.tt. his uerbis:* Si pater pactum de filiæ nuptijs inierit, & humana forte consumptus, ad uota nō potuerit peruenire:id inter sponsum & sponsam firmum ratumque permaneat,quod à patre docebitur destinatum:nihilque permittatur habere momenti, quod cum defensore, ad quem minoris commoda pertinebant, docebitur fuisse transactum. Periniquum est enim, ut contra paternam uoluntatem redempti forsitan tutoris aut curatoris admittatur arbitrium: cum plerunque etiam ipsius fœminæ aduersus commoda propria inueniatur laborare consilium. *Secunda replicatio est: Nisi pater sponsæ sine eius consensu renunciauerit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l. in potestate. 10. ff. de sponsalibus,his uerbis:* In potestate manēte filia, pater sponso nuncium remittere potest, & sponsalia dissoluere. Enimuerò si emancipata est:non potest,neque nuncium remittere, neque quæ dotis causa data sunt, condicere. Ipsa enim filia nubendo efficit dotem esse, condictionemque extinguit, quæ causa non secuta nasci poterat. Nisi fortè quis proponat,ita dotem patrem pro emancipata filia dedisse,ut si nuptijs non consentiret, repeteret quæ dederat. tunc enim habebit repetitionem. *Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi filia sit in potestate patris renunciantis. Quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* In potestate manente filia,&c. *Tertia replicatio est:Nisi nuncium non sit remissum. Quæ replicatio approbatur l.2. ℨ.in sponsalibus. ff.de diuortijs.cuius uerba uide ℨ.ead.except.in prin. Concordat l. dotis fructus.7. ℨ.fin. ff.de iure dotium. cuius uerba uide ℨ.quæst.prox.reg.3.except.1.*

VIII. Exceptio: *Nisi furor alterutrius interueniat. Hæc exceptio reprobatur l.furor.8.in fin. ff. de sponsalibus.cuius uerba uide ℨ.except.2.*

IX. Exceptio: *Nisi sponsus ultra biennium nuptias differat.Hæc exceptio approbatur l.2.C.de sponsalibus, his uerbis:* Si is qui puellam suis nuptijs pactus est, intra biennium exequi nuptias in eadem

dem prouincia degens supersederit, eiusque spacij decurso fine in alterius postea cōuentionem puella peruenit: nihil fraudis ei fit, quæ nuptias maturando uota sua diutius eludi non passa est. *Ait imperator:* In eadem prouincia degens. *Ex his uerbis elicitur prima propositæ exceptionis replicatio,hæc scilicet:Nisi sponsus peregrè abfit. Huius replicationis duplicatio est: Nisi per triennium abfit. Quæ duplicatio approbatur l.2. C.de repudijs, hisce uerbis:* Liberum est filiæ tuæ,si sponsum suum post tres peregrinationis annos expectandum sibi ultrà non putet: omissa spe huius coniunctionis, matrimonium facere, ne opportunum nubendi tempus amittat:cum posset nuncium remittere, etsi præsente illo consilium mutare uoluisset. *Altera replicatio est:Nisi iusta & necessaria causa subsit, quo magis sponsus nuptias differat. Hæc replicatio approbatur l.sæpe. 17. ff.de sponsalibus, hi uerbis:* Sæpe iustæ & necessariæ causę non solum annum uel biennium, sed etiam per triennium & quadriennium & ulterius trahunt sponsalia: ueluti ualetudo sponsi sponsæue,uel mortes parentum,aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt.

X. Exceptio: *Nisi sponsus sponsaue religionis habitum adsumat. Hæc exceptio approbatur l. Deo nobis. 42.in prin.C.de episcopis & clericis,hisce uerbis:* Cognitum nobis est, quòd si quis sponsus uel sponsa post datas & acceptas arras uoluerit se diuino deputare seruitio,& à seculari conuersatione recedere, ac in sanctimoniali uita uiuere, atque in Dei timore permanere: compellebatur uir quidem ea quæ arrarum nomine dederat, amittere: sponsa uerò in duplum id quod acceperat,reddere. Quod nostræ mansuetudini, religioni contrarium esse uisum est. Vnde per præsentem legem in perpetuum ualituram iubemus,ut si quis sponsus uel sponsa desiderauerit seculi istius uitam contemnere, & in sanctimonialium conuersatione uiuere: sponsus quidem omnia quæ arrarum nomine futuri causa coniugij dedit, sine ulla deminutione recipiat: sponsa autem non duplum (sicut hactenus) sed hoc tantummodò sponso restituat,quod arrarum nomine acceperat: & nihil amplius reddere compellatur, nisi quod probata fuerit accepisse. Nam & maritis & uxoribus, qui seculo renunciant, iam anteriore lege à nobis prouisum est, ut siue maritus siue uxor religionis causa à coniugio recesserit,& solitariam uitam elegerit,unusquisque eorum res suas recipiat, quas pro dote uel ante nuptias donatione præstiterat:& hoc tantummodò lucri nomine consequatur ab eo qui solitariam uitam elegerit, quod debuit legitimè uel ex pacto per casum mortis exigere. *Concordat Nouell.c.123. ℨ.porrò legitimis,hisce uerbis:* Legitimis inter aliquos sponsalibus contractis, siue sponsus in monasteriū ingrediatur, recipito ea quæ pro sponsalibus arræ nomine data sunt: siue sponsa monasticam uitam eligat, illa sola reddito,quæ similiter arræ nomine accepit: pœna utrique personæ per indulgentiam remissa. *Hæc de exceptionibus aduersus sponsalia,nec non de causis quibus sponsalia dissoluuntur.*

IIII. EVENTVS, SI sponsalia fuerint dissoluta.

I. Regula, *De arrh. Si nuptiæ non sequantur,quod arræ nomine datum est,restitui debet. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l.arris.3. C. de sponsalibus,his uerbis:* Arris sponsaliorum nomine datis, si interea sponsus uel sponsa decesserit, quę data sunt,iubemus restitui: nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, defuncta persona iam præbuit. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi sponsus sponsaue sponsalibus renunciauit. quæ exceptio ex uerbis iam propositis constat. Huius autem exceptionis eædem sunt replicationes, quæ sunt sequentis regulæ exceptiones. Quod approbatur l.mulier.5. ℨ.quæ omnia. C.eod.tt. cuius uerba uide ℨ. regula prox. Concordat l.si legib.15.in fin. C.de episcopali audientia.cuius uerba uide itidem d.reg.prox.*

II. Regula, *De condictione dupli. Si sponsa in causa fuit, quo minus nuptiæ sequantur, duplum eius quod arræ nomine accepit, restituere cogetur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur d. l. 5. C. de sponsalibus,his uerbis:* Mulier iuris sui constituta,arrarum sponsalium nomine usque ad duplum teneatur, id est, in id quod accepit, & aliud tantūdem, nec amplius, si post completum uicesimum quintum annum,uel post impetratam ueniam ætatis, atque in competenti iudicio comprobatam, huiusmodi arras susceperit.In simplum autem,id est,tantummodò in id quod accepit, si minoris ætatis est: siue uirgo, siue uidua sit: siue per se, siue per tutorē, aut curatorem, uel aliam personam easdem arras acceperit. Patrem uerò uel matrem legitimæ ætatis constituros,siue simul, siue separatim arras pro filia susceperint: auum etiam uel proauum, si pro nepte uel pronepte,in duplum tantummodò conuenit teneri. Quæ ita custodiri censemus,si non propter personam, uel conditionem, uel aliam causam legibus uel generalibus constitutionibus interdictam, futurum matrimonium constare prohibetur. tunc enim quasi nullo facto, utpote sine causa, easdem arras præstitas tantummodò reddi consequens esse præcipimus. His hoc quoque

adijcimus, ut etiamsi legibus prohibitę non sint sperate nuptiæ, post arras autem sponsalicias sponsa coniugiũ sponsi, propter turpem uel prodigam, uel impudicam conuersationem, aut religionis aut sectæ diuersitatem recusauerit, uel eo quòd quasi uir coitum (ex quo spes sobolis oritur) facere non potuerit, uel ob aliam iustam excusationis causam: siquidem probatum fuerit, ante datas easdem arras sponsalicias hoc idem mulierem uel parentes eius cognouisse, sibi debeant imputare. Sin uerò horum ignari spõsalicias arras susceperint, uel post arras datas aliqua iusta causa pœnitentiæ interceſſerit: ijsdem tantummodò redditis, super alterius simpli pœna liberi custodiantur. Quę omnia simili modo etiam de sponsis super recipiendis nec ne arris præstitis custodiri censemus. Quadrupli uidelicet pœna, quæ in anterioribus legibus definita erat, in qua & arrarum quantitas imputabatur, cessante: nisi specialiter aliud ex communi consensu inter contrahentes de eadem quadrupli ratione placuerit. Extra definitionem autem huius legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interpositа, ex utraque parte nullas uires habebit, cum in contrahendis nuptijs libera potestas esse debeat. *Hactenus uerba legis §. C. de sponsalibus: quibus proposita regula partim approbatur, partim etiam distinguitur. Est autem propositæ regulæ distinctio, seu exceptio prima hæc: Nisi sponsa minor fuerit uigintiquinque annis, cum arras accepit. Quæ exceptio approbatur uerbis propositis hisce:* In simplum autem, id est, tantummodò in id quod accepit, si minoris ætatis est, &c. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi ueniam ætatis impetrauerit. quæ replicatio approbatur supradictis uerbis hisce:* Vel post impetratam ueniam ætatis, atque in competenti iudicio comprobatam, &c. *Secunda exceptio est: Nisi matrimonium inter sponsum & sponsam legibus sit interdictum. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* Quæ ita custodiri censemus, si non propter personam, uel conditionem, uel aliam causam, &c. *Huius exceptionis exemplum est: Si is qui prouinciam administrat, eiusue filius, nepos, cognatus, cum aliqua eiusdem prouinciæ sponsalia contraxerit. quod exemplum proponitur l. unica. C. si rector prouinciæ uel ad eum pertinentes, &c. his uerbis:* Si quis in potestate publica positus, atque honore administrandarum prouinciarum, qui parentibus, aut tutoribus, aut curatoribus, aut ipsis quæ matrimonium contracturæ sunt, potest esse terribilis, arras spõsalitias dederit: iubemus, ut deinceps, siue parentes, siue eædem mutauerint uoluntatem, non modò iuris laqueis liberentur, pœnæque statutæ expertes sint, sed extrinsecus data pignora lucratiua habeant, si ea nõ putêt esse reddenda. Quod & ita latè patere uolumus, ut non solùm circa administrantes, sed etiam circa administrantium filios, nepotes ac propinquos, & participes, id est consiliarios, domesticosque locum habeat, quibus tamen administrator operam dederit. Impleri autem id postea matrimonium non uetamus, quod tempore potestatis ob eas personas, de quibus locuti sumus, arris fuerat obligatum, si sponsarum consensus accedat. *Concordat huic exemplo l. si quis. 38. in principio. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 1. repl. 2. Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi ob aliam iustam causam sponsa sponsalibus renunciauerit. Hæc exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* His hoc quoque adijcimus, ut etiamsi legibus prohibitæ non sint sperate nuptiæ, &c. *Quæ sint iustæ causæ renunciandi sponsalibus, præter iam in uerbis propositis enumeratas, uide §. quæst. prox. inter exceptiones. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi sponsa ante acceptas arras sciuerit illam causam, ob quam postea nuptias detrectat. Quæ replicatio approbatur ibidem, hisce uerbis:* Siquidem probatum fuerit, ante datas easdem arras sponsalicias hoc idem mulierem uel parentes eius cognouisse, sibi debeant imputare. *Concordat propositæ exceptioni eiusq; replicationi l. si legib. 15. C. de episcopali audientia, his uerbis:* Si legibus prohibitæ non sint sperate nuptiæ, & post arras sponsalitias sponsa coniugium sponsi propter religionis diuersitatem recusauerit: siquidem probatum fuerit, ante datas easdem sponsalicias arras hoc idem mulierem uel parentes eius cognouisse, sibi debeant imputare. Si uerò horum ignari sponsalicias arras susceperint, uel post datas arras talis causa pœnitentiæ interceſſerit: ijsdẽ tantummodò redditis, super alterius simpli pœna liberi custodiantur. Quod simili modo etiam de sponsis super recipiendis nec ne arris præstitis custodiri censemus. *Quarta exceptio est: Nisi sponsus sponsaue religionis habitum assumat, & ob id sponsalibus renunciet. Hæc exceptio species est exceptionis præcedentis, & approbatur specialiter per ea quæ proposita sunt §. quæst. prox. except. 10. Quinta exceptio est: Nisi mors alterutrius interuenerit. Hæc exceptio approbatur l. arris. 3. C. de sponsalibus. cuius uerba uide §. reg. prox. Hæc de exceptionibus propositæ regulæ seu conditionis dupli. Nunc aduersus quos hæc actio competat, quodque sit eius adsine remedium, uidendum est. Non solùm autem aduersus sponsam, sed & aduersum eius parentes, qui arram acceperunt, hæc dupli condictio datur. Quæ regula approbatur l. mulier. 5. §. patrem uerò. C. de sponsalibus. cuius uerba uide paulò superius ead. reg. in prin. Adsine autem propositæ condictionis remedium, est actio ex stipulatu de eo quod inter contrahentes conuenit præstando, si alterutra pars sponsalibus renunciet. quod approbatur d. l. §. §. penult.*

§. penult. his uerbis: Quadrupli uidelicet pœna, quæ in anterioribus legibus definita erat, in qua & arrarum quantitas imputabatur, cessante: nisi specialiter aliud ex communi consensu intra contrahentes de eadem quadrupli ratione placuerit. *Huius actionis seu adsinis remedij exceptio hæc est: Nisi id quod pœnæ nomine præstandum conuenit, quadrupli pœnam excedat. quæ exceptio approbatur ibidem, his uerbis:* Extra definitionem autem huius legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interpositа, ex utraque parte nullas uires habebit cum in cõtrahendis nuptijs libera potestas esse debeat.

De condictione dotis, nuptijs non secutis.

III. *Regula: Nuptijs non secutis, dos repetitur. Quæ regula ipso quidem iure subsistit, tanquam causa data non secuta, eiusq; exemplum proponitur l. si tutor. 7. in fine. C. de interdicto matrimonio, his uerbis:* Si tutor uel curator pupillam uel adultam quondam suam sibi uel filio suo, nullo diuino impetrato beneficio, in matrimonio collocauerit: manet infamia contra eum, ueluti confessum de tutela: quia huiusmodi coniunctione fraudem administrationis tegere laborauit, & dos data per condictionem repeti potest. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi nuncium remissum non sit. Hæc exceptio approbatur l. dotis fructus. 7. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Ante nuncium remissum si uindicabit, exceptio poterit nocere uindicanti, aut doli, aut in factum. dõti enim destinata non debebant uindicari. *Secunda exceptio est: Nisi inutiliter nuncium sit remissum. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur exemplo l. in potestate. 10. ff. de sponsalibus. cuius uerba uide §. quæst. 3. except. 7. replic. 2. Tertia exceptio est: Nisi reus non sit soluendo, sintque & alij eius creditores. Hæc exceptio reprobatur: quia mulier priuilegio dotis cæteris præfertur creditoribus. quod approbatur etiam in actione proposita l. si sponsa. 74. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si sponsa dotem dederit, nec nupserit, uel minor duodecim annis ut uxor habeatur: exemplo dotis, condictioni (fauoris ratione) priuilegium, quod inter personales actiones uertitur, tribui placet. *Concordat l. 2. §. fin. cum sequentibus. ff. de priuilegijs creditorum. cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide §. lib. 8. cap. 9. reg. 4. except. 9. Quarta exceptio est: Nisi per actricem stet, quo minus nuptiæ sequantur. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicta sunt §. reg. prox. in fine. Concordat l. uideamus. 38. in prin. ibi: sed etsi per. ff. de usuris & fructibus. cuius uerba uide paulò inferius reg. 6. Quinta exceptio est: Nisi dolo eius qui dotem repetit, iniustum matrimonium sit contractum. Quæ exceptio approbatur l. falsus tutor. 11. §. fin. ff. quod falso tutore auctore. cuius uerba uide j. lib. 18. cap. 7. quæst. 2. reg. 5. except. 1. Concordant ea quæ habentur j. lib. prox. cap. 6. except. 18.*

Quibus dotis condictio uel uindicatio competit?

IIII. *Regula: Nuptijs non secutis, regulariter ipsi mulieri condictio dotis competit, non alij. cuius regulæ exceptio hæc est: Nisi alius pro muliere dotem dederit. tunc enim is qui dedit, dotem repetet, non mulier. Quæ except. approbatur simul & distinguitur l. si mulier. 59. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Eius nomine quæ libera uidebatur, decem in dotem dedisti. eo casu habebis condictionem, quo habere potuisses, si mulieris liberæ nomine dedisses, nec nuptię secutę essent. Si manumissa nupserit, ita demum dos erit, si ea mente dedisti, ut quandoque secutis nuptijs dos esset. Igitur si mulieri donaturus dedisti, dominus condicet, quemadmodum si, cum sibi donaturus esses, mulieri ipsi donare iussisset. *Concordat l. si ego. 9. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba proponentur paulò inferius reg. 7. Propositæ exceptionis replicatio est: Nisi alius mulieri donaturus pro ea dotem dederit. tunc enim mulieri eiusue domino datur condictio. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Igitur si mulieri donaturus, &c. *Concordat l. licet. 43. §. quoties. ff. eod. tt. cuius uerba uide j. lib. prox. cap. 7. reg. 2. except. 1.*

Quid ueniat in condictione dotis?

V. *Regula: Vtrum res, an æstimatio condici debeat, definitur l. in rebus. 17. §. fin. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Si re æstimata data, nuptiæ secutæ non sunt: uidẽdum est, quid repeti debeat: utrum res, an æstimatio? Sed id agi uidetur, ut ita demum æstimatio rata fit, si nuptię sequantur: quia nec alia causa contrahendi fuerit. Res igitur repeti debet, non precium.

VI. *Regula, De fructibus etiam restituendis, proponitur l. uideamus. 38. in princip. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Si fundus ob rem datus sit, ueluti dotis causa: renunciata adfinitate, fructus quoque restituendi sunt: utique si qui percepti sunt eo tempore, quo sperabatur adfinitas. Sed & posteriores, si in re mora fiat ab illo qui reddere debet, omnimodò restituendi sunt. Sed & si per mulierem stet, quo minus nuptiæ contrahantur: magis est, ut debeat fructus recipere. Ratio autem hæc est, quòd si sponsus non conueniebatur ad restituendos fructus, licuerat ei negligere fundum.

Quæ actio ad dotem repetendam nuptijs non secutis competat?

VII. *Regula: Condictio & uindicatio dotis competit diuerso respectu. Quæ regula approbatur l. dotis fructus. 7. §. si res, ibi: proinde. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si

bis: Si fortè nuptiæ non sequantur, nuncio remisso: siquidem sic dedit mulier, ut statim uiri res fiant: condicere eas debebit, remisso nuncio. Enimuerò si sic dederit, ut secutis nuptijs incipiant eius esse: nuncio remisso, statim eas uindicabit. *Concordat l. si ego. 9. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si pro Seia res ego in dotem dem, siquidem ante nuptias: interest, qua conditione dedi: utrum, ut statim fiant accipientis, an secutis nuptijs. Et si statim, nuncio remisso condicam: si uerò non statim, potero uindicare: quia meæ res sunt. Quare si sequi nuptiæ non possunt propter matrimonij interdictionem, ex posteriore causa res meæ remanebunt.

VIII. Regula: *Interdum de dote actio est. Qui casus proponitur l. denique Cinna. 6. cum lege sequente. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Cinna scribit, eum qui absentem accepisset uxorem, deinde rediens à cœna iuxta Tyberim perijsset, ab uxore lugendum esse. Ideoque potest fieri, ut in hoc casu aliqua uirgo & dotem, & de dote habeat actionem.

IX. Regula: *Depositi quoque actio in casu competit. Qui casus proponitur l. Lucius. 27. ff. depositi, his uerbis:* Lucius Titius cum haberet filiam in potestate Seiam, Pamphilo seruo alieno in matrimonio collocauit: cui etiam dotem dedit, quam sub titulo depositi in cautionem cõtulit. & postea denunciatione nulla à domino facta, pater decessit, mox & Pamphilus seruus. quæro, qua actione Seia pecuniam petere possit, cùm ipsa patri hæres extiterit? Paulus respondit, quoniam dos constitui non potuit, ex causa depositi actione de peculio pecuniam repetendam. *Postremò, secutis nuptijs, soluto matrimonio ad dotem repetendam ex stipulatu actio competit: de qua dicetur ĩ. libro prox. Nunc ad reliquos effectus sponsaliorum dissolutorum transeamus.*

X. Regula, *De eo quod ante nuptias donatum est, nuptijs non secutis repetendo, proponitur l. cum ueterum. 15. C. de donationibus ante nuptias, his uerbis:* Cũ ueterum sententia displiceat, quæ donationes in sponsam, nuptijs quoq; non secutis, decreuit ualere: ea quæ largiendi animo inter sponsos & sponsas iure celebrantur, redigi ad huiusmodi conditiones iubemus: ut si ue ad finitatis coeundæ causa, siue non ita, uel in potestate patris degẽtes, uel ullo modo proprij iuris constituti, tanquam futuri causa matrimonij aliquid sibijpsi, uel consensu parentum mutuò largiãtur: siquidem sponsus uel parentes eius sortiri filium noluerint uxore, id quod ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum: & si quid apud donatorem resedit, ad sponsam & hæredes eius submoris ambagib. transferatur. Quòd si sponsa, uel is in cuius agit potestate, causam non contrahendi matrimonij præbuerit: tunc sponso eius que hæredibus sine aliqua deminutione per cõdictionem, aut per utilem actionem in rem redhibeantur. Quæ similiter obseruari oportet, & si ex parte spõsæ in sponsum donatio facta sit. *Ex uerbis iam propositis constat, id quod ante nuptias à sponso sponsaue donatum est, nuptijs non secutis regulariter à donante eiusq; hæredibus repeti posse. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi donator sponsalibus renunciauit. quæ exceptio constat ex uerbis propositis hisce:* Siquidem sponsus uel parentes eius sortiri filium noluerint uxorem, id quod ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum. *Secunda exceptio est: Nisi osculo interueniente, mors alterutrius nuptias impedierit. Hoc enim casu non nisi pro dimidia parte donatum repeti potest. Quæ exceptio approbatur l. si à sponso. 16. C. d. tt. his uerbis:* Si à sponso rebus sponsæ donatis, interueniente osculo, ante nuptias hunc uel illã mori contigerit: dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti uel defunctæ hæredes, cuiuslibet gradus sint, & quocunque iure successerint: ut donatio stare pro parte dimidia uideatur. Osculo uerò non interueniẽte, siue sponsus, siue sponsa obierit: totam infirmari donationem, & donatori sponso uel hæredibus eius restitui. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi sponsa donatum repetat. huic enim proposita exceptio non obstat. Quæ replicatio approbatur d. l. 16. §. fin. his uerbis:* Quòd si sponsa, interueniente uel non interueniente osculo, donationis titulo (quod rarò accidit) fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hunc uel illam mori contigerit: omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam siue eius successores donatarum rerum dominium transferatur. *Plura de regula proposita uide ĩ. lib. prox. cap. 11. quæstione 4. reg. 3. except. 2. Hactenus de sponsalibus, eorúmque dissolutorum euentis est dictum.*

DE NVPTIIS. Cap. II.

I. DEFINITIO NVptiarum.

Definiuntur nuptiæ inst. de patria potestate. §. 1. his uerbis: Nuptiæ, siue matrimonium, est uiri & mulieris coniunctio, individuam uitæ consuetudinem continens. *Concordat l. 1. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Nuptiæ sunt coniunctio maris & fœminę, consortium omnis uitæ, diuini & humani iuris communicatio.

II. PROPRIVM.

Proprium nuptiarum contrahendarum proponitur l.

tur l. semper. 42. in prin. ff. eod. tt. his uerbis: Semper in coniunctionibus, non solùm quid liceat, considerandum est: sed & quod honestum est. *Concordat ijsdem uerbis l. semper. 157. ff. de reg. iuris.*

III. EVENTVS ET POEnæ iniustarum nuptiarum.

I. Regula: *Liberi ex iniustis nuptijs procreati, spurijs similes sunt. Quæ regula approbatur Inst. de nuptijs. §. si aduersus ea, his uerbis:* Si aduersus ea quę diximus, aliqui coierint: nec uir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ij qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris nõ sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ij quos mater uulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum & his pater incertus sit. Vnde solent Spurij appellari παρὰ τὸ σπορέα, & ἀπάτωρες, quasi sine patre filij. Sequitur ergo, ut dissoluto tali coitu, nec dotis nec donationis exactioni locus sit. Ait Imp. Si aduersus ea quæ diximus. *Hæc proponentur ĩ. cap. prox. Concordat l. si quis. 6. C. de incest. nuptijs. cuius uerba uide ĩ. reg. 6. Huius exemplũ proponitur l. Paulus. 11. ff. de statu homi num, his uerbis:* Paulus respondit, eum qui uiuente patre, & ignorante de coniunctione filię, conceptus est, licet post mortem aui natus sit, iustum filiũ ei ex quo conceptus est, non uideri. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi per ignorantiam iniustæ nuptiæ sint contractæ, eæque longo tempore durauerint. quæ exceptio approbatur l. diuus. 58. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Diuus Marcus & Lucius Imperatores Flauiæ Terryllæ per Mensorem libertum ita rescripserunt: Mouemur & temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuisti, & quòd ab auia tua collocata es, & numero liberorum uestrorum. Idcircò cum hæc omnia in unum coucurrant, confirmamus statum liberorum uestrorum, in eo matrimonio quæ horũ, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitimè concepti fuissent.

II. Regula: *Iniustis nuptijs existentibus, nec dos nec donatio propter nuptias intelligitur. Quæ regula approbatur Inst. de nuptijs. §. si aduersus ea. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. Concordat l. incestæ. 52. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Incestæ nuptiæ neque dotem habent. Et ideo omne quod perceptum est (licet fructuum nomine) auferetur. *Concordat item l. à diuo. 59. ff. eod. tt. his uerbis:* A' diuo Pio rescriptum est, si libertina senatorem decepерit, quasi ingenua, & ei nupta est: ad exemplum prætorij edicti dandam in eam actionem: quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla est.

III. Regula: *Id quòd dotis uel donationis nomine datũ est, fisco uindicatur. quæ regula approbatur l. qui cõtra. 4. C. de incestis nuptijs, hisce uerbis:* Qui cõtra legũ præcepta, uel contra mandata constitutionesque principum nuptias fortè contraxerit, nihil ex eodem matrimonio, siue ante nuptias donatum, siue deinceps quoquo modo datum fuerit, consequatur: idque totum quod ab alterius liberalitate in alterum processerit, ut indigno indignæue sublatum, fisco uindicari sancimus: exceptis tam fœminis quàm uiris, qui aut errore acerrimo, non affectato infimulatoue, neque ex uili causa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi. Quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore compertо, aut ubi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiusmodi sine ulla procrastinatione diremerint. *Concordat l. si quis. 6. ibi: dos si qua. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. reg. 6. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi per errorem & ignorantiam iniustas contraxerit nuptias. Quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Exceptis tam fœminis quàm uiris, qui aut errore acerrimo, non affectato infimulatoue, neque ex uili causa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi. *Huius exemplum proponitur Nouell. c. 22. §. si uerò cum quis. de quo ĩ. cap. prox. except. 35. Item proponitur exemplum l. à diuo Pio. 59. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi crassus error sit, & supina ignorantia. Quæ replicatio ex uerbis iam dictis patet. Secunda replicatio est: Nisi errore comperto, nihilominus in eo matrimonio perseuerauerit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore compertо, aut ubi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiusmodi sine ulla procrastinatione diremerint. *Secunda exceptio est: Nisi minor uigintiquinque annis iniustas contraxerit nuptias. Et hæc exceptio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Aut ætatis lubrico lapsi. *Sed & eadem huius quæ superioris exceptionis replicatio est, talis scilicet: Nisi maior ætate factus, in iniusto matrimonio permanserit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quos tamen ita demum, &c. *Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi tutor pupillam, uel curator adultam suam in uxorem duxerit, uel filio suo desponderit. hoc enim casu non fiscus, sed puella dotem repetit. Quæ exceptio approbatur l. si tutor. 7. in fine. C. de interdicto matrimonio inter pupillam. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst. 4. reg. 3. in princip. Quarta exceptio est: Nisi is qui prouinciæ præest, aliquam ex ea prouincia in uxorem duxerit. hæc enim mulier eiusue hæres dotis repetitionem saluam habet. Quæ exceptio approbatur l. præfectus. 64. in fine. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. exceptione 24.*

Quinta

Quinta exceptio est: *Nisi filia inuito patre nuptias iterauerit. hoc enim casu pater dotem repetere potest. Quæ exceptio approbatur l. si ut proponis. 7. C. de nuptijs. cuius uerba uide ẜ. cap. 4. except. 1. repl. 5. Sexta exceptio est: Nisi nuptiæ postea conualescant. Quæ exceptio approbatur exemplo l. cum pater. 29. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ẜ. lib. prox. cap. 6. except. 13. distinct. 4. repl. 3.*

IIII. Regula: *Quid & quantum ex iniusto matrimonio dotis nomine fisco uindicandum, definitur l. dote. 62. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Dote propter illicitum matrimoniũ caduca facta, exceptis impensis necessarijs, quæ dotem ipso iure minuere solent: quòd iudicio de dote redditurus esset maritus, soluere debet.

V. Regula: *Iniustis nuptijs contractis, quod uir uxori, uel uxor uiro in testamento uel sine testamento reliquerit uel donauerit, fisco uindicatur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur ẜ. lib. 32. cap. 3. exceptione* 20.

VI. Regula, *De pœna incestarum nuptiarum, proponitur l. si quis. 6. C. de incestis nuptijs, hisce uerbis*: Si quis incesti uetitique coniugij sese nuptijs funestauerit, proprias, quamdiu uixerit, teneat facultates: sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur: nihil prorsus prædictis, neque per interpositam quidem personã, uel donet superstes, uel mortuus derelinquat. Dos, si qua fortè solenniter aut data aut promissa fuerit, iuxta ius antiquum fisci nostri commodis cedat. Testamento suo extraneis nihil relinquat: sed (siue testato, siue intestato) legibus ei iure succedant, si qui fortè ex iusto & legitimo matrimonio editi fuerint: hoc est, de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: de ascendentibus autem pater, mater, auus, auia: de latere frater, soror, patruus, amita. Testandi sanè ita demum habeat facultatem, ut ijs tantummodò personis pro iuris ac legum quod uoluerit arbitrio relinquat, quas succedere imperialis præcepti tenore mandauimus: ita tamen, ut ab hæreditate defuncti penitus arceatur, si quis ex ijs quos memorauimus, in contrahendis incestis nuptijs consiliũ iniisse monstrabitur: succesturo in locũ ipsius, qui post eum gradu proximus inuenitur. Sanè ea quæ de uiris cauimus, etiam de fœminis, quæ prædictorum sese consortijs commaculauerint, custodiantur. Memoratis uerò personis non extantibus, nostro fisco locus pateat. *Hisce uerbis pœna incesti constituitur, quòd mortuo eo qui incestum commisit, ascendentibus, descendentibus, & ex latere fratre, sorore, patruo & amita non extantibus, fiscus ei succedat. Quæ pœna mutatur Nouell. c. 12. in princip. usq; ad ẜ. at cum inter. ubi etiam uiuentis bona publicantur & addicuntur fisco. Eius constitutionis uerba hæc sunt*: Multa adhuc ad perfectionem deesse arbitramur illis legibus, quæ de incestis antea ab aliquot retrò principibus conscriptæ sunt: quæ quidẽ eos qui incestas contrahunt nuptias, impunitos relinquũt: prolem uerò inde progenitam, cui tamen nihil omnino criminis potest obiici, paternorum ademptione bonorum multant, quasi necessarium sit, ut delinquentes soluantur crimine: qui uerò omni carent crimine, tanquam delinquentes puniantur. Proinde sancimus, ut si quis decæterò illicitas & naturæ contrarias, quas lex incestas, nefarias & damnatas appellat, nuptias contraxerit: siquidem liberos ex prioribus & legitimis & inculpatis nuptijs natos non habet, illi confestim & bonorum suorum ademptio immineat, simul neq; ijs quæ ei dotis nomine data sunt perfruatur, sed uniuersa fisci iuribus adsignentur. Indeque adeò, quia cum legi cognitas liceat facere nuptias, legibus potius prohibitas adamat, & tã semina confundit, quàm familiam iniuria afficit, & pietati simul ac religioni contraria perpetrat, penitusque ea appetit, quæ multa etiam bruta animantia auersantur: sit sanè illi pœna non tantùm bonorum publicatio, sed etiam cinguli detractio, & exilium, ac (siquidem uilis conditionis fuerit) corporis etiam castigatio, quo magis castè discat uiuere, & intra naturæ limites se continere, non autem indulgere genio, & amoribus uetitos excedere terminos, contraque traditas nobis à natura leges impotenti se animo opponere. muliere quoque, si cognita lege hanc neglexerit, & illicitis seipsam nuptijs tradiderit, eidem pœnæ subdenda. At si ex prioribus inculpatis nuptijs filij fortè aut nepotes, aut etiam ultrà existant: paternam illi successionem confestim percipient, nempe paterno supplicio suæ potestatis facti, ut tamen illum alant, & reliqua illi necessaria suppeditent. tametsi enim legum transgressor est & impius, nihilominus tamen pater existit. Atque hoc quidem pòst futuro tempore, quodcunque post præsentem nostram labitur constitutionem, obtineat, nemini futurum molestiæ, si castè uiuatur. neque enim licet eos qui nihil peccant, huic legi subijcere. Cæterùm quod iam præterijt, neque omnino pro noxa soluto relinquimus, neque item penitus sub acerbam indignationem deferimus. Certè contractis incestis nuptijs, si usuenit, ut hæ aliquo iam antè pacto dissolutæ sint, extra noxam sunto. Præterea si quem nostra hæc lex talibus inhærentem nuptijs deprehenderit, habeat & ille licentiã intra biẽniũ, ex quo omnibus hæc manifesta facta est, eam quæ ita sibi cõiuncta fuit, à se dimittẽdi, nunquã ad se reuersuram, neq; cum in speciẽ separata uideatur, reipsa consuetudinẽ cum eo habentem. Poterit enim & hic forsan priora defendere, sola uidelicet quarta substantiæ eius parte in fiscũ deferenda. Et filij sanè (quoniam illis ut innoxijs ueniã damus) siquidem soli, & non cum alijs legitimis, qui ex alijs innoxijs scilicet nuptijs suscepti sunt, ipsi quoq; fuerint: minimè paterna defraudentur successione, nisi iure ipsos pater exosus, propter legitimam aliquam offensionem à successione sua excludat. Quòd si aliæ quoque nuptiæ, quæ in nullo legem offendant, intercesserint, & ex illis exiitant liberi: integrum esto ijs quidem filijs, qui omni ex parte reprehensione & noxa carent (nisi & ipsi in aliquo alio offenderint, quod secundum leges ipsos paterna successione indignos ostendat) dodrantem hæreditatis: ijs uerò, qui tametsi incestuosi habentur, noxa tamen à nobis soluti sunt, quadrantem relinquere, si & ipsi erga patrem undique se inculpatè gessisse uideantur: quarta uidelicet parte, quam fisco adsignari præcepimus, prius ex paterna substantia detracta. Permittimus autem illis, ut non solùm ex testamento, sed etiam ab intestato, secundum modum iam antè à nobis dictum, genitorum hæredes fiant. Eodem hoc obtinente, & si post dimissam priorẽ coniugem, quæ præter ius & fas illi copulata fuerat, alteram uxorem secundum leges duxerit, filijs ei tam ex priore, quàm postea ex legitima uxore procreatis. ita enim superiora tẽpora humanitate uincemus, dote uidelicet diuertenti mulieri reddita. Enimuerò si intra biennium, ex quo lex publicè promulgata est, eam à se coniugem non dimiserit: excidat simul & ipse à sua substantia, & mulier à dote, & prædictæ uterque pœnæ subdatur: ipsi quoque tales filij neque ex paterna substantia quidquam, neque ex materna dote possidebunt. Sed qui ex prioribus innoxijs ei nuptijs nati sunt liberi, illi suæ potestatis effecti, præter quartam scilicet partem, quæ in fiscum defertur, bona suscipient, exinde patrem alentes, & (prout diximus) omnia illi, quæ ad tuendam reliquam uitam sufficiunt, suppeditantes, incestuosæ uidelicet mulieris dote hoc etiam casu in fiscum redigenda. Quòd si ei qui hæc patrauit, ex prioribus inculpatis nuptijs liberi nati non sint: tunc totius eius substantiæ dominus erit fiscus. Id enim & in illis qui posthac incestas contrahunt nuptias, sanciuimus: in pari per omnia crimine ponentes eum, qui intra dictum à nobis tempus incestuosam à se coniugem non dimittit, & eum qui post hanc nostram legem incestas

& detestabiles nuptias elegerit. *Concordat Nouell. c. 154. his uerbis*: Præter opinionem incertus ad nos, &c.

VII. Regula: *Ei qui incestas contrahit nuptias, libera testandi facultas aufertur, l. si quis. 6. C. de incestis nuptijs. cuius uerba uide ẜ. reg. prox. Sed & alias incesti pœnas uide ẜ. lib. 4. cap. 7. quæst. 2. causa 16.*

VIII. Regula: *De pœna, si tutor pupillam suam in uxorem duxerit, dicetur ẜ. cap. prox.*

IX. Regula: *Si quis duas uxores duxerit, quid iuris, dicetur itidem ẜ. cap. prox.*

X. Regula: *Si mulier intra annum uel quinquennium nuptias iterauerit, uide ẜ. cap. 4. Sed & secundarum nuptiarum euentus uide ẜ. d. cap. 4.*

DE EXCEPTIONIBVS ADuersus nuptias, ex personis nuptias contrahentium desumptis. Cap. III.

HActenus euentus iniustarum nuptiarum propositi sunt: nunc quæ sint iniustæ nuptiæ, uidendum. Regulariter autem nuptiæ iustæ censentur: cuius regulæ exceptiones plures sunt, partim ex personis nuptias contrahentium, partim ex alijs circumstantijs desumptæ, quæ sequuntur.

I. Exceptio: *Nisi ij nuptias inuicem contraxerint, qui parẽtum liberorumue locum inter se obtinent. Hæc exceptio approbatur Institut. de nuptijs. ẜ. ergo non omnes, his uerbis*: Non omnes nobis uxores ducere licet. nam à quarundam nuptijs abstinendum est. Inter eas enim personas, quæ parentum liberorumue locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt: ueluti inter patrem & filiam, uel auum & neptem, uel matrem & filium, uel auiam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò uera sunt, ut quamuis per adoptionem parentum liberorumue loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio iungi: in tantum, ut etiam dissoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam quæ tibi per adoptionem filia uel neptis esse cœperit, non poteris uxorem ducere, quamuis eam emancipaueris. *Concordat l. nuptiæ. 55. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumue sunt, siue proximi, siue ulterioris gradus sint, usque ad infinitum. *Concordat item l. ult. in princip. ff. eodem tt. cuius uerba uide ẜ. libro 4. cap. 7. quæstione 2. causa 16. Concordat item l. nemini. 17. C. de nuptijs, his uerbis*: Nemini liceat contrahere matrimonium cum filia, nepte uel pronepte: itemque cum matre, auia uel proauia: & ex latere amita, ac matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte:

nepte: præterea fratris tui filia, & ex ea nepte. Item ex adfinibus priuigna, nouerca, nuru, socru, cæterisq; quę iure antiquo prohibentur, à quibus cunctos uolumus se abstinere. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per adoptionem parentum liberorumúe loco inuicem esse cœperint. Hæc replicatio reprobatur uerbis supradictis hisce:* Et hæc adeò uera sunt, ut quamuis per adoptionem, &c. *Concordat l. quinetiam.55.in prin.ff.de ritu nupt.his uerbis:* Quinetiam nefas existimatur, eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem filia neptisúe esse cœperit: in tantũ, ut etsi per emancipationem adoptio dissoluta sit, idem iuris maneat. *Planè admittitur replicatio proposita, si rursus emancipatus duxerit. quæ distinctio approbatur d.l. 55.§.patris, hisce uerbis:* Patris adoptiui mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio, uxorem ducere non possum, scilicet si in familia eius sim: alioquin si emancipatus fuero ab eo, sine dubio nihil impedit nuptias: scilicet, quia post emancipationem extraneus intelligor. *Secunda replicatio est: Nisi uulgò quæsitam filiam quis in uxorem duxerit. Et hæc replicatio reprobatur l.adoptiuus. 14. §. unde nec uulgò. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Nec uulgò quęsitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere: quoniam in contrahendis matrimonijs naturale ius & pudor inspiciendus est. Contra pudorem autem est, filiam suam uxorem ducere. *Tertia replicatio est: Nisi dubitetur, an pater sit eius quam ducturus est. Et hæc replicatio reprobatur d.l.14.§.seruiles, in fine. cuius uerba uide ȝ.proximè. Quarta replicatio est: Nisi seruilis cognatio sit. Et hæc replicatio reprobatur d. §. seruiles, his uerbis:* Seruiles cognationes hoc iure obseruandæ sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducet uxorem. tantundem iuris est & in sorore, & sororis filia. Idem econtrariò dicendum est, ut pater filiam non possit ducere, etsi ex seruitute manumissi sint, & dubitetur patrem eum esse. *Concordat Inst. de nuptijs, hisce uerbis:* Illud certum est, seruiles quoque cognationes impedimento nuptijs esse, si fortè pater & filia, aut frater & soror manumissi fuerint. *Concordat item l.libertinus.8.ff.de ritu nuptiar.his uerbis:* Libertinus libertinam matrem aut sororem uxorem ducere non potest: quia hoc ius moribus, non legibus introductum est. *Quinta replicatio est: Nisi ex iniustis nuptijs parentum liberorumúe locum inter se obtineant. Et hæc replicatio reprobatur l.& nihil interest. 54. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ȝ.except. prox.repl.2.*

II. Exceptio: *Nisi ij qui ex transuerso gradu cognationis iunguntur, nuptias inuicem contraxerint. Hæc exceptio approbatur Inst.de nuptijs. §.inter eas quoq;, his uerbis:* Inter eas quoque personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis obseruatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem sororemq; nuptiæ prohibitæ sunt, siue ab eodem patre eadémque matre nati fuerint, siue ex altero eorũ. *Concordat l.ult. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ȝ.lib.4.cap.7.quæst.2.causa 16. Item concordat l.nemini.17.C.de nuptijs. cuius uerba uide ȝ.except.prox. Propositæ exceptionis exemplum primum est in fratre & sorore, quod iam propositum est. Secundum exemplum in fratris & sororis filia, nepte, pronepte, proponitur Inst.de nuptijs.§.fratris, hisce uerbis:* Fratris uel sororis filiam uxorem ducere nõ licet: sed nec neptem fratris uel sororis quis ducere potest, quamuis quarto gradu sint. Cuius enim filiam uxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur. *Concordat l. sororis. 39. in prin.ff.de ritu nupt.his uerbis:* Sororis proneptem non possum ducere uxorem: quoniam parentis ei loco sum. *Concordat item d.l.17.C.de nuptijs. cuius uerba uide ȝ.except.prox.in prin. Item concordat l.2.C.si nuptiæ ex rescripto petantur, his uerbis:* Nefandissimum scelus fratris sororisúe filię nuptiarum, quod sacratissimis constitutionibus sub grauissimæ pœnæ interminatione damnatum est, iterato præsentis diuinæ sanctionis tenore modis omnibus prohibemus. Precandi quoque in posterum super tali coniugio (imò potius contagio) cunctis licentiam denegamus, ut unusquisque cognoscat, impetrationem quoque rei, cuius est denegata petitio, nec si per subreptionẽ post hanc diem obtinuerit, sibimet profuturam. *Tertium exemplũ in amita & matertera, item in amita magna & matertera magna, proponitur Inst. de nuptijs.§.item amitam, his uerbis:* Amitam, licet adoptiuam, ducere uxorem non licet, item nec materteram: quia parẽtum loco habentur. Qua ratione uerum est, magnam quoq; amitam & materteram magnam prohiberi uxorem ducere. *Concordat l.per adoptionem.17. §.amitam.ff.de ritu nupt. his uerbis:* Amitam quoque & materteram, item magnam quoque amitam & materteram magnam prohibemur uxorem ducere: quamuis magna amita & matertera quarto gradu sint. *Concordat item l.nemini.17. C.de nuptijs. cuius uerba uide ȝ.exceptione prox.in prin. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per adoptionem sint cognati. Hæc replicatio reprobatur in primo exemplo, Institit.de nuptijs.§.sed si qua per. cuius uerba uide paulò inferius. reprobatur item in tertio exemplo, d.l.17.§.fin.ff.de ritu nupt.his uerbis:* Vtique autem amitam & amitam magnam prohibemur uxorem ducere, etsi per adoptionem nobis coniunctæ sunt. *Concordat Inst.d.§.item amitam. Planè admittitur proposita replicatio primum in secundo exemplo, Inst.de nuptijs.§.eius uerò, his uerbis:* Eius mulieris, quam pater tuus adoptauit, filiam non uideris impediri uxorem ducere: quia neq; naturali,

naturali, neque ciuili iure tibi coniungitur. *Concordat l.si qua mihi. 12. §.adoptiuæ. ff.de ritu nupt. his uerbis:* Adoptiuæ sororis filiam possum uxorem ducere. cognata enim mea non est filia eius: quia aununculus nemo fit per adoptionem: & hę demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimę sunt, id est, quæ agnatorum ius habent. *Deinde admittitur replicatio proposita in sorore patris adoptiui, d.§.adoptiuæ, his uerbis:* Pari ratione & sororem patris mei adoptiui possum ducere, si nõ fuit eodem patre nata. *Tertiò admittitur proposita replicatio, si adoptio fuerit per emancipationem dissoluta. Inst.de nuptijs.§.sed si qua, his uerbis:* Si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit: quamdiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt: cum uerò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem ducere. *Concordat l. per adopt.17.in prin.ff.de ritu nupt.his uerbis:* Per adoptionem quæsita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio. Ideóque eam quam pater meus adoptauit & emancipauit, potero uxorem ducere. *Concordat item l.quinetiam.55.§.patris.ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.except.prox.repl.1. Quartò admittitur replicatio proposita, si naturalis fuerit emancipatus. d.l.17.in principio. his uerbis:* Aeque, & si me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus iungi matrimonio. Itaque uolenti generum adoptare, suadetur ut filiam emancipet. Similiter suadetur ei qui nurum uelit adoptare, ut emancipet filium. *Concordat Inst.d.§.sed si qua, his uerbis:* Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptijs. Et ideo constat, si quis generum adoptare uelit, debere eum antea filiam suam emancipare: & si quis uelit nurum adoptare, debere eum antea filium suum emancipare. *Hæc de prima replicatione reprobata cum suis distinctionibus. Secunda replicatio est: Nisi ex iniusto matrimonio uel coitu cognatio descendat. Et hæc replicatio reprobatur l.& nihil. 54. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Nihil interest, ex iustis nuptijs cognatio descendat, an uerò non. nã & uulgò quæsitam sororem quis uetatur uxorem ducere. *Tertia replicatio est: Nisi seruilis cognatio sit. Et hæc replicatio reprobatur per ea quæ dicta sunt ȝ.except.prox.repl.4. Quarta replicatio est: Nisi duorum fratrũ uel sororum liberi nuptias contraxerint. Hæc replicatio approbatur Inst.de nuptijs.§. duorum, his uerbis:* Duorum fratrum uel sororum liberi, uel fratris & sororis, cõiungi possunt. *Concordat l.celebrandis. 19. C. de nuptijs, his uerbis:* Celebrandis inter consobrinos matrimonijs licentia legis huius salubritate indulta est, ut reuocata prisci iuris authoritate, restrictisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, siue ex duobus fratribus, siue ex duabus sororibus, siue ex fratre & sorore nati sunt: & ex eo matrimonio editi legitimi, & suis patribus successores habeantur. *Concordat itẽ l.2. C.de institut. uel substitut. sub condit. cuius uerba uide ȝ.lib.34.cap.7.condit.1.reg.2.except.1. Item concordat l. si nepotem. 3. ff. de ritu nupt. cuius uerba uide ȝ. cap. prox.except.1.repl.3.*

III. Exceptio: *Nisi inter adfines nuptiæ contrahantur. Hæc exceptio approbatur Inst.de nuptijs. §.adfinitatis. cuius uerba uide ȝ.except.prox. Sed & huius exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes. Replicatio autem generalis uidetur esse talis: Nisi seruilis adfinitas sit. Sed hæc replicatio reprobatur l.adoptiuus. 14. §. idem tamen. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Idem quod in seruilibus cognationibus constitutum est, & in seruilibus adfinitatibus seruandum est. Veluti ut eam quæ in contubernio patris fuerit, &c.

IIII. Exceptio: *Nisi quis priuignam suam in uxorem duxerit. Hæc exceptio approbatur Inst.de nuptijs. §.adfinitatis, his uerbis:* Adfinitatis quoque uenerationè à quarundam nuptijs abstinere necesse est: ut ecce priuignam aut nurum uxorem ducere non licet, quia utræque filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus aut priuigna tua. nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, alia ratione uxorem eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc priuigna tua est, id est, si mater eius tibi nupta est, ideo eam uxorem ducere nõ poteris, quia duas uxores eodem tempore habere non licet. *Concordat l.nemini. 17. in fin. C. de nuptijs. cuius uerba uide ȝ. except. 1. in prin. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc uidetur esse: Nisi uxoris non filia, sed neptis sit, uel proneptis. Hæc replicatio reprobatur l.adoptiuus. 14. §. priuigna. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Priuigna non solùm ea mihi intelligitur, quæ uxoris meæ filia est, sed & neptis & proneptis, ut nullam earum ducere possim. *Concordat l. Aristo. 40. ff. eod.tt. his uerbis:* Aristo respondit, priuignæ filiam non magis uxorem ducere posse, quàm ipsam priuignam. *Secunda replicatio est: Nisi filia post uxorem repudiatam nata sit. Et hæc replicatio reprobatur l.si qua mihi. 12. §. si uxor. ff. d.tt. his uerbis:* Si uxor mea post diuortium alij nupserit, & filiã susceperit: putat Iulianus, hanc quidem priuignam non esse, uerùm nuptijs eius abstinendum. *Concordat Inst.de nuptijs. §. si uxor, his uerbis:* Si uxor tua post diuortium ex alio filiam procreauerit, hæc non est quidem priuigna tua, sed Iulianus ab huiusmodi nuptiis abstineri debere ait. nam cõstat, nec sponsam filij nurum esse, nec patris sponsam nouercá esse: rectius tamẽ & iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptijs abstinuerint.

V. Exceptio: *Nisi quis nurum suam in uxorem duxerit, Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ȝ.*

except. prox. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi non filij, sed nepotis uel pronepotis uxor sit.* Hæc replicatio reprobatur *l. adoptiuus. 14. §. nurus. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Nurus appellatione non tantùm uxor filij, sed & nepotis & pronepotis continetur: licet quidam has pronurus appellent. *Secunda replicatio uidetur esse: Nisi non uxor, sed sponsa filij fuerit.* Et hæc replicatio reprobatur *institut. de nuptijs. §. si uxor, in fin. cuius uerba uide ff. except. prox. in fine. Concordat l. si qua mihi. 12. §. sed & per. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Sponsa mea patri meo nubere non poterit, quamuis nurus non propriè dicatur. *Tertia replicatio est: Nisi non filij, sed priuigni uxor fuit.* Et hæc replicatio reprobatur *l. uxorē. 15. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Vxorem quondam priuigni coniungi matrimonio uitrici non oportet: nec in matrimonium nouercam ei conuenire, qui priuignæ maritus fuit. *Quarta replicatio est: Nisi non naturalis, sed adoptiui filij uxor fuit.* Et hæc replicatio reprobatur *d. l. 14. in prin. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Si quis filium adoptauerit, uxorem eiusdem, quę nurus loco est, ne quidem post emancipationem filij uxorē ducere potest: quoniā aliquando nurus eius fuit.

XVI. *Exceptio: Nisi quis socrum suam in uxorem duxerit.* Hæc exceptio approbatur *inst. de nuptijs. §. socrum quoque, his uerbis*: Socrum quoque & nouercam prohibitum est uxore ducere: quia matris loco sunt. Quod & ipsum dissoluta demum adfinitate procedit. alioquin si adhuc nouerca est, id est, si adhuc patri tuo nupta est, communi iure impeditur tibi nubere: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item, si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia eius tibi nupta est, ideo impediuntur tibi nuptiæ, quia duas uxores habere non potes. *Concordat l. nemini. 17. in fine. C. de nuptijs. cuius uerba uide §. except. 1. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi non uxoris quondam mater, sed auia uel proauia sit.* Hæc replicatio reprobatur *l. adoptiuus. 14. §. itaq;. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Socrus appellatione non tantùm uxoris meæ mater, sed & auia & proauia intelligitur, ut nullam earum ducere possim. *Secunda replicatio uidetur esse: Nisi non mater, sed nouerca fuerit uxoris quondam meæ.* Et hæc replicatio reprobatur *l. uxorem. 15. in fine. ff. de ritu nupt. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 3.*

XVII. *Exceptio: Nisi quis nouercam suam in uxorem duxerit.* Hæc exceptio approbatur *per ea quæ proposita sunt §. except. prox. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc uidetur esse: Nisi non patris, sed auí uel proauí quondam uxor fuerit.* Hæc replicatio reprobatur *d. l. 14. §. nunc uideamus. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Nunc uideamus, quomodo nouerca & priuigna, & socrus & nurus intelligantur: ut sciamus, quas non liceat ducere. Quidam nouercam per se patris uxorem, & nurum filij uxorem, & priuignam uxoris ex alio marito filiam intelligunt. sed (quod ad hāc causam) uerius est, nec aui uxorem, nec proaui duci posse. Et duas ergo uel plures nouercas ducere nō poterit. nec mirum. Nam & is qui adoptiuus est, nec naturalis patris, nec adoptiui uxorem ducere potest: & si plures uxores pater adoptiuus habuit, nullam earum ducere possum. *Secunda replicatio uidetur esse: Nisi non patris naturalis, sed adoptiui uxor fuerit. Sed hæc quoque replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Nam & is qui adoptiuus est, &c. *Concordat d. l. 14. in prin. his uerbis*: Adoptiuus filius si emancipetur, eam quæ patris adoptiui uxor fuit, ducere non potest: quia nouercæ locum habet. *Planè admittitur replicatio proposita, si posterior maritus à priore fuerit adoptatus, postquam prius matrimonium fuit solutum, & posterius contractum. quæ distinctio approbatur l. si qua. 12. in princip. ff. d. tt. his uerbis*: Si qua mihi uxor fuit, deinde à me repudiata nupsit Seio, quem ego postea adrogaui: non sunt nuptiæ incestæ. *Tertia replicatio est: Nisi non uxor, sed sponsa patris fuerit.* Et hæc replicatio reprobatur *d. l. 12. §. a. his uerbis*: Inter me & sponsam patris mei nuptię non possunt contrahi: quanquam nouerca mea propriè non dicatur. *Concordat institut. de nuptijs. §. si uxor, in fine. cuius uerba uide §. except. 4. replic. 2. Quarta replicatio uidetur esse: Nisi non uxor, sed concubina patris fuerit.* Et hæc replicatio reprobatur *l. liberi. 4. C. de nuptijs, hisce uerbis*: Liberi concubinas parentum suorum uxores ducere non possunt: quia minus religiosam & probabilem rem facere uidentur. Quę si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt.

VIII. *Exceptio: Nisi fratris uxorem quis duxerit. Hæc exceptio approbatur l. fratris. 5. C. de incestis nuptijs, hisce uerbis*: Fratris uxorem ducendi, uel duabus sororibus coniungendi penitus licentiam submouemus, nec dissoluto quoquo modo coniugio. *Concordat l. ult. C. eod. tt. his uerbis*: Ab incestis nuptijs uniuersi, qui nostro reguntur imperio, nouerint temperandum. Nam rescripta quoq; omnia, uel pragmaticas formas, aut constitutiones impias, quæ quibusdam personis tyrannidis tempore permiserunt, sceleſto contubernio nomen matrimonij imponere, ut fratris filiam uel sororis, uel eam quæ cum fratre quondam nuptiali iure habitauerat, uxorem legitimam turpissimo consortio liceret amplecti, aut alia huiusmodi committerentur, uirib. carere decernimus: ne dissimulatione culpabili nefanda licentia roboretur. *Huius exceptionis replicatio uidetur esse talis: Nisi cum fratre non coierit. Verum replicatio hæc reprobatur l. licet. 8. C. d. tt. his uerbis*: Licet quidam Ægyptiorum idcirco mortuorum fratrum sibi coniuges matrimonio copulauerunt, quòd post mortem illorum uirgines mansisse dicebantur, arbitrati scilicet, quòd certis legum conditoribus placuit, cùm corpore non conuenerint, nuptias non rē uideri contractas, & huiusmodi cōnubia tunc temporis celebrata, firmata sint: tamē præsenti lege sancimus, si quę huiusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas earumque contractores, & ex his progenitos, antiquarum legum tenori subiacere: nec ad exemplum Ægyptiorum, de quibus supradictū est, eas uideri fuisse firmatas, uel esse firmandas.

IX. *Exceptio: Nisi quis uxoris quondā suæ sororem in uxorem duxerit.* Hæc exceptio approbatur *l. fratris. 5. C. de nuptijs. cuius uerba uide §. except. prox. in prin.*

X. *Exceptio: Nisi nouercæ uel uitrici filiam in uxorem duxerit, uel filio nupserit.* Hæc exceptio reprobatur *inst. de nuptijs. §. mariti, his uerbis*: Mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, uel contrà, matrimonium rectè contrahunt, licet habeant fratrem sororemue ex matrimonio postea contracto natos. *Concordat l. generali. 34. §. inter. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Inter priuignos contrahi nuptię possunt, etsi fratrem communem ex nouo parentum matrimonio susceptum habeant.

XI. *Exceptio: Nisi priuignæ filiam in uxorem duxerit.* Hæc exceptio approbatur *per ea quæ dicta sunt §. except. 4. replic. 1.* Hactenus ergo de adfinibus & cognatis *sit dictum.*

XII. *Exceptio: Nisi tutor pupillam, uel curator adultam suam in uxorem duxerit.* Hæc exceptio approbatur *l. si tutor. 7. C. de interdicto matrimonio, his uerbis*: Si tutor uel curator pupillam uel adultam quondam suam, sibi uel filio suo, nullo dubio impetrato beneficio, in matrimonio collocauerit: manet infamia contra eum, ueluti confessum de tutela: quia huiusmodi coniunctione fraudem administrationis regere laborauit, & dos data per condictionem repeti potest. *Concordat l. libertum. 65. in prin. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Libertum eundemque tutorem pupillæ, eo quòd in matrimonium collocata ipsa tutori suo uel filio eius esset, senatus relegandum censuit. *Concordat item l. non est. 67. in prin. ff. d. tt. his uerbis*: Non est matrimonium, si tutor uel curator pupillam suam intra uicesimum quintum annum, non desponsatam à patre, neque testamento destinatam, ducat uxorem, uel eam filio suo iungat: quo facto, utetque infamatur, & pro dignitate pupillæ extra ordinem coërcetur: nec interest, filius sui iuris, an in patris potestate sit tutoris curatoris ue. *Ratio huius proponitur 7. except. 19. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pupilla quondā sua uicesimum quintum annum excesserit. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Intra uicesimum quintum annum. *Secunda replicatio est: Nisi pater pupillæ tutori eam desponsauerit, uel testamento destinauerit. Hæc replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Non desponsatam à patre, neque testamento destinatam. *Concordat l. tutor. 36. ff. eod. tt. his uerbis*: Tutor uel curator pupillam uel adultam ducere non potest, nisi à patre desponsa, destinataue testamento, nominata conditione nuptias secuta, fuerit. *Tertia replicatio est: Nisi mater pupillam tutori nuptum collocauerit.* Hæc replicatio reprobatur *l. quanquam. 65. in prin. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Quanquam in arbitrio matris pater esse uoluit, cui nuptū filia communis collocaretur: frustra tamen ab ea tutor datus eligetur. Neque enim intelligitur pater de persona tutoris cogitasse: cum ideo maximè matrem prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. *Quarta replicatio est: Nisi curatori rationes tutelæ tutor reddiderit.* Hæc replicatio approbatur *d. l. 65. §. fin. his uerbis*: Tutor qui rationes curatori reddidit, pupillam suam antè cōstitutum tempus ætatis eius uxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest. *Quinta replicatio est: Nisi uentri bonisq; curator sit datus.* Hæc replicatio reprobatur *l. non solum. 68. §. & si quidem. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Si quidem curator uentri bonisque datus sit, prohibitionem eiusdem senatusconsultum inducit: nam & hic debet rationem reddere. Nec spacium administrationis mouere nos debet: quia nec in tutore, nec curatore discrimen maioris aut minoris temporis, quo in huiusmodi munere quis fuerit, habitum est. *Sexta replicatio est: Nisi exiguo tempore tutor uel curator fuerit.* Hæc replicatio reprobatur *uerbis iam propositis hisce*: Quia nec in tutore, nec curatore discrimen, &c. *Septima replicatio est: Nisi tutor bene tutelam administrauerit.* Et hæc replicatio reprobatur *d. l. 68. §. fin. his uerbis*: Et qui bene tutelam & ex fide administrauit, nihilominus prohibetur. *Octaua replicatio est: Nisi rescriptum imperatoris impetrauerit, ut liceat.* Hæc replicatio elicitur ex *l. si tutor. 7. ibi: nullo diuina impetrato beneficio. C. de nuptijs. cuius uerba uide §. ead. except. in princip. Nona replicatio est: Nisi tutor honoris causa sit datus.* Hæc replicatio reprobatur *l. si quis tutor. 61. §. quid ergo. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide paulò inferius except. 15. replic. 1. duplic. 1. Decima replicatio est: Nisi tutor cesset in tutela administranda.* Hæc replicatio reprobatur *d. l. 61. §. quin autem ille, his uerbis*: Quin ille qui, cum datus esset tutor, cessat in administratione, pertinet ad orationem, non est dubitandum: quia perinde tenetur ex sacris constitutionibus, atque si gessisset. *Vndecima replicatio est: Nisi tutor nominatus excusatione ab tutela oppositā pupillam duxerit.* Hæc replicatio approbatur *d. l. 61. §. quid ergò, si cum, his uerbis*: Quid ergo, si cùm se uellet excusare aliquo titulo, nec in promptu

probationes haberet, excusationis negocium fuerit dilatũ, & inter moras pupilla adoleuerit: an ad senatusconsultum pertineat? quæstio in eo est, an post pubertatem officio finito excusationem eius recipi oporteat? Nam si recipiatur, & excusauerit: impunè potest ducere. Si uerò non debeat recipi post officium finitum: non rectè ducit. Et ait Papinianus libro quinto Responsorum, officio finito excusationem recipi non oportere: & ideo exacti temporis periculum ad eum pertinere. Sed mihi hoc nequaqua placet. Iniquum est enim, propter dilationem, quæ fortè non dolo, sed ex necessitate contigit, non excusari, uel nuptias impediri excusatione percepta. *Duodecima replicatio est: Nisi pupilla tutori non sit nupta, sed tantùm desponsa. Hæc replicatio reprobatur d.l.61.§.quamuis. cuius uerba uide s̃.cap.1.quæst.3.except.1. Decimatertia replicatio est: Nisi non tutor, sed alius pupillam post pubertatem in uxorem duxerit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm distinguitur exceptionibus sequentibus. Decimaquarta replicatio est: Nisi non pupillam, sed pupillæ matrem uel hæredem tutor uxorem duxerit. De hac quoq; re dicetur j.except.22. cum sequẽt.*

XIII. *Exceptio: Nisi inter filium tutoris & pupillam nuptiæ contrahantur. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt s̃.except.prox.in prin. Concordat l.si patris.6.C.de interdicto matrimonio, his uerbis:* Si patris tui pupillam, nõdum reddita tutelæ ratione, uel post redditam nondum exacto quinto & uicesimo anno, necnon utili anno, uxorem duxisti: nec matrimoniũ cum ea habuisse, nec filium ex huiusmodi cõiunctione procreasse uideri potes. Sanè si hoc pater puellæ, cum decederet, postulauit: & nuptiæ ritè contractæ, & filius uidetur iure susceptus. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pupilla uicesimumquintum annum excesserit. Hæc replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Nondum exacto quinto & uicesimo anno, necnon utili anno. *Concordat s̃.except.prox. replic.1. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ratio tutelæ uel curæ nondum fuerit reddita. Et hæc duplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Nondum reddita tutelæ ratione. *Secunda replicatio est: Nisi tutelæ uel curæ ratio reddita sit. Hæc replicatio uerbis iam propositis approbatur simul & distinguitur ad hunc modum: Nisi puella uicesimumsextum annum nondum excesserit. Tertia replicatio est: Nisi pater puellæ matrimonio consenserit. Quæ replicatio constat ex uerbis suprà propositis hisce:* Sanè si hoc pater puellę, cum decederet, postulauit, &c. *Quarta replicatio est: Nisi non filius, sed nepos tutoris pupillam duxerit. Hæc replicatio reprobatur l.senatusc.60.ff.de ritu nuptiarum, his uerbis:* Senatusconsulto, quo cautum est, ne tutor pupillam uel filio suo uel sibi nuptum collocet: etiam nepos significatur. *Quinta replicatio est: Nisi non naturalis, sed adoptiuus fuerit filius. Hæc replicatio approbatur sub hac conditione, Si fuerit emancipatus, l.si quis tutor.61.§.penult.ff.d.tt. his uerbis:* Si adoptiuus filius tutoris duxerit pupillam illicitè, posteaque emancipatus fuerit: credendum est, de adoptiuis emancipatis senatum non sensisse: quia post emãcipationem in totum adoptiuæ familiæ obliuiscuntur. *Sexta replicatio est: Nisi filius tutoris alij in adoptionem fuerit datus. Hæc replicatio reprobatur d.§.penult. his uerbis:* Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, senatusconsulto continentur. *Septima replicatio uidetur esse: Nisi filius in potestate tutoris non sit, sed sit sui iuris. Hæc replicatio reprobatur l.non est matrimonium.67.ibi: nec interest.ff.de ritu nuptiarum. cuius uerba uide s̃.except.prox.in prin. Octaua replicatio est: Nisi post mortem tutoris filius eius pupillam uxorem duxerit. Hæc replicatio reprobatur l.non solùm.68. in prin. ff.de ritu nuptiarum, his uerbis:* Non solùm uiuo tutore, sed & post mortem eius filius tutoris ducere uxorem prohibetur eam, cuius tutelæ rationi obstrictus pater fuit. Nec puto interesse, extiterit ei hæres filius, an abstinuerit paterna hæreditate: an nec hæres fuerit, fortè exhæredatus, aut prę teritus, uel emancipatus. Nam fieri potest, ut per fraudem in eum collata bona patris propter tutelam reuocari oporteat. *Nona replicatio uidetur esse: Nisi filius patri hæres non existat. Hæc replicatio itidem reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Nec puto interesse, &c. *Decima replicatio est: Nisi cum auus neptis ex uno filio tutelam gessisset, eam nepoti ex altero filio nuptum collocauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.68.§.de uno, his uerbis:* De uno dubitari potest, si auus tutelã gessit neptis ex filio emancipato natæ, an nepoti ex altero filio eam collocare posit, siue emancipato, siue manenti in potestate: quia par affectionis causa suspicionem fraudis amouet? Sed etsi senatusconsultum stricto iure contra omnes tutores nititur: attamen summæ affectionis auitæ intuitu huiusmodi nuptiæ concedendæ sunt. *Vndecima replicatio est: Nisi post contractas demum nuptias tutor maritum eiusúe patrem adoptauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.68.§.sed uideamus, his uerbis:* Videamus, si Titij filius duxerit uxorem eam quę tua pupilla fuit, deinde Titium uel filium eius adoptaueris, an perimantur nuptię, ut in genero adoptato dictum est, an adoptio impediatur? quod magis dicendum est. Et si curator, dum gerit curam, adoptauerit maritum eius puellæ, cuius curator est: idem iuris est. Nam finita iam tutela, & nupta puella alij: uereor, ne lõgum sit adoptionem mariti eius impedire, quasi propter hoc interponatur, ut ratio tutelæ reddendæ cohibeatur: quam causam prohibitionis nuptiarum contrahendarum oratio diui Marci cotinet.

Duodecima

Duodecima replicatio est: Nisi ob rusticitatem & imperitiam nuptiæ sint contractæ. Hæc replicatio reprobatur l.1.C.de interd.matrim.inter, &c. his uerbis: Senatusconsulti autoritatem, quo inter pupillam & tutoris filium connubiũ saluberrimè sublatum est, circumueniri rusticitatis & imperitiæ uelamentis non oportet. *Decimatertia replicatio est: Nisi post contractum matrimonium socer nurui curator sit datus. Hæc replicatio approbatur l.cũ proponas.3. C.d.tt. his uerbis:* Cum proponas, eiquam matrimonio tuo iuncta fuggeris, post liberos susceptos curatorem patrem tuũ datum, quem contendis nec te in potestate habuisse: cum rectè cõtractum matrimonium ex pòst facto uiciari non potuerit: iustam interpretationem metuere non debes, ne liberi quos habetis, non ex iusto matrimonio suscepti uideantur. Vt autem omnis scrupulus auferatur, insistere pater tuus debet, necnõ & uxor tua, ut alius loco eius detur. Habebit enim facultatem repetendæ rationis negociorum gestorum ab eo qui fuerit substitutus. *Decimquarta replicatio uidetur esse: Nisi filius in seruitute sit susceptus. uerùm reprobatur l.libert.4.C.d.tt. his uerbis:* Libertinum, qui filio suo naturali, quem in seruitute susceperat, postea manumisso pupillã suam, eandemq; patroni sui filiã in matrimonio collocauit: ad sententiam amplissimi ordinis, qui huiusmodi nuptijs interdicendũ putauit, pertinere, dubitari non oportet. *Decimæquintæ replicationis loco notanda est exceptio sequens proxima.*

XIIII. *Exceptio: Nisi inter pupillum & filiam tutoris nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio reprobatur l.libertum.65.§.fin.ff.de ritu nupt. his uerbis:* Tutor pupilli non prohibetur filiam suam collocare pupillo suo in matrimonio. *Concordat l.curatorẽ.5.C.de interd.matrim. his uerbis:* Curatorem adulto suo filiã suam nuptui collocare non posse, falsò tibi persuasum est.

XV. *Exceptio: Nisi inter eum ad quem periculum tutelæ pertinet, & pupillam nuptiæ sint cõtractæ. Hæc exceptio approbatur l.si quis.61. in prim. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Si quis tutor quidem nõ sit, periculum tamen tutelæ ad eum pertineat, an sententia orationis contineatur? ueluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis allegationibus à tutela se excusauerit, aut ex sacris constitutionibus periculũ ad eum pertineat. Et dicendum est, hos quoque ad senatusconsultum pertinere. Nam & huiusmodi periculum in numerum trium tutelarum computari, comprobatum est. *Huius exceptionis species uide s̃. except. 12. repl. 9. cum sequentibus. Eius autem replicatio hæc est: Nisi non suo, sed alterius nomine periculum tutelæ ad eum pertineat. Quæ replicatio approbatur d.l.61.§.1. his uerbis:* Sed si propter alterius personam periculum ad eum peruenit, uideamus ne extra sententiam senatusconsulti sit: ueluti si magistratus in tutelæ periculũ inciderit, uel fideiusserit quis pro tutore uel curatore. quia nec in numerum trium tutelarum hæc imputentur, consequens est & hoc probare. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi honoris causa tutor datus sit. Quæ duplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Quid ergo, si honoris causa tutor datus sit, quatenus nec huiusmodi tutela in numerum computatur, nunquid idem sit? Sed ratio in contrarium ducit, quòd dictum est, honorarium tutorem periculum solere pati, si malè passus sit administrari tutelam. *Secunda duplicatio est: Nisi hæres tutoris sit. hic enim quamuis non suo, sed defuncti nomine periculo tutelæ sit obstrictus, nihilominus tamen pupillam ducere prohibetur. de quo paulò inferius except.19. Tertia duplicatio est in patre tutoris, de quo j.except.17.*

XVI. *Exceptio: Nisi inter eum qui pupillam hæreditate paterna abstinuit, & pupillam nuptiæ contrahantur. Hæc exceptio approbatur l.non solùm.68.§.fin.ff. de ritu nupt. his uerbis:* Sed & is qui pupillam abstinet bonis patris sui, rationem eius rei præstare debet: & sic fieri potest, ut & si inconsultus hoc fecerit, hoc nomine condemnari debeat. Sed & si optimo consilio usus sit, auxilio prætoriæ iurisdictionis, quia non soluendo pater eius decesserat: nihilominus tamen (quia in iudicio hoc probari oportet) impediuntur nuptiæ. Nam & qui bene tutelam & ex fide administrauit, nihilominus prohibetur.

XVII. *Exceptio: Nisi inter patrem tutoris & pupillam nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio approbatur certa conditione d.l.68.§.sed & si filiusfam. his uerbis:* Si filiusfamiliâs tutor puellæ uel curator fuit: puto magis, patri eius non oportere eam nubere. Nunquid nec fratri, qui est in eiusdem potestate? *Huius exceptionis ratio est supradicta exceptio 15. Eius autem replicatio est: Nisi filius tutor in patris potestate non sit. Quæ replicatio ex propositis uerbis constat.*

XVIII. *Exceptio: Nisi inter fratrem tutoris, qui est in eiusdem potestate, & pupillam nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio elici potest ex uerbis iam propositis hisce:* Nunquid nec fratri, qui est in eiusdem potestate? *quasi dicat, Non.*

XIX. *Exceptio: Nisi inter hæredem tutoris & pupillam nuptiæ contrahantur. Hæc exceptio approbatur l.libertum.65.§.senatusconsulti.ff.de ritu nupt. his uerbis:* Senatusconsulti, quo prohibentur tutores & filij eorum pupillas suas ducere, puto hæredem quoque tutoris extraneum sententia adprehendi: cum ideo prohibuerit huiusmodi nuptias, ne puellæ in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere compelluntur. *Concordat l.si quis.61.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Quid ergo, si tutor datus prouocauit, & postea hæres

eius uictus est? præteriti téporis periculum præstare debet. An uerò, si filius hæres fuit, & uictus est, ad orationem pertineat? & consequés est hoc probare: quoniam rationem debet reddere.

XX. *Exceptio:* Nisi *inter libertum tutoris & pupillam nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio approbatur l. non est matrim. 67. §. fin. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Libertum eam pupillam, cuius patronus res administrat, uxorem ducere, satis inciuile est. *Concordat l. libertum. 37. ff. eod. tt. his uerbis:* Libertum curatoris puellæ prohiberi oportet uxorem eandem ducere.

XXI. *Exceptio: Nisi inter eum qui pro tutore uel curatore negocia pupillæ gerit, eiusúe filium & pupillam nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio reprobatur l. ult. C. de interd. matrim. his uerbis:* Si quis tutoris uel curatoris nomine usurpato, id est, pro tutore, seu curatore, uel negociorum gestore res pupillę administrauerit, eamque sibi uel filio suo copulauerit: tales nuptias stare, & non ad exemplum tutorum infirmari, sancimus: nec ex huiusmodi subtili uel maligno tractatu matrimonia, seu proles ex his progenita, uel dos super his data uel promissa, aliquam læsionem uel calumniam patiantur.

XXII. *Exceptio: Nisi inter tutorem & matrem pupillæ nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio reprobatur l. 2. C. de interd. matrim. his uerbis:* Mater pupillæ cum tutore filiæ suæ, uel filio tutoris nuptias contrahere non prohibetur.

XXIII. *Exceptio: Nisi inter tutorem eiusúe filium & puellam pupillæ hæredem nuptiæ sint contractæ. Et hæc exceptio reprobatur l. non solum. 68. §. si pupillæ. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Si pupillæ tutelam Titius administrauerit, uel curator negocia gesserit, eaque nondum recepta ratione decesserit, filia hærede relicta: quærenti, an eam filio suo Titius posset collocare in matrimonium? dixi posse: quia ratio hæreditaria esset, & sic simplex debitum. alioquin omnis debitor eam cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi filioque suo coniungere.

XXIIII. *Exceptio: Nisi is qui officium aliquod in aliqua prouincia administrat, aliquam ex ea prouincia in uxorem ducat. Hæc exceptio approbatur l. si quis officium. 38. in prin. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 3. except. 1. replic. 2. Item concordat l. præfectus. 64. ff. eod. tt. his uerbis:* Præfectus cohortis uel equitum, aut tribunus, si contra interdictum eius prouinciæ duxit uxoré, in qua officium gerebat: matrimonium non erit. quæ species pupillæ comparanda est: cum ratio potentatus nuptias prohibuerit. Sed an huic quoque, si uirgo nupserit, non sit auferendum quod testamento relictum est, de liberari potest? Exemplo tamen pupillæ nuptæ tutori, quod relictum est, potest mulier consequi: pecuniam tamẽ in dotem datam mulieris hæredi restitui necesse est. *Quod ait Iurisconsultus:* Sed an huic quoque, &c. *Pertinet ad ea quæ dicta sunt j. lib. 32. cap. 3. except. 20. replicat. 3. Ait insuper:* Pecuniam tamẽ in dotem datam, &c. *De hoc dictum §. cap. 2. q. 3. reg. 3. except. 4. Concordat item propositæ exceptioni l. unica. C. si rector prouinciæ, &c. cuius uerba uide §. cap. 1. q. 4. reg. 2. except. 2. Item concordat l. unica. C. si quacunq; præditus potestate, &c. his uerbis:* Si quis ordinaria uel qualibet præditus potestate, circa nuptias inuitis ipsis uel parentibus earum cõtrahendas (siue pupillæ, siue apud patrem uirgines siue uiduæ erunt, siue sui iuris uiduæ, denique cuiuscunque sortis) occasione potestatis utatur, & minacem feruorem suum inuitis ijs, quorum utilitas agitur, exhibere aut exhibuisse deregitur: hunc, licet prohibitas nuptias non peregerit, attamen pro tali conamine mulctæ librarum auri decem obnoxium statuimus: & cùm honore abierit, peractam dignitatem usurpare prohibemus: tali scilicet pœna, ut si circa honoré eum, quo malè usus est, uindicandum nostris statutis parêre noluerit, eam prouinciam, in qua sibi usurpauerit, habitare per iuge biennium non sinatur. illo uidelicet adijciendo, ut & in potestate adhuc constituto liceat personæ, quam huiusmodi ambitu circumuenire tentauerit, confestim contestatione proposita, cum sua suorumque domo iurisdictionem eius euitare: curaturis hoc uniuscuiusque ciuitatis defensoribus, & eiusdem iudicis apparitoribus. Et quidem si hæc prauitas ordinarij iudicis erit, uniuersa domus eius ratio, atque omnia uel ciuilia uel criminalia negocia, quandiuidem in administratione fuerit, uicario competant. Sin autem uicarius uel similis potestatis uim in huiusmodi matrimonio contrahendo molietur: uicissim ordinarius iudex intercessor existat. Sin autem erunt utrique suspecti: ad illustrem præfecturam specialiter talium domorum, quamdiu ibidem administrauerint, tuitio pertineat. *Hactenus leges, quibus propositæ exceptio approbatur, expositæ sunt. Eius autem exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ante susceptum officium puella illi fuerit desponsata. quæ replicatio approbatur l. si quis officium. 38. §. ueterem. ff. de ritu nuptiarũ, his uerbis:* Veterem spõsam in prouincia, quã quis administrat, uxorem ducere potest: & dos data, non fit caduca. *Secunda replicatio est: Nisi quis in patria sua militans, ex ea uxorem duxerit. quæ replicatio approbatur l. eos. 66. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Eos qui in patria sua militarent, non uideri contra mandata ex eadem prouincia uxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri, Paulus respondit.

Tertia

Tertia replicatio est: Nisi depositio officio puella nuptijs consentiat. quæ replicatio approbatur d. l. 66. §. idem respondit, his uerbis: Idem Paulus respondit, sibi placere, etsi contra mandata contractum sit matrimonium in prouincia: tamen post depositum officium, si in eadem uoluntate perseueraret, iustas nuptias effici: & ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse. *Cõcordat l. etsi. 6. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Etsi contra mandata principum contractũ sit in prouincia consentiente muliere matrimonium: tamen post depositum officium, si in eadem uoluntate perseuerauerit, iustæ nuptię efficiũtur. Et ideo postea susceptos liberos natosque ex iusto matrimonio legitimos esse, responsum uiri prudentissimi Pauli declarat. *Quarta replicatio est: Nisi is qui officium in prouincia administrat, non sibi, sed liberis suis matrimonium contrahat. Hæc replicatio approbatur quidẽ in filiab. l. si quis officiũ. 38. §. fin. ff. de ritu nup. his uerbis:* Qui in prouincia aliquid administrat, in ea prouincia filias suas in matrimonium collocare, & dotem constituere non prohibetur. *Reprobatur autem proposita replicatio in filio l. qui in. 57. ff. eod. tt. his uerbis:* Qui in prouincia officium aliquod gerit, prohibetur etiam consentire filio suo uxoré ducẽti.

XXV. *Exceptio: Nisi inter senatorem & libertinam matrimonium sit contractum. Hæc exceptio cum alijs quibusdam approbatur l. lege Iulia. 44. in prin. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Lege Iulia cauetur: Qui Senator est, quiúe filius, neposúe ex filio, proneposúe ex eius filio natus cuius eorum est, erit: ne quis eorum sponsam, uxoremúe sciens dolo malo habeto libertinam, aut eam quæ ipsa, cuiusúe pater materúe artem ludicram facit, fecerit. Neúe senatoris filia, neptisúe ex filio, proneptisúe ex nepote, ex filio nato, nata: libertino, eiúe qui ipse, cuiusúe pater materúe artem ludicram facit, fecerit: sponsa nuptaúe sciens dolo malo esto: neúe quis eorum dolo malo sciens sponsam uxoremúe eam habeto. Hoc capite (Paulus ait) prohibetur senator libertinam ducere, eamúe cuius pater materúe artem ludicram fecerit: item libertinus senatoris filiam ducere. *Concordat l. lege Papia. 23. ibi: præter senatores. ff. eod. tt. cuius uerba uide j. except. 37. Item concordat l. humilem. 7. §. fin. C. de inceſtis nuptijs. cuius uerba uide j. except. 32. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi senator dignitatem suam amiserit. quæ replicatio approbatur l. si quis. 27. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Si quis in senatorio ordine agens libertinam habuerit uxorem: quamuis interim uxor non fit: attamẽ in ea conditione est, ut si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat. *Secunda replicatio est: Nisi senatori beneficio Imperatoris fit permissum libertinam habere uxorem. Hæc replicatio approbatur l. si senat. 31. ff. d. tt. his uerbis:* Si senatori indulgentia Principis fuerit permissum libertinam iustam uxorem habere: potest iusta uxor esse. *Tertia replicatio est: Nisi ignorans libertinam duxerit. Hæc replicatio quamuis uideatur approbari uerbis suprà propositis hisce,* Sciens dolo malo habeto: *tamen reuera reprobatur, ut patet ex l. à diuo Pio. 59. ff. de ritu nuptiarum, cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. reg. 2. Quarta replicatio est: Nisi antequam ad senatoriam dignitatem peruenerit, libertinam uxorem duxerit. Hæc replicatio approbatur l. ult. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Si libertam quis uxorem habeat, deinde inter senatores scribatur dignitate illustratus, an soluatur matrimonium, apud Vlpianum quærebatur? quia lex Papia inter senatores & libertas stare connubia non patitur. Nos igitur Dei sequentes iudicium, non patimur in uno eodemque connubio mariti fœlicitatem uxori fieri infortunium: ut quantum uir in altum tollatur, tantum & coniunx eius decrescat, imò magis depereat. Abiit itaque à nostro tempore huiusmodi asperitas, & firmum maneat matrimonium: & uxor marito concrescat, & sentiat eius fulgorem, stabileque maneat matrimonium ex huiusmodi superuentu minimè deminutum. Simili modo si priuati hominis filia ad liberti ueniat connubium, & postea pater mulieris ad senatoris dignitatem fuerit elatus: taceat Papiæ legis crudelissima sanctio, & neque per hunc modum dissoluatur matrimonium inter facti senatoris filiam & libertum, ne soceri prosperitas sine genero inueniatur. Melius enim est legis Papiæ seueritatem in utroque casu compescere, quàm eam sequendo hominum matrimonia dispergere, non ex uitio mulieris & mariti, sed ex prospera alterutrius partis fortuna. cum enim ex una radice uitium nascitur, consequens est, ut una lege tollatur.

Mutatio iuris.

Hactenus propositæ exceptionis replicationes sunt enumeratæ: quæ replicationes hodie sunt superuacuæ, cùm ipsa exceptio nouo iure sit sublata ac reprobata, nimirum Nouell. c. 78. §. ceterùm si quis, hisce uerbis: Si quis libertinam ducere, & legitimam facere uxorem uoluerit, is, cuiuscunque dignitatis sit, nuptialia instrumenta componito (hanc enim solam obseruationem post libertatem requirimus) & sunto tam præcedentes filij, quàm post dotalia instrumenta nati liberi, & ingenui & legitimi patri successores, petitione aureorum annulorum & iure restitutorum natalium liberati, & nullam penitus differentiam ad reliqua ingenuorũ matrimonia habẽtes. Materna enim libertas & nuptiale insuper instrumentũ sobolé & liberã & ingenuã & patri successorẽ

demonſtrabunt. Atque ita & rebus & ipſa ueritate toti integríque erimus.

XXVI. Exceptio: *Niſi inter ſenatoris filium, nepotem uel pronepotem, & libertam matrimonium ſit contractum. Hæc exceptio approbatur l. lege Iulia. 44. in prin. ff. de ritu nupt. cuius uerba uide ſ. except. prox. in prin. Huius exceptionis eædem erunt replicationes, necnon mutatio, quæ exceptionis proximè præcedentis.*

XXVII. Exceptio: *Niſi ſenatoris filia, neptis proneptisúe libertino nupſerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 44. in prin. Concordat l. ſemper. 42. ff. eod. tt. his uerbis*: Si ſenatoris filia, neptis, proneptis, libertino, uel qui artem ludicram exercuerit, cuiusúe pater materúe id fecerit, nupſerit: nuptiæ non erunt. *Concordat l. oratione. 16. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Oratione diui Marci cauetur, ut ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet, nec nuptiæ eſſent. quam & ſenatuſconſultum ſecutum eſt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima uidetur eſſe: Niſi libertinus ingenuo ſe dedecorit adrogandum. Hæc replicatio reprobatur l. ſciendum. 32. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Sciendum eſt, libertinum, qui ſe ingenuo dedit adrogandum, quamuis in eius familia ingenui iura ſit conſecutus, ut libertinum tamen à ſenatorijs nuptijs repellendum eſſe. *Secunda replicatio uidetur eſſe: Niſi pater ſenator ſenatoriam dignitatem amiſerit. Hæc replicatio reprobatur l. generali. 34. ſ. fin. ff. d. tt. his uerbis*: Filiam ſenatoris, nuptias libertini ſecutam, patris caſus non facit uxorem. Nam quæſita dignitas liberis propter crimen patris auferenda non eſt. *Concordat l. filiam. 9. ff. de ſenatorib. his uerbis*: Filiam ſenatoris, nuptias liberti ſecutam, patris caſus non facit uxorem. nam quæſita dignitas liberis propter caſum patris remoti à ſenatu auferenda non eſt. *Tertia replicatio eſt: Niſi ſenatoris filia ſit infamis. Hæc replicatio approbatur l. ſenatoris. 47. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Senatoris filia, quæ corpore quæſtum uel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit; impunè libertino nubit. Nec enim honoris ei ſeruatur, quę ſe in tantum ſcelus deduxerit. *Quarta replicatio eſt: Niſi poſt contractum matrimonium mulieris parens ſenator ſit effectus. Hæc replicatio approbatur l. ult. ſ. ſimili modo. C. de nuptijs. cuius uerba uide ſ. except. 25. replic. 4.* Porrò uidetur propoſita quoque exceptio mutata per ea quæ propoſita ſunt ſ. d. except. 25. in fine.

XXVIII. Exceptio: *Niſi ſenator uel ſenatoris filius neposúe duxerit eam, quæ ipſa, cuiusúe pater materúe artem ludicram facit, fecerituę. Hæc exceptio approbatur l. lege Iulia. 44. in prin. ff. de ritu nupt. cuius uerba uide ſ. except. 25. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non pater materúe mulieris, ſed auus uel auia eius artem ludicram exercuerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 44. ſ. non autem, his uerbis*: Non obeſt, auum & auiam artem ludicram feciſſe. *Secunda replicatio eſt: Niſi puella in poteſtate patris non ſit. Hæc replicatio reprobatur d. ſ. non autem, his uerbis*: Non diſtinguitur, an pater in poteſtate habeat filiam, nec ne. Tamen iuſtum patrem intelligendum, Octauenus ait: matrem, etiamſi nullo conceperit. *Tertia replicatio eſt: Niſi ex iniuſto matrimonio nata ſit puella. Hæc replicatio quoad patrem approbatur, quoad matrem reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Tamen iuſtum patrem intelligendum, Octauenus ait: matrem, &c. *Quarta replicatio eſt: Niſi non naturalis, ſed adoptiuus pater artem ludicram exercuerit. Hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Item nihil refert, naturalis ſit pater, an adoptiuus. *Quinta replicatio eſt: Niſi antequam pater puellam adoptaret, artem ludicram fecerit: item, niſi eam rurſus emancipauerit. Hæc duplex replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Sed an & is noceat, qui antequam adoptaret, artem ludicram fecerit: atque ſi naturalis pater, antequam filia naſceretur, fecerit? Et ſi huius notæ homo adoptauerit, deinde emancipauerit, annón poſsit duci, ac ſi talis pater naturalis deceſsiſſet? Sed de hoc caſu contrariam legis ſententiam eſſe Pomponius rectè putat, ut eis non connumeretur. *Sexta replicatio eſt: Niſi poſt contractum matrimonium pater materúe mulieris artem ludicram exercere cœperit. Hæc replicatio approbatur d. l. 44. ſ. ſi poſtea, his uerbis*: Si poſtea ingenuæ uxoris pater materúe artem ludicram facere cœperit: iniquiſsimum eſt, dimittere eam debere, cum nuptiæ honeſtæ contractę ſint, & fortè iam liberi procreati ſint. *Huius replicationis duplicatio eſt: Niſi non pater mulieris, ſed ipſa mulier exercere cœperit. quæ duplicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Planè ſi ipſa artem ludicram facere cœperit, utique dimittenda erit.

XXIX. Exceptio: *Niſi ſenatoris filia, neptis proneptisúe ei nupſerit, qui ipſe, cuiusúe pater materúe artem ludicram facit, fecerituę. Hæc exceptio approbatur d. l. 44. in prin. ibi: neúe ſenatoris. ff. de ritu nuptiar. cuius uerba uide ſ. except. 25. in prin. Concordat l. ſemper. 42. ſ. ſi ſenatoris. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. exceptione 27.*

XXX. Exceptio: *Niſi ſenator damnatam iudicio publico duxerit. Hæc exceptio approbatur l. palàm. 43. ſ. ſenatus. ff. de ritu nupt. his uerbis*: Senatus cenſuit, non conueniens eſſe ulli ſenatori, ducere uxorem aut retinere damnatam publico iudicio, quo cuilibet ex populo experiri licet: niſi cui lege aliqua accuſandi publico iudicio non eſt poteſtas. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi is cui accuſandi ius non eſt, accuſauerit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Niſi cui lege aliqua, &c. *Secunda replicatio eſt: Niſi calumniæ aut præuaricationis nomine fuerit damnata. Hæc replicatio approbatur d. l. 43. ſ. ſi qua, his uerbis*: Si qua calumniæ nomine in iudicio damnata ſit ex cauſa publici iudicij,

ci iudicij, ſed & quæ præuaricationis cauſa damnata ſit, publico iudicio condemnata eſſe non uidetur.

XXXI. Exceptio: *Niſi ſenator deprehenſam in adulterio duxerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 43. ſ. quæ in adulterio, his uerbis*: Quæ in adulterio deprehenſa eſt, quaſi publico iudicio damnata eſt. Proinde ſi adulterij damnata eſſe proponatur: non tantùm quia deprehenſa eſt, erit notata, ſed & quia publico iudicio damnata eſt. At ſi non ſit deprehenſa, damnata autem: idcirco notatur, quia publico iudicio damnata eſt. Si deprehéſa quidem ſit, damnata autem non ſit: notata erit. *Huius exceptionis replicatio prima uidetur eſſe*: Niſi poſt deprehenſionem ſit abſoluta. *quæ replicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Ego puto, etſi abſoluta ſit poſt deprehenſionem, adhuc tamen notam illi obeſſe debere: quia uerum eſt, eam in adulterio deprehenſam: quia factũ lex, non ſententia notat. *Secunda replicatio uidetur eſſe: Niſi non maritus, ſed alius eã in adulterio deprehenderit. Et hæc replicatio reprobatur d. l. 43. ſ. fin. his uerbis*: Nõ adijcitur hic, uti in lege Iulia de adulterijs, à quo uel ubi deprehenſa ſit. Proinde ſiue maritus, ſiue quis alius deprehendiſſe proponatur, uidetur notata. *Tertia replicatio eſt: Niſi non in domo mariti uel patris ſit deprehenſa. Et hæc replicatio reprobatur uerbis iam dictis: item d. ſ. fin. his uerbis*: Sed & ſi non in domo mariti uel patris ſui deprehenſa ſit, erit notata ſecundum uerba legis.

XXXII. Exceptio: *Niſi ſenator humilem abiectamq; fœminam duxerit. Hæc exceptio approbatur ſimul & declaratur l. humilem. 7. C. de inceſtis nuptijs, his uerbis*: Humilem uel abiectam fœminam minimè eam iudicamus intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit. Vnde licere ſtatuimus ſenatoribus, & quibuſcunque amplisſimis dignitatibus prædi-tis, ex ingenuis parentibus natas, quamuis pauperes, in matrimonium ſibi accipere, nullam que inter ingenuas & opulentiores ex diuitijs & opulétiore fortuna eſſe diſtantiam. Humiles uerò abiectasque perſonas eas tantummodò mulieres eſſe cenſemus: ancillam, ancillæ filiam: libertam, libertæ filiam: ſcenicam, ſcenicæ filiam: tabernariam, tabernarij uel lenonis, aut arenarij filiam: aut eam quæ mercimonijs publicè præfuit. Ideoque huiuſmodi inhibuiſſe nuptias ſenatoribus harum fœminarum, quas modò enumerauimus, æquum eſt. *Planè reprobatur exceptio propoſita iure nouo, Nouell. conſtit. 117. ſ. illo indubitanter, his uerbis*: Legem pientiſsimi principis Conſtantini ad Gregorium ſcriptam, & eius interpretationem à Martiano item pientiſsimo principe factam, in quibus mulierum, quas Conſtantini lex humiles & abiectas uocauit, cum aliquibus dignitate decoratis connubia prohibentur, nulla penitus ratione admittimus: ſed omnibus, quicunque uolunt, etſi quibuſcunque amplis dignitatibus condecorentur, licentiam præbemus huiuſmodi mulieres ſibi cum dotalibus inſtrumentis adiungere. Reliqui uerò, præter eos qui amplis exornantur dignitatibus, licentiam habento huiuſmodi mulieres ducere, ſiue interueniente ſcriptura uelint, ſiue ſola affectione nuptiarum: ſi tamen liberæ ſint, & cum quibus licitum eſt celebrare nuptias.

XXXIII. Exceptio: *Niſi ſenator ſcenicam uel ſcenicæ filiam duxerit uxorem. Hæc exceptio approbatur d. l. 7. in fine, C. de inceſtis nuptijs. cuius uerba uide ſ. except. prox. Eius autem replicatio hæc eſt: Niſi ſcenica mulier iſti uitæ conditioni renũciauerit. Quæ replicatio approbatur l. imperialis. 23. C. de nuptijs, his uerbis*: Imperialis beneuolentiæ proprium hoc eſſe iudicantes, ut omni tépore ſubiectorum commoda tam inueſtigare, quàm eis mederi procuremus: lapſus quoque mulierum, per quos indignam bonorum conuerſationem imbecillitate ſexus elegerunt, cum competente moderatione ſubleuãdos eſſe cenſemus, minimeque eis ſpem melioris cõditionis adimere: ut ad eam reſpicientes, improuidam & minus honeſtã electionem facilius derelinquant. Nam ita credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum noſtræ naturæ poſsibile eſt) imitari, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, & pœnitétiam ſuſcipere noſtram, & ad meliore eam ſtatum deducere. Quod ſi circa noſtro ſubiectos imperio nos etiam facere differamus, nulla uenia digni eſſe uidebimur. Itaque cum iuſtum ſit, ſeruos quoque libertate donatos poſſe per diuinam indulgentiam natalibus ſuis reſtitui, poſtq; huiuſmodi principale beneficium ita degere, quaſi nunquam ſeruiſſent, ſed ingenui nati eſſent: mulieres autè, quæ ſcenicis quidem ludis ſeſe miſcuerũt, poſtea uerò ſpreta mala conditione ad meliorem migrauêre ſententiam, & inhoneſtam profeſsionem effugerunt, nonnullam ſpem principalis habere beneficij, quod eas ad illum ſtatum reduceret, in quo ſi nihil inhoneſti peccatũ eſſet, cõmorari potuerunt: præſenti ſanctione clementiſsima principale beneficiũ eis ſubiecta lege condonamus, ut ſi derelicta mala & inhoneſta conuerſatione commodiorem uitam amplexæ fuerint, & honeſtati ſeſe dedi derint: liceat eis noſtro ſupplicare numini, ut diuinos affatus ſine dubio mereantur, ad matrimonium eas uenire permittétes legitimũ: his qui eis cõiungẽdi ſunt nullo timore tenendis,

tenendis, ne scitis præteritarum legum infirmum uideatur tale coniugium, sed ita ualidum huiusmodi permanere matrimonium confidentibus, quasi nulla præcedente inhonesta uita uxores eas duxerint, siue dignitate præditi sunt, siue alio modo scenicas in matrimonio ducere prohibeantur: dum tamen dotalibus omnimodo instrumentis, non sine scriptis tale probetur coniugium. Nam omni macula penitus direpta, & quasi suis natalibus huiusmodi mulieribus reddi tis, neque uocabulum inhonestum eis inhærere decæterò uolumus, neque differentiam aliquam eas habere cum his qui nihil simile peccauerunt. Sed & liberos ex tali matrimonio procreandos suos & legitimos patri esse, licet alios ex priore matrimonio legitimos habeat: & bona eius tam ab intestato, quàm ex testatione isti quoque sine ullo impedimento percipere possint. Sed etsi tales mulieres post diuinũ rescriptum ad preces earum datum, ad matrimonium uenire distulerint: saluam eis nihilominus existimationem seruari præcipimus, tam in alijs omnibus, quàm ad transmittẽdam quibus uoluerint suam substãtiam, & suscipiendam competentem sibi legibus ab alijs relictam, uel ab intestato delatam hæreditatem. Similes uerò tale merentibus ab Imperatore beneficium mulieribus illas etiam esse uolumus, quæ dignitatem aliquam habeant: sed etsi nõ serenissimo principi supplicauerint, ultroneam tamen donationem ante matrimonium mortuerint. ex qua dignitate & aliam etiam omnem maculam, per quam certis hominibus legitimè coniungi mulieres prohibentur, aboleri penitus oportet. His illud adiungimus, ut & filiæ huiusmodi mulierum, siquidem post expurgationem priorum uitæ matris suæ natæ sint, non uideantur scenicarum esse filiæ, nec subiacere legibus, quę prohibuerunt filias scenicarum certos homines in matrimonium ducere. Sin uerò ante procreatæ sunt, liceat eis preces offerentibus inuictissimo principi sacrum sine obstaculo ullo mereri rescriptũ, per quod eis ita nubere permittatur, quasi non sint scenicæ matris filiæ, nec iam prohibeantur illis copulari, quibus scenicæ filias uel dignitatis, uel alterius causæ gratia uxores ducere interdicitur: ut tamen omnimodo dotalia inter eos etiam instrumenta conficiantur. Sed etsi à scenica matre procreata, quæ usq; ad mortem suam in eadem professione duraverit, post eius obitum preces Imperatoriæ clementiæ obtulerit, & diuinam indulgentiam meruerit, liberationem maternę in iuriæ, & nubendi licentiam sibi condonantem: istam quoque posse sine metu priorum legum in matrimonio illis copulari, qui dudum scenicæ filiam uxorem ducere prohibeantur.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi maioris ordinis uir eam duxerit uxorem, quã minoris ordinis homo ducere prohibitus est. Hæc exceptio approbatur l.observa.49. ff.de ritu nupt. his uerbis*: Obseruandũ est, quòd inferioris gradus homines ducant uxores eas, quas hi qui altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. At contrà antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas ijs qui inferioris dignitatis sunt, ducere nõ licet. *Concordat l.lege Iulia.44.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Eas quoq; quas ingenui cæteri prohibentur ducere uxores, senatores non ducent.

XXXV. *Exceptio: Nisi inter liberos & seruos matrimonium sit contractum. Hæc exceptio approbatur l.cum ancill.3.C.de incestis nuptijs, hisce uerbis*: Cũ ancillis nõ potest esse connubium. Nam ex huiusmodi contubernio serui nascuntur. Ideoque præcipimus, ne decuriones in gremia potentissimarũ domorum libidine seruarum ducente cõfugiant. Si enim decurio clàm actoribus, & procuratoribus nescientibus, alienæ fuerit seruæ coniunctus: & mulierem in metallum detrudi per sententiam iudicis iubemus, & ipsum decurionem in insulam deportari: omnibus bonis eius ciuitati, cuius curialis fuerat, mancipandis, si patria potestate fuerat liberatus, nullosque habeat liberos uel parentes, uel etiam propinquos, qui secundum legum ordinem ad eius successionem uocentur. Quòd si actores uel procuratores loci, in quo flagitium admissum est, fuerint consci, uel compertum facinus promere noluerint: metallo eos cõuenit implicari. Si uerò dominus hoc fieri permisit, uel postea cognitum celauit: si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipijs & pecoribus, cæterisq; rebus, quæ cultui rustico sustinentur, fisci iuribus uindicetur. Si uerò in ciuitate id factũ est, dimidiam bonorũ omnium partem præcipimus confiscari, pœnam augentes, quoniam intra domesticos parietes scelus admissũ est, quod noluit mox cognitum publicare. *Concordat l.si ign.2. C.soluto matrim. his uerbis*: Si ignorans statum Erotis ut liberum duxisti, & dotem dedisti, isque postea seruus est iudicatus: dotem ex peculio recipies, & si quid præterea debuisse tibi eum apparuerit. Filij autem tui, ut ex libera nati, incerto tamen patre, spurij ingenui intelliguntur. *Concordat Nouell.c.22.§.si uerò cum quis, hisce uerbis*: Si cum quis iam inde ab initio putaret liberæ se copulari personæ, pòst deinde illam seruili conditioni fuisse obnoxiã appareat, non dicemus solui matrimonium, sed ne cœpisse quidem unquam,

unquam, scilicet propter rationem paulo ante à nobis dictam de conditionis inæqualitate. Vnde neq; lucrum ex nuptijs, neque tale aliquid spectandum, sed nuda rerum ad ipsos utrinque pertinentium per competentes actiones restitutio. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi sciente & consentiente dom no, ancilla eius libero nupserit. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Hæc autem eatenus sancimus, & tunc dicimus tale matrimoniũ non esse, si solus animi error ipsum factum tueatur, neque scientia domini, aut aliqua eius uersutia uel oscitantia redarguatur. Si enim ancillam suã dominus ut ingenuam nuptum elocauit, is uerò cum liberet esset, collocantique fidem haberet, eam duxit, fortè dotalibus etiam interuenientibus instrumentis, aut ne interuenientibus quidem, sed tantùm eius opinione eam rem perficiente: iniustum fuerit, tale matrimonium nõ consistere: quin potius, si dominus tale quid in se admittat, sancimus ut (siue uirum, siue mulierem) tacitè sequatur libertas, rapiaturque talis ad ingenuitatem, & res perinde disceptetur, ac si inter libertinos ac ingenuos esset. Si uerò alterius personæ dominus, quamuis ipse matrimonium non conciliet, sciens tamen prudensque factum dedita opera dissimulet, ut alteri postea conjugum negocij aliquid consuat: ulciscimur & hanc uersutiam, si clarè demonstretur, & tam improba captantibus consilia dominum adimimus, habeaturq; & hoc denuò matrimonium perinde ac si initio dominus consensisset: & ipse quidem dominio excidat, mancipium uerò ad ingenuitatem rapiatur, ut eundem res effectum sortiatur, siue dominus consenserit, siue dolo malo uersatus sit: cum indubitatum sit, eos etiam filios, qui ex illis nascantur nuptijs, per hanc nostram legem liberos & ingenuos futuros. *Huius replicationis duplicatio hæc est*: *Nisi is qui ancillam ducit, sciat eam ancillam esse. quæ duplicatio elicitur ex uerbis propositis, præsertim hisce*: Is uerò cum liber esset, collocantique fidem haberet, eam duxit. *Altera propositæ exceptionis replicatio est*: *Nisi dominus seruum uel ancillam pro derelicto habuerit. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Ac multò magis hæc obtineant, si usuueniat, ut iam seruum ancillamue uel ægrotantes à se ablegarint, uel nihili eos penderint, & ulterius possidendi animum abierint. Illi enim, utpote liberi iam constituti, & ex titulo pro derelicto sui quodammodo, non aliorum existẽtes, nullam deinceps molestiam ab ijs sustineant, qui à suo se illos dominio remouisse olim simularunt. *Tertia replicatio est*: *Nisi dominus ancillam suam duxerit, eamq; postea manumiserit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.78.§.unde & si cui, his uerbis*: Si cui ex mulière ancilla nascantur filij, uelitque ille postmodum uxorem manumittere, & dotalia instrumenta componere, &c. *usq; ad §.hæc nos similiter*.

XXXVI. *Exceptio: Nisi inter liberos & adscripticios matrimonium sit contractum. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.22.§.neque item alieno, his uerbis*: Neque item alieno adscripticio nubere libertam mulierem licet, siue ignoret dominus, siue cõscius sit, siue factũ comprobet. Quin etiam si tale quid ab adscripticio committatur, in manu erit ipsi domino, ut talia committentem adscripticium tam per se quàm per prouinciæ præsidem mediocribus castiget uerberibus, & præterea à muliere, quæ frustra illi adhæret, eum abstrahat. Vnde neque matrimonium esse potest quod gestum est, neque dotis datio, neque ante nuptias donatio, sed nuda quædam perperam admissi coercitio. *Concordat l.ult.C.de agricolis & censitis, cuius uerba uide ff.lib.19.cap.14.reg.12*.

XXXVII. *Exceptio: Nisi inter ingenuos & libertinos nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio reprobatur l.lege Pap.23.ff.de ritu nuptiar. his uerbis*: Lege Papia cauetur, omnibus ingenuis, præter senatores eorumq; liberos, libertinam uxorem habere licere.

XXXVIII. *Exceptio: Nisi inter patronam eiusue liberos, patronitæ coniugem et libertum nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio approbatur l.libertum.3.C.de nuptijs, hisce uerbis*: Libertum qui patronam seu patroni filiam, uel cõiugem, uel neptem, uel proneptem uxorem ducere ausus est, apud competentem iudicem accusare poteris, moribus temporum meorum congruentem sententiam daturum, quæ huiusmodi coniunctiones odiosas esse meritò duxerunt. *Quod dictum est de coniuge patroni, ei concordat l.quanquam.63.§.mulier.ff.de ritu nuptiarum, his uerbis*: Mulier liberto uiri ac patroni sui mala ratione cõiungitur. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi patrona admodum ignobilis sit. Hæc replicatio approbatur l.si patr.in.ff.de ritu nuptiarum, his uerbis*: Si patrona tam ignobilis sit, ut ei honestæ sint uel liberti sui nuptiæ: officio iudicis super hoc cognoscentis, hæ prohiberi non debent. *Secunda replicatio est*: *Nisi non libertus patronam, sed patronus libertam ducat, quæ replicatio approbatur l.uxorem.15.C. de nuptijs, hisce uerbis*: Vxorem libertam suam manumissori, si non sit ex ijs personis, quæ specialiter prohibentur, ducere non est interdictum: & ex eo matrimonio iustos patri filios nasci, certissimum est.

XXXIX. *Exceptio*: *Nisi inter Christianum & Iudæum nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio approbatur l.ne quis.5.C. de Iudæis, hisce uerbis*: Ne quis Christianam mulierem in matrimonium

Iudæus

Iudæus accipiat, neque Iudææ Christianus cõiugium sortiatur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterij uicem commisi huiusmodi crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque uocibus relaxata.

XL. *Exceptio: Nisi adultera adultero suo nupserit. Hæc exceptio approbatur l. Claudius. 13. ff. de his quæ ut indignis auferuntur. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 32. cap. 3. except. 20. in prin. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi de adulterio non sit damnatus adulter, quæ replicatio approbatur l. quæsitum. 40. in prin. ff. ad l. Iul. de adulterijs, his uerbis:* Quæsitum est, an ea quam maritus adulterij crimine se accusaturũ minatus est, nec quidquam egit uel iure mariti, uel iure publico, nubere possit ei quem in eam reum adulterij destinauerit? Paulus respõdit, nihil impedire, quo minus ei quem suspectum maritus habuit, ea de qua quæritur, nubere possit. *Concordat l. miles. qui. 11. §. licet. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 4. cap. 7. quæst. 2. causa 15. except. 4. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi de adulterio accusatus & absolutus, postea cum muliere, propter quam accusatus erat, matrimonium contraxit. quæ duplicatio approbatur Nouell. 134. §. si quis autem de adulterio. cuius uerba uide* ℨ. *d. quæst. 2. except. generali 14. replic. 3.*

XLI. *Exceptio: Nisi mulier rapta raptori suo nupserit. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. et siue non nuptæ. C. de raptu uirginum. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 4. cap. 3. quæst. 6. Concordat Nouell. c. 143. §. illo quoq;, his uerbis:* Illo specialiter adiecto, ut nulla sit mulieri uel uirgini raptæ licentia raptoris eligere matrimonium, sed cui parentes uoluerint (excepto raptore) legitimo matrimonio copulari, nullo modo, nullo tempore licẽtia mulieri raptæ permissa raptoris se coniungere matrimonio: sed parentes etiam, si tali consenserint matrimonio, deportari præcipimus. *Concordat item Nouell. c. 150. his uerbis:* Præsens constitutio iubet, ne puella raptum passa raptori suo nubat. Sin uerò hoc fecerit, &c.

XLII. *Exceptio: Nisi quis concubinam suam in uxorem duxerit. Hæc exceptio reprobatur l. diui Constantini. 5. C. de naturalibus liberis. cuius uerba proponentur* ℨ. *lib. 16. de legitimandis liberis illegitimis.*

XLIII. *Exceptio: Nisi quis adulterij damnatã uel ream in uxorem duxerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt* ℨ. *lib. 4. cap. 7. quæst. 2. causa 14. & 15.*

XLIIII. *Exceptio; Nisi quis duas uxores ducat, uel una duobus nubat. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de incestis nuptijs, hisce uerbis:* Neminem qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, nulgò patet: cum & in edicto prętoris huiusmodi uiri infamia notati sunt. quam rem competens iudex inultam esse non patietur. *Concordat Instit. de nuptijs. §. adfinita sis. cuius uerba uide* ℨ. *except. 4. Concordat item Instit. d. tt. §. socrum. cuius uerba uide* ℨ. *except. 6. Vide item* ℨ. *lib. 3. cap. 14. causa 15. item lib. 4. cap. 7. quæst. 2. causa 18.*

XLV. *Exceptio: Nisi quis alumnam suam in uxorem duxerit. Hæc exceptio reprobatur l. si quis. 26. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Si quis alumnam suam libertate donauerit, & in matrimonio suo collocauerit: dubitabatur apud antiquos, utrũne huiusmodi nuptiæ legitimæ esse uideantur, an non? Nos itaque uetustam ambiguitatem decidentes, non esse uetitum matrimonium censemus. Si enim ex adfectu omnes introducuntur nuptiæ, & nihil impium, nec legibus contrarium in tali copula expectamus, quare prædictas nuptias inhibẽdas existimemus? Nec enim homo sic impius inuenietur, ut quam ab initio loco filiæ habuit, eam postea in suo collocet matrimonio: sed ei credendum est, quia eam & ab initio non ut filiam educauit, & libertate donauit, & dignam esse postea suo putauit matrimonio.

XLVI. *Exceptio: Nisi quis eam, quam à sacro suscepit baptismate, in uxorem ducat. Hæc exceptio approbatur d. l. 26. in fin. his uerbis:* Ea uidelicet persona omnimodo ad nuptias uenire prohibenda, quã aliquis, siue alumna sit, siue non, à sacrosancto suscepit baptismate: cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem & iustam nuptiarum prohibitionem, quàm huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.

XLVII. *Exceptio: Nisi uel masculus sit impubes, uel puella nondum uiripotens. Hæc exceptio approbatur instit. de nuptijs, in prin. his uerbis:* Iustas nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autẽ uiripotẽtes, siue patresfamiliarum sint, siue filijfamiliarum: dum tamen, si filijfamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet, in tantum, ut iussus parentis præcedere debeat. *Quando autem masculi dicantur puberes, uel puellæ uiripotentes, definitur inst. quibus modis tutela finitur. §. 1. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 17. cap. 8. causa 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi postea legitimam ætatem impleuerit. quæ replicatio approbatur l. minorem. 4. ff. de ritu nupt. his uerbis:* Minorem annis duodecim nuptam, tunc legitimam uxorem fore Pomponius refert, cum apud uirũ impleſſet duodecim annos. *Secundæ replicationis loco notandum, quòd quamuis nuptiæ ante pubertatem contrahi non possint, sponsalia tamen possint, per ea quæ habentur* ℨ. *cap. 1. quæst. 3. except. 1. repl. 1.*

XLVIII. *Exceptio: Nisi filiusfamiliàs nuptias contrahat. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt* ℨ. *except. prox. in prin.*

XLIX.

XLIX. *Exceptio: Nisi maior quinquaginta annis nuptias cõtrahat. Hæc exceptio reprobatur l. sancimus. 27. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Sãcimus, nuptias quę inter masculos & fœminas maiores uel minores sexagenarijs uel quinquagenarijs lege Iulia uel Papia prohibitæ sunt, homines uolentes contrahere, ex nullo modo, nec ex ulla parte tales nuptias impediri. *Concordat l. si maior. 12. in fine. C. de legitimis hæredibus.*

L. *Exceptio: Nisi furiosus furiosaue nuptias contraxerit. Hæc exceptio approbatur l. oratione. 16. §. fin. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Furor matrimonium contrahi non sinit: quia consensu opus est: sed rectè contractum non impedit. *Concordat l. patre furioso. 8. ibi: nam furiosus licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. ff. de his qui sui uel alieni iuris sunt.*

LI. *Exceptio: Nisi mulier spadoni nupserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. si serua. 39. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide* ℨ. *lib. prox. cap. 2. except. 29.*

LII. *Exceptio: Nisi serui publicis operibus deputãti, externis mulierib. se iungãt. l. ult. C. de seruis fugitiuis.*

DE EXCEPTIONIBVS ADuersus nuptias, quæ ex alijs circumstantijs, quàm ex personis contrahentium, sunt desumptæ. Cap. IIII.

HActenus exceptiones nuptiarum, *ex personis nuptias contrahentium desumptæ, propositæ sunt: sequuntur nunc reliquæ exceptiones, ex alijs circumstantijs desumptæ, necnon istarum exceptionum omnium replicationes quædam generales.*

I. *Exceptio: Nisi consensus parentum, in quorũ sunt potestate qui nuptias contrahunt, non præcesserit. Hæc exceptio approbatur l. 2. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est qui coeunt, quorúmque in potestate sunt. *Concordat inst. de nuptijs, in princ. ibi: dum tamen. cuius uerba uide* ℨ. *cap. prox. except. 47. Concordat l. nec filium. 12. C. de nuptijs. cuius uerba uide infrà except. 6. Itẽ concordat l. in coniunctione. 20. in princ. C. eod. tt. cuius uerba uide infrà repl. prox. Concordat item l. Paulus. 11. ff. de statu hominum. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 2. quæst. 5. reg. 1. Propositæ exceptionis replicatio primæ hæc est: Nisi is eaue, qui quæue nuptias contrahit, non sit in potestate parentis. quæ replicatio approbatur l. filius. 25. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Filius emancipatus etiam sine consensu patris uxorem ducere potest, & susceptus filius hæres ei erit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi filia sui iuris existẽs, minor sit uigintiquinque annis. quæ duplicatio approbatur l. uiduæ. 18. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Viduæ intra uicesimum quintum annum degentes, etiamsi emãcipationis libertate gaudent, tamen in secũdas nuptias sine patris sententia non conueniant. Quòd si in coniunctionis delectu mulieris uoluntas, patris repugnat sententiæ & propinquorum: placet, quemadmodum & in uirginum coniunctionibus sancitum est, habendo examini authoritatem quoque iudiciariæ cognitionis adiungi: ut si pares sint genere ac moribus petitores, is potior existimetur, quem sibi consulens mulier adproba uerit. Sed ne fortè ij qui gradu proximo aduiduarum successionem uocantur, etia honestas nuptias impediant: si huius rei suspitio processerit, eorum uolumus authoritatem iudicium q; succedere, ad quos, etiam si fatalis sors interceſerit, tamen hæreditatis commodum peruenire non possit. *Concordat item l. in coniunct. 20. C. eod. tt. his uerbis:* In coniunctione filiarum in sacris positarum, patris expectetur arbitrium. Si sui iuris puella sit, intra quintum & uicesimum annum constituta: ipsius quoque adsensus exploretur. Si patris auxilio destituta: matris & propinquorum, & ipsius quoq; requiratur adultæ iudicium. Si uerò utroq; orbata parente, sub curatoris defensione constituta sit, & inter honestos competitores matrimonij oriatur fortè certamen, ut quęratur cui potissimùm puella iungenda sit: si puella cultu uerecundiæ propriam noluerit uoluntatem depromere, coràm positis propinquis iudici deliberare permissum est, cui melius adulta societur. *Secũda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi parens, cuius consensus requiritur, sit furiosus. Hæc replicatio approbatur inst. de nuptijs. §. unde quæsitum, his uerbis:* Quæsitum est, an furiosi filia nubere, aut furiosi filius uxorem ducere possit? cumq; super filio uariabatur, nostra processit decisio, qua permissum est ad exemplum filiæ furiosi, filium quoque furioſi posse & sine patris interuentu matrimonium sibi copulare, secundum datum ex nostra constitutione modum. *Concordat l. si furiosi. 25. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Si furiosi parentis liberi, in cuius potestate constituti sunt, nuptias possint contrahere, apud ueteres agitabatur. & quidem filiam furiosi marito posse copulari, omnes penè iuris antiqui conditores admiserunt. sufficere enim putauerunt, si pater non contradicat. In filio autem familiàs dubitabatur. Et Vlpianus quidem retulit constitutionem Imperatoris Marci, quæ de furioso non loquitur, sed generaliter de filijs mente capti: siue masculi, siue fœminæ sint, qui nuptias contrahunt: ut hoc facere possint, & non adito principe. Et aliam dubitationem ex hoc emergentem, si hoc quod de mente capto constitutio induxit, etiam in furiosis obtinendum sit, quasi exemplo mẽte capti & furiosi filios adiuuantes. His itaq; dubitatis, tales ambiguitates decidentes, sancimus hoc repleri, quod diui Marci constitu-

tioni deesse uidetur: ut non solùm dementis, sed etiam furiosi liberi cuiuscunq; sexus possint legitimas contrahere nuptias, tam dote quàm ante nuptias donatione à curatore eorum præstanda, æstimatione tamen in hac regia urbe excellentissimi præfecti urbis, in prouincijs autem uirorum clarissimorum earum præsidum, uel locorum antistitum, tam opinione personæ, quàm moderatione dotis & ante nuptias donationis constituenda, præsentibus tam curatoribus dementis uel furiosi, quàm ijs qui ex genere eorum nobiliores sunt: ita tamen, ut nulla ex hac causa oriatur uel in hac regia urbe, uel in prouincijs iactura substantiæ furiosi, uel mente capti: sed gratis omnia procedãt, ne tale hominum infortunium etiam expensarum detrimento prægrauetur. *Concordat item ijsdem uerbis etiam l. penult. C. de episcopali audientia. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non pater, sed auus, in cuius potestate sunt, sit furiosus. tunc enim patris consensus est necessarius. quæ duplicatio approbatur l. si nepos. 9. in princ. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Si nepos uxorem uelit ducere auo furente, omnimodo patris authoritas erit necessaria: sed si pater furiat, auus sapiat, sufficit aui uoluntas. *Tertia replicatio est: Nisi auus consenserit, tunc enim patris consensu opus esse non uidetur. uerùm replicatio hæc reprobatur l. oratione. 16. §. nepote. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Nepote uxorem ducente, & filius consentire debet: neptis uerò si nubat, uoluntas et authoritas aui sufficit. *Planè admittitur replicatio proposita primùm in nepte nubente, ut ex iam dictis constat. Deinde admittitur, si inter nepotem ex uno, & neptem ex alio filio in aui potestate existentes nuptiæ contrahantur. quod approbatur l. si nepotem. 3. ff. d. tt. his uerbis*: Si nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos me solo authore contrahi posse Pomponius scribit: & uerum est. *Tertiò admittitur replicatio proposita patre furente, ut patet ex ijs quæ proposita sunt §. repl. prox. in fine. Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi pater absit, uel ab hostibus captus sit. Hæc replicatio approbatur l. si nepos. 9. in fine. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Is cuius pater ab hostibus captus est (si nõ intra trienniũ reuertatur) uxorem ducere potest. *Concordat l. si ita. 10. ff. eod. tt. his uerbis*: Si ita pater absit, ut ignoretur ubi sit, & an sit: quid faciendum sit, meritò dubitatur. Et si triennium effluxerit, postquam apertissimè pater fuerit ignotus ubi degat, & an superstes sit: non prohibentur liberi utriusq; sexus matrimonium uel nuptias legitimas contrahere. *Concordat item l. in bello. 11. §. medio. ff. de captiuis, hisce uerbis*: Medio tempore filius, quem habuit in potestate captiuus, uxorem ducere potest, quamuis consentire nuptijs pater eius non posit: nam utique nec dissentire. Susceptus ergo nepos in reuersi captiui potestate est (ut redierit) suusque hæres ei quodammodo inuito, cùm nuptijs non consenserit. non mirum: quia illius temporis conditio, &c. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi per triennium nondum abfuerit. quæ duplicatio ex iam propositis constat. Eius autem triplicatio hæc est: Nisi matrimonium contractum sit cum eo eáue, cuius conditionem certũ sit patrem reuersum non repudiaturum. quæ triplicatio approbatur l. si filius. 11. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Si filius eius qui apud hostes est, uel abest, ante triennium captiuitatis uel absentiæ patris uxorem duxerit, uel si filia nupserit: puto rectè matrimoniũ uel nuptias contrahi: dummodò eam filius ducat uxorem, uel filia tali nubat, ut eius conditionem certũ sit patrem non repudiaturum. *Altera propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi certũ sit, ubi pater sit, & quòd adhuc uiuat. quæ duplicatio, excepta captiuitatis causa, constat ex ijs quæ paulò superius sunt dicta. Quinta replicatio est: Nisi non primæ, sed secundæ nuptiæ contrahantur. Hæc replicatio reprobatur l. nuptiæ. 18. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Nuptiæ inter easdem personas (nisi uolentibus parentibus) renouatæ, iustæ non habentur. *Concordat l. si ut. 7. C. de nuptijs, hisce uerbis*: Si, ut proponis, post querelam de marito à filia tua ad te delatam, dissolutum est matrimonium, nec te consentiente ad eundem regressa est: minus legitima coniunctio est, cessante patris uoluntate, in cuius est potestate. Atque ideo non petente filia, petitionem dotis repetere non prohiberis. *Sexta replicatio est: Nisi pater filium filiamúe elocare nolit. Hæc replicatio approbatur l. qui liberos. 19. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis*: Qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibent uxorem ducere uel nubere, uel qui dotem dare non uolunt: ex constitutione diuorum Seueri & Antonini, per proconsules præsidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare. Prohibere autem uidetur & qui conditionem non quærit. *Septima replicatio est: Nisi pater filiæ mandauit, ut maritum sibi eligeret. Hæc replicatio reprobatur l. generali. 34. in prin. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Generali mandatu quærendi mariti filiæfamiliâs non fieri nuptias, rationis est. Itaq; personam eius patri demonstrari, qui matrimonio consensit, ut nuptiæ contrahantur, necesse est. *Octaua replicatio est: Nisi filiusfamiliâs miles matrimonium contraxerit. Et hæc replicatio reprobatur l. filiusfamil. 35. ff. eod. tt. his uerbis*: Filiusfamiliâs miles matrimonium sine patris uoluntate non contrahit. *Nona replicatio est: Nisi pater sciens non contradixit. Hæc replicatio approbatur l. si ut. 5. C. de nuptijs, hisce uerbis*: Si, ut proponis, pater quondam mariti tui, in cuius

cuius fuit potestate, cognitis nuptijs uestris non contradixit: uereri non debes, ne nepotem suum non agnoscat. *Decima replicatio est: Nisi pater filiam exposuit. Hæc replicatio reprobatur l. patrem. 16. C. de nuptijs, hisce uerbis*: Patrem qui filiam exposuit, hanc nũc adultam sumptibus & labore tuo factam, matrimonio coniungi filio tuo desiderantis fauere uoto cõuenit: qui si renitatur, alimentorum solutioni in hoc solummodò casu parêre debet. *Hactenus de consensu parentis.*

II. *Exceptio: Nisi sine consensu matris & propinquorum nuptiæ sint contractæ. Hæc exceptio reprobatur l. in copul. 8. C. de nuptijs, hisce uerbis*: In copulandis nuptijs nec curatoris, qui solam rei familiaris sustinet administrationem, nec cognatorum uel affinium ulla authoritas potest interuenire: sed spectanda est eius uoluntas, de cuius coniunctione tractatur. *Planè admittitur exceptio proposita, si mulier sui iuris minor uigintiquinque annis constituta, nubat. quod approbatur l. uiduæ. 18. & l. in coniunctione. 20. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 2.*

III. *Exceptio: Nisi sine consensu iudicis uel præsidis nuptiæ sint contractæ. Et hæc exceptio ipso quidem iure reprobatur, admittitur tamen in casu, si inter eos qui puellam elocare debent, non conueniat: ut patet ex d. l. 18. & l. 26. Cui concordat l. 2. C. eod. tt. his uerbis*: Cum de nuptijs puellæ quæritur, nec inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito conuenit, arbitrium præsidis prouinciæ necessarium est.

IIII. *Exceptio: Nisi sine consensu tutoris uel curatoris nuptiæ contrahantur. Hæc exceptio reprobatur l. sciendum. 29. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Sciendum est, ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla, annõ: quia officium eius in administratione negociorũ constat. Et ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt in hæc uerba: Ad officium curatoris administratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem suo arbitrio potest. *Concordat l. in copulandis. 8. C. de nuptijs. cuius uerba uide §. except. 2.*

V. *Exceptio: Nisi liberta quæ nubit, antea ab inuito patrono, cui nupta fuit, diuerterit. Hæc exceptio approbatur l. quod ait. 11. in princ. ff. de diuortijs, hisce uerbis*: Quod ait lex, Diuortij faciendi potestas libertæ, quæ patrono nupta est, ne esto: non infectum uidetur effecisse diuortiũ, quod iure ciuili potuisset dissoluere matrimonium. Quare matrimoniũ dicere non possumus, cum sit separatum. Denique scribit Iulianus, de dote hanc actionem non habere. Meritò igitur, quamdiu patronus eius eam uxorem suam esse uult, cum nullo alio connubium ei est, nam cum intellexit legislator facto libertæ quasi diremptum matrimonium, detraxit ei cum alio connubium. Quare cuicunque nupserit, pro non nupta habebitur. Iulianus quidem amplius putat, nec in concubinatu eam alterius, quàm patroni, esse posse. *Concordat l. 1. C. de incestis nuptijs, hisce uerbis*: Liberta, eademque uxor tua, si à te inuito discesserit, cõnubium cum alio non habeat, si modò uxorem eam habere uelis. *Concordat item Nouell. c. 22. §. iucundum quoque, his uerbis*: Iucundum illud, & non extra pietatem à diuæ memoriæ Alexandro super alios plurimos antiquorum legislatorum determinatum est. Si quis enim manumiserit ancillam, deinde ducat eam uxorem, aut illa ut uidetur elata & epulata, soluerit circa manumissorem matrimonium: non finit lex ad secundas nuptias uenire inuito priore marito, sed deinceps nuptias fornicationem iudicat & corruptionem: sed non nuptias, nec matrimonium, ex quo iniuriæ non decentes ei qui libertatem impo suit, fiunt. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi patronus uxorem libertam amplius habere noluit. Hæc replicatio approbatur d. l. 11. §. ait lex. ff. de diuortijs, hisce uerbis*: Ait lex, Quamdiu patronus eã uxorem esse uolet, & uxor esse uelle debet (& patronus durare.) Si igitur aut patronus esse aut uelle desierit, finita est legis authoritas. Illud rectissimè placuit, qualiquali uoluntate intelligi posse patronus animum habere desijsse quasi in uxorem: finiri huius legis beneficium. Proinde cum patronus rerum amotarum cum eius liberta, quæ ab inuito eo diuerterat, uelit experiri: Imperator noster cum diuo patre suo rescripsit, intelligi eum hoc ipso nolle nuptam sibi, quòd eam actione uel aliam inciperet, quæ non soleret nisi ex diuortio oriri. Quare si accusare eam adulterij cœperit, uel eo crimine postulare, quod uxori nemo obijcit: magis est ut diremptum sit matrimoniũ. Etenim meminisse oportet, ideo adimi cum alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. Vbicunque igitur uel tenuis intellectus uideri potest nolentis nuptam: dicendum est, iam incipere libertæ cum alio esse connubiũ. Proinde si patronus sibi desponderit aliam, uel destinauerit, uel matrimonium alterius acceperit: credendum est, nolle hanc nuptam. Et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit dicendum. *Concordat replicationi propositæ l. matrim. 51. in princ. ff. de ritu nuptiar. his uerbis*: Matrimonij causa ancilla manumissa à nullo alio uxor duci potest, quàm à quo manumissa est, nisi patronus matrimonio eius renunciauerit. *Secunda replicatio est: Nisi patronus cum liberta rerum amotarum, uel alia simili actione, uel accusatione adulterij experiri uelit. Hæc replicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce*: Proinde cum patronus rerum amotarum, &c. *Tertia replicatio est: Nisi pa-*

tronus sibi aliam desponderit, uel concubinam sibi adhibuerit. Et hæc replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce: Proinde si patronus sibi desponderit aliam, &c. *Quarta replicatio est: Nisi non expresse dissensit uel contradixit patronus. Hæc replicatio reprobatur l. in eo iure. 45. §. deinde. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Ait lex: Inuito patrono. Inuitum accipere debemus eũ, qui non consensit ad diuortium. Idcirco neque à furioso diuertendo soluit se huius legis necessitate, nec si ab ignorante diuerterit. Rectius enim hic inuitus dicitur, quàm qui dissentit. *Quinta replicatio est: Nisi non patrono, sed patroni filio fuit nupta. Et hæc replicatio reprobatur l. filio. 48. in princ. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Filio patroni in libertam paternam, eandémque uxorem, idem iuris, quod ipsi patrono daretur, ex sententia legis accommodatur. Idemque dicendum erit, etsi alterius patroni filius uiuo altero libertam eorum uxorem duxerit. *Planè admittitur replicatio proposita, si mortuo patrono liberta filio marito non fuit adsignata. quod approbatur d. l. 48. §. fin. his uerbis:* Si uni ex filijs adsignatam alter uxorem duxerit, non idem ius quod patrono tribuendum est. Nihil enim iuris habebit: quia Senatus omne ius libertorum adsignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit. *Sexta replicatio est: Nisi patronus ab hostibus captus sit. Hæc replicatio reprobatur l. in eo. 45. §. si ab hostibus. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Si ab hostibus patronus captus esse proponatur: uereor ne possit ista connubium habere nubendò, quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et quidem Iuliani sententia probatur, dicentis, non habituram connubium. Putat enim Iulianus, durare eius libertæ matrimonium etiam in captiuitate propter patroni reuerentiam. *Septima replicatio est: Nisi patronus seruus sit effectus. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Certè si in aliam seruitutem patronus sit deductus, proculdubiò dissolutum est matrimonium. *Huius replicationis duplicatio potest esse superior replicatio proxima reprobata. Octaua replicatio est: Nisi filiusfamilias ancillam peculiarem manumiserit, eamq; in uxorem duxerit. Hæc replicatio uidetur approbari l. matrimonij. 51. §. si autem. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Si filiusfamilias matrimonij causa iussu patris ancillam manumiserit: Iulianus putat, perinde illam haberi, atque si à patre eius manumissa esset. Et ideo potest eam uxorem ducere. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi filiusfamilias miles ancillam castrensis peculij manumiserit, & in uxorem duxerit. Hæc duplicatio approbatur l. in eo. 45. §. planè. ff. eod. tt. his uerbis:* Planè si filiusfamilias miles esse proponatur, non dubitamus, si castrensis peculij ancillam manumiserit, competere ei hoc ius. est enim patronus secundum constitutiones, nec patri eius hoc ius competit. *Nona replicatio est: Nisi non ei qui manumisit, sed patri eius sit nupta. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi filiusfamilias sit is qui manumisit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt §. repl. proxim. Decima replicatio est: Nisi non in solidum sit patronus maritus. Hæc replicatio reprobatur l. illud. 46. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Illud dubitationis est, an etiam qui communem libertam uxorem duxerit, ad hoc ius admittatur? Iabolenus negauit: quia non propriè uideatur eius liberta, quæ etiam alterius sit. Alijs contrà uisum est: quia libertam eius esse negari non possit, licet alterius quoque sit liberta. quam sententiam plerique rectè probauerunt. *Vndecima replicatio est: Nisi ex causa fideicommissi manumisit patronus. Hæc replicatio approbatur l. proximè. 50. ff. de ritu nuptiarum, his uerbis:* Proximè constitutum dicitur, ut cum quis libertam suam duxerit uxorem, quam ex fideicommissi causa manumiserit: liceat libertæ inuito eo nuptias contrahere. Puto quia non erat ferendus is, qui ex necessitate manumisit, non suo arbitrio. magis enim debitam libertatem præstitit, quàm ullum beneficium in mulierem contulit. *Concordat l. patrono. 10. ff. de diuortijs, hisce uerbis:* Patrono inuito liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo discedere non potest, nisi ex causa fideicommissi manumissa sit: tunc enim potest, licet eius sit liberta. *Duodecima replicatio est: Nisi ita emit patronus ancillam, ut manumitteret. Hæc replicatio reprobatur l. in eo. 45. in princ. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* In eo iure, quo dicitur, Inuito patrono libertam, quæ ei nupta est, alij nubere non posse: patronum accipimus (ut rescripto Imperatoris nostri & diui Seueri patris eius continetur) & eum qui ea lege emit, ut manumittat: quia manumissa, liberta emptoris habetur. *Decimatertia replicatio est: Nisi iurauit se patronum esse. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Qui autem iurauit se patronum, hoc idem non habebit: nec is quidem debet habere, qui non suis numis comparauit. *Decimaquarta replicatio est: Nisi patronus non suis numis ancillam comparauit. quæ replicatio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Nec is quidem debet habere, &c. *Decimaquinta replicatio est: Nisi non nupta fuit patrono, sed desponsata tantùm. Hæc replicatio approbatur d. l. 45. §. hoc caput, his uerbis:* Hoc caput ad nuptam tantùm libertam pertinet, ad sponsam non pertinet. & ideo si inuito patrono nuncium sponsa liberta remiserit, cum alio connubium habet. *Decimasexta replicatio est: Nisi liberta sit ignominiosa. Hæc replicatio approbatur l. filio. 48. §. si ignominiosa. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Si ignominiosam

miniosam libertam suam patronus uxorem duxerit: placet, quia contra legem maritus est, non habere eum hoc legis beneficium. *Decimaseptima replicatio est: Nisi non uxor, sed concubina patroni liberta fuit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l. 1. in princ. ff. de concubinis, hisce uerbis:* Quæ in concubinatu est, ab inuito patrono poterit discedere, & alteri se aut in matrimonium, aut in concubinatum dare. Ego quidem puto in concubina, adimendum ei connubium, si patronum inuitum deserat: quippe cum honestius sit patrono libertam concubinã, quàm matrem familiãs habere. *Hæc de quinta exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta.*

VI. *Exceptio: Nisi mas uel fœmina in matrimonium non consentiat. Hæc exceptio approbatur l. neq;. 14. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Neq; ab initio matrimonium contrahere, neque dissociatum reconciliare quisquam cogi potest. Vnde intelligis, liberam facultatem contrahendi atque distrahendi matrimonij transferri ad necessitatem non oportere. *Concordat l. in copulandis. 8. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 2. Item concordat l. in coniunctione. 20. ibi: & ipsius quoque. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 1. replic. 1. Item concordat l. mulier. 5. §. fin. C. de sponsalibus, his uerbis:* In contrahendis nuptijs libera potestas esse debet. *Item concordat l. 2. ff. de ritu nuptiar. cuius uerba uide §. except. 1. in princ. Propositæ exceptionis replicatio prima uidetur esse: Nisi in patris sit potestate. Hæc replicatio reprobatur l. non cogitur. 21. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Nõ cogitur filiusfamiliãs uxorem ducere. *Concordat l. nec filium. 12. C. de nuptijs, hisce uerbis:* Nec filium quidem familiæ inuitum ad uxorem ducendam cogi, legum disciplina permittit. Igitur sicut desideras, obseruatis iuris præceptis sociare cõiugio tuo, quam uolueris, non impedieris: ita tamen, ut contrahendis nuptijs patris tui consensus accedat. *Secunda replicatio est: Nisi patronus libertam suam inuitam ducat. Et hæc replicatio reprobatur, sed sub conditione, l. inuitam. 28. cum lege sequente. ff. de ritu nuptiar, his uerbis:* Inuitam libertam uxorem ducere patronus non potest. Quod & Ateius Capito consulatu suo fertur decreuisse. Hoc tamen ita obseruandum est, nisi patronus ideo eam manumisit, ut uxorem eam ducat. *Tertia replicatio est: Nisi coactus malit matrimonium suscipere, quàm cogentem offendere. Hæc replicatio approbatur l. si patre. 22. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* Si patre cogente ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrij esset, contraxit tamen matrimonium: hoc inter inuitos non contrahitur. Maluisse enim hoc uidetur. *Quarta replicatio est: Nisi coitus interceſſerit. Hæc replicatio reprobatur l. cum fuerit. 15. in fine. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Nuptias nõ concubitus, sed consensus facit. *Concordat l. cum hic status. 32. §. si mulier. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Nõ coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio. *Quinta replicatio est: Nisi alter alterius consuetudine fruatur. tunc enim præsumitur consensus, & ob id matrimonium quoque. Hæc replicatio approbatur l. in libera. 24. ff. de ritu nuptiar. his uerbis:* In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit. *Mutatur hoc ius Nouell. const. 74. §. quoniam autem, his uerbis:* Quoniã in interpellationibus, quæ nobis fiunt, semper omniũ assiduè mulieres audiuimus ingemiscentes, & dicentes, quia quidam earum concupiscentia detenti, ducant in domibus suis, sacra tangentes eloquia, aut in orationis domibus iurantes, habituros se eas legitimas uxores, taliter eas habentes tẽpore multo, & fortè suscipientes filios: deinde cùm se satiauerint earũ desiderio, aut extra filios, aut cum filijs eas proijcientes de suis domibus: iudicauimus etiam hoc sanciendum esse, ut si mulier ostendere poterit modis legitimis, quia secundũ hãc figuram uir eã acceperit domi, ut eã uxorem legitimã haberet, & filiorum legitimorum matrem: nequaquã penitus licentiam esse ei hanc de domo præter ordinẽ legis expellere, sed habere eam legitimã, & filios suos esse ei: & illa si quidem indotata fit, nostræ constitutionis utibonis, quartã substantiæ uiri partem percipiens, siue expellatur, siue prius moriatur uir, non perscrutantibus nobis, siue repudio utens dimittat eam, siue etiã sine hoc. Neque enim uerisimile est, eum mittere repudium, qui & ipsas nuptias denegat. Sed si eã irrationabiliter expellat de domo, hoc ipsum sit aduersus uirũ iusta cautio, & mulier hoc facto repudium ei mittat, & exigat quartam, si uxor ostensa fuerit extitisse, licet extra dotem conuenerit, iureiurando uiri credens. Quid enim agat aliud, quæ ad dotem non est idonea, quàm ut semetipsam cum omni dote contradat? Sit autem & soboles legitima, etiam inuito patre. Qui enim ad hoc nuptias fecit, & filios procreauit, ut mulier legitimorum ei filiorũ fieret mater, non potest ex tali natos germina rursus ut naturales abijcere, neque quasdam postea fortè nuptias post mortem uxoris aut repudiũ contrahens, eos qui ex illis nascuntur nuptijs, uelle habere solos legitimos, nisi eis etiam illi priores fuerint copulati, quorũ similiter pater est, teste existente nuptiarum priorum quidem Deo, secundarum autem lege. Eadem nobis lex pro cautela sit nuptias contrahentium promulgata. & si filij quidem ex talibus processerint nuptijs, eruntsui: & his legibus, quæ sunt de suis positæ, fruentur. Si quid autem post

hæc fiat, non tamen ex conſcripta procedat copulatione: erunt naturales, & his quæ à nobis largita ſunt naturalibus, ſiue ex teſtamẽto, ſiue ab inteſtato, potientur. Eos enim qui ſemel ex odibilibus nobis, & propterea quoque prohibitis nuptijs procedunt, neq; naturales uocari, neque participanda eis ulla clementia eſt, ſed ſit ſupplicium etiã hoc patrum, ut agnoſcãt, quia neque quidquam peccatricis concupiſcentiæ eorum habebũt filij. Quæ igitur placuerunt, &c. *Hactenus conſtitutio imp. Iuſtiniani, qua dum uoluit conſulere mulieribus ingemiſcentibus, contra eas conſtituit. Cum enim ex ſupradicta l.24. præſumeretur conſenſus ex conſuetudine, ita ut uiro conſenſum neganti incumberet probatio: Imperat. Iuſtinianus hanc præſumptionem ſuſtulit, & mulieri conſenſum affirmanti probandi onus impoſuit, dum ait*: Si mulier oſtendere poterit modis legitimis, quia ſecundum hanc figuram uir eam acceperit domi, ut eam uxorem legitimam haberet. *item dum ait*: Si uxor oſtenſa fuerit extitiſſe. *Et hæc quidem de nuptijs præteritis. In futurum autem conſtituit, ne matrimonium ſit, niſi ſcriptura interueniente, dum ait*: Si quid autem poſt hæc fiat, non tamen ex conſcripta procedat copulatione, erunt naturales, &c. *Hoc tamen poſtea rurſus mutat: de qua re dicetur paulò inferius except.13.in fine. Sublata igitur eſt per conſtitutionem Imperat. Iuſtiniani propoſita replicatio quinta.* Plures propoſitæ exceptionis replicationes uide ſ. cap.1.quæſt.3.except.6.

VII. Exceptio: *Niſi coitus non interceſſerit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ propoſita ſunt ſuprà except.prox.repl.4. Concordat l. denique Cuma.6.cum lege ſequente.ff. de ritu nuptiar.cuius uerba uide ſ. cap.1.quæſt.4.reg.8.*

VIII. Exceptio: *Niſi inter abſentes matrimonium ſit contractum. Hæc exceptio reprobatur l.mulierem.5.ff.d.tt.his uerbis*: Mulierem abſenti per literas eius uel per nũcium poſſe nubere placuit, ſi in domum eius deduceretur: eam uerò quæ abeſſet, ex literis uel nuncio ſuo duci à marito non poſſe. Deductione enim opus eſſe in mariti, non in uxoris domum, quaſi domicilium matrimonij.

IX. Exceptio: *Niſi ſolennitas nuptiarum non interuenerit. Hæc exceptio iure quidem antiquo approbabatur, eiuſq; replicatio in militibus proponitur l.à caligato.22.C.de nuptijs, hiſce uerbis*: A' caligato milite uſque ad protectoris perſonam ſine aliqua ſolennitate matrimoniorum liberam, cum ingenuis duntaxat mulieribus, contrahendi coniugij permittimus facultatem. *Iure autem nouo exceptio propoſita reprobatur l.ſi don.22.C. eod.tt.his uerbis*: Si donationum ante nuptias, uel doris inſtrumenta defuerint, pompa etiam, aliaque nuptiarum celebritas omittatur: nullus exiſtimet ob id deeſſe rectè aliàs inito matrimonio firmitatem: uel ex eo natis liberis iura poſſe legitimorum auferri, ſi inter pares honeſtate perſonas, nulla lege impediente, fiat conſortium, quod ipſorum conſenſu atque amicorum fide firmatur.

X. Exceptio: *Niſi mulier in domum mariti deducta non ſit. Hæc exceptio approbatur l. mulierem.5. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ſ.except.8. Mutatur autem ac reprobatur l.ſi donatio.22. C. de nuptijs. cuius uerba uide ſ.except.prox.*

XI. Exceptio: *Niſi nuptiæ ſint ſimulatæ. Hæc exceptio approbatur l.ſimulatæ.30.ff. de ritu nuptiarum, hiſ uerbis*: Simulatæ nuptię nullius mométi ſunt. *Concordat l.neque.13.in princ.C.de nuptijs. cuius uerba uide ſ. except.13.*

XII. Exceptio: *Niſi nulla dos interuenerit. Hæc exceptio reprobatur l.iubemus.11.in princ. C.de repudijs, hiſce uerbis*: Iubemus, ut quicunque mulierem cum uoluntate parentum, aut ſi parentes non habuerit, ſua uoluntate maritali affectu in matrimonium accepit: etiamſi dotalia inſtrumenta non interceſſerint, nec dos data fuerit, tanquam ſi cum inſtrumentis dotalibus tale matrimonium proceſiſſet, firmum coniugium eorum habeatur. Non enim dotibus, ſed affectu matrimonia contrahuntur. *Concordat l. cum multæ.20. ſ. quare enim. C. de donationibus ante nuptias. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap.11. quæſt.1. Planè admittitur exceptio propoſita in maioribus dignitatibus*, Nouell. *conſt.74. §. in maioribus. cuius uerba uide ſ. except. proxim.*

XIII. Exceptio: *Niſi nulla ſcriptura interueniente contractum ſit matrimonium. Hæc exceptio reprobatur l.ſi uicinis.9.C.de nuptijs, hiſce uerbis*: Si uicinis uel alijs ſcientibus uxorem liberorum procreandorum cauſa domi habuiſti, & ex eo matrimonio filia ſuſcepta eſt: quamuis neque nuptiales tabulæ, neque ad natam filiam pertinentes factæ ſunt: non ideo minus ueritas matrimonij aut ſuſceptæ filiæ ſuam habet poteſtatem. *Concordat l.neque.13.C. eod.tt.his uerbis*: Neque ſine nuptijs inſtrumenta facta ad probationem matrimonij ſunt idonea, diuerſum ueritate continente: necnon interpoſitis inſtrumentis, iure contractum matrimonium irritum eſt: cùm omiſſa quoque ſcriptura, cætera indicia nuptiarum non ſunt irrita. *Concordat item l.ſi donationum.22. C. eod.tt. cuius uerba uide ſ. except.9. Concordat item l. iubemus. 11. in princip. C. de repudijs. cuius uerba uide ſ. except. prox. Concordat item* Nouell. *c. 22. §. matrimonium, his uerbis*: Matrimonium mutua conſtituit affectio, quæ dotalium inſtrumentorum acceſsione non ſemper opus habet. *Planè admittitur exceptio propoſita primùm, ſi ſenator mulierem ſcenicam, quæ pœnitẽtiam egit, eiúsue filiam ducat. quæ diſtinctio approbatur l. imperialis. 23. §. itaque cum iuſtum. ibi: dum tamen dotalibus. item §. ſin uerò*

ſin uerò ante. ibi: ut tamẽ omnimodò. C. de nuptijs. cuius uerba uide ſ. cap. prox. except.33. Secundò admittitur exceptio propoſita iurẽ antiquo inter impares honeſtate perſonas: quæ tamen diſtinctio iure antiquo introducta reprobatur d.l.23.§. imò etiã illud, his uerbis: Illud etiã remouẽdum eſſe cenſemus, quod in priſcis legibus (licet obſcurius) cõſtitutum eſt, ut matrimonia inter impares honeſtate perſonas contrahenda non aliter quidẽ naleãt, niſi dotalia inſtrumenta cõfecta fuerint. His uerò etiam non intercedentibus, omnimodò firma ſint, ſine aliqua diſtinctione perſonarum: ſi modò liberæ ſint, & ingenuæ mulieres, nullaque nefariarum uel inceſtarum coniunctionum ſuberit ſuſpicio. nam nefarios & inceſtos coitus omnibus modis amputamus: ſicut & illos qui præteritarum legum ſanctione ſpecialiter uetiti ſunt: exceptis uidelicet ijs, quos præſenti lege permiſimus, legitimique matrimonij iure muniri præcipimus. *Tertiò admittitur exceptio propoſita, ſi ſenator uel alius libertinam uxorem ducat. quæ diſtinctio approbatur* Nouell. *c.78. §. cæterùm ſi quis libertinam. cuius uerba uide ſ. cap. prox. except.25. in fine. Quartò admittitur exceptio propoſita, ſi quis ex ancilla ſua habens liberos, eam manumittere & in uxorem ducere uelit. quæ diſtinctio approbatur d.c.78. §. unde etſi. cuius uerba uide ſ. cap. prox. except.35. repl.3. Quintò admittitur exceptio hæc, ſi ij qui amplis dignitatibus uſq; ad illuſtres præditi ſunt, nuptias contrahãt. de quo infrà cod. except. in fine.*

Mutatio iuris.

Hæc quæ hactenus propoſita ſunt, antiquo obtinebãt iure: quod ius antiquum mutatur at tollitur, propoſitáq; exceptio approbatur Nouell. *c.74. §. illud quoque, uſque ad §. quoniam autem, his uerbis*: Illud melius arbitramur, conſtituere competenter, quod ex plurimo cauſarum experimento cognouimus. Multæ quidem & continuæ lites nunciatæ noſtræ maieſtati ad opus nos deduxerũt huius legis. Quia enim & antiquis promulgatum eſt legibus, & à nobis ipſis ſunt hæc eadem conſtituta, ut & nuptiæ extra dotalia documenta ex ſolo affectu ualeant & ratæ ſint ſed falſatis contractibus noſtra ex hoc eſt completa reſpublica. Nam introeuntes teſtes ſine periculo mentientes, quia uir uocabat dominam cohærentem, & illa illum ſimiliter nominabat, & ſic eis uerbis finguntur matrimonia non pro ueritate confecta: hoc æſtimauimus oportere ſecundum naturales definire leges. Nouimus etenim, & caſtitatis ſumus amatores, & hoc noſtris ſancimus ſubiectis. ſed nihil eſt furore amoris uehementius, quem retinere philoſophiæ eſt perfectè monentis, & inſidentem atque inhærentem concupiſcentiam refrenantis, ut hi qui hoc tali detinentur, ſe abſtineant ſermone ad eas quas amant, quæ eis per blandimenta cõferunt. Denique in tantum etiam ante nos legiſlatores tales ſcierunt animorum affectus, ut etiam donationes conſtante matrimonio prohiberent, ut non concupiſcentiæ magnitudine uicti, latenter paulatim coniuges ſemetipſos ſua priuarent ſubſtantia. Hæc ergo caſta lege ſancire bene ſe habere credidimus. In maioribus itaque dignitatibus, & quæcunq; uſque ad nos & ſenatores & magnificentiſs. illuſtres ſunt, neque fieri hæc omnino patimur: ſed ſit omnino & dos & antenuptialis donatio, & ad omnia quæ honeſtiora decet nomina. Quantum uerò in militijs honeſtioribus, & negocijs, & omnino profeſsionibus dignioribus eſt, ſi uoluerint legitimæ uxori copulari, & non facere nuptialia documenta: non ſic quomodocunque, & ſine cautela effuſè, & ſine probatione hoc agant: ſed ueniant ad quãdam orationis domum, & fateantur ſanctiſsimæ illius eccleſiæ defenſori. ille autem adhibens tres aut quatuor exinde reuerendiſsimorum clericorum, atteſtationem conficiat declarantem, quia ſub illa indictione, ſub illo menſe, illa die menſis, illo Imperij noſtri anno, conſule illo, uenerũt apud eum in illam orationis domum ille & illa, & coniuncti ſunt alter alteri. & huiuſmodi proteſtationem, ſiquidem accipere uolunt, aut ambo conuenientes, aut alteruter eorum, & hoc agant, & ſubſcribant ei ſanctiſsimæ eccleſiæ defenſor, & reliqui tres, aut quantoſcunque uoluerint, non tamen minus trium literis hoc ſignificantibus. Si uerò etiam hoc illi non egerint, ille tamen talem reponat chartam uenerabilis illius eccleſiæ defenſor, in eiuſdem ſanctiſsimæ eccleſiæ archiuis (hoc eſt, ubi uenerabilia uaſa ſeruantur) prædictas ſubſcriptiones habentem, ut reconditum ſit omnibus ex hoc munimen, & non aliter uideatur nuptiali eoſdem affectu conueniſſe, niſi tale aliquid agatur, & omnino ex literis cauſa teſtimonium habeat. His ita geſtis, & nuptias, & ex eis ſobolem eſſe legitimam. Hæc autem diximus, ubi non dotis aut antenuptialis ſit donationis documentum. Fidem enim in ſolis teſtibus ſuſpectam habentes, ad præſentem uenimus diſpoſitionem. *Concordat d.c.74. §. penultim. his uerbis*: Si quid poſt hæc fiat, non tamen ex conſcripta procedat copulatione, erunt naturales, &c. *Reliqua uide ſ. except.6. replic.5. Planè exceptio propoſita, in re nouo approbata, recipit tres replicationes: primam quoad uiles & abiectos, ſecundam quoad agricolas, tertiam quoad milites. quæ tres replicationes approbantur d.c.74. §. quiſquis autem, his uerbis*: Quiſquis autem in abiecta deget uita,

paruæ quidem subſtantiæ dominus consistens, in nouissima uerò uitæ parte iacens, habeat etiam in his licentiam. Sed neque agricolas, aut milites armatos, quos lex caligatos appellat, hoc est uiliores & obscuriores, perscrutamur, quibus ciuilium causarum ignorantia est, & solius circa terram operationis, & circa bella concupiscentiæ causa est studiosa, & iusta, & laudabilis. Et sicut in uilibus personis, ita & in militibus armatis obscuris, & agricolis licentia sit eis, & ex non scripto conuenire, & matrimonia celebrare inter utrosq; : sintq; filij legitimi, qui patrum aut mediocritatem, aut militares, aut rusticas occupationes & ignorantias adiuuant.

Alia iuris mutatio.

Hactenus uerba Imperatoris Iustiniani, quibus propositam exceptionem approbauit simul & distmxit. illam autem postea rursus mutauit, propositamq; exceptionem reprobauit, ueteri iure restituto, Nouell.c. 117. §.ex quo uerò, his uerbis: Ex quo uerò pridem legem promulgauimus, quæ iubeat, aut dotalia instrumenta confici, aut alias probationes procedere, quæ apud ecclesiæ defensores celebrentur, per quas matrimonia confirmari conueniat, aut etiam iusiurandum dari: uisum nobis est in præsentia pulchrius ea, quæ prídé de his sancita sunt, disponere complectiq́ formula. Et propterea iubemus, ut qui amplis dignitatibus decorati sunt usque ad illustres, hi aliter matrimonia non contrahant, nisi dotalia conscripserint instrumenta : nisi quis sola affectione uxorem duxerit, nondum tales dignitates assecutus. Id genus enim matrimonia, quæ ante dignitatem constituta sunt, etiam post dignitatem legitima manere iubemus: & item qui ex ijs nati sunt, legitimos esse filios. Sanè postea quam talibus aliqui dignitatibus honorari cœperunt, aliter uxores non ducant, nisi dotalis instrumẽti interuentu. Exquisitam uerò hanc legis subtilitatem nostro Imperio subditis Barbaris remittimus, etsi huiusmodi dignitatibus decorati sint: ut si uelint, possint etiam nuda affectione nuptias contrahere. Præter eos autem qui amplis (ut dictum est) dignitatibus decorati sunt, nemini omnium ex reliquis, cuiuscunque dignitatis, militiæ, professionis fuerint (siquidem uoluerint, aut portuerint) cum dotalibus instrumentis uxores ducere prohibemus. Quòd si minus hoc obseruauerint: sancimus, ut & nuptiæ, quæ sola affectione contractæ comprobantur, firmæ sint: & qui ex ijs nascuntur, legitimos esse filios iubemus. *Ex his uerbis constat, præcedentem iuris mutationem rursus sublatam, & exceptionem propositam iure antiquo reprobatam, postea iure medio approbatam, tandem rursus reprobatam esse. Cum autem suprà quatuor casus enumerati sint, quibus proposita exceptio admittitur & approbatur, ex uerbis iam propositis quintus casus conflat, si scilicet ij qui amplis dignitatibus usque ad illustres præditi sunt, nuptias contrahant: his enim scriptura & dotali instrumento est opus. Hoc casu replicatio prima hæc est: Nisi antequam ad dignitatem illam peruenerit, aliquis eorum uxorem duxerit. quæ replicatio constat ex uerbis propositis hisce*: Nisi quis sola affectione uxorem duxerit, nondum tales dignitates assecutus, &c. *Secunda replicatio est: Nisi Barbari sint. quæ replicatio itidem approbatur uerbis iam propositis hisce*: Exquisitam uerò hanc legis subtilitatem nostro Imperio subditis Barbaris remittimus, etsi huiusmodi dignitatibus decorati sint, &c. *Hæc de decimatertia exceptione.*

XIIII. *Exceptio: Nisi pater sponsi sponsæue instrumento nuptiali non subscripserit. Hæc exceptio reprobatur l.2.C.de nuptijs, hisce uerbis*: Si nuptijs pater tuus consensit, nihil oberit tibi, quòd instrumento ad matrimonium pertinenti nõ subscripsit.

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus exceptiones aduersus nuptias sexaginta quatuor propositæ sunt, hoc quidem Capite quatuordecim, Capite autem præcedente quinquaginta. Harum omnium, quæ quidem approbantur, replicationes aliquot sunt generales, uel saltem esse uidentur, hic ad finem subijciendæ.

I. *Replicatio: Nisi per errorem, imperitiam & rusticitatem iniustæ nuptiæ sint contractæ. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l. qui contra.4. ibi: exceptis tam fœminis. C.de incestis nuptijs. cuius uerba uide §.cap.2.quæst.3.reg.3. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi errore comperto, nihilominus in iniustis nuptijs perseuerauerit. quæ duplicatio approbatur d.l.4.in fine. Altera duplicatio est: Nisi tutor uel tutoris filius pupillam duxerit. quæ duplicatio approbatur l.1.C.de interd.matrim. cuius uerba uide §. cap.prox.except.13.repl.12.*

II. *Replicatio: Nisi longißimi temporis præscriptione matrimonium iniustum sit confirmatum. Hæc replicatio approbatur, certo tamen modo, in exemplo l.diuus Marcus.58.ff.de ritu nuptiarum. cuius uerba uide §. cap.2.q.3.reg.1.except.1. Concordat Nouell.c.139. his uerbis*: Retulit ad nos gloria tua, incolas Syndyos pagi, neq; non Hebræos in Tyro insula, illicitis cõtractis nuptijs, in sacrã nostram incidisse constitutionem, nec secundum ea quæ de hoc constituta sunt, quartam bonorum suorum partem inferre, iamq; ex ijs nonnullos in tertia ætate consistere, & filiorum patres esse, ac propterea cum lachrymis supplicasse, ne nunc tandem uxores à se dimittere compellantur: sed ut tam ipsas retineant, quàm qui ex ipsis procreati sunt filij, aut

lij, aut procreabuntur, successores eorum existant, neque ullam exinde reuereantur pœnam. Sancimus igitur, ut pro huiusmodi indulgentia propter præfatas causas singuli denas auri libras præbeant, ipsisq́ue uel solis maior illa pœna remittatur, & tam uxores, quàm qui exinde nati sunt, & (ut potest fieri) postea nascentur, successores habeant. neque id à nobis in exemplum alijs sancitum intelligatur: sed quocunq́ue alio scituro, quòd si quid tale petierit, ultra hoc quòd petitis non potietur, etiam facultates amittet, atque insuper corporalibus pœnis exceptis, perpetuum incolet exilium. Nemo autem his qui à nobis nostra dignati sunt indulgentia, aut eorum uxoribus, existentibusue uel futuris filijs, aut bonis, siue ex iudiciaria sententia, siue alio quocunq; modo inquietudinem inferat. Quæ igitur nobis placuerunt, &c. *Planè ex uerbis propositis constat, replicationem propositam reprobari potius quàm approbari, dum ait Imperator*: Neque id à nobis in exemplum alijs sancitum intelligatur, &c. *Priuilegium itaque personale est replicatio proposita, ad alios casus non producendum.*

III. *Replicatio: Nisi iniustæ nuptiæ rescripto principis sint confirmatæ. Hæc replicatio reprobatur l.1.C. si nuptiæ ex rescripto, his uerbis*: Quidam uetusti iuris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas se intelligunt non mereri, à nobis existimant postulandas, sæpe habere puellæ consensum confingentes. Quapropter tale sponsalium genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit: amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse, non ambigat: & amisso iure matrimonij, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se ex hac coniunctione susceptos iustos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ adnotationisue indulto efficacem se ueniæ effectum meruisse. Exceptis ijs qui parentum sponsionem de nuptijs filiarum implere desiderant, uel sponsalia, hoc est arrarum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt. *Concordat l.2.C.eod.tt. cuius uerba uide §.cap. prox.except.2.exemplo 2.item concordat l.ult.C.de incestis nuptijs. cuius uerba uide §.cap.prox.except.8. in princ. Planè admittitur replicatio primùm in tutore, tutorisq; filio pupillam ducente: de quo dictum §.cap. prox.except.12.repl.8.item admittitur in exemplo l.diuus Marcus.58. ff. de ritu nuptiar. cuius uerba uide §. cap.2.quæst.3.reg.1.except.1. Tertiò admittitur in alio casu, Nouell.const.139. cuius uerba uide §.repl. prox. Quartò admittitur in alio casu, Nouell.c.154.§. sed quia &. cuius uerba uide §. cap.2.q.3.reg.6.*

DE SECVNDIS NVptijs. Cap. V.

HActenus de nuptijs in genere dictum est: nunc specialiter de secundis nuptijs est agendum.

I. AN NVPTIAE IVre iterentur?

Regulariter quidem nuptias iterare licere, dubiũ nõ est. Eius tamen regulæ exceptio prima hæc esse uidetur: Nisi coniunx superstes prohibitus fit à defuncto, ne nuptias iteret, atque in eam rem legatum perceperit. Hæc exceptio tractatur §.lib.34.cap.7.condit.2. Altera exceptio est: Nisi mulier superstes filiorum tutelam gerat. hoc casu nuptiæ quidem non fiunt irritæ, at uerò alijs pœnis mulier subijcitur: de qua re dicetur §.de tutelis. Tertia exceptio est: Nisi mulier intra annum luctus nupserit. nec hoc quidem casu nuptiæ reprobantur, sed mulier alijs pœnis afficitur: de quibus uide infrà quæst.prox.reg.1. Quarta exceptio est: Nisi mulier post diuortium intra quinquennium nupserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur §.quæst.proxima, reg.2.

II. QVANDO NVPTIAE iterandæ sint?

I. *Regula: Dissoluto matrimonio, mulier intra annum nuptias iterare non potest. Si contrà faciat, fit infamis, alijsq; pœnis afficitur. l.1.C. de secundis nuptijs, hisce uerbis*: Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori uiro nuptiarum festinatione præstiterit, ex iure quidem nouissimo sit infamis. Præterea secundo uiro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex testamento plus quàm tertiam partem relinquat: omnium præterea hæreditatum, legatorum, fideicommissorum, suprema uoluntate relictorum, mortis causa donationum sit expers. Hæc nanque omnia ab hæredibus, uel cohæredibus, aut ab intestato succedentibus uindicari iubemus: ne in his, in quibus correctionem morum induximus, fieri uideamur habere rationem. His etiam amittendis, quæ prior maritus ei suprema uoluntate reliquerit: quanquam hæc quæ mulieri à priore uiro relinquuntur, & per immaturum matrimonium uacuata esse cœperunt, primò à decem personis edicto prætoris enumeratis, id est, ascendentibus & descendentibus, ex latere autem usque ad secundum gradum (scilicet gradibus seruatis) deinde præsumi à fisco iubemus. Eandem quoq; mulierem infamem redditam, hæreditatis ab intestato uel legitimas, uel honorarias, non ultra tertium gradum sinimus uindicare. *Concordat l.2.C.eod.tt. his uerbis*: Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni spaciũ alteri festinauerit nubere (paruum enim temporis post decem menses seruandum adijcimus, tametsi idipsum exiguum putemus)

putemus) probroſis inuſta notis honeſtioris nobilisque perſonæ decore & iure priuetur. Itaque omnia quæ de prioris mariti bonis uel iure ſponſalium, uel iudicio defuncti coniugis conſecuta fuerat, amittat. *Concordat item Nouell.c.22. §.ſi igitur ex prioribus, his uerbis*: Si ex prioribus, aut etiã utriſque nuptijs abſque prole maneant, nulla curioſitas, nihil circa ſecundas eſt negocij, ſed uiri quidem prorſus omni obſeruatione liberi euadent. Mulieribus autem hic tantummodò ſcrupulus immittetur, ne intra anni ſpacium ad ſecundas commigrent nuptias: aut cognoſcant, quòd ſi tale quid egerint, & intempeſtiuas contraxerint nuptias, pœnas ſuſtinebunt: alias quidem, ſi ex prioribus filios non habuerint: maiores uerò, ſi filij etiamnum ſuperſint. Nam ſi nulla proles ſupereſt, conſequetur infamia, eritque omnino propter intempeſtiuas nuptias infamis: & neq; eorum aliquid, quæ ex priore illi matrimonio relicta ſunt, capiet, neque potietur donatione ante nuptias, neque ex ſecundis nuptijs coniugi ultra tertiam ſubſtantiæ ſuæ partem doti dabit. Sed neq; ex liberalitate aliunde in ipſam collata fructum ſentiet: neque penitus ab ullo extraneorum uel hæreditatem, uel fideicommiſſum, uel legatum, uel mortis cauſa donationem percipiet: ſed hęc peruenient aut reſidebunt ad hæredes defuncti, uel etiam cohęredes eius (ſi modò omnino hæres eſſe poterat) ut quæ nullam inde utilitatem habeat. Adeoque ſiue ſcripti fortè & alij ſint hæredes, ſiue ab inteſtato ad hęreditatem uocentur, ad illos perueniãt, quæ tali mulieri relicta fuerunt. fiſcus enim hæc non uindicabit, ne quando talibus caſtigandis uideamur cõmodis fiſci proſpicere. Atq; ita quidem, quæ ab extraneis ei relicta ſunt, ad alios concedent. Quæ uerò à priore marito relicta ſunt, hæc adempta illi, ad decem perſonas ex cognatione relinquentis mariti, quæ edicto prætoris comprehenduntur, peruenient: hoc eſt, aſcendentes, deſcendentes, & ex tranſuerſo uſq; ad ſecundum gradum, gradibus in ſuo conſeruandis ordine. Quibus non ſubſiſtentibus, ea ad ærariũ deuoluantur. Præterea neque à genere proximis longius ad ipſam ab inteſtato perueniet hęreditas, ſed ad tertium duntaxat gradum, ex omni ſpectandum parte, ſiſtetur illi ſucceſsionis ratio. Qui uerò remotiore gradu ſunt, hi alios habebunt hæredes. *Hactenus leges, quibus regula propoſita approbatur, expoſitæ ſunt. Eius autem exceptio prima hæc eſt: Niſi cum inter abſentes contractum eſſet matrimonium, antequam cum uxore coierit, maritus deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur l.denique.6.ff.de ritu nuptiar. cuius uerba uide ſ̃. cap.1.quæſt.4.reg.8. Secunda exceptio eſt: Niſi reſcripto Imperatoris mulieri intra tempus luctus nubere ſit permiſſum. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l. ſi qua.4. C. ad S.C.Tertull. his uerbis*: Si qua mulier nequaquam religionem priori uiro, ex quo filium uel filiam non habet, nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex iure quidem notiſsimo infamis ſit: niſi huiuſmodi maculam Imperiale beneficium ei remittat. Sin autem ei filij erunt ſeu filiæ, & impetrauerit indulgentiam: infamiæ abolitionem permittimus, & cæterarum pœnarum antiquationem, ſi facultatum omnium, quæ fuerunt tempore nuptiarum, medietatem filio uel filiæ filijs'ue ſeu filiabus donauerit, quos habebat ex uiro priore ſuſceptos, purè ſcilicet, & omni donationis ſolennitate completa, nec retento quidem uſufructu. Quem quidem ſemiſſem, ſi duobus filijs uel filiabus pluribusúe donauerit, & forte fatali unus uel una, ſeu alius uel alia ex ijſdem inteſtatus uel inteſtata obierit, ſemper ad ſuperſtites fratres uel ſorores uolumus pertinere. Sin autem uniuerſi uel uniuerſæ inteſtati diem obierint, duræ fortunæ ad matrem ſolatia ex integro reuertantur: ita ſcilicet, ut hunc ſemiſſem, quem filijs ſeu filiabus donauerat inteſtatò diem obeuntibus, rurſus ipſa ſeparatim ab ultimi filij uel filiæ hæreditate præſumat. *Concordat Nouell.conſt.22. §. ſanè quæ inter, his uerbis*: Sanè quæ inter cæteras mulieri pœnas irrogatur, nempe infamia, ſi nullos ex prioribus nuptijs ſuſceptos habeat filios, ſolui remittique poterit Imperatoris id iubentis literis. Cæterùm ſi ſuperſint cuiuſcunque tandem ſexus filij, poteſtatem quidem habebit pro abroganda infamia preces Imperatori porrigere, ſed nullum ex reſcriptis fructum percipiet. Si tamen aliquam ex conſtitutione utilitatem ſentire, & reliquis pœnis liberari deſideret: filijs ex priore matrimonio ſuſceptis dimidiam ſubſtantiæ ſuæ partem donet purè & abſque omni conditione, nec ipſo quidem uſufructu reſeruato: ſed totius ſubſtantiæ, quam eo tempore, cum ad ſecundas accederet nuptias, in bonis habebat, dimidia (uti diximus) parte prius natis filijs ceſſa. Diuidentque omnes id inter ſe filij ex æquo: & filios quidem habentes, ad ſuos tranſmittent filios (adijciendum enim nonnihil antiquis eſt legibus:) ſi uerò non habent, defuncti defunctorúmue partes pro portione fratres horum, quotcunque fuerint, capient. Si uerò omnes mortem obierint, ſoletur ea re infœlicitatem ſuam mater, quòd iſta recipiat. Atque hæc dicimus, ſi inteſtati moriantur filij. neque enim in ijs rebus, quæ ſemel illorum dominij factæ ſunt, à teſtamenti factione

eos arce-

eos arcebimus, aut quo minus ſuperſtites adhuc, quomodo uelint, hæc diſponant. Quæ igitur pœnæ mulieribus ante id tempus, quo uirum elugere moris eſt, nubentibus imminent, tales propemodum ſunt, & tres de his antea ſcriptas conſtitutiones per unicam hanc interpoſitionem cum competente appoſitione hæc nobis lex promulgauit. *Hiſce uerbis non ſolùm exceptio propoſita approbatur, ſed & eius replicatio, quæ eſt: Niſi mulier filios filiasúe ex priore matrimonio habens, dimidiam ſuorum bonorum partem illis non donauerit. Tertia propoſitæ regulæ exceptio uidetur eſſe: Niſi prius matrimonium non morte, ſed diuortio ſit ſolutum. quæ exceptio reprobatur Nouell.conſt.22. §. ſi uerò etiam, his uerbis*: Si etiam rationabiliter mulier repudium miſerit, & in certaminibus uicerit, aut uir irrationabiliter eam abijciens ſubiacuerit pœnis: lucretur quidem lucra primitùs dicta, erubeſcat autem ante annum completum ad ſecunda uota uenire. Quod non obſeruandum nobis eſt in uiro irrationabiliter obtinente talia lucra, cum & non obtinenti etiam repentè nuptias facere licet: quoniam nulla circa ſobolis confuſionẽ rationabilis eſt ſuſpicio: quod in mulieribus ante anni completionem rectè prohibetur. & tãta eſt prohibitio ex hoc, quia licet bona gratia diſſolui matrimoniũ contingat, conſtitutione in annum prohibitio ſecundarum nuptiarum tamen etiam ſic ex Anaſtaſio piæ memoriæ mulieribus inſtituta eſt. *Concordat item d.c.22.§.& ſi mulier, his uerbis*: Siquidem per culpam mulieris matrimonium ſoluatur, quinquenniũ obſeruandum eſt ei, & ſecundis non copulabitur nuptijs. Si uerò per cauſam uel culpam mariti, aut etiam bona gratia diſtrahatur, meritò & hic annum cuſtodiat propter ſeminis confuſionem, ut per omnia nobis lex perfecta ſit. *Concordat item Nouell.c.117. §.quin etſi iuſta, his uerbis*: Quin etſi iuſta ratione mulier repudij libellum miſerit, & uictrix diſcedat è iudicio: adipiſcitor quidẽ prædicta lucra: erubeſcito autem, priuſquam annus excedat, ad ſecundas progredi nuptias. Quod nobis in uiro obſeruandum nõ eſt. Nam qui iuſtis rationibus talia lucra obtinuerit, ei uel extemplò nuptias licet contrahere: quãdoquidem nulla de prolis confuſione ſubeſt ſuſpicio, id quod optimo iure copulam in mulieribus ante annum cohibet. Atq; ea prohibitionis uis eſt hac parte, ut tametſi bona gratia matrimonium diſſolui cõtingat, tamen ex conſtitutione pientiſsimi principis Anaſtaſij in annum mulieribus ſecundarum nuptiarum prohibitio iniungatur. *Quarta propoſitæ regulæ exceptio eſt: Niſi non mulier, ſed uir ſoluto matrimonio nuptias iteret. huic enim annus iterandi nuptias non eſt præfinitus. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Quod nobis in uiro obſeruandum non eſt, &c. *Concordat Nouell.c.22. §.ſi uerò etiam. ibi: quod non obſeruandum. cuius uerba uide item paulò ſuperius except.prox. Quinta exceptio eſt: Niſi intra annum non nupſerit mulier, ſed peperit. Hæc exceptio reprobatur Nouell.conſt.39 §.alterum uerò, uſque ad finem conſtitut. his uerbis*: Sancimus, ſi mulier intra tempus luctus ſub finem anni pariat, & extra omnem controuerſiam poſitum ſit, eam prolem ex priore matrimonio non exiſtere: ut ea prorſus donatione ante nuptias priuetur, tã iure proprietatis quàm uſusfructus, inſuper omnibus alijs ſubdẽda pœnis, perindę quaſi legitimis ſecundis ſe nuptijs ante tempus luctus finitum iunxiſſet. nunquam enim ſcortatio ſuperiores partes, quàm caſtitas, obtineto: ſed ijſdem pœnis & ipſa ſubijcitor, & præterea metu inſcriptionis de adulterio in periculum adducitor: ut neque intempeſtiuas appetat nuptias, neq; legitimas nuptias improbiore commento eludat. *Hactenus de prima regula, eiuſq; exceptionibus ſit dictum. Plura de hac re uide ſ̃.lib.3.cap.14.cauſa 13.*

II. *Regula: Si mulier diuerterit, intra quinquennium nuptias iterare nõ poteſt. quæ regula approbatur l.conſenſu.8.§.hæc niſi uir.C.de repudijs, hiſce uerbis*: Mulier, ſi cõtempta lege repudium mittendum eſſe tentauerit, ſuam dotem & ante nuptias donationem amittat, nec intra quinquennium nubendi habeat denuò poteſtatem. Æquum eſt enim, eam interim carere connubio, quo ſe monſtrauit indignam. Quòd ſi præter hoc nupſerit, erit ipſa quidem infamis, connubium uerò illud nolumus nuncupari: inſuper etiam arguendi hoc ipſum uolenti concedimus libertatem. *Concordat Nouell.c.22.§.ſi uerò altera, his uerbis*: Vxor rea omnino ex memoratis cauſis pro irrationabili repudij miſsione facta, & in quinquenniũ totum ad ſecundum uenire prohibetur matrimonium, & nuptias ante quinquennium non eſſe ſine reatu, neque legitimas uocari, ſed omnis uolens adeat & accuſet factũ tanquam contra legem præſumptum. *Concordat item d.c.22. §. etſi mulier. cuius uerba uide ſ̃. reg. prox.except.3. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi iuſtè diuerterit mulier. quæ exceptio approbatur l. ſi conſt.9.C.de repudijs, hiſce uerbis*: Si conſtãte matrimonio communi cõſenſu tam uiri quàm mulieris repudium ſit miſſum, quo nulla cauſa continetur, quæ conſultiſsimæ conſtitutioni diuæ memoriæ Theodoſij & Valentiniani inſerta eſt: licebit mulieri non quinquennium expectare, ſed poſt annum ad ſecundas nuptias conuolare. *Concordat l. conſenſu.8. §. hæc niſi uir, in fine. C. eod.tt. his uerbis*: Si uerò cauſam probauerit intentatam:

tunc eam

tunc eam & dotem recuperare, & ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus uindicare censemus, & nubendi post annum ei (ne quis de prole dubitet) permittimus facultatem. *Altera exceptio est: Nisi non mulier, sed uir repudium miserit. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi iustè repudium miserit. quæ replicatio approbatur Nouell. c.117. §.illud utiq;, his uerbis:* Illud obseruãdum, quòd siquidem iusta ratione maritus libellum repudij miserit: cùm prædictis mulier pœnis erit obnoxia, tum etiam integrũ quinquennium ad aliud peruenire matrimoniũ prohibebitur, & ante quinquennium cõtractæ nuptiæ noxa solutæ non erunt, neque legitimum appellabitur matrimonium: & quicũque uoluerit accedito, & factum incusato tanquam contra legem præsumptum.

III. *Regula: Si de mariti absentis uita dubitatur, mulier post quinquennium iure quidem antiquo poterat iterare nuptias, iure autem nouo non potest. de quare uide ĩ.cap.8.quæst.2.reg.3.except.5.*

III. EVENTVS SECVNdarum nuptiarum.

I. *Regula, De bonis quæ à priore coniuge ueniunt, proponetur ĩ.cap.prox.*

II. *Regula, De bonis quæ à liberis prioris matrimonij ueniunt. Hæc bona coniunx superstes nuptias iterãs alienare non potest, sed tenetur ea liberis prioris matrimonij post mortem suam restituere. quæ regula approbatur l.fœminæ.3. §.illud etiam. C. de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Sanximus, ut si quis ex ijsdem filijs, quos ex priore matrimonio susceptos esse constabit, fortè decesserit, matre iam secundis nuptijs funestata, alijs etiam ex eodem matrimonio progenitis liberis superstitibus: id quod per eandem successionem ab intestato, uel ex testamento suæ posteritatis, mater uidebitur consecuta, in diem uitæ pro sibi debita portione sola tãtùm possessione delata, omne ijs qui supererunt ex priore susceptis matrimonio filijs relinquat, nec super istiusmodi facultatibus testandi in quamlibet extraneam personam, uel quidquam alienandi habeat potestatem. Quòd si nullam ex priore matrimonio habuerit successionem, uel natus natáue decesserit: omne quod quoquo modo perceperit, pleno proprietatis iure obtineat, atque ex ijs nanciscendi dominij, & testandi circa quem uoluerit, liberam habeat facultatem. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi nulli ex priore matrimonio superstint liberi. tunc enim mater pleno proprietatis iure id obtinebit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quòd si nullam ex priore matrimonio habuerit successionem, &c. *Secunda exceptio est: Nisi non ab intestato, sed ex testamento uel alia ultima filij uoluntate perceperit. quæ exceptio reprobatur quidẽ uerbis paulò superius propositis hisce:* Ab intestato, uel ex testamento, &c. *Verùm iure nouo approbatur exceptio hæc Nouell. c.22. §. si itaque filius, hisce uerbis:* Si filius legitimè facto testamento substantiam partémue eius aliquam matri relinquet: capiat eam ipsa propter scripturam (quia ubique uolumus, ut defunctorum uoluntates conseruentur) relictumque aut datum pleno iure tam proprietatis quàm ususfructus obtineat. Quemadmodum enim integrum erat alicui relinquere extraneo, neque hæredi secundæ illius nocuissent nuptiæ: ita & matri relinquens siue institutionem, siue legatũ, rectè id relinquat tam iure proprietatis quàm ususfructus, siue ex ijs rebus fuerit, quæ aliunde aduenerunt, siue ex paternis bonis, nihil ea in re fratribus quibus contradicere. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi res sint ex antenuptiali donatione, qua se mater ob secundas nuptias indignam fecerat. hæ enim neque ex testamento nuptias iteranti debentur. quæ replicatio approbatur per ea quæ dicentur infrà except.proxima, replicat.1. Tertia exceptio est: Nisi res ad filium defunctum, nõ à patre ipsius, sed alium deuenerint. quæ exceptio approbatur d.§.si itaque. ibi: quòd si filius, his uerbis:* Quòd si filius intestatus decedat, matre iam ad secũdas progressa nuptias, aut postea accedẽte: uocetur quidem & ipsa unà cum filij filiæ ue fratribus, uel fratrum filijs pro uirili (secundum nostram uidelicet constitutionem) ab intestato ad illius successionem: ita tamen, ut eorum quæ ex paterna ad filium substantia peruenerunt, tantummodò usumfructum habeat, siue ante, siue post id tempus omnino ad secundas procedat nuptias. Ad reliquas uerò res, quæ præter paternam successionem filius iam inde ab initio in bonis habuit, secundum nostram uocationem, quam statim dicemus, quadã correctione & ea indigente, perueniat. Atque hæc dicimus de rebus, quæ extra donationẽ ante nuptias sunt positæ. Quæ enim à nobis & insuper Leonis pientissimi principis constitutione, in quibus mater solum usumfructum habet, de illis sancita sunt, inuiolata conseruamus. Cæterùm hęc in alijs rebus sancimus, & sequenti legi tradimus, quæcunque extra donationem ante nuptias filio à patre, aut ex alijs causis, siue ex testamento, siue ex successionibus ab intestato accesserũt: ut quod de ingratis filijs dictum est, id cùm uera ingratitudinis causa ostenditur, ex omni parte in his etiam rebus seruetur: omnibus alijs quæ de successione parentum in filijs, uel filiorum in parentibus dicta sunt, inuiolabiliter custodiendis. At uerò ingratitudinem hoc loco non tantùm quæ erga matrem (prout antè à nobis dictum est) sed etiam quæ erga ipsum

ipsum defunctum fratrem facta est, consideramus. Et quanquam sanè multas quotidie inter fratres cõtentiones suboriri cernimus: tamen eum duntaxat tãquam ingratum circa fratrem effectum in parte huius lucri uocari non sinimus, qui per insidias fratri mortem intentarit, qui criminalem illi accusationem impegerit, qui uniuersa eum substantia exuere studuerit. illius enim portio tam ad reliquos fratres fratrumque filios, quàm ad matrem perueniat. Atque hæc lex de filiorum successionibus, quibus matres succedunt filijs, posita sit, introducens his quæ in posterum secundo se marito sociabunt, à nobis excogitatam subdiuisionem. Quæ enim iam in secundum conuenerunt matrimonium, & memoratæ legis nostrę beneficio potitæ sunt, his ius esto, ut quæ ex filiorum successione ad ipsas peruenerunt siue ex testamento, siue ab intestato, ea firmiter & proprietatis & ususfructus iure habeãt: & item alienare, de ijs testari, & ad alios quo uolũt modo transmittere possint, nullo eis impedimento ex præsenti lege ullo unquam tempore obstaturo. Sed & illud quod in prædicta nobis legislatione constitutum est, prioris matrimonij filijs ratum permaneat, nempe si donationem ante nuptias, quam mater ex morte mariti sui lucrifecerat, ad eum qui ex filijs mortuus esset, peruenire contigerit, & per eam causam pars eius hæreditatis facta sit, ut mater ne pro ea quidem parte, pro qua hęreditatem filij agnoscit, in rebus eius ante nuptias donationis proprietate fruatur: sed in his tantùm, quoad uiuit, habeat usumfructum. Obtineat igitur & hoc in prioris matrimonij filijs, qui gratos se perhibuerunt: nisi ante dictam legem de his iudiciaria sententia, uel susceptа inter partes transactio aliquid definierit. *Verbis iam propositis propositæ exceptio partim approbatur, partim etiam distinguitur. Ait autem Imperator:* Secundum nostram uidelicet constitutionem. *Hæc constitutio habetur Nouell.c.2.§.cum igitur. Ait insuper Imp.* Secundum nostram uocationem, quam statim dicemus. *scilicet d.c.22.§.item quia mater. Ait item Imp.* Atq; hæc dicimus de rebus quæ extra donationem ante nuptias sunt positæ. *Ex his uerbis propositæ exceptionis replicatio elicitur, hæc scilicet: Nisi res in hæreditate filij existentes, ex ante nuptias donatione ad filium peruenerint. hæc enim res quamuis magis à matre, quæ se antenuptiali donatione ob secundas nuptias indignam fecit, quàm à patre ad filium peruenerint: tamen in ijs regulæ propositæ est locus. Cui concordant item uerba paulò superius proposita hæc:* Sed & illud quod in prædicta à nobis legislatione constitutum est, prioris matrimonij filijs ratum permaneat, nempe si donationem ante, &c. *Constitutio cuius hic fit mentio, habetur Nouell. c. 2. §. antenuptiali, in hæc uerba:* Antenuptiali donatione ad secundum ueniens consortium, neque secundum quantum hæres existet filij, fruatur: sed hoc filiorum sit solum lucrum eis à lege datum, & non uideatur esse pars hæreditatis filij, sed adhuc antenuptialis donationis naturam non abijciens. Quæ conuehit tenere etiam circa eas quæ nunciam sunt ulduatæ mulieres, & proprijs successerũt filijs: & quæ nondum ad secundas ueniunt nuptias, licet postea ueniant. Quod igitur hic habetur, sic omni tempore sanciatur. *Ait insuper in supradictis uerbis Imp.* Quæ enim à nobis. *scilicet d.§.antenuptiali, & d.c.22.§.quod si mulier. Item ait:* Et insuper Leonis pientissimi principis constitutione. *Hæc constitutio habetur l.hac edictali.6.§.his illud. C. de secundis nuptijs. de quibus ĩ.cap.prox. Plura de regula proposita dicentur in senatusconsulto Tertulliano lib.29.cap.5.*

III. *Regula, De bonis quæ nuptias iteratas à secundo coniuge adquisiuit. Hæc secundi matrimonij liberi habent præcipua. Quæ regula approbatur l.cùm alijs.4. C. de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Cùm alijs sanctionibus iusserimus materna bona integra ad liberos peruenire: quod tamen mulier mariti largitate percepit, id ex eo tantùm liberi coniugio procreati, sibi speciale tanquã paternum nouerint patrimonium uindicandum. Itaque si habens filios ad secundas nuptias fortasse transierit: sponsalitiam largitatem, quam uir secundus cõtulit in uxorem, tantummodò filij qui ex secundo matrimonio susceperi sunt, pro soliditate possideant: nec prosit liberis ex priore susceptis matrimonio, quòd mulier ad tertia minimè uota migrauerit. Quòd si posterior uir sine liberis ex eodem matrimonio susceptis decesserit: quidquid ab eo ex sponsalium largitate uxor fuerit consecuta, id sibi iuriq; suo sciat esse collatum, etiamsi ex priore matrimonio donator filios reliquisse doceatur. Ad maternas sanè ueniens uel ex hoc, uel ex alio quolibet titulo, facultates omnis posteritas, ex quocunque susceptа uiro, pro debita sibi portione, ut à matre, uel spontanea largitate, uel per testamentum eius fuerit collata, possideat. Nos enim hac lege id præcipuè custodiendum esse decernimus, ut ex quocunque coniugio susceptи filij, patrum suorum sponsalicias retineant facultates. *Concordat Nouell.c.22.§.sed neque illud, usq; ad §.quæ uerò dotium, his uerbis:* Neque illud nobis relinquendum est, quod pientiss. princeps Theodosius iunior rectè constituit, inquiens: Si mulier procreatis filijs ad secundum transeat matrimonium, simulq; ac ei exinde alij nati sunt filij, secundus quoque maritus moriatur: ut matre intestatò mortua, propria

quidem eius bona ex utroque matrimonio susceptiliij percipiant ex æquo,& per omnia similis in ijs celebretur distributio: donationem uerò ante nuptias utraque sui parentis proles capiet,& in solidum tam prioris matrimonij filij illius donationem lucrabuntur,quàm ex secundis procreati seminibus profecta ab hoc largitate perfruentur, tametsi ad tertium illa matrimonium non peruenerit. Quid enim ea res prioribus prosit? aut cur priores filij posterioribus inuideant,quòd non & illi ex tertijs nuptijs contumeliã in se acceperint? Et ut simpliciter dicamus,quæque proles sui parentis donationẽ ante nuptias percipito, & in uniuersum primis filijs propter ipsam nuptiarum repetitionem capientibus,secundi omnino eam obtinento, etsi ea quæ nuptias repetijt, tertijs se nuptijs non iunxerit: ne ex ea re inferiore loco quàm fratres esse uideantur. Ex ipsa autem rerum consequentia eadem sunto & in ijs patribus qui nuptias repetunt, & prioribus quidem matrimonij filijs dos lucrata propter iteratas nuptias, secundis uerò ea quæ per secundas accesserunt conseruantor, tametsi pater ad tertias nuptias non peruenerit. Reliqua certè,quæ pater matérue in talibus per repetitas nuptias legati fortè titulo seu fideicommissi lucrati sunt, neque ad tertias transierunt nuptias,ea confusa cum ipsorum patrimonio, neque tertijs concussa nuptijs,immota apud ipsos permanento, & ad eorum res tanquam proprias successiones transferuntor, & à superstitibus adhuc,quocunque uolunt modo,dispo nuntor. Quia uerò pro rationis continuitate & similitudine,ubiq; lucra ad disiunctiones matrimoniorum alterius morte factas, in legibus nostris referimus:propterea breuiter & illud apponimus, ut quæcunque parentes diuortio soluto matrimonio (siue bona gratia interuenerit, siue etiam aliter) uel occasione dotis,uel donationis ante nuptias lucrentur, hæc omnia ad imitationem eorum lucrorum,quę per mortem obueniunt, filijs conseruentur. Eodem obseruando & in his mulieribus, quæ dotem non dederunt, quatenus earum lasciuiam lata à nobis constitutio coercet.Neque differentiam constituimus, cuius culpa matrimonium diuortio dissolutum sit. Vtcunque enim se res habet, siue primæ nuptiæ diuortio solutæ sunt,siue etiam secundæ,licet tertiæ insecutæ non sint:nihilominus id lucrum,quod harum obtentu accesit, reseruetur earum nuptiarum filijs, ex quibus quique filij processerunt. *Propositæ regulæ exceptio prima uidetur esse: Nisi tertiæ nuptiæ nõ sint insecutæ.uerùm hæc exceptio reprobatur passim in uerbis iam propositis.*

*Secunda exceptio est: Nisi non mulier, sed uir nuptias iterauerit.Et hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:*Ex ipsa autem rerum consequentia, &c. *Tertia exceptio est: Nisi non ex dotis uel antenuptialis donationis causa, sed ex causa legati, uel alia simili à coniuge adquisierit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:*Reliqua certè,quæ pater materue,&c. *Quarta exceptio uidetur esse: Nisi non morte,sed diuortio matrimonium sit dissolutum.Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:*Quia uerò pro rationis continuitate & similitudine,&c.

IIII. *Regula,De bonis proprijs,quæ coniunx superstes ex nuptias iterans præter prædicta bona habet: item de donatione ante nuptias uiri, & dote mulieris. Hæc bona cui uelit parens potest relinquere,eoq; mortuo ad utriusque matrimonij liberos ex æquo pertinent. quæ regula approbatur l.cùm alijs.4.§.ad maternas. C. de secundis nuptijs.cuius uerba uide §.reg.prox.in princip. Concordat l.si liberis.18.C.de donationibus ante nuptias,his uerbis:* Si liberis ex priore matrimonio procreatis,pater ad secundas migrauerit nuptias: nihil omnino filijs prioris coniugij ex donatione ante nuptias, quã ipse uel alius pro ipso uxori quondã eius matri communium liberorum donauerat, seruare cogitur: quoniã & mater,liberis ex priore matrimonio extantibus, post secundas nuptias (multoque amplius,si non fuerit altero marito sociata) nihil ijsdẽ filijs ex dote quam patri eorum ipsa, uel alius pro ea obtulerit, seruare compellitur. *Concordat item Nouell.c.22.§.sed neque illud. ibi: propria quidem eius. cuius uerba uide paulò superius reg. prox. Concordat item l.2. in prin.C.de mortis causa donat.*

V. *Regula,De alienando secundo coniugi. Qui quæue nuptias iterat, posteriori coniugi antenuptialis donationis uel dotis nomine, uel alio modo, quantum uelit, potest alienare. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mulier intrà tempus luctus nuptias iterauerit. tunc enim non nisi tertiam bonorum suorum partem illi potest alienare. quæ exceptio approbatur l.1.in prin.C.de secundis nuptijs. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg.1. Secunda exceptio est: Nisi ex priore matrimonio superstint liberi. tunc enim parens, qui quæue nuptias iterat, secundo coniugi alienare amplius non potest, quàm uni ex filijs prioris matrimonij relinquit. quæ exceptio approbatur l.hac edicto.6.in prin.usque ad §.bis illud.C.de secundis nuptijs,hisce uerbis:* Hac edictali lege in perpetuum ualitura sancimus,si ex priore matrimonio procreatis liberis, pater uel mater ad secunda,uel tertia,aut ulterius repetiti matrimonij uota migrauerit: non sit ei licitum nouercæ, uel uitrico, testamento, uel sine scriptura, seu codicillis, hæreditatis iure, siue legati, siue fideicommissi titulo plus relinquere, nec dotis, nec ante nuptias donationis nomine, seu mortis causa habita donatione cõferre, nec inter uiuos conscribendis

bendis donationibus (quæ etsi cõstante matrimonio ciuili iure interdictæ sunt, morte tamen donatoris ex certis causis confirmari solent) quàm filio, uel filiæ, si unus uel una extiterit. Quòd si plures liberi fuerint,singulis æquas partes habẽtibus, minimè plus quàm ad unumquenq; eorum peruenerit, liceat ad eorum uitricum uel nouercã transferri. Si uerò non æquis portionibus ad eosdem liberos memoratis modis transierint facultates:tunc quoq; nõ liceat plus eorum nouercæ uel uitrico testamento relinquere, uel donare,seu dotis uel ante nuptias donationis titulo cõferre,quàm filius uel filia habet, cui minor portio ultima uoluntate derelicta uel data fuerit,aut donata:ita tamen, ut quarta pars, quæ ijsdem liberis debetur ex legibus,nullo modo minuatur:nisi ex ijs causis,quæ de inofficioso excludunt querelam. Quam obseruationem in personis etiam aui uel auiæ, proaui uel proauiæ, nepotum uel neptium,item pronepotum & proneptium, siue in potestate, siue emancipati emancipatæue sint, ex paterna uel materna linea uenientibus,custodiri censemus.Si uerò plus quàm statutum est,aliquid nouercæ uel uitrico relictum uel donatum fuerit: id quod plus relictum uel donatũ aut datum fuerit,tanquam non scriptum, neque derelictum uel donatum aut datum sit, ad personas deferri liberorum, & inter eas diuidi iubemus:omni circumscriptione,si qua per interpositam personam, uel alio quocunque modo fuerit excogitata, cessante. *Concordat Nouell.22.§.commodissimè. cuius uerba uide paulò inferius.*

VI. *Regula: Si quid amplius, quàm in superiore exceptione proxima statutum est, coniugi secundo relictum sit:id liberis relinquentis debetur. quæ regula approbatur uerbis iam propositis. Cuius exceptio prima hæc est: Nisi ingrati sint liberi.quæ exceptio approbatur l.ult.C.de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Cum apertissimè legibus caueatur, ingratos liberos à maiorum suorum hæreditate meritò esse repellendos, si hocidem in suis elogijs conscripserint, & reuera fuerit reuelatum: reclamare uidetur huiusmodi sanctioni dialis constitutio Leonis inclytæ recordationis, quam super filijs ex priore matrimonio procreatis conscripsit. Nam cum necessitas est patri uel matri, qui ad secunda uota migrauerit, tantum præstare per quamcunque causam secundo marito uel nouercæ,quantum filio uel filiæ ex anterioribus nuptijs progenitis,qui partem minimam habiturus est,reliquerit:maxima iniquitas ex hac sanctione contra genitores efficiebatur. Liberi etenim scientes, quòd omnimodo aliquid sibi à genitoribus suis & nolentibus relinquendum est, & quantum secundus maritus uel nouerca acceperit, cum omni licentia & lasciuia suos genitores iniurijs afficiebant. Quapropter sancimus,ingratos reuera liberos, neque hoc beneficium,quod dialis constitutio Leonis augustæ memoriæ eis præstitit,in posterum posse sibi uendicare,sed quasi ingratos ab omni huiusmodi lucro repelli. Quam obseruationem in personis etiam aui uel auiæ, proaui uel proauiæ, nepotum uel neptium, item pronepotum uel proneptium,siue in potestate,siue emancipati emancipatæue sint, ex materna uel paterna linea uenientibus, custodiri cẽsemus. Sed quemadmodum genitoribus prouidimus,ita & innocuã posteritatem affici nullis iniurijs patimur: ut non genitores, qui se secundis nuptijs deuouerint, irrationabile odium ad priores liberos forsitan habentes, sine iusta ratione eos ingratos uocare concedantur.Eos etenim liberos huiusmodi beneficio defraudari uolumus, qui reipsa ingrati circa suam antiquitatem ab hæredibus genitorum liquidis & indubitatis probationibus conuicti fuerint, ex huiusmodi casibus,qui antea priscis legibus enumerati sunt. *Concordat Nouell.c.22.§.commodissimè.ibi:hoc autem, his uerbis:* Hocipsum quod redundat, diuident hi tantummodo inter se, qui gratos se erga parentes exhibuerunt: non qui circa illos ingrati comprobantur,nempe tali aliquo ingratitudinis genere obnoxij, qualem leges requirunt.Tales enim ea quoque utilitate, quam exinde possent capere, priuamus: ne quando spe harum rerum adquirendarum ostentata,contra parentes insurgant,efferenturque,& naturæ leges uiolent. Nemini enim dubium est, quin hoc quoque casu, si quis eorum ad quos superfluum defertur, relictis filijs mortuus sit, eius defuncti filij (quotcunque sint) pro portione scilicet paterna id capiant. *Secundæ propositæ regulæ exceptio est:Nisi posterioris matrimonij sint liberi. quæ exceptio reprobatur l.quoniam.9.in prin.C.de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Quoniam præteritæ leges omnia quæ,liberis ex priore matrimonio procreatis, mulier quidem secundo marito, uir autem secundæ uxori dotis uel ante nuptias donationis nomine, uel alio quocunque modo dederit uel reliquerit, his ampliora, quæ uni filio uel filiæ ex anteriore matrimonio progenitis danda uel relinquenda sunt, reuocata ad solos filios uel filias ex anteriori matrimonio natos peruenire constituerunt,nullaq; in hac parte filiorum ex secundo matrimonio natorum mentio facta est: hoc quoque corrigentes, omnia quæ memorato modo reuocantur, non solùm ad filios prioris matrimonij,

fed etiam ad eos qui ex ſecundis nuptijs nati fuerint,pertinere,& in capita inter omnes diuidenda ſancimus. *Hæc conſtitutio mutatur, exceptióq; propoſita nouo iure approbatur, Nouell. c.22.§.commodißimè,his uerbis*: Commodißimè ſacratiſs. princeps Leo nobis conſideraſſe uidetur ea, quæ in ſecunda conferunt matrimonia hi qui ipſa contrahunt. Inquit enim: Siquidem parentes ex priore matrimonio ſuſceptos filios habeant,deinde in ſecũdum aut deinceps matrimonium concedant: ne poſsint neque patres in nouercam, neque matres in uitricum,uel per tempus uitæ ſuę quidquam liberalitatis conferre, uel ſub mortem relinquere,niſi intra eam quantitatem, quam unus filius filiaue, ſolus cum ſit, ex parente habet.Si plures filij ſint,& ſinguli æqualem cum cæteris portionem obtineant:ne amplius quàm ad unumquenque eorum peruenerit,uel uitricus uel nouerca percipiant. Si ea quæ relicta ſunt,inæqualia exiſtant: ut tantum ſolummodò ex quacunque parentis liberalitate uel in nouercam uel uitricum transferri neceſſe ſit, quantum ex illius ſubſtantia uel per ultimam uoluntatem relictum, uel in uita traditum percipit, qui ex filijs minimum habet: ut tamen omnino, quæ quarta olim fuit, hodie tertia aut dimidia ex lege noſtra pars filio relinquatur tradatúrue: niſi iterum ingratitudinis ratio aduerſetur. Eodem hoc obſeruando tam in auo & auia, proauo & proauia, quàm nepotibus maſculis & fœminis, & item pronepotibus, ſiue in poteſtate, ſiue emancipati emancipatæue ſint, ſiue ex patre na,ſiue materna linea deſcendant.Cumque hoc definiſſet, rectè intulit, ut quod ultra ſtatutum uel nouercæ uel uitrico ſiue relictum, ſiue denique datum eſſet,id quaſi neque ſcriptum,neque relictum, neque donatum,neque datum ſit, filijs competat,intérque eos ſolos pro uirili diuidatur. Nam ut & filij, qui ex ſecundo matrimonio procreati ſunt, in partem cum his uocentur,tametſi in quadam cõſtitutione ſcriptum eſt: non tamen hoc nobis tempore adlubeſcit, ſed primi matrimonij filijs,quorum etiam cauſa id reſeruatum eſt, ſolis detur,nulla machinatione uel per ſubditicias perſonas,uel aliam cauſam introducẽda. *Tertia propoſitæ regulæ exceptio eſt*: *Niſi cõputatione ad tempus mortis ipſius parentis collata, nihil amplius uitrico uel nouercæ quàm filio relictum reperiatur.quæ exceptio approbatur d.c.22.§.quoniam uerò, his uerbis*: Quoniam quæ uſque adhuc latæ ſunt leges, non diſcernunt, utrum quod redundat,ſpectari debeat oblationis, an ſoluti matrimonij tempore: præſtantiſsimum nobis uiſum eſt,parentis qui nuptias iterauit, mortis tempus obſeruari. Scribunt enim homines nonnum quam plura quàm poſsident,ſcribunt etiam pauciora,cum tamen ſuperuenientes fortunæ caſus plerunque contrarios operentur euentus. Quapropter ne quid erremus,illud tempus, quo qui nuptias repetijt,moritur, conſiderandum, & reſultans inde proportio ſumenda eſt:reiectisque in illam oculis,id quod ſtatutum tranſcendit, detrahere & aſſignare filijs conuenit: in omnibus talibus nõ oblatione aut ſcriptione,quo tempore cœpta ſit, ſpectanda, ſed inſpiciendo (ut uocant) effectu. *Quarta exceptio eſt*: *Niſi mortis cauſa donatio aut dos conſtante matrimonio rurſus deminuatur. Hæc exceptio reprobatur d. c. 22. §. quæ uerò, his uerbis*: Quæ dotium donationúmue ante nuptias augmenta ſimul & deminutiones concernunt,tametſi à pleriſque antiquis expoſita ſunt legibus,perfectius tamen à nobis elaborata ſunt, qui uel conſtantibus matrimonijs propter nuptias donationes non ſolùm augeri, ſed etiam ab initio conſtitui præcepimus: & quemadmodum augeri permiſimus, ita & deminui, ſi uelint hi qui in ius matrimonij conuenerunt, conceſsimus. Sed alterum illud (de deminutione loquimur) ſi ſecundæ contrahantur nuptiæ,non permittemus, ne Leonis pientiſsimi principis cõſtitutionem,cum ex priore matrimonio nati ſint liberi, in aliquo offendamus. Nam ſi parens immoderatam dotem aut donationem ante nuptias offerat,aut aliquid aliud largiatur:deinde intelligens quò tendat legis ſententia,ad minorem ſummam redigat id quod geſtum eſt, dotemque aut donationem ante nuptias deminuat:non amplius quod datum eſt,cedet in lucrum filijs,ſed licebit uitrico aut nouercæ id lucrari, cum interim iniuria afficiantur filij. *Leges concordantes uide ĩ.lib.prox.cap. 11.quæſt.4.reg.4.*

VII. *Regula:Mater ad ſecundas ueniens nuptias,liberorum tutelam gerere amplius non poteſt. de qua re dicetur ĩ.lib.17.cap.4.quæſt.2.except.21.replic.1. Plane pater nuptias iterans, non ideò minus negocia liberorum poteſt adminiſtrare. quæ exceptio approbatur l.generaliter.5. §.negocia. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ĩ.cap.prox.quæſt.2.reg.1.*

VIII. *Regula:Mater nuptias iterans amittit educationem liberorum.Quæ regula approbatur Nouel c.22. §.porrò & illud. cuius uerba uide ĩ.lib.18.cap.4.quæſtione 1.reg.2.*

IX. *Regula: Si intra annum luctus mulier nuptias iterauerit, ſit infamis, aliaſq; pœnas incurrit: de quibus uide ẽ.quæſt.prox.reg.1.Reliqui ſecundarum nuptiarum effectus ſuis annotati ſunt locis.*

DE

DE BONIS, QVAE CONiunx ſuperſtes, & nuptias iterans, à priore coniuge adquiſiuit. Cap. VI.

I. CAVSA, EX QVA DOMINIVM bonorum à priore coniuge adquiſitorum ad liberos ptioris matrimonij pertineat?

Si coniunx ſuperſtes nuptias iterauerit, dominium bonorum à priore coniuge adquiſitorum amittit, uſufructu tantùm retento,tranſitq; illud ad liberos prioris matrimonij.Proinde coniunx ſuperſtes ea nec alienare,nec obligare amplius alteri poteſt.quæ regula approbatur l.fœminæ.3.in prin.C.de ſecũdis nuptijs,hiſce uerbis: Fœminæ quæ ſuſceptis priore matrimonio filijs,ad ſecundas poſt tempus luctui ſtatutum tranſierint nuptias, quidquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium iure, quidquid etiam nuptiarum ſolennitate perceperint, aut quidquid mortis cauſa donationibus factis,aut teſtamento iure directo,aut fideicommiſi uel legati titulo,uel cuiuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis (ut dictum eſt) priorum maritorum fuerint aſſecutæ, id totum ita ut perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedente coniugio habuerint, tranſmittant: uel ad quemlibet ex filijs (dummodo ex his tantùm ſit,quos tali ſucceſsione digniſsimos iudicamus) in quem contemplatione merito rum liberalitatis ſuæ iudicium mater crediderit dirigendum. Nec quidquam eædem fœminæ ex ijſdem facultatibus alienãdum in quamlibet extraneam perſonam,uel ſucceſsionem ex alterius matrimonij coniunctione ſuſceptam, præſumant: atque habeant poteſtatem poſsidendi tantùm ac fruendi in diem uitæ, non etiam alienandi facultate conceſſa. Nam ſi quid ex ijſdem rebus in alium quemlibet fuerit ab ea tranſlatum, ex maternis redintegrabitur facultatibus: quò illibata ad hos,quos ſtatuimus,liberos bona & incorrupta perueniant. *Concordat l.generaliter.§.in prin.uſque ad §.negocia.C.eodem tt.his uerbis*: Generaliter cenſemus,quocunq; caſu conſtitutiones ante hanc legem mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio diſſoluto,quæ de bonis mariti ad eam deuoluta ſunt, ſeruare ſanxerũt: ijſdem caſibus maritum quoque,quę de bonis mulieris ad eum deuoluta ſunt, morte mulieris matrimonio diſſoluto, communibus liberis ſeruare. nec intereſt, ſi alter pro marito donationem ante nuptias, uel pro muliere dorem crediderit offerendam. Hoc obſeruari præcipimus,licet res ante nuptias donatæ (ut adſolet fieri) in dotem à mulie- re redigãtur. Dominium autem rerum,quæ liberis per huius legis uel præteritarum cõſtitutionum authoritatem ſeruantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo, qui eas liberis ſeruabat, extantes ab omni poſſeſſore liberi uindicabunt,conſumptas ab hæredibus eius exigent,qui eas ſeruare debuerant.Alienandi ſanè uel obligandi ſuo nomine eas res, quæ liberis ſeruari præceptæ ſunt, eis qui reſeruaturi ſunt, adempta licentia eſt. *Concordat item l.hæc edictali. 6.§.bis illud.C.eod.tt.cuius uerba uide ĩ.eod.cap.quæſt. 4.reg.1.Item concordat l.2.ibi:quorum omnium.C.de in dicta uiduitate. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.7. condit. 2.except.10. Concordat item Nouell.c.22.§.ſi uerò ſubſit proles,his uerbis*: Si ſubſit proles,& lex filios contemptim ea re habitos uideat,tunc omnis illi largitas,quæ à marito ad ipſam profecta eſt,proprietatis iure aufertur,ſolo uſufructu derelicto. Atque hæc ſanciantur tam in donatione ante nuptias,quàm omni largitate, ſiue ea uiuente adhuc marito, ſiue etiam ex teſtamento, ſiue mortis cauſa donatione ad ipſam peruenit,ſiue pars inſtitutionis ſit, ſiue legatum,ſiue fideicommiſſum.Et ut generaliter dicamus,in uniuerſum omnis eam proprietatis titulus deferet in ijs,quæ à priore ad ipſam uiro peruenerunt, & filij ea capient, eruntq; proprietatis domini ſtatim ab eo tempore, quo alteri ſe mater coniunxit. Eaque pœna tam marito quàm mulieri poſita eſto. Nam neq; ille,ſi filios habeat,altera ipſis uxore inducta,proprietatis titulo in dotalibus lucris perfruetur, aut alio largitatis genere ab uxore affectus ſtabiliter id obtinebit,dempto iure utendi fruendi quoad uixerit.Siquidem & eo caſu filij,quamuis ſub patria adhuc poteſtate conſtituti eſſent, nihilominus ſecundum proprietatem talium rerum domini exiſtent, nimirum ſtatim à ſecundæ uxoris copula ad ipſos tráſeuntium. Neque differentiam inter dotem & donationem ante nuptias conſtituimus, ipſi ne hanc pro ſe, cum nuptias contraherent, dederint,an pro ipſis alij hoc fecerint, ſiue genere proximi, ſiue extranei, quamuis & donatio ante nuptias quodammodò ſub dote comprehenſa eſſe uideatur. Inſuper quod de lucris ſancitum eſt,quæ per hanc cauſam ad eos qui nuptias contraxerunt,peruenire ſolent, uſqueadeò ratum eſto,& de talibus lata lex ita certa firmaque eis erit,cauens ut neque alienationem in talibus ullam parentibus permittat,neq; hypothecam. Quin etſi quid tale parentes agant,continuò eorum illis ſubſtantiam obligat: non quòd prohibeat, ne parentes ſuo in his arbitratu agant quæ uelint (pudet enim legem parentibus filios præficere tanquam caſtigatores & magiſtros)

gistros) sed pudore illos erga parentes suffundi uult, interminaturque his qui suscipiunt, quòd nullam ea res suscepta utilitatem ipsis allatura sit. Ac nouerint sanè per hanc quoque nostram legem, quòd siue eas res à parentibus comparauerint, siue per donationem acceperint, siue quidquam omnium egerint: id quod gestum est, perinde habebitur, ac si neq; factum, neque scriptum sit. Vindicabunt etenim omnino eas filij hæredésque eorũ & successores tam ab ipsis, quàm etiam hæredibus eorũ & successoribus, non aliter excludẽdi, quàm si triginta annorum spacium excesserit, & longi temporis possessio eos qui susceperant, dominos constituerit, incipiente eo tẽpore filijs currere, ex quo sui iuris esse aut facti uidebuntur: nisi fortè pupillaris adhuc ætas illis opituletur. *Hactenus proposita regula approbata est. cuius exceptio prima hæc est: Nisi parens superstes non iterauerit nuptias. quæ exceptio cum ex præcedentibus constat, tum approbatur etiam l. hac edictali. 6. §. fin. C. de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Si liberorum suorum affectione seruata, pater materue ad alias nuptias migrare noluerit: neque uir ijs quæ de bonis uxoris ad se transeunt, neque mulier rebus quæ ex substantia mariti ad se peruenerunt, pro suo arbitrio uti, uel eas uẽdere, aut quocunque iure uel modo alienare, uel pignoris iure seu hypothecæ, si uoluerint, obligare, utpote domini earum, prohibebuntur. extantes autem prædictas res, si non fuerint alienatæ siue consumptæ uel suppositę, licebit liberis uindicare, etiam non adeuntibus hæreditatem parentum. *Concordat l. si quis. 8. §. illud etiã. C. eod. tt. cuius uerba uide §. replic. 2. Concordat item Nouell. c. 22. §. soluto ergo, his uerbis:* Soluto per quascunque supradictas diuortiorũ species matrimonio, fœlix sanè & beatus uterque coniugum futurus est, si priore cubili contentus maneat, neque sequentibus matrimonijs progenitæ iam soboli tristitiam inferat. Ac si quidem hoc fecerint, & in prioribus nuptijs perstiterint, primùm obtinebunt sua, hoc est, mulier dotem, uir uerò donationem ante nuptias, neq; nobis tam anxiè & curiosè omnia perquirentibus, ut in secundis fieri solet nuptijs: deinde capient etiam lucra, maritus quidem quæ ex dote, uxor uerò quæ ex donatione ante nuptias proueniũt. Quoniam uerò mulieres, quæ ad secundas nuptias non perueniunt, quadam honoris prærogatiua præ alijs quæ nuptias iterant, dignas esse censemus: propterea sancimus, ut si qua marito amisso secundis abstineat nuptijs, ea non solùm habeat in donatione ante nuptias usumfructum, quemadmodum prius quoque sanximus, sed etiam proprietatis tantum, quantum cuique filiorum proportionis modus adsignat, ut & ipsa in ratione proprietatis unius filij personam sustinere uideatur. Atque hæc iubemus obtinere non tantùm in matribus, sed etiam in patribus & alijs ascendentibus uolumus, ad secundas nuptias non uenientibus. *Secunda replicatio est: Nisi parens superstes tandem etiam mortuus sit, supradictis rebus non alienatis. tunc enim dominium illarum rerum ad liberos communes pertinet. quæ replicatio approbatur l. generaliter. 5. §. fin. C. de secundis nuptijs, hisce uerbis:* Illud humanis sensibus huic legi credidimus inferendum, ut eo quoque casu, quo lucratur uel mulier res quæ ad eam à marito peruenit, uel maritus eas quæ ex bonis mulieris ad eum transeunt: hoc est, ubi primum matrimonium alterius morte dissoluitur, nec superstes ad secundas nuptias peruenit, si res uel maritus uel uxor, hoc est, qui superstes est, non consumpserit uel alienauerit (quod eis ad secundas nuptias non uenientibus, quasi rerum dominis concessum esse, non dubium est) liberis liceat res à patre profectas ut paternas, à matre ut maternas accipere. *Concordat l. hac edictali. 6. §. fin. C. eodem tt. cuius uerba uide §. ead. reg. in prin. Concordat item l. si quis. 8. §. illud etiam. C. eod. tt. his uerbis:* Illud certa sanctione definire censemus, ut si quis, uel si qua, ex alio matrimonio filijs procreatis, minimè ad secundas nuptias uenerit, eodem modo liceat quidem genitori res ex priore coniugio sibi adquisitas, quomodo uoluerit alienare uel administrare: si quæ uerò earum minimè sint alienatæ, possint liberi etiam non adeuntes paternam uel maternam hereditatem, eas uindicare. Cæterùm sancimus, quòd etiam illa decæterò uidebitur earundem fuisse rerum alienatio, quæ in testamento genitoris uel specialiter relinquendo, uel generaliter hæredem instituendo facta sit. *Concordat item Nouell. c. 22. §. si tamen cum filios. ibi: uisus est namque. cuius uerba uide §. duplic. 1. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi parens superstes testamento facto alios instituerit hæredes, uel res illas alij legauerit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Cæterùm sancimus, quòd etiam illa decæterò uidebitur earundem fuisse rerum alienatio, quæ in testamento genitoris, &c. *Concordat Nouell. c. 22. §. soluto uerò. ibi: sed etsi moriantur. cuius uerba uide paulò superius ead. except. in prin. Planè quod de hæredum institutione dicitur, illud mutatur ac tollitur d. c. 22. §. si tamen, cum filios, his uerbis:* Si tamen, cum filios ex una aliqua parte, extraneos ex altera hæredes scriberet, nondum eiusmodi res ad alienationem peruenerint: non uidebuntur propterea alienari, quòd & alius quispiam hæres adscriptus sit, sed inuiolatæ manebunt & hę apud filios. Neque enim, si omnes filios hæredes scribat, ex inæqualibus tamen portionibus statim hasce res pro portione hæreditaria capient, sed ex æquo inter se diuident pro uirili. Qua ratione etsi nullum ex ipsis hæredem scripserit, sed omnes extraneos, si per alios modos pro legitima eis satisfactum sit, capient hæc, tametsi inter parentis hæredes non existant. Visus est nanque per præsumptionem pater eo ipso, quòd nec cuius alienarit, aut specialiter harum rerum aliquid pignori obligauerit, neque moriens ad alium transtulerit, maluisse conseruare filijs, utpote per illos sibi adquisita, quàm ad extraneos deducere. *Secunda propositæ replicationis duplicatio hæc uidetur esse: Nisi filij defuncto parenti hæredes non existant. Hæc duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Qua ratione etsi nullum ex ipsis, &c. *Concordat item d. c. 22. §. & hæ res. cuius uerba uide §. dup. prox. Item concordat l. hac edictali. 6. §. fin. C. de secundis nuptijs. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Item concordat l. si quis. 8. §. illud etiam. C. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. replic. in prin. Planè admittitur duplicatio proposita in casu, qui proponitur d. l. 8. §. talem uerò, hisce uerbis:* Talem uerò licentiam filijs, ut etiam non adeuntes paternam uel maternam hæreditatem lucra uindicarent, quæ parens eorum ex matrimonio, quod secundo thoro minimè mutauit, sibi adquisita non alienauit, nullo modo eis concedimus, si paternam uel maternam hæreditatem ab intestato ex parte (si fortè alij etiam ex anteriore matrimonio morienti parenti filij sint) sibi adquisierint. *Hæc uerba quid sibi uelint, glossa dubitat, & ego non satis intelligo. Tertia duplicatio est: Nisi filij aduersus parentem fuerint ingrati. Quæ duplicatio approbatur Nouell. c. 22. §. & hæ res, his uerbis:* Et hæ res præcipui muneris loco ex nostra lege dabuntur filijs, tametsi patris uel matris uel utriusque hæreditatem nõ adeant: & tametsi quidam adeant hæreditatem, quidam repudient. Id enim rectius habere uisum est, quàm priora. Quapropter si muneris loco ad ipsos defertur lege, nullo id additamento conspurcetur deminaturue: nisi ipsi per se filij deminutionis causam præbeant. Si quis enim ex eis ingratus ostendatur, id munus cæteris damus, qui nihil tale peregerint: quò magis & alios eruditamus parentes honorare, & fratrum sibi exemplum imitandum proponere. Vnde si tanta calamitas in procreatione filiorum sit, ut omnes ingrati perhibeantur, ad defuncti hæredes ista perueniant, quasi in illius bonis existentia, nequeuntibus filijs à patre, quem debito honore non affecerunt, munus obtinere, quod nos illis ea de causa negamus. *Ait Imperator:* Id enim rectius habere uisum est, quàm priora. *Per hæc uerba uidetur notari ac tolli rursus d. §. talem uerò. Quarta duplicatio uidetur esse: Nisi ex alia, quàm ex dotis uel ante nuptias donationis causa, parens à coniuge suo sit lucratus. Hæc duplicatio reprobatur d. c. 22. §. & ideo legem nostram, his uerbis:* Volumus hæc ualere non super dote solùm, neque super sponsalitia largitate, sed etiam super indotatis matrimonijs, ex constitutione nostra introductis lucris. nam & illud, nisi ad secundas ueniant nuptias parentes, sed seruent, erit filiorum, quo dudum diximus modo. *Hæc de secunda replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Tertia replicatio est: Nisi repudio missio, non morte solutum sit matrimonium. quæ replicatio approbatur l. cõsensu. 8. §. si uerò filio. C. de repudijs. cuius uerba uide §. except. prox. Concordat l. ult. §. filijs autem. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 8. quæst. 2. reg. 5.*

Mutatio iuris.

Hactenus proposita exceptio approbata est simul & distincta. Planè mutatur exceptio proposita, ac reprobatur iure nouo Nouell. c. 98. ubi inter cætera pronuntur hæc uerba: Sancimus, si mulier moriatur, & eueniat lucrum fieri uiro, hanc dotem omnino seruare filijs, siue ad secundas uenīat nuptias, siue etiã nõ. Et ex diuerso, si mortuus fuerit uir, mulier autẽ antenuptiali donatione lucra proprijs filijs, usum quidem lucrorũ ex nuptijs apud eos constitutũ, proprietatẽ uerò eorũ filijs omnino seruãdam:

his quæ ſuis parentibus ad ſecundas ueni
entibus nuptias ſancita ſunt, in ſuo ordine
ſeruandis: & hoc ualere, matrimonijs quo-
cunque modo ſolutis, ab hodierna die & in
omne tempus quod ſequitur, & in his ma-
trimonijs quæ iam ſoluta ſunt quidem, ſiue
morte, ſiue quolibet alio modo, adhuc au-
tem pendente, eo quòd unus ſuperſtes ſit.
nam ſi ambo defuncti ſunt, hoc hæredibus
non damus, ſed tãquam ſimul terminatum
ueteribus relinquimus legibus. *Hiſce uerbis tollitur ac reprobatur quidem exceptio ſupradicta: ſed & conſtitutio hæc uidetur corrigi atq; mutari Nouell. c.127. tanquã poſteriore. §. quia uerò. cuius uerba uide ſ. ead. except. repl. 1. Hæc de prima exceptione ſint dicta.*

Secunda propoſitæ regulæ exceptio uidetur eſſe: Ni ſi non morte, ſed diuortio uel alio modo ſolutum ſit pri us matrimonium. Hæc exceptio reprobatur l. quoniam. 9. §. fin. C. de ſecundis nuptijs, hiſce uerbis: Lucra quę marito uel uxori ex dote uel ante nuptias donatione occaſione repudij accedunt, indiſtinctè poſt ſecundas eorum nuptias liberis ex priore coniugio procreatis, ad ſimilitudinem matrimonij morte diſſoluti, ſeruari, nec decæterò repudij cauſam requiri, uel aliam in ea re exquiſitionem fieri. *Concordat l. cõſenſu. 8. §. ſi uerò filio. C. de repudijs, hiſce uerbis:* Si filio uel filijs, filia uel filiabus extantibus, repudium miſſum eſt: omne, quidquid ex nuptijs lucratum eſt, filio ſeu filijs, filiæ ſeu filiabus poſt mortem accipientis ſeruari: id eſt, ſi pater temerè repudium miſerit, donationem ante nuptias à matre ſeruari: ſi mater, dotem ipſam eidem uel eiſdem filio ſeu filiæ, patre moriente, dimitti cenſemus: patri uidelicet uel matri in ſcribendis filijs hæredibus, ſi unum ſeu unam uel omnes ſcribere, uel uni ex his donare uelit, electione ſeruata, nec ullam alienandi ſeu ſupponendi memoratas res permittimus facultatem. Sed ſi aliquid ex eiſdem rebus defuerit, ab hæredibus ſeu earum detentatoribus (ſi tamen non ipſos hæredes ſcripſerit, aut ſcripti filij non adierint) reſarciri præcipimus: ut etiam hoc modo inconſulti animi ad repudium mittendum detrimento retrahantur. Pactiones ſanè, ſi quæ aduerſus præſentia ſcita noſtræ maieſtatis fuerint attentatę, tanquam legum contrarias, nullam habere uolumus firmitatem. *Concordat item l. ult. §. filijs autem. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. 8. quæſt. 2. reg. 5. Item concordat Nouell. c. 98. §. & ex diuerſo. ibi: & hoc ualere. cuius uerba uide ſ. except. prox. in fine. Tertia exceptio eſt: Niſi rebus à ſuperſtite alienatis, liberi prioris matrimonij illi hæredes extiterint: uel cum poſſent, exiſtere nolint. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Si tamen non ipſos hæredes ſcripſerit, aut ſcripti filij non adierint. *Quarta exceptio uidetur eſſe: Niſi non defunctus defunctaue, ſed pro eo eaue alius dotem donationemue, quam ſuperſtes lucratus eſt, dederit. Hæc exceptio reprobatur l. generaliter. 5. in prin. ibi: nec intereſt. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prin. Concordat Nouell. c. 22. §. ſi uerò ſubſit proles. ibi: neque differentiam. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prin. Quinta exceptio uidetur eſſe: Niſi dos, quam maritus ſuperſtes lucratus eſt, ex reb. ante nuptias ab ipſo donatis à defuncta ſit data. Et hæc exceptio reprobatur d. uerſ. nec intereſt, in fine. Sexta exceptio uidetur eſſe: Niſi ſuperſtes conſtante matrimonio dotem defunctæ reſtituerit. quæ exceptio reprobatur Nouell. c. 22. §. porrò autem dotes. ibi: etſi ad ſecundas. de quo ĩ. lib. prox. cap. 2. except. 36. Septima exceptio uidetur eſſe: Niſi non uxor, ſed maritus ſuperuixerit, iſq; nuptias iterauerit. Et hæc exceptio reprobatur l. generaliter. 5. in prin. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prin. Concordat Nouell. c. 2. §. quoniam uerò contra, his uerbis:* Quoniam contra binubos pœnæ communes & uiri ſunt & mulieris: ille quidem in dote ad ſecundas ueniens nuptias periculum ſuſtinebit, hæc autem in antenuptiali ſeu propter nuptias donatione. & hæc lex in utraque ſit poſita perſona. *Concordat item Nouell. c. 22. §. ſi uerò ſubſit proles. ibi: eaq; pœna. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prin. Octaua exceptio eſt: Niſi nulli ex priore matrimonio ſuperſint filij: uel qui ſupererant, mortui ſint. Hæc exceptio approbatur l. ſœminæ. 3. §. fin. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ſ. cap. prox. quæſt. 3. reg. 2. in prin. Concordat Nouell. c. 2. §. hoc autem quod. cuius uerba uide ĩ. except. 13. Item concordat Nouell. c. 22. §. ſi igitur ex priorib. cuius uerba uide ſ. cap. prox. quæſt. 2. reg. 1. in prin. Concordat item d. c. 22. §. quòd ſi mulier, his uerbis:* Si mulier ad ſecundum ſe matrimonium recipiat, prio res aſpernata nuptias: ſiquidem filios non habeat, abſque periculo futurum eſt, quidquid exinde geretur. *Concordat item d. c. 22. §. quoniam uerò alienationes, his uerbis:* Quoniam alienationes, quæ à parentibus in prædictis rebus fiunt, irritas declarauimus: conuenit, ut ſubtiliorem ei cauſæ ordinem imponamus. Siquidem enim omnes filij ſuperſtites ſint, qui ex prioribus procreati ſunt nuptijs, parensque illis præmoriatur: irrita omnino manebit obligatio, prout antè à nobis dictum eſt. Si uerò omnes moriantur, & cauſa rurſus ad orbitatem redigatur: tunc ex euentu ratũ erit quod alienatum fuit. quis enim id ipſum reuocet nõ ſuperſtitibus filijs, quibus etiam ſolis hoc ſeruabimus? *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi ex filijs mortuis ſuperſint nepotes. Hæc replicatio approbatur l. ſi quis. 8. in prin. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ĩ. quæſt. prox. reg. 2. Cõcordat Nouell. c. 22. §. quoniã uerò alienat. ibi: ſed iamdudum, his uerbis:* Sed iamdudum in hac ſpecie animum noſtrum ſubtilis quædã, multisq; curis exquiſita cogitatio ſubijt, & quę mediũ inter utrunq; caſum teneat.

teneat. Cum enim omnibus ſuperſtitibus exiſtentibus filijs, & prę moriente patre, nulla eis ex adquiſitis perceptiſque ab horum patre rebus relinquatur portio: cum item omnibus defunctis, totum ad ipſos reuerti uideatur: medium quiddam in ea re excogitare perſpeximus, ut ſi ex pluribus filijs unus moriatur, qui & ipſe filios habeat, ea hæreditas (id quod multoties diximus) ad illos deferatur: ſi filios non habeat, ne omnino totũ ad fratres eius perueniat: ſed quantum ex pacto non exiſtentium filiorum parenti acceſſiſſet, tantum & hic lucretur, reliquum uerò ad ſucceſſores filij peruenire ſinat, ſiue fratres ſint, ſiue fortè extranei: id quod maximè in matre ſolet accidere, ſiue de ſuo patrimonio teſtentur, ſiue inteſtati decedant. Atque hoc nos in noſtram deſcripſimus legem, anxiè perquirentes illud, & inuenientes primi, & clementer ſancientes. Vnde & ſi hoc caſu parens, priuſquam ad ſecundas demigret nuptias, alienauerit, deinde unus ex filijs moriatur, uſque eò tantùm cõualeſcit alienatio, quatenus ex pacto non exiſtentium filiorum ad eum qui alienauit, peruenit. Alioqui in reliquis partibus, quas filij hæredes capiunt, prorſus irrita erit. Qua propter ſi alienatio celebretur, manebit cauſa in pendenti, pòſt futuris cõmittenda fortunæ caſibus, alienatione ſcilicet uel perfectè ab initio ad irritum recidente, uel perfectè conualeſcente: uel partim ad irritum recidente, partim immobiliter conſiſtente. *Secunda propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi pactum de dote uel antenuptiali donatione reſtituenda in caſum non exiſtentium filiorum factum ſit. Hæc replicatio approbatur Nouell. c. 2. §. hoc autem quod. ibi: ſi uerò præmoriantur. cuius uerba uide ĩ. except. 13. Concordat item d. c. 2. §. proſpeximus, in fine. cuius uerba uide ĩ. quæſt. prox. reg. 1. Nona exceptio eſt: Niſi uno ex filijs mortuo, parens ſuperſtes illi pro parte ſucceſſerit. tunc enim pro ea parte recipit dominium, & conualeſcit alienatio ab eo facta. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Si filios non habeat, ne omnino totum ad fratres eius perueniat: ſed quantum ex pacto non exiſtentium filiorum parenti acceſſiſſet, tantũ & hic lucretur, &c. *Concordat Nouell. c. 2. §. hoc autem quod, in fine. cuius uerba uide ĩ. except. 13. Decima exceptio uidetur eſſe: Niſi liberi prioris matrimonij parentis præmortui hæredes non exiſtant. Hæc exceptio reprobatur l. generaliter. 5. §. in his autem. C. de ſecundis nuptijs, hiſce uerbis:* In his caſibus, in quibus res ut paternas mater liberis communibus ſeruare præcepta eſt: hoc eſt, ubi morte mariti matrimonio diſſoluto, mulier ad alias nuptias peruenerit: uel ubi res ut maternas patrem communibus liberis ſeruare cẽſuimus: hoc eſt, ubi morte mulieris matrimonio diſſolũto, uir ad alias nuptias uenerit: ſi hæreditatem eius parentis, qui prior mortuus eſt, nõ adierint liberi, licebit eis, tanquam eius tantùm res fuerint, qui poſterior moritur, eas ſi bimet uindicare, ſcilicet ſi eius qui poſterior moritur, hæreditatem crediderint adeundam: ne quod fauore liberorum inductum eſt, quibuſdam caſibus ad læſionem eorum uideatur inuentum. *Concordat Nouell. c. 22. §. ac ne de illis, hiſce uerbis:* Ne de illis quidem lucris, quæ filij capiunt, parentibus ad ſecundas accedentibus nuptias, curioſius perſcrutamur, utrum omnes hæreditatem uel præmortui parentis, uel ſecundi defuncti agnoſcant: an partim agnoſcant, partim non: ſed (uti prædiximus) muneris loco illis adſignamus. Id que ex æquo capient tam ſuperſtites, quàm cum ipſis defuncti fratris filij, genitoris ſui partem percipientes: uttamen ubique tali filio (quemadmodum & antea diximus) ad eiuſmodi lucrum ingratitudo obſtaculum pariat. Neque enim leges contra ingratos perlatas præuaricamur: cùm ea re & parentibus honorem conciliemus, & filios adducamus ad colendam pietatem. quemadmodum enim electione parentibus interdiximus, & talia munera filijs ex æquo adſignamus, ita ingratitudinis uicium probare non poſſumus. Manifeſtum uerò eſt, eum ingratum intelligi debere, qui circa utrunque parentem, aut certè eum qui poſterior mortuus ſit, apertè ingratus fuiſſe demonſtretur. *Concordant itẽ propoſitæ exceptioni reprobatæ ea quæ propoſita ſunt ſ. except. 1. repl. 2. dupl. 2. Vndecima exceptio eſt: Niſi filij prioris matrimonij aduerſus parẽtem ſuperſtitem fuerint ingrati. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Vttamen ubique tali filio (quemadmodũ & antea diximus) ad eiuſmodi lucrũ ingratitudo obſtaculum pariat, &c. *Concordant ea quæ propoſita ſunt ſ. d. replic. 2. dupl. 3. Duodecima exceptio eſt: Niſi liberi prioris matrimonij in poteſtate ſint parentis nuptias itẽrantis. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 22. §. ſi uerò ſubſit proles. ibi: ſiquidem & eo caſu. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prin. Decimatertia exceptio uidetur eſſe: Niſi parens, antequam ſecũdas iniret nuptias, res prædictas alienauit. quæ exceptio reprobatur Nouell. c. 2. §. hoc autem quod, his uerbis:* Si non filio fortè, ſed alicui extraneo mater adhuc ſecundas non experta nuptias, partem quandam antenuptialis donationis, aut aliquã rem ex ea uel totã donet, aut per aliũ fortè alienet modũ, deinde ad maritũ ueniat ſecundum: palàm eſt, quia ſuperuenientibus ſecundis nuptijs alienatio euacuatur, nec hoc omnibus modis, ſed in ſuſpenſo & alienatio & euacuatio maneat. Nam ſi manſerint ſuperſtites filij, euacuabitur omnino quod factum eſt, lege proprietatem antenuptialis donationis ad filios

ad filios deducente, & non respiciente mulierem, si quid egerit in læsionem filiorum. Si uerò præmoriantur matri omnes filij, erit contractus firmus non in totum, sed secundum pactum non existentiũ filiorum (quod nos introduximus primi, & statuimus, nuper de hoc scribentes legem) secundũ quandam quidem partem erit cõtractus firmus, secundum quandam uerò infirmus apparebit: hoc est, secũdum hoc quidem quod permanet apud matrem occasione pacti filiorum non existentium, ualebit: secundum hoc uerò quod transmittitur ad filij successores, infirmus erit: & si mater sola filio succedens ueniat, omnis contractus rursus firmus erit. *Concordat Nouell.c.22.§.quoniam uerò alienationes.ibi:unde etsi hoc casu.cuius uerba uide §.excepit.8.* *Decimaquarta exceptio est:Nisi rebus alienatis,uindicanti obstet triginta annorum præscriptio.Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur Nouell.c.22. §.si uerò subsit proles, in fine. cuius uerba uide §. eod. cap.in prin.* *Decimaquinta exceptio uidetur esse: Nisi res mobiles sint à priore coniuge adquisitæ.* Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proponentur j. quæst.4. reg.1. Hactenus igitur,an dominium bonorum,à priore coniuge adquisitorum, ad liberos prioris matrimonij propter secundas nuptias pertineat, definitum est: nunc ad quos liberos pertineat, dicendum.

II. AD QVOS LIBEROS Bona à priore coniuge superstiti adquisita pertineant?

I. *Regula*, De eo solo quem parens superstes elegerit, *proponitur l.fœminæ.3.in prin.ibi:uel ad quemlibet. C.de secundis nuptijs. cuius uerba uide §.quæst.prox. in prin. Concordat l.generaliter.5.§.negocia.C.eod.tt.his uerbis*: Negocia liberorum patri utiliter administrare concedimus: diuidendi quoque res inter eos liberos ipsis parẽtibus pro suo arbitrio, uel eligendi quem uoluerint licentiam non denegamus. *Concordat l.in quibus.7. in fine.C.eod.tt.cuius uerba uide j.reg.prox. Item concordat l.consensu.8. §.si uerò filio.ibi:patri uidelicet. C. de repudijs. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 2. Planè mutatur ac tollitur regula proposita Nouell.c.2. §.proßeximus,his uerbis*: Sancimus, matre semel ad secundas nuptias ueniente, usum moxtantummodò antenuptialis donationis (filiorum proprietate manente) eius fieri, & nullam esse licentiam matri alios quidem filiorum eligere, alios autẽ exhonorare: quoniam omnibus simul secundis nuptijs fecit iniuriam. Quapropter & in præsenti proprietas antenuptialis donationis tota ad filiam ueniet, usu apud matrem, donec uiuet, seruando. Et secundum nostram constitutionem, siquidem mater præmoriatur, filiæ tota antenuptialis donatio competit: si uerò filia, manet quidẽ apud matrem lucrum ex pacto non existẽtium filiorum, reliquum uerò erit filię, & moriens hoc transmittet ad suos hæredes, qui ex lege uocantur. *Concordat Nouell. c.22. §.perueniens, his uerbis*: Perueniens id genus lucra ad omnes omnino filios, qui ex prioribus procreati sunt nuptijs. Neque enim parentibus potestatem facimus, ut improbato more introductæ erga eos electionis indicium de se præbeant, & alij quidem ex filijs dent, alium uerò aspernentur: ex æquo enim omnes ignominia secundis affecti sunt nuptijs. Sed cum omnium ex æquo filiorum hæreditates capessant parentes, non autem huic quidem succedant, illi uerò non: quare nõ item & ipsi pari omnes affectu (quantũ ad hanc rem pertinet) complectantur, sed alios eligant, alios despiciãt? Vnde pro portione quisque tale lucretur, & si filios habeat, ad ipsos hoc transmittat: hique ipsi, tametsi pro personarum id numero, quotcunq; sint, inter se diuident, non tamen patris sui partem transcendent.

II. *Regula:Si unus ex filijs prioris matrimonij mortuus sit,filijs ex se relictis, portio eius non fratribus accrescit, sed filijs eius debetur. quæ regula approbatur l. in quibus.7.C.de secundis nuptijs,hisce uerbis*:In quibus casibus pater dotem, mater ante nuptias donationem, uel alias res ad se ex altera parte deuolutas, filijs utriusque sexus seruare præcepti sunt: si quem ex filijs uel filiabus ante patris uel matris obitum mori contigerit (siue ante secundas nuptias, siue postea) filio uel filia, uel nepote aut nepte, uel pluribus, uel patre suo adhuc uiuo, uel matre superstite, derelictis: portionem quę defuncto filio uel filiæ debebatur, uel lucrum ex ea, non ad fratres uel sorores mortui, sed ad filios eius uel filias, uel nepotes utriusque sexus, aut pronepotes, auis uel proauis superstitibus, peruenire decernimus: eligendi uidelicet quos uoluerint ex liberis superstitibus non adempta licentia. *Concordat l.si quis. 8.in prin.C.eod.tt.his uerbis*: Si quis prioris matrimonij filiorum ante secũdas nuptias patris uel matris mortuus fuerit, filijs à se uel nepotibus relictis: partẽ eius non ad fratres, uel si nullus alius frater uel soror sit, ad patrẽ uel ad matrem eius peruenire, sed ad filios, uel nepotes, uel pronepotes eiusdem mortuæ personæ, sancimus: ut siue unus, siue plures sint, eam tantummodò partẽ uindicare possit, quæ mortuo cõpetijt. *Concordat item l.quæcunq; res.4. §.eo uidelicet obseruando. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide j.lib.16. cap.2. quæst.4. reg.11. Item cõcordat Nouell.c.22.§.quoniam uerò alienat. ibi: ut si ex pluribus.cuius uerba uide §.quæst.prox.except. 8.repl.1. Itẽ concordat d.c.22.§.ac ne de illis.ibi:idq; ex æquo.cuius uerba uide §.q.prox.except.10. Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi filij uel nepotes patris sui hæredes*

hæredes non existant. quæ exceptio approbatur d.c.22. §.si uerò ex filijs,hisce uerbis: Si ex filijs quidam in uiuis sint, quidam mortem obierint, filiosque & ipsi reliquerint: damus illius partem defuncti filijs, si modò patris sui hæredi tatem agnouerint: alioqui ad ipsius fratres deducimus.

III. *Regula, De liberis ingratis, proponitur §. quæstione prox.except.11.*

III. QVID ET QVANTVM AD liberos prioris matrimonij pertineat?

I. *Regula, De omni re quam superstes coniunx à defuncto ex quacunque causa est lucratus, proponitur l. fœminæ.3.in prin. C.de secundis nuptijs. cuius uerba uide §.quæst.1.in prin. Exemplum huius proponitur l.iubemus.11.§.si uerò sine culpa.C.de repudijs.cuius uerba j.cap.8.quæst.2.reg.5.proponentur. Huius regulæ exceptio est, quoad usumfructum earum rerum, quas superstes à defuncto adquisiuit. hunc enim sibi retinet, quãuis nuptias iterauerit:ut ex supradictis patet. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi mulier intra tempus luctus nuptias iterauerit. de quo uide §.cap. prox.quæst.2.reg.1. Altera replicatio est:Nisi defunctus superstiti bonorum usumfructum reliquerit. quæ replicatio approbatur l.unica. C.si secundò nupserit mulier, his uerbis*: Si usumfructum maritus rerum suarum decedens uxori reliquerit, eaque in secundas nuptias consortium q; conuenerit: usumfructum, quem ex priore marito consecuta fuerit, amittat: atq; eum filijs ex eo die, quo nupserit, maturè restituat. Quòd si liberos ex priore matrimonio adhuc imbecillitas habebit infantiæ, nec muniat eos tutoris auxilium, ac per huiusmodi occasionem mater, quæ relicta fuerant, usurpauerit: omnia cum legitimè repetuntur, cum competentibus fructibus, ad liquidum deducta ratione, restituat. Et hæc de usufructu, quem uir extrema constituens uoluntate de rebus proprijs uxori reliquerit. De usufructu uerò rerum ante nuptias donatarũ, ea seruari, quæ anteriores constitutiones decreuerunt, sancimus. *Hæc lex mutatur,& replicatio proposita reprobatur Nouell.c.22.§.item si rerum,his uerbis*: Si rerum tantummodò suarum usumfructum in extrema uoluntate det uel maritus uxori, uel uxor marito: uetus quidem lex dicebat, si in secundas nuptias uel pater uel mater conuenissent, ut statim relictum usumfructum amitterent, quemadmodum prius amittebant proprietatem, & extemplò filijs eum restituerent. Si autem filij intra pubertatem adhuc essent, etiam cum fructibus medij temporis. Atque hæc sanè eius legis erat sententia: nobis autem non perinde placuit. Sed uolumus, ut siue usufructus per largitatem detur, uel mortis causa donatione celebrata, uel etiam in uita (quatenus tamẽ donare licet) siue relinquatur, & is qui eum accepit, ad secundas transeat nuptias: manet nihilominus sic quoq; usufructus apud eum qui detinet, quousque superstes erit: nisi is qui eam donationem (ut dictum est) fecit, aut hunc reliquit, siue masculus, siue fœmina, expressis uerbis declaret, se uelle, ut si ad secundas demigret nuptias qui usumfructum accepit, extinguatur, & ad proprietatem suam reuertatur. Sed hæc quidem de his dicimus, quæ per causam largitatis offeruntur. Cæterùm si usufructus rerum in dotem aut donationem ante nuptias datus sit, nihil penitus innouamus, sed obtineat quæ iam antè legibus sunt expressa, maneatque apud eos qui susceperunt, quoadusque uixerint, etsi plus millies defuncti in contrarium aliquid uoluerint. Neque enim ratione aliqua lucrum, quod publico legis beneficio cõfertur, auferre homo priuatus potest. *Tertia propositæ exceptionis replicatio uidetur esse:Nisi defunctus noluerit superstitem, si nuptias iterauerit, usumfructum habere. quæ replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Etsi plus millies defuncti in contrarium aliquid uoluerint, &c.

II. *Regula: Uno ex filijs defuncto,filijs ex se relictis, illi filij non nisi patris sui portionem adquirunt. de qua re uide §. quæst.prox.reg 2.*

IIII. EVENTVS PROPOSITAE adquisitionis.

I. *Regula, De cautione à superstite præstãda, res post mortem suam prioris matrimonij filijs restituturo uir, proponitur l.hac edictali.6.§.his illud. C.de secundis nuptijs, his uerbis*: Sancimus, ut mulier in his cautis, in quibus ante nuptias donationes, cæteras etiam res à marito ad se deuolutas, secũdum priorum legum statuta liberis communibus ut paternas seruare compellitur: hoc est, ubi morte mariti matrimonio dissoluto, ad alias nuptias uenerit: immobilium rerum, & mancipiorum, annonarum quoque ciuilium usufructu duntaxat uitæ suæ temporibus potiatur, alienatione earum penitus interdicta. Mobilium uerò rerũ, iustis precijs æstimatione habita per eos quos utraque pars elegerit arbitros iudicaturos interposito sacramento, simili modo usumfructum habeat, si idoneam fideiussionem præbuerit, quòd easdem res mobiles uel earum precium filijs & filiabus, ex eodẽ matrimonio procreatis, uel post mortem eorum nepotibus & neptibus ex ijsdem liberis procreatis, siue omnibus uel uno unaue superstite mori contigerit, secundum modum legum restituat: uel certè, si fideiussiones idoneas præstare distulerit aut nequiuerit, prædictæ res mobiles, nondũ matri à liberis traditæ, apud eosdem manebunt: solutæ uerò eidem

eidem matri,uel ab ea detentæ,restituentur liberis:si tamen ab his fideiusſio idonea matri fuerit oblata,qua cauere debent, quòd eidem ſuperſtiti pro uſufructu earundem rerum mobilium,uel precio quo taxatæ ſunt, uſurarum nomine centeſimæ partem tertiam annuis quibuſque temporibus præſtare non differant: ita ut in eadem fideiuſſione hoc quoque caueatur, quòd à filijs filiabúſque, uel ex his progenitis liberis (ſi ante eandem matrem omnes eos obire contigerit) omnes res mobiles prædictæ ſecundum legum moderationem matri,ut ad eandem luctuoſum lucrum redeat,reſtituentur. Erit itaq; licitum utrilibet parti, quæ fideiuſsionem præbuerit, ſi ſibi commodum eſſe perſpexerit,his rebus mobilibus uti frui,eaſdéque dare mutuò, uel obligare, uel uendere, ut ex his maximè liberi adquirétes poſsint materno affectui ſine ſuo incommodo deſeruire.Sin autem utraq; pars prædictam fideiuſsionem diſsimulauerit,aut fortè offerre nequiuerit:eædem res apud mulierem uſque in diem uitæ ſuæ manebunt. Omnibus uidelicet ijſdem maritalibus facultatibus, his etiam quas habet habituraúe eſt,tanquã ſi iure pignoris uel hypothecæ ſuppoſitæ ſint ſuper eadem ante nuptias donatione, uel rebus alijs ad eam ex mariti ſubſtantia deuolutis,ex eo die,quo eędem res ad eam peruenerunt,liberis obligatis:ut ſi quis poſt traditas matri, uel detentas ab ea res (ſi ita contingat) cõtractum aliquem cum eadem muliere inierit, quæ ſe repetitis nuptijs copulauerit, in uindicandis ijſdem ſuppoſitis rebus poſteriores habeantur: liberis qui ex eodem matrimonio procreati ſunt,& nepotibus neptibusque,qui ex ijſdem liberis geniti ſunt,ſine dubio præponendis. *Concordat Nouell.c.2.§.aliud uerò,uſq; ad §.illud quoq;, his uerbis*: Aliud quiddam occaſione ſecundò nubentium mulierum & antenuptialis donationis adijcere prioribus,bene ſe habere credidimus. Priſcis nanque conſtitutionibus præbentibus electionem mulieri,quæ ad ſecunda uota deſcendit,ſi uellet accipere ante nuptias donationem, ſecundũ quod ei permittunt pacta,& exponere filijs cautionem, quia moriens hæc reſtitueret: ſiue cum non ualeret dare cautionem,aut nollet fortè,manerent quidem res antenuptialis donationis apud filios,ſoluerent autem ei etiam tertiam partem centeſimæ uſuræ:nos ex quæſtionum emergentium uarietate moti (quoniã inuenimus minores in hoc periculum patientes, antenuptiali donatione in pecunijs exiſtente, & alios quidem aurum non habẽtes,coactos autem omnia paterna uendere, quatenus exolueretur antenuptialis donationis debitum, ad eos utique ſecundum legem antenuptiali donatione ueniente) propterea iudicamus, oportere hunc dare ordinem cauſę,ut ſi quis contulerit res ſecundum antenuptialem donationem, ſiquidem omnes immobiles ſint,maneat harum uſus apud matrẽ, & ipſa eum colligat, & nõ reſpuat, neq; exigat filios pro harum æſtimatione uſuras:ſed & diligentiã earum habeat, ſicut lex iubet uſu quidem exiſtentes dominos,& cuſtodiat eas ſecundum leges antiquas filijs ſuperſtitibus: aut ſi omnes moriantur, ſecundum noſtram legem ueterem caſu quidem non exiſtentium filiorum matri,reliquum uerò filiorum hæredibus conſeruetur. Si autẽ omnis antenuptialis donatio in pecunijs fortè uel alijs mobilibus rebus cõſtat,tertiam uſurarum partem percipientem matrẽ cum cautione iam deſinita non exigere à filijs aurũ: niſi fortè idonea ſit uiri ſubſtantia, & habeat aurum & argentum & ueſtem, & quidquid cõſcriptum fuit matri. tunc enim electionem matri dabimus,ſiue uoluerit res percipere,& præbere cautionem,ſiue iſtam quam diximus uſuram accipere, & ſecundum priores leges & noſtram.Si uerò permixtæ ſint res,& donatio ante nuptias aliud quidem in pecunijs, aliud uerò in immobilib.habeat rebus: immobilia quidem modis omnibus manere apud matrem, ut alimentum habeat inde. Porrò de mobilibus hæc ualere, quæ ſanciuimus prius, ſi omnia antenuptialis donationis eſſent in rebus mobilibus conſiſtentia. *Concordat item Nouell.c.22.§.quoniam uerò pauló antea,uſq; ad §.ex hoc alius,his uerbis*: Quoniam paulò antea de rerum conſeruatione locuti ſumus,nouimus etiam Leonis pientiſs.principis conſtitutionem de ſecundis agentem nuptijs,ſiquidem ad eas progreſſa fideiuſſoriam cautionem præſtare nequiuerit, res ſcilicet ſe liberis reſtituturam, ut trientes uſuras percipiat: nos rem ipſam multò pulchrius ordinauimus, conueniente ſubdiuiſione illius conſtituti (quantum ad hoc attinet)inducta. Et ſancimus (id quod & antè à nobis in quadam conſtitutione dictum eſt)ſi quis in donationem ante nuptias res conferat, quæ omnes immobiles exiſtant, ut harum rerum uſusfructus apud matrem ad ſecundas digreſſam nuptias maneat, & ipſa eum colligat,neque recuſet, neque exigat à filijs pro earum rerum ęſtimatione uſuras,ſed cum illarum gerat, in quantum lex permittit uſufructuarijs,cuſtodiatq; eas ſecundum leges ſuperſtitibus filijs: aut ſi omnes deceſſerint, ſecundum noſtram legem caſu quidem non exiſtentium filiorum matri, reliquo uerò filiorum hęredibus conſeruando.

Si uerò

Si uerò uniuerſa ante nuptias donatio in numerata pecunia uel alijs mobilibus rebus conſiſtat,ne mater trientes uſuras cum cautione legibus iam expreſſa percipiens, aurũ à filijs exigat: niſi fortè mariti ſubſtãtia omnium rerum cõpia abundet,& aurum,argentum,ueſtem, quidquid denique matri tranſcriptum fuit,habeat.tunc enim electionem dabimus matri,utrum res capere,& fideiuſſoriam cautionem præbere, an ſecundum priores leges & noſtram, prædictas uſuras (nempe trientes)uelit percipere.At ſi permiſtæ res ſint, & donatio partim numeratam pecuniam, partim immobiles res habeat: immobilia quidem omnino apud matrem reſideant, ut inde alimentum habeat: in mobilibus uerò eadem obtineant, quæ prius lege ſanximus,cum omnes res donationis ante nuptias in mobilibus conſiſtunt:diligenter proſpiciente muliere, ne quid per negligentiam in rebus immobilibus admittat, & deteriores eas faciat: ſed quales accepit,tales & reſtituat. *Hæc de prima regula.*

II. *Regula*: *Res ſuperſtitis pro iſtis rebus, quarum uſumfructum habet,tacitè pignori ſunt obligatæ prioris matrimonij liberis. quæ regula approbatur l. hac edictali.6.§.omnibus.C.de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide §.reg.prox.in prin. Concordat l.ſi quis.8.§.in illo.C. eod.tt. his uerbis*: In illo ueterem ſanctionem adimplentes, præcipimus,exemplo matris, cuius res poſt ſecũdas nuptias filijs ex priore matrimonio natis ſuppoſitæ ſunt ad conſeruanda eis lucra, quæ ex priore matrimonio ad eam pertinerunt:patris quoque bona, quæ habet habiturusq; eſt,filijs ex priore matrimonio natis poſt ſecundas eius nuptias ad ea conſeruanda, quæ ex eorum matre lucratus eſt,ſuppoſita eſſe.Illius etiam patris,qui in ſua poteſtate talem liberum uel liberos habens, maternam eis ſubſtantiã, uel ex materna linea ad eos deuolutam,ſeruare compellitur: bona ijſdem liberis ſuppoſita eſſe ad conſeruandas eaſdem maternas res, decernimus: ita tamen, ut occaſione talium hypothecarum neque patris, neque matris adminiſtrationem filij ualeant perſcrutari, uel aliquam eis mouere ſuper hoc quæſtionem:cum perſpicui ſit iuris,etiamſi alienata fuerint eorum bona,quę extra memorata lucra uel maternas res ſunt,ius hypothecæ integrum ijſdẽ manere filijs. *Plura de hac re uide §.lib.16.cap.2.quæſt.4.reg.1.*

DE IVRE INTER MARITUM & uxorem, conſtante matrimonio. Cap. VII.

HActenus de iure matrimonij contrahendi,eiuſq; effectibus dictum eſt: nunc de iure matrimonij contracti dicetur.

I. *Regula*, *De matrimonio probando, proponitur §. lib.cod.cap.4.exceptt.6.repl.5.item except.13.item §.lib. 16.cap.4.quæſt.3.cauſa 5.*

II. *Regula*, *De iure dotis & antenuptialis donationis,proponetur §.lib.proꝟ.*

III. *Regula*, *De paraphernis, hoc eſt,ijs quæ mulier extra dotem in domum mariti intulit. Quid iuris in hiſce maritus habeat, & quæ actio horum nomine competat matrimonio ſoluto, definitur l.ſi ego.9. §. dotis autem,uſq; ad finem legis.ff.de iure dotium,his uerbis*: Dotis cauſa data accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Cæterùm ſi res dentur in ea, quæ Græci παραφερνα dicunt,quæque Galli peculium appellant:uideamus,an ſtatim efficiantur mariti? Et putem,ſi ſic dentur ut fiant, effici mariti: & cum diſtractũ fuerit matrimonium, hõ uindicari oportere, ſed condici,nec dotis actione peti, ut diuus Marcus Imp.noſter cum patre reſcripſit. Planè ſi rerum libellus marito detur, ut Romæ nullõ fieri uidemus (nam mulier res,quas ſolet in uſu habere in domo mariti, neq; in dotem dat,in libellum ſolet conferre,eumque libellum marito offerre,ut is ſubſcribat,quaſi res acceperit: & uelut chirographum eius uxor retinet, res quæ libellõ continentur, in domum eius ſe intuliſſe) hæ igitur res an mariti fiant, uideamus. Et non puto: non quòd ei non tradantur.quid enim intereſt,inferantur uolente eo in domum eius,an ei tradantur?ſed quia non putem hoc agi inter uirum & uxorem,ut dominium ad eum transferatur: ſed magis,ut certum ſit in domum eius illata,ne ſi quandoque ſeparatio fiat,uitiẽtur. Et quia plerunque cuſtodiam earũ maritus repromittit,niſi mulieri commiſſæ ſint: uidebimus, harum rerum nomine (ſi non reddantur) utrum rerum amotarum,an depoſiti,an mandati mulier agere poſsit? Et ſi cuſtodia marito committitur, depoſiti uel mandati agi poterit: ſi minus, agetur rerum amotarum, ſi animo amouendi maritus retineat: aut ad exhibendum, ſi non amouere eas adnixus ſit. *Ex uerbis iam propoſitis patet,maritum regulariter in bonis paraphernalibus dominium non habere, nec quidquam aliud iuris, præterquam ut cuſtodiam eorum præſtet. Cui concordat l.hac lege.8. C.de pactis conuentis tam ſuper dote, his uerbis*: Hac lege decernimus, ut uir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Græci Paraphernа dicunt, nullam uxore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei neceſsitatem imponat. Quãuis enim bonum erat, mulierem, quæ ſeipſam marito committit, res etiam eiuſdem pari arbitrio gubernari: attamen quoniam conditores legum æquitatis conuenit eſſe fautores, nullo modo (ut dictum eſt) mulière prohibente uirum in paraphernis ſe uolumus immi-

ee ſcere.

scere. *Concordat item l.ult.C.eod.tt.his uerbis*: Si mulier marito suo nomina, id est, fœneraticias cautiones, quæ extra dotem sunt, dederit, ut loco paraphernarum apud maritum maneant, & hoc dotali instrumento fuerit adscriptum: utrum'ne habeat aliquas ex his actiones maritus, siue directas, siue utiles: an penes uxorem omnes remaneant, & in quem euentũ marito dandæ sint actiones, quærebatur. Sancimus itaque, si quid tale euenerit, actiones quidem omnimodò apud uxorem manere, licentiam autẽ marito dari easdem actiones mouere apud competentes iudices, nulla ratihabitione ab eo exigenda: & usuras quidem eorum circa se & uxorem dependere: pecunias autẽ sortis, quas exegerit, seruare mulieri, uel in causas, ad quas ipsa uoluerit, distribuere. Et si quidem in dotali instrumento hypothecæ pro his nominatim à marito scriptæ sunt: his esse mulierem ad cautelam suam contentam. Sin autem minimè hoc scriptum inueniatur: ex præsenti nostra lege habeat hypothecam contra res mariti, ex quo pecunias ille exegit. Antè enim habet ipsa mulier facultatem (si uoluerit) siue per maritum, siue per alias personas, easdem mouere actiones, & suas pecunias percipere, & ipsas cautiones à marito recipere, securitate ei competente facienda. Dum autem apud maritum remanent cædem cautiones, & dolum & diligentiam maritus circa eas præstare debet, qualem & circa suas res habere inueniturne ex eius malignitate uel desidia aliqua mulieri accedat iactura. Quod si euenerit, ipse eam de proprio resarcire compellitur. *Concordat item l.de his.17. C. de donat.inter uir.& uxor. cuius uerba uide ĵ. lib.35. cap.9. quæst.4. reg.1. except.7.*

IIII. *Regula*: Donatio *inter uirũ & uxorem* regulariter prohibita est. *de qua re uide d.lib.35. cap.8.& 9.*

V. *Regula proponitur l. aduersus.4. C. de crimine expilatæ hæred.his uerbis*: Vxor socia rei humanæ atque diuinæ domus suscipitur. *Concordat l.1. ibi: quia societas. ff.rerum amotarum, his uerbis*: Societas uitæ uxorẽ quodammodò dominam rerum mariti facit. *Ait iurisconsultus*: Quodammodò. *Nec enim iura societatis & dominij uxori in rebus mariti reuera competunt.*

VI. *Regula*: Onera matrimonij *ad maritum eiusq; patrem pertinent. approbatur l.si is.56. §.post mortem. ff.de iure dotium, his uerbis*: Post mortẽ patris statim onera matrimonij filium sequuntur, sicut liberi, sicut uxor. *Concordat l.quamuis.75. in fine.ff.eod.tt.his uerbis*: Matrimonij onera maritus sustinet.

VII. *Regula, De alenda uxore à marito, eiusq; ualetudine curanda, proponitur l.si cum dotem.22. §.si autem in fœniß. ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Si in sæuissimo furore mulierem constituta, dirimere maritus quidem matrimonium callidi-
tate non uult, spernit autem infœlicitatem uxoris, & non ad eã flectitur, nullamq; competentem curam inferre manifestissimum est, sed abutitur dote: tunc licentiam habeat uel curator furiosæ, uel cognati, adire iudicem competentem, quatenus necessitas imponatur marito, omnem tali mulieri sustentationem sufferre, & alimenta præstare, & medicina ei succurrere, & nihil prætermittere, quorum maritum uxori adferre decet, secundum dotis quantitatem. Si uerò dotem ita eum dissipare manifestum est, ut hominem non frugi: oportet dotẽ tunc sequestrari, quatenus ex ea mulier competẽs habeat solatium unà cum sua familia: pactis uidelicet dotalibus, quæ inter eos ab initio nuptiarum inita fuerunt, in suo statu durantibus, & alterius expectantibus sanitatẽ, aut mortis euentum.

VIII. *Regula*: *Maritus fortuitis casibus uxoris particeps esset debet: & contrà uxor mariti. quæ regula approbatur d.l.22. §.si maritus. ibi: quid enim, his uerbis*: Quid tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse?

IX. *Regula, De non uerberanda uxore, proponitur Nouell.c.117. §.si quis uerò uxorem, his uerbis*: Si quis uxorem suam flagellis aut fustibus uerberauerit, absq; aliqua earum causarũ, quas ad soluendum cum mulieribus matrimonium sufficere iusimus: licet matrimonium exinde dissolui nolimus: maritus tamen, quẽ absq; tali causa uxorẽ suam flagellis aut fustibus uerberasse comprobatur, tantum pro ea contumelia mulieri ex reliqua sua substantia uel constante matrimonio præstato, quantum efficit tertia donationis ante nuptias pars.

X. *Regula, De iudicio de moribus inter uirum & uxorem sublato, proponitur l.ult. §.fin. C.de repudijs. cuius uerba uide ĵ.cap.prox.quæst.2.except.6.*

XI. *Regula*: *Furti actio inter maritum & uxorem non competit, sed pro ea actio rerum amotarum. de qua ĵ.lib.47.cap.5. tractabitur.*

XII. *Regula, De uxore petenda ab alio detenta, proponitur l.2.ff.de liberis exhibendis, hisce uerbis*: De uxore exhibenda ac deducẽda pater etiam, qui filiam in potestate habet, à marito rectè conuenitur. *Concordat l.si inuita.11. C.de nuptijs, hisce uerbis*: Si inuita detinetur uxor tua à parentibus suis: interpellatus rector prouinciæ, amicus noster, exhibita muliere, uoluntatem eius secutus desiderio tuo medebitur. *Concordat item l.si ad instar.3. C. de liberis exhibendis, hisce uerbis*: Si ad instar interdicti de exhibenda filia Philippi eum conueniendum putaueris, rector aditus prouinciæ suã uobis accommodabit

commodabit notionem. *Adfine huius remedium proponitur l.diuus.8. ff.de diuortijs, hisce uerbis*: Diuus Hadrianus eum, qui alienam uxorẽ ex itinere domum suam duxisset, & inde marito eius repudium misisset, in triennium relegauit.

XIII. *Regula*: *De dignitate alijsq; priuilegijs, quæ mulieri ex uiro accedunt, dictum s. lib.2.cap.5.q.1.reg. 34. item lib.5.cap.2.q.1.except.16.*

XIIII. *Regula*: *De lugendo maritum defunctum ab uxore, dictum suprà cap.5.quæst.2.reg.1.*

XV. *Regula, De funeris impensa mortua uxore à marito soluẽda, proponitur l.si filiafam.66.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Si filiafamiliâs nupta decesserit, & pater funus ei fecerit: tametsi ei dotẽ post aliquod tempus gener reddere deberet: tamen continuò socer agendo cõsequẽtur, ut impensam funeris præsentẽ recipiat. Cætera dotis statuto tempore soluãtur. *Hæc de iure matrimonij contracti atque constantis: nunc iura matrimonij dissoluendi exponenda.*

DE SOLVTIONE MAtrimonij. Cap. VIII.

I. CAVSAE EX QVIBVS matrimonium soluitur.

ENumerãtur *huiusmodi causæ l.1.ff.de diuortijs, hisce uerbis*: Dirimitur matrimoniũ diuortio, morte, captiuitate, uel alia cõtingẽte seruitute. *De singulis hisce causis ordine dicetur.*

I. *Causa*: *Prima ac præcipua causa, ex qua soluitur matrimonium, est mors alterutrius, uel uiri uel uxoris. quæ causa approbatur uerbis iam propositis hisce*: Dirimitur matrimonium morte. *Concordat Nouell.c.22.§.quod autem super, his uerbis*: Nuptiarum finem etiam mors, quæ ex æquo omnia soluit, excipit.

II. *Causa est, Captiuitas alterutrius. quæ causa itidem approbatur d.l.1. Cui concordat Nouell.c.22.§.sed & captiuitas, his uerbis*: Sed & captiuitas eius generis est, ut quodammodo matrimonium dissoluat. Nam siue marito id infortunium accidat, manente uxore in ciuitate: siue cum uxor in ius captiuitatis peruenit, maritus in ciuitate permaneat: exquisita quidem & subtilis ratio distrahit matrimonium. semel enim seruitute alteri superueniente, conditionis inæqualitas æqualitatem, quæ in nuptijs spectatur, permanere non patitur. *Concordat item Nouell.c.117.§.prædictis. ibi: uel aliquanto. cuius uerba uide ĵ.quæst.2. reg.3. except.1. Concordat item l.in bello.12.§.medio tempore, in fine.ff.de captiuis, his uerbis*: Captiui uxor, tametsi maximè uelit, & in domo eius sit, non tamen in matrimonio est. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi certũ sit, captiuum adhuc uiuere. quæ exceptio approbatur d.§.sed & captiuitas, his uerbis*: Nos tamẽ humanius talia contemplantes, donec certum est superesse uel maritum uel uxorem, pro nõ solutis matrimonia haberi sinimus: neq; ad alias migrabunt nuptias uel mariti uel uxores, nisi petulanter id egisse uideri uelint, & in pœnas incidere: ille quidẽ exactionis donationis ante nuptias, hęc uerò dotis. *Concordat l.uxores.6.ff.de diuortijs, hisce uerbis*: Vxores eorum qui in hostiũ potestatẽ pertenerunt, possunt uideri nuptarum locũ retinere eo solo, quòd alij temerè nubere non possunt. Et generaliter definiendum est, donec certũ est, maritũ uiuere in captiuitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum ad aliud migrare matrimoniũ: nisi malint ipsæ mulieres causam repudij præstare. *Secunda propositæ causæ exceptio est*: *Nisi cum incertum sit, utrum captiuus uiuat, an mortuus sit, quinquennium non excesserit. Hæc exceptio approbatur d.l.6.§. sin autem, his uerbis*: Si in incerto est, an uiuus apud hostes teneatur, uel morte præuentus sit: tunc si quinquennium à tempore captiuitatis excesserit, licentiã habeat mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia dissolutum uideatur pristinum matrimonium, & unusquisque suũ ius habeat imminutum: eodem iure & in marito degente in ciuitate, & uxore captiua obseruando. *Concordat d.§.sed & captiuitas. ibi: si uerò incertũ, his uerbis*: Si uerò incertũ existat, utrũ persona, quæ in hostiũ peruenit potestatẽ, supersit nec ne, tunc quinquennium expectandum tam mariti quàm uxori: post quod, siue certa siue incerta mors eius sit, impunè licebit nuptias contrahere. Et hæc sanè species inter eas solutiones, quæ appellantur bona gratia, à maioribus nostris connumerata est. Sed & nos in hoc consentimus, ut isto modo separatis inter se personis diuortio locus non sit, & neq; maritus hoc casu dotem, neq; uxor donationem ante nuptias lucretur, sed pro se quisq; suum ius retineat. *Plura de causa proposita uide ĵ.eod.cap.quæst.2.except.5.*

III. *Causa est, Seruitus alterutri contingens. quæ causa approbatur l.1.ff.de diuortijs. cuius uerba uide ĵ. eod.cap.in prin. Concordat Nouell.c.22.§.quòd si iudicis, hisce uerbis*: Si iudicis sententia libertinum, uel libertinam, uel eorum filios ex supplicio in seruitutem redigat: tametsi initio matrimonium constitit, postea tamen emergens seruitus inuicem eos disiungit, quasi morte insecuta: siquidem maiores nostri superuenientem seruitutem ne tantillum quidẽ distare dicut à morte. Vnde in hac specie suum quisque recipiat: pactum uerò de morte ingenuis tantùm adquiratur, reliquo ad illum perueniente, qui seruus pœnæ factus est.

IIII. *Causa est, Deportatio, uel aquæ & ignis interdictio alterutrius. quæ causa reprobatur l.1.C.de repudijs, hisce uerbis*: Matrimonium quidem deportatione, uel aquæ & ignis interdictione

non ſoluitur, ſi caſus, in quem maritus incidit, non mutet uxoris affectionem. Ideoque dotis actio ipſo iure non competit: ſed indotatam eam eſſe, cuius laudandum propoſitum eſt, nec ratio æquitatis, nec exempla permittunt. *Concordat l.at ſi.5.ff.de bonis damnatorum.cuius uerba uide §.lib.3.cap.13.quæſt.5.reg.4.Concordat item Nouell.c.22.§.deportatio, his uerbis*: Deportatio tamen, aut uetus illa, in cuius locum ſucceſsit, aquæ & ignis interdictio (ut leges noſtræ appellant) matrimonia non diſſoluit. Quod ipſum quia & ſacratiſſimo pridem Conſtantino nonnihil in ſe habere humanitatis uiſum eſt, & à nobis quoque ſuſceptum eſt: eapropter neque huic applicatur legi. Vnde nec quos ea res effectus habeat, cum in ſuo maneat ordine, dicendum eſt.

V. *Cauſa uidetur eſſe, Pœna metalli. uerùm hæc cauſa reprobatur Nouell.c.22.§.illud etiam, his uerbis*: Illud quod per legum ſeueritatem prius introductum fuit, nos clementi quadam indulgentia abrogamus. Si quis enim (uel uir, uel mulier) iudicis ſententia in metallũ dari iuſſus erat, quale hodie eſſe ſolet in Proconneſo, & (ut uocant) Gypſo, ſecundum ueterum quidem placita ex ſupplicio infereba tur ſeruitus, diſſoluebaturque matrimoniũ, pœna detinente condemnatũ ſeruitutis iure ſibi deuinctum. Nos autem id remittimus, neque quenquã, qui modò ante id tempus uſque ingenuus extiterit, pœnæ ſeruum fieri patimur. Neque enim noſtrum fuerit, liberorum conditionem in ſeruilem commutare ſtatum: qui etiam, ut detentos in ſeruitute ad libertatem reducamus, damus operã. Maneat igitur hoc caſu matrimonium, nihil ex huiuſmodi ſentẽtia læſionis ſentiens, utpote quod inter liberas perſonas conſtitit.

VI. *Cauſa eſt, Diuortium. quæ cauſa approbatur l.1. ff.de diuortijs. cuius uerba uide §.eod.cap.in prin. Concordat l.neq;.14..C.de nuptijs. cuius uerba uide §.cap.4. except.6. Huius cauſæ etymologia proponitur l.2. in princ.ff.eod.tt.his uerbis*: Diuortium uel à diuerſitate mentium dictum eſt, uel quia in diuerſas partes eunt qui diſtrahunt matrimoniũ. *Concordat l.inter.191. in fine. ff. de uerb.ſignif. Sed & differentia inter diuortium & repudium proponitur d.l.191.his uerbis*: Inter diuortium & repudium hoc intereſt, quòd repudiari etiam futurum matrimonium poteſt: non rectè autem ſponſa diuertiſſe dicitur: quando diuortium ex eo dictum eſt, quòd in diuerſas partes eunt qui diſcedunt. *Concordat huic differentiæ l. inter ſtuprum.101.§.diuortium.ff.eod.tt.his uerbis*: Diuortium inter uirum & uxorem fieri dicitur: repudium uerò ſponſæ remitti uidetur, quod & in uxoris perſonam non abſurdè cadit. *Cauſas ex quibus diuerti licet, & effectus ſi illicitè diuertatur coniunx, uide paulò inferius quæſt.prox.reg.3. cum ſequentibus. Planè cauſæ ſeu regulæ propoſitæ exceptio prima hæc eſt: Niſi furioſus uel furioſa diuerterit. Hæc exceptio approbatur l.iul.4. ff.de diuortijs, hiſce uerbis*: Iulianus lib.XVII. Digeſtorũ quæritur, an furioſa repudium mittere uel repudiari poſsit? Et ſcribit, furioſam repudiari poſſe: quia ignorantis loco habeatur. repudiare autem non poſſe, neq; ipſam propter dementiam, neq; curatorem eius. patrẽ tamen nunc ium mittere poſſe. quod non tractaret de repudio, niſi conſtaret, poſſe & cũ furioſa retineri matrimoniũ. quæ ſententia mihi uidetur uera. *Concordat l.ſi cum dotem.22.§.ſi maritus. ff. ſoluto matrim. cuius uerba uide §.quæſt.prox. regula 3. except.4. Secunda exceptio eſt: Niſi furioſo furioſæue repudium mittatur. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Et ſcribit, furioſam repudiari poſſe: quia ignorantis loco habeatur. *Tertia exceptio eſt: Niſi non ipſe maritus uel uxor, ſed eius pater materue repudiũ miſerit. Hæc exceptio approbatur l.diſſent.5.C.de repudijs, hiſce uerbis*: Diſſentientis patris, qui initio conſenſit matrimonio, cũ marito concordante uxore filiafamiliâs, uoluntatem ratam nõ haberi, diuus Marcus pater noſter religioſiſsimus Imp. conſtituit: niſi magna & iuſta cauſa interueniente hoc pater fecerit. Inuitam autem ad maritum redire nulla iuris præcepit conſtitutio. Emancipatæ uerò filiæ pater diuortiũ in arbitrio ſuo nõ habet. *Concordat l.filiæ.4.C.eod.tt.his uerbis*: Filiæ diuortiũ in poteſtate matris nõ eſt. *Cõcordat Nouell.c.22.§.præterea aũt, in fine. cuius uerba uide §.quæſt.prox.reg.3.except.12. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi magna & iuſta cauſa interuenerit. quæ replicatio approbatur uerbis iã propoſitis hiſce*: Niſi magna & iuſta cauſa interueniente hoc pater fecerit. *Secunda replicatio eſt: Niſi pater furioſi furioſa ũe repudium miſerit. quæ replicatio approbatur l.ſi cum dotem.22. §. item pater. ff.ſoluto matrim. his uerbis*: Pater furioſæ utiliter intendere, ſibi filiæue ſuæ reddi dotem, poteſt. quãuis enim furioſa nuncium mittere non poteſt, patrẽ eius tamen poſſe certũ eſt. *Concordat l.Iulianus.4.. ibi: patrem tamen. ff.de diuortijs. cuius uerba uide paulò ſuperius except.1. Quarta exceptio eſt: Niſi parens, in cuius eſt poteſtate, repudio non conſentiat. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.22.§.præterea autem. cuius uerba uide §.q.prox.reg.3.except.12. Quinta exceptio eſt: Niſi non miſſo repudio diuerterit. Hæc exceptio approbatur l. conſenſu.8. in prin.C.de repudijs. cuius uerba uide §.quæſt.2.reg.3.except.6. Declaratur hæc exceptio l.2.§.in repudijs. ff.de diuortijs, hiſce uerbis*: In repudijs & renunciationibus cõprobata ſunt hæc uerba: Res tuas tibi habeto. Itẽ hæc: Tuas res tibi agito. *Sexta exceptio uidetur: Niſi libellus repudij marito traditus uel cognitus non ſit. Hæc exceptio reprobatur l.licet.6. C.d.tt.his uerbis*: Licet repudij libellus non fuit traditus

traditus uel cognitus marito, diſſoluitur matrimonium. *Septima exceptio eſt: Niſi non præſenti, ſed abſenti renuncietur. Hæc exceptio reprobatur l.2.in fine.ff.de diuortijs, his uerbis*: Siue ipſi præſenti renuncietur, ſiue abſenti, per eum qui in poteſtate eius ſit, cuiusũe is eaſue in poteſtate ſit, nihil intereſt. *Octaua exceptio eſt: Niſi nõ ſeptem teſtibus interuenientibus renũciatum ſit. Hæc exceptio approbatur l.nullũ.9.ff.d.tt.his uerbis*: Nullum diuortium ratum eſt, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum eius qui diuortium facier. Et libertum accipimus etiam eum, qui à patrẽ, auo, proauo & cæteris ſurſum uerſum manumiſſus ſit.

VII. *Cauſa: De diutina mariti abſentia, & reliquis huiuſmodi cauſis, uide §.quæſt.prox.reg.3.*

II. EVENTVS SOLVTI MATRIMONII, & pœnæ iniuſti diuortij.

Superest ultimum matrimonij tempus, ſcilicet matrimonij diſſoluti: cuius euentus hic exponendi.

I. *Regula: Soluto matrimonio dos repetitur, & antenuptialis donatio. de quo §.lib.prox.*

II. *Regula: An & quando ſoluto matrimonio nuptiæ ſint iterandæ, dictum §.cap.5.*

III. *Regula: Regulariter qui quæue diuortium facit, & repudiũ mittit, amittit dotem & antenuptialem donationem, aliasq; ſuſtinet pœnas: de quibus infrà dicetur partim reg.prox.partim etiam lib.prox.cap.6. Huius autem regulæ exceptiones plures ſunt, quarum aliæ ſumuntur ex cauſa ob quam repudium miſit, aliæ ex aliis circumſtantijs. Ex cauſa uerò ex qua & ob quam repudium mittitur, exceptiones deſumptæ ſunt hæ.*

I. *Exceptio: Niſi ob religioſam uitam cœlibatum affectans repudium miſerit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.22.§.diſſoluuntur, uſq; ad §.per cauſam, his uerbis*: Diſſoluuntur matrimonia, dum qui contraxerunt adhuc uiuunt, partim conſentiente utraque parte, de quibus nihil hic dicendum eſt, pactis cauſam, ſicut utrique placuit, gubernantibus: partim rationabili quodã prætextu, quod quidem & bona gratia uocatur, partim abſque ulla cauſa, partim rationabili de cauſa. Irreprehenſibili quidem prætextu: ut cùm altera pars ad meliora affectans uiam, & in cœlibatu uitam traducere inſtituens, ſanctimonialem cõuerſationem capeſſat. Nam hoc caſu alia quædam lex noſtra dicit, tam uiro quàm mulieri ad meliora migranti, ſoluẽdi matrimonij ſimul & diuerrẽdi poteſtatem eſſe: prius tamen breui aliquo deſertę parti ſolatio derelicto. Quidquid enim contrahentes pacti ſunt, ut poſt mortem alterius lucro cederet, id ab altera obtinere debet pars deſerta, ſiue uir ſiue mulier exiſtat, propterea quòd & iſte (quãtum ad coniugem) mori uideatur, cum alterum uitæ iter pro altero capeſsit. *Ait Imp.* Alia quædam lex noſtra dicit. *Hæc lex non habetur, ſed eius quoque mentio ſit l.deo nobis auxilium.42. in prin. ibi: nam & maritis. C.de epiſcopis & clericis. cuius uerba uide §.lib.10.cap.3.reg.5.except.3. Concordat item l. uitricus.60. in fin. ff.de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide §.lib.35.cap.8.except.11.in prin. item concordat Nouell.c.117.§.prædictis, hiſce uerbis*: Prædictis cauſis uiſum nobis eſt nominatim & haſce apponere; ex quibus matrimonia diſſoluere uel citra pœnam licet: hoc eſt, tam quę ad eas pertinẽt perſonas, quę nẽ initio quidem matrimonij rem cum ſuis habere uxoribus, & à natura uitiis attributa perficere potuerint: quàm inſuper quæ uel illas, quæ cõſtante adhuc matrimonio religioſam uitam & conuerſationem monaſticam delegerint, ſiue uir ſiue mulier, uel aliquanto tempore in captiuitate detentas perſonas concernit. In his enim tribus caſibus ea, quę prioribus noſtris legibus de his comprehenſa ſunt, firma eſſe ſancimus. *Concordat item Nouell.c.123.§.quod ſi conſtante, his uerbis*: Si conſtante adhuc matrimonio uel maritus ſolus, uel uxor ſola monaſterium ingrediatur: diſſoluitor matrimonium uel ſine libello repudij, ſimulatque tamen perſona, quę monaſterium ingreditur, monaſticum habitum ſuſceperit. Et quidem ſi maritus, &c. *Reliqua uerba uide §.lib.10.cap.3. reg.5.except.3.*

II. Exceptio: *Niſi uiris à natura attributa maritus perficere nequeat, & ob id repudium ſit miſſum. Hæc exceptio approbatur l.in cauſis.10. C.de repudijs, hiſce uerbis*: In cauſis iamdudum ſpecialiter definitis, ex quibus rectè mittuntur repudia, illam addimus, ut ſi maritus uxori ab initio matrimonij uſq; ad duos continuos annos computandos coire minimè propter naturalem imbecillitatem ualeat, poſsit mulier uel eius parentes ſine periculo dotis amittendæ repudium marito mittere: ita tamen, ut ante nuptias donatio eidem marito ſeruetur. *Concordat l.uitricus.60.cum ll.ſequentibus. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide §. lib. 35. cap.8.except.11.in prin. Concordat Nouell.c.22.§.per cauſam, his uerbis*: Per cauſam neceſſariam neque ratione carentem diſſoluetur matrimonium, ſi quis cum uxore concumbere, & uiris à natura attributa perficere nequeat, ſed ſecundum legem antè à nobis ea de re conſcriptam, à tempore nuptiarum biennij exceſſerit, cum ille, quòd reipſa uir ſit, non oſtendat. In manu enim eſt mulieri aut eius parentibus diſiungere matrimonium, & libellum mittere repudij, tametſi cõiunx hoc recuſet. Atque eo caſu dos quidem (ſi modò ulla omninò dos data eſt) mulierem ſequetur, reſtituenda à marito, ſiquidem eam fortè percepit: donatio uerò propter nupti-

as aut ante nuptias residebit apud maritũ, nihil in rebus suis dispendij patientem. Atqui hanc legem breui quadam adiectione corrigemus: non enim biennium solùm à copulationis tempore, sed triennium numerari uolumus. Siquidem ex euẽtis medij temporis edocti sumus, plerosque longiore spacio quàm per biennium nihil potuisse, postea procreandorum etiam liberorum ministerio idoneos habitos. *Concordat item Nouell. c.117.§.prædictis. cuius uerba uide §.except.prox.*

III. Exceptio: *Nisi ob senectutem uel malam ualetudinem alterius repudium mittatur. Hæc exceptio approbatur d. l. 60. cum legibus sequentibus. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ĵ. lib.35. cap.8. except. 11. in prin.* Planè *iure nouo exceptio proposita cum alijs quæ sequuntur, reprobatur Nouell.const.117. §.omnes igitur, his uerbis:* Omnes prædictas causas, quæ præsenti nostra continentur lege, solas competere ad legitimorum matrimoniorum solutionem iubemus: omnes uerò alias uacare, neque ullam aliam, nisi nominatim huic inserta sit legi, legitimum matrimonium dissoluere posse præcipimus, siue nostris, siue uetustioribus comprehendatur legibus.

IIII. Exceptio: *Nisi ob furorem alteri contingentem repudium missum sit. Hæc exceptio reprobatur l. patre furioso.8.§.nam furiosus. ff. de his qui sui uel alieni iuris sunt, his uerbis:* Furiosus licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. *Concordat l.oratione.16. §.fin.ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide §.cap.3.except.50. Item concordat l. si cum dotem.22. §.si maritus. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Si maritus uel uxor constante matrimonio furere cœperit, quid faciendum sit, tractemus. Sed illud quidem dubio procul obseruatur, eam personam quæ furore detenta est (quia sensum non habet) nuncium remittere non posse. An autem illa repudianda sit, considerandum est. Et siquidem interuallum furor habet, uel perpetuus quidem morbus est, ferendus tamen his qui circa eam sunt: tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium: sciente ea persona, quæ cum compos mentis est, ita furenti (quemadmodum diximus) nuncium miserit, culpa sua nuptias esse diremptas. Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum uel uxorem uiri participem esse? Si autem tantus furor est, ita ferox, ita pernicios us, ut sanitati nulla spes supersit, ita circa ministros terribilis, & forsitan altera persona uelit uel propter sæuitiam furoris, uel quia liberos non habet, procreandæ sobolis cupidine tenta dirimere: licentia erit compoti mentis personæ furenti nuncium mittere, ut nullius culpa uideatur esse matrimonium dissolutum, neq; in damnum alterutra pars incidat. *Hisce uerbis postremis quamuis exceptio proposita in uehementi & nimio furore adprobetur, tamen & hoc casu per ius nouum reprobatur, ex ijs quæ dicta sunt §.except. prox. in fin. Concordat item l. Iulianus.4. in fin. ff. de diuortijs. cuius uerba uide §.causa 6.except.1.*

V. Exceptio: *Nisi maritus uel uxor diu absit, ut de uita eius dubitetur. Hæc exceptio approbatur l. uxor. 7. C. de repudijs, hisce uerbis:* Vxor quæ in militiã profecto marito, post interuentum annorum quatuor, nullum sospitatis eius potuit habere indicium, atque ideo de nuptijs alterius cogitauit, nec tamẽ antè nupsit, quàm libello ducem super hoc suo uoto conuenit: non uidetur nuptias inijsse furtiuas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pœnæ esse obnoxiam, quæ post tam magni temporis iugitatem non temerè, nec clanculò, sed publicè contestatione deposita nupsisse firmatur. Ideoque obseruandum est, ut si adulterij suspicio nulla sit, nec coniunctio furtiua detegitur, nullum periculum ab his, quorum coniugio erant copulatæ, uereatur: cum si conscientia maritalis thori furtim esset uiolata, disciplinæ ratio pœnam congruam flagitaret. *Concordat l. uel senectutem.61. ibi: aut militiam. ff. de donation. inter uirum & uxorem. cuius uerba uide ĵ. lib.35. cap.8. except. 11. in princip. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi *certum sit, absentem adhuc uiuere. quæ replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt §.eod.cap. causa 2. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi per decem annos absens, sæpius per literas uel per nunciũ ab uxore interpellatus, ei uel renunciauerit matrimonium, uel nihil omnino renunciauerit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur Nouell. c. 22. §.nouimus autem. cuius uerba uide ĵ.replic.prox. Sed & reprobatur duplicatio hæc iure nouo, Nouell.c.117.§.cæterùm id quod. cuius uerba uide item paulò inferius. Secunda replicatio est: Nisi decennium à tempore absentiæ non excesserit. Hæc replicatio approbatur iure nouo d.§.nouimus autem, his uerbis:* Nouimus huius nostræ fœliciss imæ ciuitatis conditorem (diuæ memoriæ dicimus Constantinum) scripsisse legem, secundum quam si quis in expeditione fuerit, & tacuerit ad uxorem per quadriennium, & nullum ei fiat ab illo signum eius circa eam affectus, tunc licentia sit mulieri ad secundas nuptias ueniendi, offerenti prius militiæ principi libellum, & hoc ipsum testificanti: & si hoc fiat, inculpabiliter mulier ad uirum alterũ transiet, & non damnificabitur quidem in dote, non tamen antenuptialẽ donationem lucrabitur. Hoc itaque sacratiss imus Constantinus. Vehementer autem nobis immaturè habere illa cõstitutio uidetur. actibus enim bellicis occupato marito uxoris priuationẽ inferre, nõ minor est pœna, quàm ab hostib. capi.

capi. Ideoque non prius ueniat ad uirum secundum huiusmodi mulier, quã legislator iste proposuit, quàm etiam decennij transeat tempus: & hęc importuna quidem sit mittentes literas, aut per aliquos uerbis utens ad eum: ille uerò aut apertè renuat nuptias eius, aut absolutè conticeat: tunc quoque libellum offerat aut gloriosissimo magistro militum, aut spectabili duci, aut clarissimo tribuno, sub quibus ipse est miles. tunc enim licentiam damus & preces porrigere Imperatori, & inde hoc promereri. Sciat autem, quia si citra hoc aliquid egerit, tanquam temerariè nubens, legitimis pœnis subiacebit.

Mutatio iuris.

Planè *iure nouissimo exceptio proposita reprobatur, sub hac tamen conditione: Nisi mulier audiens de morte mariti absentis, percontata fuerit illud uel per se, uel per alios, ex tribuno militum uel primoribus, sub quibus maritus militauerit, illiq; præstito iureiurando id affirmauerint. tunc enim post annum licet mulieri iterare nuptias: aliàs non. quæ mutatio proponitur Nouell. c. 117. cæterum & id, usque ad §. prædictis, hisce uerbis:* Id quod de his à nobis sancitum est, qui expeditionibus occupantur, & recensentur in militijs, siue hi milites fuerint, siue fœderati, siue scholares, siue alij quidam, in quamcunque aliam militiam armatam delecti, pulchriore nobis formula exprimere uisum est. Et iubemus, quotcunque annis in expeditionibus hi perseuerauerint, ut uxores horum expectent, etsi neque literas, neque ullum responsum à maritis suis acceperint. Si qua uerò istiusmodi mulierum audiat, maritum suum obijsse mortem, neutiquam ad alias ipsam nuptias accedere permittimus, nisi prius mulier uel per se, uel per parentes suos, uel quamcunque aliam personam primores & chartularios numeri, in quo huius maritus militauit, accesserit, & hos siue tribunum (siquidem præstò est) interrogauerit, reueráne coniunx illi mortuus sit: ut illi sacrosanctis Euangelijs propositis apud actorum monumenta deponant, reuerà maritum illi mortuum. Et simulatque hæc fecerit, & transsumpta monumentorum gesta mulier pro suo testimonio susceperit: eam iubemus & posthac per anni unius spacium expectare, ut post huius denuò decursum liberam potestatem habeat legitimum contrahendi matrimonium. Sin uerò contra hanc obseruationem mulier ausit ad secundũ uenire matrimoniũ, tam ipsa quàm ęqui ipsam in matrimonio duxit, ut adulteri afficiuntor supplicio. At si qui apud actorum monumenta cum iureiurando deposuerũt, falsò postea deposuisse conuincantur: ipsi quidem spoliati militia, cõpellentur illi, quẽ mortem obijsse mentiti sunt, decem librarum auri pœnam persoluere: is uerò licentiam habeto, si uelit, uxorem suam recipere. Sin autẽ scholaris sit ille, de cuius morte dubitatio est, à primoribus scholæ & actuario: si fœderatus, ab optione eius prædictam depositionem uxor eius adipiscitor: his custodiendis & circa alios omnes, qui ad armatam referuntur militiam.

VI. Exceptio: *Nisi ob grauẽ crimen alterutrius, alter repudiũ miserit. Hæc exceptio approbatur l. consensu.8. in prin. cum sequentibus. C. de repudijs, hisce uerbis:* Consensu licita matrimonia posse contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolui, præcipimus. Dissolutionem enim matrimonij difficiliorem debere esse, fauor imperat liberorum. Causas autem repudij hac salubertima lege apertius designamus. sicut enim sine iusta causa dissolui matrimonia iusto limite prohibemus: ita aduersa necessitate pressum uel pressam, quamuis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari. Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, uel uenef icum, uel certè cõtra nostrum imperium aliquid molientem, uel falsitatis crimine condemnatum inuenerit, si sepulchrorũ dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, uel latronum susceptorem, uel abactorem aut plagiarium, uel ad contemptum sui domi suæ ipsa insp iciente cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem, si suæ uitæ ueneno aut gladio aut alio simili modo insidiantem, si se uerberibus (quæ ingenuis aliena sunt) adficientem probauerit: tunc repudij auxilio uti necessariò ei permittimus libertatem, & causas dissidij legibus comprobare. Vir quoque pari fine claudetur; nec licebit ei fine causis apertius designatis propriam repudiare ingalem: nec ullo modo expellat, nisi adulteram, uenef icam; aut homicidam, aut plagiariam; aut sepulchrorum dissolutricem, aut ex sacris ædibus aliquid subtrahẽrem; aut latronum fautricem, aut extraneorum uirorũ se ignorante uel nolente conuiuia appetentem, aut ipso inuito fine iusta aut probabili causa foris scilicet pernoctantem: nisi circensibus uel theatralibus ludis, uel arenarum spectaculis in ipsis locis, in quibus hæc adsolent celebrari; se prohibente gaudentem: nisi sibi ueneno uel gladio aut alio simili modo insidiatricem; uel contra nostrum Imperium aliquid machinantibus consciam, seu falsitatis se crimini immiscentem inuenerit, aut manus audaces sibi probauerit

ingerentem. tunc enim necessariò ei discedendi permittimus facultatem, & causas dissidij legibus comprobare. Hæc nisi uir uel mulier obseruauerunt, ultrice prouidentissimæ legis pœna plectentur. Nam mulier, si contempta, &c. *Reliqua uide §. cap. 5. quæst. 1. reg. 2. Concordat l. iubemus. 11. §. inter culpas. C. eod. tit. his uerbis*: Inter culpas uiri & uxoris constitutionibus enumeratas & has adijcimus, si forte uxor sua ope uel ex industria abortum fecerit: uel ita luxuriosa est, ut commune lauacrum cum uiris libidinis causa habere gaudeat: uel dum est in matrimonio, alium maritum fieri sibi conata fuerit. Et in his etiam causis locum habere constitutiones sancimus, quæ de culpa tam mariti quàm uxoris loquuntur, quemadmodum dos uel donatio propter nuptias perit: ita & mulieres in dotatæ in quartam partem, quam & uiris & mulieribus ex hac lege destinauimus, amissionis periculum sustineant: iudicio de moribus, quod antea quidem in antiquis legibus positum erat, non autem frequentabatur, penitus abolito. Omnibus etenim causis requisitis & perlectis, quas antiquitas introducebat, nihil ualidum, præter eas quas anteriores constitutiones & præsens dispositio introduxit, inuenimus. *Concordat item Nouell. c. 22. §. mitiores, usque ad §. si uerò altera, his uerbis*: Mitiores nuptiarum solutiones, tanquam in generali quadam ratione sub bona gratia factis disiunctionibus, sciendum est tales esse quodammodo. Cæteræ uerò causam quærunt inspicere aut à uiro aut ab uxore factam, ut damnificent temerarium in casu horum quæ ab eo data sunt, dotis dicimus, aut propter nuptias donationis. Sed harum causarum antiquiores quidem faciebant plurimos diuersosque tractatus. Theodosius autem iunior alias quidé causas deinde sumens, alias autem & ipse adinueniens, de repudijs scripsit constitutionem: à nobis autem & aliæ quædam adinuentæ sunt causæ, quas rectè habere perspeximus ad culpam referri eius qui succubuerit. Si igitur secundum Theodosij piæ memoriæ constitutionem, ualuerit mulier ostendere maritum aut adulterio delinquentem, aut reum homicidij, aut ueneficij, aut seditionibus occupatum, aut quod pessimum omnium peccatorum est, communicantem delicto (dicimus autem machinatum aliquid contra ipsum Imperium) aut cõdemnatum falsitatis, aut sepulchra effodientem, aut ex aliqua sacrarum domuum aliquid rapuisse, aut latrocinij sectantem uitam, aut latrocinantes suscipientem, aut unum eorum qui appellantur abigei, quibus est cura alienis insidiari animalibus aut iumentis, & ea trãsponere alibi: aut probet plagiarium esse, aut ita luxuriosè uiuentem, ut inspiciente uxore cum alijs corrumpatur, quod maximè mulieres nuptas circa cubile stimulatas exasperat, & præcipuè castas: aut si insidias sepassas à uiro probent circa ipsam salutem, aut uenenis, aut gladio, aut per alium aliquem talem modum (multæ nanque homi nibus ad maliciam sunt uiæ) aut etiam si flagellis super ea utatur. Si igitur mulier tale aliquid ostendere potuerit, licentiam ei dat lex repudio uti, & nuptijs abstinere, dotémque percipere & antenuptialem donationem totam, non solùm si omnes simul probauerit causas, sed etiam si secundam seu unam. Etrursus licentiam dat uiro mulierem abijcere, si adulteram inueniat, aut uenefi cam, aut delinquentem homicidiũ, aut plagiariam, aut sepulchrorum uiolatricem, aut sacrilegam existentem, aut fauentem latronibus, aut uiro nesciente uel etiã prohibente gaudentem conuiuijs aliorum nihil sibi competentium, uel etiam inuito uiro citra rationabilem causam foris pernoctantem, aut extra eius uoluntatem circensibus congaudentem, & spectaculis inhærentem, aut theatris aduenientem (dicimus autem ubi scena & talia sunt, aut etiam ubi bestijs aduersus homines pugna est) aut insidias sibi facientem ex uenenis, aut gladio, aut alio factas modo, ex quibus circa uitam periculum est, aut etiam consciam tyrannidem meditãtibus, aut falsitatis ream cõstitutam, aut audaces eius manus inferentem sibi. scilicet tali aliquo facto, dat lex hæc uiro abijcere mulierem, uel si unam horum & solam probauerit causam: & lucrati quidem dotem, antenuptialem uerò habere donationem. *Concordat d. c. 22. §. has itaque, his uerbis*: Has itaque causas nobis Theodosius explanauit: nos autem ex ueteribus sumentes & alias adiecimus tres. Si enim mulier tanta detineatur nequitia, ut etiam ex studio abortum faciat, uirumque contristet & priuet spe filiorum: uel etiam tanta libido est, ut etiam cum uiris uoluptatis occasione lauetur: aut etiam dum adhuc cõstet matrimonium cum uiro, ad alios de nuptijs suis loquatur: licentia data tur à nobis uiris, mittere eis repudia, & lucrari dotes, & antenuptiales habere donationes, utpote etiam causis his rationabiliter soluere ualentibus matrimonium, & sub eundem deferẽdis ordinem, sub quem & pœnas Theodosij diuinæ memorię constitutio definiuit. *Concordat item, sed & reprobantur quædã dictarum causarum seu exceptionũ, Nouell. c. 117. §. quoniam uerò, cum sequentibus, hisce uerbis*: Quoniam multas in ueteribus nostrisque legibus causas inuenimus, ex quibus prõptè matrimonia dis-

nia dissolui so lẽt: propterea uisum est ex ijs nonnullas, quę nobis ad dissoluendum matrimonium indignæ apparent, detrahere, & eas sollummodò nominatim præsenti legi inserere, ex quibus rationabiliter posit siue uir siue mulier repudij libellũ mittere: Causas igitur, ex quibus citra periculum maritus repudij libellũ potest mittere, & uxoris dotem lucrifacere, reseruato in ipsa dominio ex eo matrimonio susceptis liberis, aut filijs non existentibus, perpotiri etiam dominio, has esse decernimus. Si contra maiestatem Imperatoriam captantibus aliquibus consilia conscia sit mulier, neq; marito suo manifestauerit. Quòd si maritus hoc ab uxore renunciatum tacuerit, liberũ esto mulieri per quamcunq; personam renũciare hoc Imperatori, ne quando maritus aliquam ex hac causa diuortij occasionem inueniat. Si de adulterio maritus, &c. *Cætera uide §. lib. 3. c. 5. act. 1. quæst. 1. except. 2. item cap. 13. quæst. 3. reg. 3. Concordat item d. c. 117. §. si quocunque, usque ad §. quia uerò & ex consensu, his uerbis*: Si quocunque modo mulier uitæ mariti insidias collocauerit, aut alijs id agentibus conscia marito non manifestauerit. Si unà cum extraneis uiris nolente marito agitet conuiuia, aut cum ijs se lauet. Si nolente marito extra ædes maneat, non tamen apud suos parentes. Si ad circensia, aut theatra, aut arenarias uenationes spectatum prodeat, ignorante aut etiam prohibente marito. Enimuerò si contingat extra aliquam prędictarum causarum quempiam uxorem suam domo sua expellere, ut cùm il la parentes non habeat, apud quos manset, necessariò foris noctu degere compellatur: iubemus, ut nulla marito licentia sit propter hanc causam mulieri libellum repudij mittere: quandoquidé ipse huius rei author extiterit. Porrò causas, per quas rationabiliter potest marito ab uxore libellus repudij transmitti, & ex quibus ipsa tam dotem potest capere, quàm donationem propter nuptias exigere, consimiliter filijs in donatione reseruato dominio, aut filijs non existentibus, obtinere & huius dominium: has esse solas præscribimus. Si contra maiestatẽ Imperatoriam uel ipse cõsilium captauerit, uel id captantibus conscius Imperatoriæ maiestati non manifestauerit, uel per se, uel per quamcunq; personam. Aut si quolibet modo maritus uxoris uitæ insidias posuerit: aut alijs de hoc consultantibus sciens prudénsque uxori non manifestauerit, & secũdum leges uindicare studuerit. Si maritus uxoris castitati insidiatus, alijs stuprandam eam tradere pertentauerit: aut si maritus de adulterio uxorem inscripserit, neque adulterium comprobauerit: liberum esto mulieri, si uelit, & ea de causa marito libellũ repudij mittere, & tam propriam dotem recipere, quàm donationem propter nuptias adipisci: & pro huiusmodi calumnia (si filios ex eo matrimonio nõ habeat) iure dominij tantum ex reliqua substantia mariti uxor capito, quàm magna tertia pars donationis ante nuptias esse dinoscitur. Nam si filios habeat, iubemus ut uniuersa mariti substantia conseruetur filijs, firmis manentibus his quæ de donatione ante nuptias alijs continentur legibus: ita tamen, ut propter illatum adulterij crimẽ nec comprobatum ijsdem supplicijs maritus subijciatur, quæ exceptura erat mulier, si quidem id crimen fuisset comprobatum. Si maritus in eadem domo, in qua unà cum uxore sua habitat, ipsam aspernatus, cum altera domi commorari deprehendatur: aut in eadem ciuitate degens, assiduè in altera domo cum alia muliere commorari conuincatur, & semel atque iterum uel per parentes suos, uel uxorẽ, uel per alias quasdam fide dignas personas reprehensus, huiusmodi lasciuia non abstinuerit: liberum esto mulieri & per hanc causam dissoluere matrimoniũ, & datam recipere dotem donationemq; ante nuptias, & pro hac contumelia tertiam æstimationis partem, quã effecit donatio ante nuptias, ex alia eius substantia capere: ita tamen, ut si filios habeat, potiatur mulier usufructu tantùm rerum, quas ex donatione ante nuptias, & tertiæ partis substantiæ uiri pœna ceperit, dominio communibus liberis seruando. Nam si filios ex eo matrimonio non habeat, obtinere ipsam & in talibus rebus dominium iubemus.

VII. Exceptio: *Nisi maritus uxorem flagellis uel fustibus uerberauerit. Hæc exceptio approbatur l. consensu. 8. §. si qua igitur. ibi si se uerberibus. C. de repudijs. cuius uerba uide §. except. prox. Mutatur ac tollitur hæc exceptio Nouell. c. 117. §. si quis uerò uxorem, cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 9.*

VIII. Exceptio: *Nisi indotata sit uxor. Hæc exceptio reprobatur l. iubemus. 11. §. si quis autem, his uerbis*: Si quis eam, quam sine dote uxorem acceperat, à coniugio suo repellere uoluerit: non aliàs ei hoc facere liceat, nisi talis culpa intercesserit, quæ nostris legibus condemnatur. *Concordat Nouell. c. 22. §. sic itaque. ibi ut non ob hoc. cuius uerba uide §. reg. 5. Hactenus exceptiones propositæ regulæ, quæ desumptæ sunt ex causis missi repudij. Sed & plures huiusmodi causas uide §. quæst. prox. Sequuntur nunc reliquæ ex alijs desumptæ circumstantijs.*

IX. Exceptio: *Nisi utriusque consensu matrimonium sit dissolutum. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 22. §. dissoluuntur. cuius uerba uide §. except. 1. Planè mutatur ac tollitur hæc exceptio iure nouo Nouell. c. 117. §. quia uerò & ex consensu, his uerbis*: Quia & ex consensu

consensu aliquî usq; ad præsens alterna matrimonia soluebant, hoc decæterò fieri nullo sinimus modo, nisi fortè quidam castitatis cõcupiscentia hoc fecerint. Si autem huiusmodi personæ filios habuerint, tã dotem quàm antenuptialem donationem eorũ filijs conseruari disponimus. Si quis autẽ horum, aut maritus forsan aut uxor, postquam propter castitatem ex consensu soluerit matrimonium, inueniatur alias contrahere nuptias, aut luxuriosè uiuere: iubemus, siquidem (sicut dictum est) filij fuerint ex memorato coniugio, ultra dotem propter nuptias etiã donationem eis tradi, & proprietatem pœnæ ex substãtia illius personæ, quæ conuincitur deliquisse. Si uerò filij minoris sint ætatis, gubernari eos & pasci ab illo parente præcipimus, qui nihil præsenti legi contrarium egerit. Si autem ambo parentes in huiusmodi uitium incidant, tunc utriusque parentis substantiam filijs applicari: dispensatorem autem his, qui in minore ætate constituti sunt, ordinari prouidentia competentis iudicis & aliorum, quibus hæc ex nostris legibus sunt commissa. Si autem filij nõ sint, utriusq; personæ substãtiam fisci rationibus applicari, & eos qui talia deliquerunt, legitimis subdi supplicijs. aliter enim separationem matrimoniorum fieri ex consensu nulla ratione permittimus. *Concordat Nouell. c.134. §. ex quo uerò. ibi: aut matrimonia. cuius uerba uide ff. reg. 6.*

X. *Exceptio: Nisi pœnituerit diuertentem repudij, & matrimonium fuerit redintegratum. Hæc exceptio approbatur l. si pœnit. 7. ff. de diuortijs, hisce uerbis:* Si pœnituit eum, qui libellum diuortij tradendum dedit, isque per ignorantiam mutatæ uolũtatis oblatus est, durare matrimonium dicendum est: nisi pœnitẽtia cognita, is qui accepit, ipse uoluit matrimonium dissoluere. tunc enim per eum qui accepit, soluitur matrimonium. *Concordat l. diuortium. 3. ff. eod. tt. his uerbis:* Diuortium nõ est uerum, nisi quod animo perpetuam constituendi diuisionem fit. Itaque quidquid in calore iracundiæ uel fit uel dicitur, non ratum est prius, quàm perseuerantia apparuit iudicium animi fuisse. Ideoque per caloré misso repudio, si breui reuersa est uxor, nec diuertisse uidetur. *Concordat l. quidquid. 48. ff. de regulis iuris, hisce uerbis:* Quidquid in calore iracundiæ uel fit uel dicitur, non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse. Ideoque breui reuersa uxor, nec diuertisse uidetur. *Concordat item Nouell. c.134. §. certè si qui, his uerbis:* Si qui matrimonium dissoluere conati sunt, rursum se matrimonij nexu copulari uoluerint, antequam conijciãtur in monasterium, damus eis huius agendi licentiã, & prædictas ipsis pœnas remittimus, ut & facultates suas retineant, & ita inter se uiuant, quasi nullum eius generis peccatum interuenerit. *Concordat item l. pleriq;. 33. ff. de ritu nuptiar. cuius uerba uide ff. lib. prox. cap. 6. except. 29. Possunt item iam propositæ leges referri ad ea quæ habentur ff. d. except. 29. repl. 2. dupl. 3.*

XI. *Exceptio: Nisi sine instrumentis dotalibus matrimoniũ sit contractum. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 22. §. matrimonium. ibi: ut autem, his uerbis:* Vt & sine dotalibus instrumentis matrimoniũ solutum pœna consequatur, id nos primi adinuenimus.

XII. *Exceptio: Nisi alium pro repudiante dotem uel donationẽ ante nuptias acceperit uel dederit, sibiq; reddi sit stipulatus, & sine eius uoluntate repudiũ sit missum. Hæc exceptio approbatur exemplo patris & filij filiæue Nouell. c. 22. §. præterea autem, his uerbis:* Aliud quiddam commenti sumus, non minus pietate quàm gratia insigne, ubi uel missis repudij libellis nihilominus matrimonia durant. Quò magis enim filiorũfamiliâs erga patres improbitatem prohibeamus (ex quo comperimus plerosq; dedita opera repudij libellos scribere, suisque mittere uxoribus, uel etiam contrà: & nulla omnino rationabili subsistente causa, matrimonia in hoc dissoluere, ut parentes sui dotis respectu exactionibus factæ donationis subijciantur: & ut soluto matrimonio ipsi quidem clàm inter se rem habeant, parentes uerò discedant damnificati, hanc nimirum pro benignitate erga liberos remunerationem reportantes) etiam legem conscripsimus, quæ innuit, ne filij familiarum, seu emancipati liberi, siue masculi, siue fœminæ, in fraudem patrum suorum aut matrum, qui dotes aut ante nuptias donationes uel soli, uel etiam cum filijs obtulerunt suscepturũe, possint matrimonia dissoluere: sed quemadmodum in conciliandis nuptijs præstolamur patrum consensum, ita nec distrahi matrimonia in parentum fraudem præter ipsorum uoluntatem sinimus. Atque ut maximè repudij libellus mittatur, non tamen pœnæ contra ipsos exactionem hoc nomine competere concedimus, siue ipsi ea dederint aut susceperint, siue unà cum filijs susceperint. Neq; enim rationem habet, ut pater quidem præter filij uoluntatẽ matrimonium dissoluere nequeat: filijs uerò, fortè ætate minoribus, neq; suo commodo prospicientibus, copia fiat, ut matrimonium præter patrum uoluntatem soluant, ex eoq; patribus iniuriã adferant. Hoc præclarè primùm exorsus Marcus philosophus sanciuit, hunc deinde Dioletianus secutus est, cõsimiliter & nos amplexati sumus. *Ait Imp.* Hoc præclarè primùm exorsus, &c. *scilicet, Ne pater inuito filio eius dissoluere*

soluere matrimonium possit. & est de hac re l. dissentientis. 5. C. de repudijs. cuius uerba uide ff. quæst. prox. causa 6. except. 3. Concordat propositæ exceptioni l. si filia. 5. ff. de diuortijs, hisce uerbis: Si filia emancipata idcirco diuertat, ut maritum lucro dotis adficiat, patrem fraudet, qui profectitiã dotem potuit petere, si constante matrimonio decessisset: ideo patri succurrendum est, ne dotem perdat. non enim minus patri quàm marito succurrere prætorem oportet. Danda igitur est ei dotis exactio, atq; si constante matrimonio decessisset filia. *Plura de hac exceptione uide ff. lib. 15. cap. 6. except. 2. repl. 2. item except. 3. repl. 8.*

XIII. *Exceptio: Nisi matrimoniũ legibus fuit prohibitum. hoc enim casu is qui repudium mittit, supradictis pœnis non tenetur: ut patet ex ijs quæ dicta sunt ff. lib. eod. cap. 3. & 4. eiusq; exemplum proponitur l. si ignorans. 3. C. soluto matrim. cuius uerba uide ff. d. cap. 4. except. 15. Huic concordat l. si cum dotem. 22. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ff. lib. 8. cap. 9. reg. 4. except. 10.*

XIIII. *Exceptio: Nisi inutiliter repudium sit missum, ut non soluatur matrimonium. Hæc exceptio ipso iure subsistit, eiusq; species propositæ sunt ff. q. prox. casu 6. Hactenus igitur de regula proposita tertia, eiusq; exceptionibus sit dictum.*

IIII. *Regula, De tertia parte ultra sponsalitiam largitatem repudiatæ dandã, proponitur Nouell. c. 117. §. si autem & uir, his uerbis:* Si uir contra mulierem transigere studuerit matrimonium, & irrationabiliter repudium destinare, iubemus reddere eum quidem quam susceperit dotem, unà cum sponsalitia largitate: & tãtum ex alia eius substantia ita præberi mulieri, quantum tertia pars sponsaliciæ faciat largitatis: & siquidem filij sunt ei, solum usumfructum antenuptialis donationis, & à nobis additæ tertiæ suæ partis mulierem habere, proprietatem uerò filijs conseruare. Si filijs autem non existentibus, habere mulierem super usumfructũ in ipsis rebus etiam proprietatem. *Propositæ regulæ eædem sunt exceptiones, quæ proximè præcedentis.*

V. *Regula: Si mulier sit indotata, illegitimè repudians maritus, uel uxor, uel causam repudij dans, quarta bonorum parte punitur, l. iubemus. ii. §. si quis autem. C. de repudijs, hisce uerbis:* Si quis eam quam sine dote uxorem acceperat, à coniugio suo repellere uoluerit: non aliàs ei hoc facere liceat, nisi talis culpa intercesserit, quæ nostris legibus condemnatur. Si uerò sine culpa eam reiecerit, uel ipse talem culpam contra innocentem mulierem commiserit, compellatur ei quartam partem propriæ substantiæ pro rata portione persoluere: ut siquidem quadringentarum librarum auri uel amplius uir substantiam habeat, centum libras auri mulieri præstet, & nihil amplius, etsi quantamcunque substantiam possideat. Sin uerò minus quadringentis libris auri puta substantia eius fuerit, tunc quarta pars computatione facta puræ substantiæ eius usque ad minimam quantitatem mulieri detur: eodem seruando & in mulieribus, quæ indotatæ constitutæ, sine culpa mariti constitutionibus cognita eos repudiauerint, uel ipsæ culpam innocenti marito præbuerint, ut ex utraque parte æqua lance & æquitas & pœna seruetur: hoc lucro quartæ partis, filijs quidem non extantibus, ipsi uiro & mulieri competente, & ab his quomodo uoluerint disponendo: filijs autem & deinceps personis ex eodem matrimonio interuenientibus, eis seruando ad similitudinem dotis & propter nuptias donationis per omnia, quæ super his statuta sunt. *Concordat Nouell. const. 22. §. sic itaque, his uerbis:* Sic itaque matrimonia dissoluuntur uiuentibus adhuc ijs qui ea contraxerunt, & pecuniariæ pœnę circa dotem & sponsaliciam consistunt donationem. Sed à nobis aliquid etiam aliud adinuentum est, ut etiam indotata matrimonia irrationabilibus factis diuisionibus castigationi tradantur competenti. Si quis enim duxerit uxorem, aut etiam mulier ad uirum ueniat, nuptiali quidem assumpta uoluntate atque sententia, non tamen secuta dote aut sponsalitia largitate, ubi quoque præsumptiuè fieri solutiones contingebat, nullo ex hoc contrahentium periculo, constitutionem scripsimus dicentem: Si quis sub potestate constitutam mulierem uoluntate parentum, aut etiam suæ potestatis fortè ducat uxorem, neque dote oblata, neque dotalibus instrumentis factis: nuptiæ quidem sunt, licet dotalia instrumenta non sint conscripta, ut nõ ob hoc uir (quod in multis nouimus factum) expellat de domo uxorem sine aliqua prius dictarũ rationabilium causarum, quas & Theodosius & nos enumerauimus. Si quid autem tale fiat, & aut sine causa eam abijciat domo, aut etiam ipse rationabilem causam præstet, ut mulier separetur ab eius matrimonio: quartam partem propriæ substantiæ cogatur exoluere ei: & usque ad quadringentas quidem auri libras substantiam habens, centum libris damnificabitur, hoc est, quarta substantiæ parte: minorem autem, adhuc in quantum quartæ faciat quantitas. Si uerò etiam maiorem prædictæ quadringentarum auri librarũ quantitatis substantiam habeat: nõ ultra centum auri damnificetur libras. ad maximam nanque plerunque respicientes dotem, legem hanc scripsimus, substantiam illam meritò secundum nostras leges æstimantes esse, quæ

quæ pura debitis uideatur, ratio quoque ex ipsis causis pro cautione procedat. Et si mulier per culpam propriam separetur à uiro indotata existés, aut etiam mittat ei sine aliqua causa rationabili repudiũ: ijsdem in omnibus subiaceat pœnis. *Concordat item Nouell.c. 74.§.quoniam autem.ibi:& illa siquidem indotata. cuius uerba uide* s. *cap.4.except.6.repl.5.*

VI. *Regula: Sine causa repudium mittens, in monasterium detruditur: & quid iuris de bonis eius, definitur Nouell.c.117.§.quia uerò quædam,his uerbis*: Quia quædã mulieres inhonestè uolentes uiuere,festinant propria matrimonia soluere:sancimus,si quando mulier citra aliquã prædictarum,&c. *Concordat Nouell.c.134.§.ex quo uerò, usq; ad §.si quis autem,his uerbis*:Ex quo quidã nostram legẽ studeant transcendere,in qua specialiter,&c. *Huius regulæ exceptiones eædem sunt, quæ superioris regulæ tertiæ.*

VII. *Regula: Eadem est pœna tam uiri,quàm mulieris,sine causa repudium mittentis.quæ regula approbatur Nouell.c.127.§.quia uerò,his uerbis*: Quia interdiximus dudum per nostram legem uiris & mulierib.repudia mittere, & trãsigere matrimonia, nisi tamen quædã sit causa nostræ legi cognita, & pœnas hoc facientibus & uiris & mulieribus imposuimus : mutationem quandã circa pœnas uiri ac mulieris facientes, & ad melius hoc transformantes,sancimus, nullam esse differentiam, quantum ad pœnam, inter uirum & mulierẽ hoc præsumentes:sed ijsdem pœnis,quæ contra mulieres à nobis definitæ sunt,si sine causa nostræ legi cognita matrimonia distrahunt, etiam uiros subdi hoc præsumentes,& similes pœnas esse in uiro & in muliere.in delicto enim æquali proximas eis imminere pœnas, iustum esse putamus.

VIII. *Regula: Apud quem liberi eius matrimonij, quod diuortio solutum est, ali & educari debeant, uide §.lib.16.cap.1.quæst.5.reg.10.except.8.*

DE CONCVBINIS.
Cap. IX.

CONtrarium matrimonij est concubinatus: de quo, antequam reliqua matrimonij iura persequamur,hic nobis agendum est.

I. AN CONCVBINATVS sit licitus?

Regulariter in iure permittitur, nimirum l.in concubinatu.3.in fine.ff.de concubinis,his uerbis:Adulteriũ per concubinatũ nõ committitur. nam cum concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est, ut Marcellus lib.VII. Digest.scribit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ea concubina habeatur, in quam stuprum committitur. Hæc exceptio approbatur l.1. §.cum Atilicino.ff.d.tt.his uerbis*: Cum Atilicino sentio,& puto solas eas in concubinatu haberi posse sine metu criminis, in quas stuprũ non committitur.

II. *Exceptio: Nisi quis ingenuam & honestæ uitæ mulierem in concubinatu habeat. Hæc exceptio approbatur d.l.3.ff.de concubinis,his uerbis*: In cõcubinatu potest esse & aliena liberta, & ingenua, sed maximè ea quæ obscuro loco nata est, uel quæ corpore quæstum fecit. alioquin si honestæ uitæ & ingenuam mulierẽ in concubinatu habere maluerit, sine contestatione hoc manifestum faciente, non conceditur: sed necesse est ei, uel uxorem eã habere:uel hoc recusante eo,stuprũ cum ea committere. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi contestatio facta sit, quòd eam pro concubina habere uelit. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Sine contestatione hoc manifestum faciente. *de qua re uide plura §.quæst. prox.*

III. *Exceptio:Nisi adulterij damnatam concubinam habeat. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.qui etiam. ff.de concubinis. cuius uerba uide* s. *lib.4.capite 7. quæst.2. causa 15.except.3.*

IIII. *Exceptio: Nisi concubina minor sit duodecim annis. Hæc exceptio approbatur d.l.1. §.fin. his uerbis*: Cuiuscunque ætatis concubinã haberi posse,palàm est: nisi minor annis duodecim sit.

V. *Exceptio: Nisi quis libertam alienam,quæ ab inuito patrono diuertit, concubinam habeat. Hæc exceptio approbatur l.quod ait lex.11.§.1. ibi: Iulianus quidem. ff.de diuortijs. cuius uerba uide* s. *cap.4.except.5. Concordat l.1.in princ.ff.de concubinis.cuius uerba uide d.except.5.repl.17. Planè extra casum propositum libertam alienam concubinam habere licet, ex l.in concubinatu.3.in princ.ff.de concubinis.cuius uerba uide* s. *except.2. Sed & propositæ exceptionis replicationes uide* s. *d.except.5.*

VI. *Exceptio: Nisi sororis filiam quis concubinam habeat. Hæc exceptio approbatur l.quinetiam.56 ff.de ritu nuptiarum.cuius uerba uide* s. *lib.4.cap.7.quæst.2. causa 16.except.5.*

VII. *Exceptio: Nisi quis eam habeat concubinam, quæ antea parentis uel filij sui concubina fuit. Hæc exceptio approbatur l.1.§.penult.ff.de concubinis, hisce uerbis*: Si quæ in patroni fuit concubinatu, deinde in filij esse cupit uel nepotis, uel contrà, non puto eam rectè facere: quia pro nefaria est huiusmodi coniunctio, & ideo huiusmodi facinus prohibendum est.

VIII. *Exceptio:Nisi is qui uxorem habet,concubinam adiunxerit.Hæc exceptio approbatur l.unica.C.de concubinis, hisce uerbis*: Nemini licentia concedatur, constante matrimonio concubinam penes se habere. *Concordat l.ult.§.fin.C.cõmunia de manumiß. his uerbis*: Hominibus uxores habentibus concubinas uel libertas uel ancillas habere, nec antiqua iura nec nostra concedunt.

IX. *Exceptio: Nisi ex ea prouincia,quam administrat,concubinã quis habeat. Hæc exceptio reprobatur l.ult.ff.*

l.ult.ff.de concubinis, his uerbis: Concubinam ex ea prouincia, in qua quis aliquid administrat,habere potest.

II. CAVSA, EX QVA CONCVbinatus constituitur.

Sola animi destinatione concubinatus constituitur. quæ regula approbatur l.concub.4. ff.de concubinis, hisce uerbis: Concubinam ex sola animi destinatione æstimari oportet. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi quis honestæ uitæ & ingenuam mulierem in concubinatu habere uelit. quæ exceptio approbatur l.in concubinatu.3.ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò supra uius except.2. Concordat l.in liberæ.24.ff.de ritu nupt. cuius uerba uide* s. *cap.4.except.6.repl.5.*

III. CAVSA, EX QVA CONcubinatus dissoluitur.

De *furore. Furor interueniens concubinatum non soluit. quæ regula approbatur l.2.ff.de concubinis,hisce uerbis*: Si patronus libertam concubinam habens furere cœperit:in concubinatu eam esse,humanius dicitur.

IIII. EVENTVS CONcubinatus.

1. *Regula:Concubina matrisfamiliâs honestatem non habet. quæ regula approbatur l.probrum. 41. ff.de ritu nuptiarum, his uerbis*: Si qua se in concubinatum alterius quàm patroni tradidisset, matrisfamiliâs honestatem non habuisse eam dico.

II. *Regula*: *Is qui concubinam habet,ei ultra semiunciam bonorum suorum relinquere non potest. quæ regula approbatur l.2.C.de naturalibus liberis,his uerbis*: Matre uel legitimis filijs,uel nepotibus, aut pronepotibus cuiuscunque sexus uno pluribúsue existentibus, bonorum suorum unam tantùm unciam pater naturalibus filijs seu filiabus,eorumque genetricibus uel si sola sit concubina, semiunciam largiendi uel relinquendi habeat potestatem. Quidquid uerò ultra modum concessum relictum sit, legitimis liberis, uel matri, uel cæteris successorib.detur. *Concordat Nouell.c.89.§.ne igitur perpetuò,in fine.cuius uerba uide §.lib.16.cap.4.quæst. 4.reg.1.* Huius *regulæ exceptio hæc est: Nisi ex concubina liberos quoque habeat.tunc enim plus illi cum filijs potest relinquere.sed & ab intestato quædam portio ad filios naturales, eiusq; matrem peruenit. de qua re uide §.d.reg.1.cum regula sequente.*

DIGESTORVM LIBER DECIMVSQVINTVS:

DE IVRE DOTIS ET ANTENVptialis donationis.

Hactenus iura matrimonij contrahendi,contracti,dissoluendi & dissoluti proposita sunt. Inter hæc autem dotis quoque & antenuptialis donationis ius connumeratur.quod quia multiplex est & copiosum,in hoc libro peculiariter est proponendum. Primumigitur de iure dotium dicetur,deinde de iure antenuptialis donationis.

DE PACTIS DOTAlibus in genere.
Cap. I.

I. AN EX PACTO DOTAli nascatur actio uel exceptio.

REgulariter *pactum dotale utile est, & ex eo tam actio nascitur, quàm exceptio. quæ regula approbatur l. unica. §.illud etiam generaliter.C.de rei uxoriæ actione,his uerbis*:Illud generaliter præsenti addere sanctioni necessarium esse duximus, ut si qua pacta intercesserint uel pro restitutione, uel pro tẽpore, uel pro usuris,uel pro alia quacunq; causa, quæ nec contra leges,nec constitutiones sint, ea obseruentur. *Concordat l.1.C.de pactis super dote,his uerbis*: Legem quam dixisti,cum dotem pro alumna dares,seruari oportet:nec obesse tibi debet,quod dici solet, ex pacto actionem non nasci. tunc enim hoc dicimus, cum pactum nudum est: alioquin cùm pecunia datur,& aliquid de reddenda ea conuenit,utilis est cõdictio. *Huius regulæ exceptiones hæ sunt.*

I. *Exceptio: Nisi cum alius pro muliere dotẽ daret, pactũ cum alterutro tantùm sit factum. Hæc exceptio approbatur l.post nuptias. 28. ff.de iure dotiũ, his uerbis*: Post nuptias pater nõ potest deteriorem causam filiæ facere:quia nec reddi ei dos inuita filia potest. *Concordat l.cum à socero.7. C.de iure dotiũ,his uerbis*: Cum à socero tuo pro uxore dos

ff re dos

re dos tibi daretur,&c. *Concordat item l.cum dos. 7.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Cum dos filiæ nomine datur, optimũ eſt,pactum conuentum cum utroq; generum facere: quãquam initio dotis dandę legem quam uelit(etiam citra perſonam mulieris) is qui dat, dicere poſsit. Si uerò poſt datam paciſci uelit,utriuſque perſona in paciſcendo neceſſaria eſt: quoniam iam tũc adquiſita mulieri dos eſt. Quo caſu,ſi ſolus pater pactus ſit ſine filia: ſiue ſolus agat, ſiue adiuncta filiæ perſona: ei ſoli nocebit & proderit pactum cõuentum. Sed ſi ſola filia egerit: neq; proderit, neque nocebit ei. Si uerò filia ſola pacta fuerit,quo pacto patris conditio melior fiat:proderit & patri. quoniam per filiam patri adquiri poteſt, per patrem filiæ non poteſt. Si uerò ſic pacta ſit filia, ut noceat ipſi : quandoq; filiæ agenti nocebit pactum,patri uerò nullo modo nocebit: niſi adiecta quoq; filiæ perſona experiatur. Dicendum enim,paciſcendo filiam conditionem patris deteriorem facere non poſſe eo caſu, quo mortua ea in matrimonio, dos ad patrem reuerſura eſt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi in ipſa dotis datione alius qui dotem dat, pactum ſine muliere fecit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Quanquam initio dotis dandæ legem quam uelit(etiam citra perſonam mulieris) is qui dat,dicere poſsit. *Concordat l.ob res.20.§. ſi extraneus. ff.eod.tt. his uerbis*: Si extraneus de ſuo daturus ſit dotem, quidquid uult paciſci (etiam ignorante muliere) ſicut & ſtipulari poteſt. Legem enim ſuæ rei dicit. Poſtquam uerò dederit,paciſci cõſentiente muliere debet. *Concordat item l.quoties.29.in prin.ff. ſoluto matrimon.his uerbis*:Quoties pater dotem dat & ſtipulatur, ita demum in ſuam perſonam de dote actionem transfert,ſi ex continenti ſtipuletur.Cęterùm ſi interpoſito tempore ſtipulari uelit,non niſi conſentiente filia poterit,quamuis in poteſtate ſit: quia deteriorem conditionem in dote filiæ facere non poteſt, niſi conſentiat. *Secunda replicatio eſt: Niſi is eaúe, qui queúe pactum ſine altero fecit, eo utatur, uel aduerſus eum eamúe ex eo pacto agatur excipiaturúe. huic enim ſoli prodeſt uel obeſt pactum. quæ replicatio approbatur uerbis ſuprà propoſitis hiſce*: Quo caſu,ſi ſolus pater pactus ſit ſine filia: ſiue ſolus agat,ſiue adiuncta filiæ perſona: ei ſoli nocebit & proderit pactum conuentum.Sed ſi ſola filia egerit:neque proderit,neque nocebit ei. *Concordat l.ſi conuenit.6.C. de pactis ſuper dote. Tertia replicatio eſt: Niſi filia pacta ſit ſine patre, quo pacto pater utatur. tunc enim patri iſtud pactum proderit. quæ replicatio approbatur uerbis ſupradictis hiſce*: Si filia ſola pacta fuerit,quo pacto patris cõditio melior fiat: proderit & patri. quoniam per filiam patri adquiri poteſt, per patrem filiæ non poteſt. Si uerò ſic pacta ſit filia,ut noceat ipſi: quandoque filiæ agenti nocebit pactum, patri uerò nullo modo nocebit:niſi adiecta quoq; filię perſona experiatur,&c. *Quarta propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi filia paciſcente, pater unà cum filia agat.nam hoc caſu patri quoq; pactũ filiæ nocet,ut patet ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Niſi adiecta quoque filiæ perſona experiatur. *Quinta replicatio eſt:Niſi ante nuptias alius pro muliere dotem dederit,& ante nuptias pactum,quamuis ex interuallo,fecerit.Hæc replicatio approbatur l.quoties.29.§. planè ſi ante.ff.ſoluto matrim.his uerbis*: Planè ſi ante nuptias doté dederit,poterit ex interuallo (ante nuptias tamẽ) & citra uoluntatem filiæ ſtipulari. *Sexta replicatio uidetur eſſe: Niſi pater filiam, ſine qua paciſcitur, in ſua habeat poteſtate. quæ replicatio reprobatur d.l.29.ibi:quamuis in poteſtate.cuius uerba uide ſ̃.repl.1.*

II. Exceptio: *Niſi is eaúe,qui queúe in patris eſt poteſtate, ſine eius conſenſu pactum fecerit. quæ exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit:uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi pater furioſus ſit,uel apud hoſtes. quæ replicatio approbatur l. quoties. 8. ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Quoties patre furente, uel ab hoſtibus capto, filiusfamiliâs ducit uxoré, filiaúe familiâs nubit, neceſſariò etiam pactũ cum ipſis duntaxat dotis nomine fieri potuit.

III. Exceptio: *Niſi pactum ad ius pertineat. quæ exceptio approbatur l.ſi pater. 12. §.ex pactis. ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Ex pactis conuentis, quæ ante nuptias uel poſt nuptias interponi ſolent,alia ad uoluntatem pertinent, ut mulier dote promiſſa ſe alat, & donec nupta ſit, dos ab ea non petatur: aut ut certam ſummam uiro præſtet,& ab eo alatur,& his ſimilia. Alia ad ius pertinent:ueluti quando dos petatur, quemadmodum reddatur: in quibus non utiq; uoluntas contrahentium ſeruatur. Cæterùm ſi conuenerit, ne omnino dos petatur:indotata erit mulier.

IIII. Exceptio: *Niſi pactum de non reddenda dote factum ſit. De hac exceptione cum alijs ſimilibus uide ĩ. in repetitione dotis.*

V. Exceptio: *Niſi conuenit,ne de moribus agatur, uel plus uel minus exigatur. Hæc exceptio cum alijs quibuſdam approbatur l.illud. 5. ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Illud conueniri non poteſt,ne de moribus agatur,uel plus uel minus exigatur:ne publica coercitio priuata pactione tollatur. *Planè hodie iudicium de moribus ſublatum eſt, ut oſtenſum ſ̃.cap.7.*

VI. Exceptio: *Niſi conuenit,ne ob res donatas uel amotas agatur. Hæc exceptio approbatur d.l.5.his uerbis*: Ac ne illa quidem pacta ſeruãda ſunt,ne ob res donatas uel amotas agatur:quia altero pacto ad furandũ mulieres inuitantur, altero ius ciuile impugnatur. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi poſt diuortium iſtiuſmodi pactio*

facta

facta ſit. quæ replicatio approbatur l.ob res.20.in prin. ff.eod.tt.his uerbis:Ob res quoque donatas,uel amotas, uel impenſas factas; tunc facta pactio ualebit,id eſt,poſt diuortium.

VII. Exceptio: *Niſi conuenit,ne ob impenſas neceſſarias agatur. Hæc exceptio approbatur d.l.5.in fine.ff.de pactis dotalibus,his uerbis*: Sed & ſi conuenit,ne ob impenſas neceſſarias ageretur, tale pactum non eſt ſeruandum:quia tales impenſæ dotem ipſo iure minuunt. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi poſt diuortium ita conuenit. quæ replicatio approbatur d.l.20.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ̃.except.prox. De propoſita exceptione uide item ĩ.cap.4.quæſt.1.except.11.*

VIII. Exceptio: *Niſi conuenit,ne repudio ſine cauſa uel ex cauſa iuſta miſſo,pœna legibus ſtatuta locũ habeat. Hæc exceptio approbatur l.conſenſu.8.§.fin.C.de repudijs,hiſce uerbis*: Pactiones,ſi quæ aduerſus præſentia ſcita noſtræ maieſtatis fuerint attentatæ,tanquã legum contrarias,nullã habere uolumus firmitatem. *Concordat l.unica.§.penult.C.de rei uxoriæ actione,hiſce uerbis*: Si repudio matrimonium fuerit diſſolutum:omnia iura, quæ ex Theodoſiana uel noſtra lege deſcendunt,immutilata cuſtodiantur.Simili modo ea quę Anaſtaſiana lege pro his quę bona gratia ſeparantur,enumerata ſunt, firma illibataq; remaneant. *Hactenus exceptiones ex ſpeciebus pactorum deſumptæ propoſitæ ſunt. Sunt & plures huiuſmodi exceptiones ſuis inſertæ locis.*

IX. Exceptio: *Niſi poſt nuptias contractas pactum factum ſit. Hæc exceptio reprobatur l.1.in prin.ff.de pactis dotalibus,his uerbis*: Paciſci poſt nuptias,etſi nihil antè cõuenerit, licet. *Concordat l.cũ maritus.29.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Cum maritus, qui æſtimata prædia in doté acceperat, manente matrimonio pactus eſt circumſcribendæ mulieris gratia,ut prædia inæſtimata eſſent, ne periculo ſuo ea deteriora faceret: quæſitum eſt, an ſecundum priores dotales tabulas prædia æſtimata remanerent,& periculum eorum ad maritum pertineret? Reſpondit Scæuola, non idcirco pactũ,de quo quæritur,impediri, quòd in matrimonio factum eſſet,ſi deteriore loco dos non eſſet.nihilominus eo pacto admiſſo, ſi deteriora prædia faceret,ea actione teneri.

X. Exceptio: *Niſi pacto in tempus diuortij collatò, diuortium ſecutum non ſit.Hæc exceptio approbatur l.pacta.3.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Pacta conuenta, quæ in tempus diuortij collata ſunt, non facto diuortio locum non habent.

XI. Exceptio: *Niſi pœna pacto adiecta petita ſit. tunc enim ad ipſam rem pacto contentam agi uel excipi non poteſt. quæ exceptio approbatur l.ſi pater.12.§.ſi mulier.ff.d.tt.his uerbis*:Si mulier pacta ſit,ne amplius quàm pars dimidia dotis à ſe petatur, & pœnã ſtipulata ſit:Mela ait,alterutro eam contentã eſſe oportere, uel exceptione pacti acceptã facere pœnæ obligationẽ: uel ſi ex ſtipulatu agat, denegãdam exceptionẽ.

II. QVIBVS ET ADVERSVS quos ex pacto dotali actio uel exceptio detur?

I. Regula, *De hæredibus paciſcentis. His regulariter ex pacto competit actio & exceptio. cuius regulæ exemplum proponitur l.quod de.25.ff.de pactis dotalibus,his uerbis*: Quod de reddenda dote,ſi data fuiſſet, mortua in matrimonio filia conuenit, idem de non petenda quoq; uideri conueniſſe: ac patrẽ pacti conuenti exceptionem ad hæredem ſuum tranſmiſiſſe. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi pactum ſit perſonale. quæ approbatur exemplo l. ob res. 20. §.ſi conuenerit. ff.d.tt.his uerbis*: Si conuenerit,ne à muliere,neúe à patre dos petatur: hæres non habebit exceptionem. Sed ſi conuenerit,ne manente matrimonio,uiuo patre petatur: mortuo patre ſtatim exigitur. Et ſi non petierit maritus,tenebitur huius culpę nomine,ſi dos exigi potuerit: niſi fortè antè diremptũ ſit matrimoniũ, quàm facultaté petendi haberet.

II. Regula: *Pactum patris nec prodeſt nec obeſt filiæ: & contrà filiæ pactum non obeſt patri. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur l. cum dos. 7. ff. d.tt. de qua re uide ſ̃.quæſt.prox.except.1.*

III. Regula, *De eo qui pacto non interfuit. Huic nec prodeſt nec obeſt pactum. quæ regula approbatur l. 1. in fine.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Pacta quæ de reddenda dote fiunt, inter omnes fieri oportet.qui repetere dotem,& à quibus reperi poteſt: ne ei qui non interfuit, apud arbitrium cognoſcentis pactum non proſit.

III. QVANDO EX PACTO dotali detur actio?

Si cõuenit, ne conſtante matrimonio uiuo patre dos petatur: mortuo eo, quamuis non ſoluto matrimonio, dos peti poteſt. quæ regula approbatur d.l.20. ibi:ſed ſi conuenerit. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide ſ̃. quæſt.prox.reg.1.

IIII. QVAE EX PACTO naſcatur actio?

Vtilis condictio hinc naſcitur: quæ regula approbatur l.1. in fine. C.de pactis ſuper dote. cuius uerba uide ſ̃.eod.cap.in prin. Concordat l.inter ſocerum.26.§.conuenit. ff.de pactis dotalibus,his uerbis: Conuenit,ut mulier uiri ſumptibus, quoquò iret, quoquò ueheretur,uteretur: atque ideo mulier pactum ad literas uiri ſecuta,prouinciam,in qua centurio morabatur, petit. non ſeruata fide conuentionis, licet directa actio nulla competit,utilis tamen in factum danda eſt. *Hæc de pactis dotalibus in genere ſint dicta: ſpecialiter de ijs tractabitur in ſequentibus. Nunc de actionibus, quæ dotis nomine competunt, dicendum. primùm quidem de ijs,quæ marito eiuſq; hæredibus dantur: hinc de ijs, quæ mulieri eiuſq; hæredibus, eiq; qui dotem dedit, competunt.*

DE PETITIONE DOTIS.

Cap. II.

MArito ob triplicem cauſam dotis nomine datur actio. prima eſt, ut dos promiſſa ſoluatur: altera, ut euictio dotis præſtetur: tertia, ut impenſæ in res dotales factæ reſtituãtur. de quib. ſingulis ordine diſpicien dum, & primùm de petitione dotis, ut dos promiſſa præ ſtetur.

I. CAVSA HVIVS ACTIONIS cum ſuis exceptionibus.

Cauſa huius actionis eſt: Si dos conſtituta uel promiſſa ſit. tunc enim ut detur uel ſoluatur, maritus agere poteſt. cuius cauſæ ſeu regulæ exceptiones plures ſunt hic ordine enumerandæ.

I. *Exceptio: Niſi alius, non mulier, dotem conſtituerit uel promiſerit. Hæc exceptio reprobatur l. promit. 41. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Promittendo dotem omnes obligantur, cuiuſcunque ſexus conditionisq; ſint.

II. *Exceptio: Niſi muliere filio tutoris ſui inſtè nupta, tutor mulieris mariti pater dotẽ cõſtituerit. Et hæc exceptio reprobatur l. cum poſt. 69. §. nuptijs. ff. de iure dotium, his uerbis:* Nuptijs ex uoluntate patris puellæ cum filio tutoris iure contractis, dos pro modo facultatũ & dignitate natalium rectè per tutorem conſtitui poteſt.

III. *Exceptio: Niſi minor uigintiquinq; annis dotem conſtituerit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi curator minoris conſenſerit. quæ replicatio approbatur l. mulier. 28. C. de in re dotium, his uerbis:* Mulier in minore ętate cõſtituta dotem marito, conſentiente generali uel ſpeciali curatore, rectè dare & exigere poteſt: licet ipſe tempore creationis fideiuſſorem in minorem quàm dos eſt quantitatem dicitur præſtitiſſe. Hoc idem obſeruatur, & ſi minor ante nuptias donationẽ conſentiente (ut dictum eſt) curatore fecerit. *Huius replicationis duplicatio eſt: Niſi curator in cõſtituẽda dote modũ exceſſerit. quæ duplicatio approbatur l. ſiue. 61. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĵ. except. 9.*

IIII. *Exceptio: Niſi ſerua dotem conſtituerit. Hæc exceptio approbatur l. Proculus. 67. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĵ. cap. 6. except. 13. diſtinct. 4.*

V. *Exceptio: Niſi ſeruo dos ſit conſtituta uel promiſſa. Hæc exceptio reprobatur l. quemadmodum. 46. in prin. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Quemadmodũ in uito domino ſeruus ſtipulatus adquirit: ita ſi dotẽ domini nomine ſibi promitti patiatur, obligatio domino adquiritur. Sed neq; periculũ dominus præſtare debebit, ſi fortè debitor mulieris dotẽ promiſerit, neq; culpã.

VI. *Exceptio: Niſi eo tẽpore, quo dos ab alio promittebatur, mulier ſtipulatori nubere noluit. Hæc exceptio reprobatur l. ſi ſponſalib. 58. in prin. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Si ſponſalibus nondũ factis, Titio dotem Seiæ nomine promiſeris, cùm ea nubere ei nollet: tamẽ ſi poſtea nupſerit, dotẽ debebis: niſi aliæ nuptiæ mediç interceſſerint. *Plura de hac exceptione uide ĵ. eod. cap. except. 27.*

VII. *Exceptio: Niſi pro ſerua nuptura ignorans promiſerit. Hæc exceptio approbatur l. ſi mulier. 59. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ĵ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 4. reg. 4. except. 1.*

VIII. *Exceptio: Niſi pro incerta perſona dos ſit promiſſa. Hæc exceptio reprobatur l. à Titio. 108. ff. de uerb. obligat. his uerbis:* A Titio ita ſtipulatus ſum, &c.

VIII. *Exceptio: Niſi certa ſpecies uel quantitas in dotis promiſſione non ſit expreſſa. Hæc exceptio approbatur l. 1. C. de dotis promiſſione, his uerbis:* Fruſtra exiſtimas actionem tibi competere, quaſi pro miſſa dos tibi, nec præſtita ſit: cum neq; ſpecies ulla, neq; quantitas promiſſa ſit, ſed hactenus nuptiali inſtrumẽto adſcriptũ, quòd ea quæ nubebat, dotẽ dare promiſerit. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi ita promiſſum ſit, Quodcunq; arbitratus fuerit. quæ replicatio approbatur l. ſi cùm ea. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Si cùm eã quæ tibi matrimonio copulata eſt, nuberet, is cuius meminiſti, dotẽ tibi, nõ addita quantitate, ſed quodcunq; arbitratus fuiſſet, pro ea daturũ ſe repromiſit, & interpoſitæ ſtipulationis fidẽ nõ exhibet: cõpetentibus actionibus uſus, ad promiſſi emolumentũ iure iudiciorum peruenies. uidetur enim boni uiri arbitrium ſtipulationi inſertũ eſſe. *Concordat l. cum poſt. 69. §. gener. ff. de iure dotium, his uerbis:* Gener à ſocero dotẽ arbitratu ſoceri certo die dari, non demõſtrata quantitate, ſtipulatus fuerat. arbitrio quoq; detracto, ſtipulationẽ ualere placuit. Nec uideri ſimile, quòd fundo non demõſtrato nullũ eſſe legatũ uel ſtipulationem fundi conſtaret: cum inter modũ conſtituendæ dotis & corpus ignotum magna differentia ſit. dotis etenim quantitas pro modo facultatũ patris, & dignitate mariti conſtitui poteſt. *Ait Iuriſconſultus:* Arbitrio quoq; detracto, ſtipulationẽ ualere placuit. *Hæc uerba cum ſequentibus propoſitæ exceptioni contradicunt potius, quàm eam diſtinguunt.*

IX. *Exceptio: Niſi plus quàm licet, curator puellæ dotis nomine promiſerit. Hæc exceptio approbatur l. ſiue. 61. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Siue generalis curator, ſiue dotis dandæ cauſa conſtitutus ſit, & amplius dotis promiſſum eſt, quàm facultates mulieris ualent: ipſo iure promiſsio non ualet: quia lege rata nõ habetur authoritas dolo malo facta. Quærendũ eſt tamẽ, utrum tota obligatio, an quod amplius promiſſum eſt quàm promitti oportuit, infirmetur? & utilius eſt dicere, id quod ſuperfluum eſt, tantummodò infirmari. *Ait Iuriſconſultus:* Quod amplius promiſſum eſt quàm promitti oportuit. *Hoc definitur l. quæro. 60. ff. eod. tt. his uerbis:* Quæro, quantæ pecuniæ dotem

dotem promittenti adultæ mulieri curator conſenſum accommodare debeat? Celſus reſpondit: Modus ex facultatibus & dignitate mulieris maritiq; ſtatuendus eſt, quouſque ratio patitur. *Concordat l. cum poſt. 69. §. nuptijs. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĵ. except. 2. item concordat l. de creationib. 26. C. de epiſcopali audien. cuius uerba uide ĵ. lib. prox. cap. 4. except. 1. rep. l. 2.*

X. *Exceptio: Niſi uniuerſa bona doti ſint data. Hæc exceptio reprobatur l. nulla. 4. C. de iure dotiũ, his uerbis:* Nulla lege prohibitum eſt, uniuerſa bona in dotem marito fœminam dare. *Planè admittitur hæc exceptio, ſi pater materúe plures filias habẽs, pro una in dotem det dotem immodicam. tunc enim reliquis eo nomine datur actio. quæ approbatur l. unica. C. de inoff. dotibus, his uerbis:* Cum omnia bona à matre tua dote dicantur exhauſta, concordare legibus promptũ eſt, ut ad exemplum inofficioſi teſtamenti aduerſus dotẽ immodicam exercendæ actionis copia tribuatur, & filijs conquerentibus emolumenta debita deferantur. *Sed & admittitur exceptio propoſita, ſi curator adultæ facultates omnes doti dederit. de quo ĵ. except. prox. dictum eſt.*

XI. *Exceptio: Niſi nomine in dotem dato, nec delegatio nec litis conteſtatio ſubſecuta ſit. Hæc exceptio reprobatur l. 2. C. de obligat. & action. his uerbis:* Nominibus in dotem datis, quamuis nec delegatio præceſſerit, nec litis conteſtatio ſubſecuta ſit: utilem tamen marito actionem adſimilitudinem eius qui nomen emerit, dari oportere, ſæpe reſcriptum eſt.

XII. *Exceptio: Niſi minor ſit donatio ante nuptias, quàm dos. De hac re dicetur ĵ. cap. 8. reg. 24. §. ait Imperator Leo.*

XIII. *Exceptio: Niſi quis putans ſe mulieri debere, pro ea dotem per errorem promiſerit. Hæc exceptio reprobatur l. cũ fundo. 78. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si marito dotis nomine ſtipulanti promiſerit per errorem is qui exceptione tutus erat, nec ſoluat: cogetur ei ſoluere, & habebit condictionẽ aduerſus mulierem aut patrem, uter eorum delegauit, ob id quòd indebitũ marito promiſit aut ſoluit. *Concordat l. quemadmodum. 46. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Pater, etiamſi falsò exiſtimans ſe filiæ ſuæ debitorem eſſe, dotem promiſerit, obligabitur.

XIIII. *Exceptio: Niſi mortis cauſa dos ſit promiſſa, uel in tempus mortis. Hæc exceptio approbatur l. Iulian. 20. ff. de iure dotium, his uerbis:* Iulianus ſcribit, ualere talem donationem, Cum morieris, dotis nomine tot dari. quia & paciſci ſolet, ne ea uiua exigatur. Quod non eſſe ſimile, accepi. aliud eſt enim differre exactionem, aliud ab initio in id tẽpus ſtipulari, quo matrimonium futurum non ſit: idq; & Ariſtoni & Neratio & Pomponio placet. *Concordat l. ſi pater. 76. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĵ. proximè. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi alius quàm mulier mortis ſuæ cauſa dotem promiſiſſet. quæ replicatio approbatur d. l. 76. his uerbis:* Si pater mulieris mortis ſuæ cauſa dotem promiſerit, uaalet promiſsio. nam & ſi in tempus quo ipſe moriretur, promiſiſſet, obligaretur. Sed ſi conualuerit, cur ei non remittatur obligatio per condictionem, atq; ſi ſtipulanti quiuis alius promiſiſſet, aut dotem alicuius nomine? nam ut corporis uel pecuniæ translatæ, ita obligationis conſtitutæ mortis cauſa cõdictio eſt. Non idem dicendũ eſt in perſona mulieris, ſi mortis cauſa dotem promiſit: quia niſi matrimonij oneribus ſeruiat, dos nulla eſt. *Ait turiſconſultus:* Non idẽ dicendum eſt. *ſcilicet, quòd ualeat promiſsio: & ita concordat d. l. 20. Planè iam dictæ replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi cum alius mortis cauſa dotem pro muliere promiſiſſet, is conualuerit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce:* Sed ſi conualuerit, &c.

XV. *Exceptio: Niſi dos ita promiſſa ſit, Cum commodiſsimum erit. hoc enim caſu uidebatur, quòd promiſſor ad ſoluendum urgeri non poſſet, ſemper hac ratione ſe defendens, ſibi non eſſe commodum. uerùm exceptio hæc reprobatur l. auus. 79. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Pater filiæ nomine centum doti promiſit ita, Cum commodiſsimum erit. Ateius ſcripſit Seruium reſpondiſſe, cum primùm ſine turpitudine & infamia dari poſsit, deberi.

XVI. *Exceptio: Niſi quod filiusfamilias mariti debet, ei in dotem promiſſum ſit. Hæc exceptio approbatur l. ſi pater. 44. §. quæ debitorem. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĵ. quæſt. 6. reg. 4.*

XVII. *Exceptio: Niſi quis hæreditatem fideicommiſſariam, quam mulieri debebat, pro ea dotis nomine marito promiſerit. Hæc exceptio approbatur l. ſi mulier. 59. §. ex aſſe. ff. de iure dotium, his uerbis:* Ex aſſe hæres inſtitutus, rogatusq; mulieri dodrantem hæreditatis reſtituere: iuſſu eius, quod debet, doti promiſit marito. Vereor ne non ſit obligatus. nam mulieri in hoc tenetur, ut hæreditatem reſtituendo transferat actiones, & quas habet, & quibus eſt obſtrictus: quas transferre ad alium, quàm cui debet ſi deicommiſſum, non poteſt. Dixerit aliquis, incerti cum eo agi poſſe, ut fideicõmiſſi præſter æſtimationem. Huic ego conſentire non poſſum. nam obligari mulieris debitoré ita æquum eſt, ſi accipere idipſum, quod ei debetur, uir poteſt. Sed ne indotata mulier eſſe nideatur: dicendũ eſt, ipſi mulieri ex Trebelliano reſtituendam eſſe partem hæreditatis, quæ ei relicta eſt, ut ea ſuo marito pro dote eam ſoluat: quia ad eam & fideicommiſſum & onera eius pertinent, delegatione propter nimiam ſubtilitatem & caſus neceſsitatem minimè obtinente.

XVIII. *Exceptio: Niſi nulla ſtipulatio in dotis cõſtitutione interuenerit. Hæc exceptio reprobatur l. ad exact. 6. C. de dotis promiſsione, his uerbis:* Ad exactio

nem dotis,quam semel prestari placuit,qualiacunq; sufficere uerba censemus,siue scripta fuerint,siue nõ, etiamsi stipulatio in pollicitatione rerũ dotaliũ minimè fuerit subsecuta. *Concordat l.unica.§.1.C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Rei uxoriæ actione sublata, sancimus omnes dotes per ex stipulatu actionẽ exigi, siue scripta fuerit stipulatio, siue non: ut intelligatur reipsa stipulatio esse subsecuta.Eodemq; modo,etsi inutiliter facta est stipulatio: adiuuari enim eam magis quàm euanescere oportet. Si enim,cùm una instrumento stipulatio ualida inueniatur,etiá aliis inutilibus suam noscitur præstare fortitudinem: quare non ex nostra lege huiusmodi stipulationibus robur accedat legitimũ? Est enim consentaneum nobis, qui censemus,ubi stipulatio suppositа non est,intelligi eam fuisse adhibitam: & multò magis etiam,si inutilis est,ualidam eam effici.

XIX. *Exceptio: Nisi inutilis stipulatio dotis constitutioni interuenerit. quæ exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*:Eodemq; modo,etsi inutiliter facta est stipulatio,&c.

XX. *Exceptio:Nisi dolus interfecerit in dotis constitutione. Hæc exceptio approbatur l.iure.6.§.fin.ff.de iure dotium,his uerbis*: Si in dote danda circumuentus sit alteruter, & maiori annis uiginti quinq; succurrendũ est: quia bono & æquo non cõuenit, aut lucrari aliquẽ cum damno alterius, aut damnũ sentire p alterius lucrũ.

XXI. *Exceptio: Nisi dotis adiectio in stipulatione non sit facta. Hæc exceptio reprobatur l.quia autem.23. ff.de iure dotium, his uerbis*: Quia in stipulatione non est necessaria dotis adiectio,etiam in dationetantundem dicimus.

XXII. *Exceptio: Nisi scriptura non interuenerit. Hæc exceptio reprobatur l.ad exactionem.6. C.de dotis promißione.cuius uerba uide §.except.18. Concordat l. unica. §.& uemo putet. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ĵ.quæst.6.reg.3.*

XXIII. *Exceptio:Nisi post diuortium mulier sciente uiro prædia dotalia,diu possederit. Hæc exceptio approbatur l.cum post.69.in prin.ff.de iure dotium,his uerbis*: Cum post diuortium uiro sciente mulier in possessione prædiorũ, quæ in dotem promisit, longo tempore fuerit: conuenisse tacitè uidetur, ne dos, quæ promissa fuerat, petatur: & si peti ea cœperit,pacti exceptione à muliere repellatur.

XXIIII. *Exceptio: Nisi is qui pro muliere dotem promisit, postea eidem mulieri rem istam legauerit, & ex testamento etiam agatur. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt ĵ.lib.32.cap.6.except.96.*

XXV. *Exceptio: Nisi debitore dotis nomine delegato,delegans postea debitum exegerit. Hæc exceptio reprobatur l.si debitor.80.ff.de iure dotium,cuius uerba uide ĵ.cap.10.reg.3.*

XXVI. *Exceptio: Nisi nuptiæ non sint secutæ. Hæc exceptio approbatur l. stipulationem. 21. cum lege sequente.ff.de iure dotiũ,his uerbis*: Stipulationem quæ propter causam dotis fit,constat habere in se conditionem hanc,Si nuptię fuerint secutę: & ita demũ ex ea agi posse,quamuis non sit expressa cõditio,Si nuptiæ constant. Quare si nuncius remittatur,defecisse cõditio stipulationis uidetur. Et licet postea eidem nupserit,non cõualescat stipulatio. *Concordat l.promittẽdo.41.in prin.ff.eod.tt. his uerbis*: Si nuptiæ secutę nõ fuerint,ex stipulatu agi nõ potest:magis enim res q̃ uerba intuẽda sunt. *Cõcordat itẽ l.itẽ quia.4. §.huius rei. ff.de pactis, hisce uerbis*: Argumentũ est tacitę conuentionis,stipulatio dotis causa facta,nã ante nuptias malè petitur,quasi hoc expressum sit,ut nuptijs non secutis ipso iure euanescat stipulatio.

XXVII. *Exceptio: Nisi ante secutas nuptias sponsalibus sit renunciatum. Hæc exceptio approbatur d.l. 21.in fine,cum lege sequente.ff.de iure dotium.cuius uerba uide §.except.prox. Huius exceptionis replicatio est: Nisi dote ante sponsalia cõstituta,mulier nubere noluit, nõ autem sponsalibus factis renunciauit.tunc enim, si postea uoluntate mutata nupserit, nihilominus dos debetur. quæ replicatio approbatur l. si sponsalib. 58. in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.except.6.*

XXVIII. *Exceptio:Nisi aliæ nuptiæ interuenerint. Hæc exceptio approbatur d.l.58.in prin. ibi:nisi aliæ nuptiæ mediæ interfecerint. Cõcordat l.dotis.68.in fin.ff. eod.tt.his uerbis*: Quod uulgatũ est,dotis p̃missionẽ in primis dũtaxat nuptijs destinari,neque durare obligationẽ,si post alterius matrimoniũ ei nubat,cui dotẽ promiserat:tunc locũ habet,cum interfecerunt aliæ nuptiæ.

XXIX. *Exceptio:Nisi matrimoniũ,propter quod dos promissa est,iure cõsistere non possit.Hæc exceptio approbatur l.dotis.3.ff.de iure dotiũ,his uerbis*: Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ cõsistere non possunt.neq; enim dos sine matrimonio esse potest. Vbicunq; igitur matrimonij nomẽ non est,nec dos est. *Cõcordat item inst.de nuptijs.§.si aduersus ea.cuius uerba uide §.lib.prox.cap.2.quæst.3.reg.1.Huius exemplũ proponitur l.si serua.39.§.fin.ff.de iure dotium, his uerbis*: Si spadoni nupserit mulier: distinguendum arbitror,castratus fuerit,nec'ne. ut in castrato dicas,dotẽ non esse: in eo qui castratus non est (quia est matrimoniũ) & dotẽ & dotis exactionem esse. *Propositæ exceptionis replicatio est:Nisi matrimoniũ ex pòst facto cõualescat. quæ replicatio approbatur duobus exemplis l.dotis.68. ff.de iure dotiũ,his uerbis*: Dotis p̃missio nõ ideo minus ualet, quòd ignoráte initiò patre nuptię fuerint,si postea cõsenserit: cũ omnis dotis p̃missio futuri matrimonij tacitã conditionẽ accipiat. Nam & si minor annis duodecim, ut maior,ducta fit:tũc primùm petetur,cum maior añis apud eundẽ esse cœperit. Qd̃ n. uulgatũ est, &c. *Reliqua uerba uide §.excep.prox.*

XXX. *Exceptio: Nisi matrimoniũ sit solutũ. Hæc exceptio reprobatur Nouell.c.22.§.porrò autem dotes, in fine, his uerbis*: Si sufueniat, ut mariti constante adhuc matrimonio dotes nõ percipiant:secundũ legẽ eas uel post mortem uxorum ab illarũ hæredibus recipient,prout dotalis instrumẽti tenor innuit. *Concordat l.si socer.44.§.Lucius.ff.soluto matrimonio,his uerbis*:Lucius Titius filiæ suę nomine centũ dotẽ promisit Caio Seio:interq; Caium Seiũ & Lucium Titiũ patrem mulieris cõuenit,ne dos à uiro uiuo Lucio Titio peteretur. postea cum pa mariti diuortio facto solutũ est matrimonium:& pater mulieris decedens alios hęredes instituit,filia exhæredata. Quæro,an ab hæredibus soceri maritus exigere possit dotem,cum eam mulieri redditurus sit? Paulus respondit:Cùm filia,alijs à patre hæredibus institutis,actionẽ de dote sua recuperãda habere cœperit: necesse habebit maritus, aut exactam dotẽ, aut actiones ei præstare. nec ullam exceptionẽ habebunt soceri hæredes aduersus eum:cum absurdè dicatur,dolo uideri eum facere, qui non ipsi quę conuenit, sed alij restituturus petat.Alioquin & si post mortẽ patris diuertisset, nondũ exacta dote, excluderetur actione dotis maritus: qd̃ non est admittẽdum. Sed & si ex parte filia hęres patri suo extiterit:debebit maritus cohæredes eius pro parte uirili exigere, & mulieri reddere,aut actiones ei præstare. *Planè ex uerbis iam propositis constat,exceptionem propositam admitti,si maritus ei à quo petit,dotem sit restitutu rus,iuxta l.dolo facit.8.in prim.ff.de doli mali except.et l.in cõdemnatione.131.§.fin.ff.de reg.iuris.Huic concordat l.quod de reddenda.25. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide §.cap.prox.quæst.2.reg.1.Sed & eius exemplum proponitur in eo,cuius culpa matrimonium solutum est.l.Bebius.30.ff.d.tt.cuius uerba uide ĵ.cap.6.except.28.repl.1.*

XXXI. *Exceptio: Nisi pater,qui pro filia dotem promisit,ante nuptias eam emancipauerit, uel mortuus sit. Hæc exceptio reprobatur l.si pater.44.in prin.ff. de iure dotium, his uerbis*: Si pater filiæ nomine dotem promiserit,& eam ante nuptias emãciparit: non resoluitur promissio. nam & cum ante nuptias pater moreretur, nihilominus hæredes eius ex promissione obligati manerent.

XXXII. *Exceptio: Nisi mulier ingrata sit ei,qui dotem pro ea promisit.Hæc exceptio reprobatur l.cum post.69.§.patrona.ff.de iure dotium,his uerbis*: Patrona dotem pro liberta iure promissam, quòd extitit ingrata,non retinebit.

XXXIII. *Exceptio: Nisi conuenit,ne ab inuito dos exigeretur. Hæc exceptio approbatur l.ult.§.fin.ff. de pactis dotalibus, his uerbis*: Si pater filiæ nomine pecuniam certam in dotem promisit, & pactus est ne inuitus eã solueret: nihil ab eo exigendum puto: quia id quod pacto conuento,ne inuitus exigeretur,cõuenit,in dotis causam esse non uidetur.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi cum conuenisset, ne uiuo patre, neue constante matrimonio dos petatur, matrimonium uiuo patre sit solutum. Hæc exceptio approbatur l.cum pater.11.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Cum pater dotem pollicitus fuerit,& pacisc atur,ne à se uiuo petatur, neue constante matrimonio:ita pactum interpretandum diuus Seuerus constituit,quasi denùò adiectum esset,Se uiuo. Hoc enim ita accipiendum contemplatione pietatis paternæ & contrahentium uoluntatis, ut & posterior quoque pars conuentionis ad uitam patris relata uideatur: ne diuersa sententia fructus dotis ab onerib. matrimonij separet,quodque indignissimum esset,inducat,ut nõ habuisse dotẽ existimetur. Quo rescripto hoc effectum est,ut si quidem uiuo patre decesserit filia, aut sine culpa sua diuerterit, omnimodo dos peti non possit: constante autem matrimonio mortuo patre,peti possit. *Concordat l.ob res.20. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. cap.prox.quæst.2.reg.1.*

XXXV. *Exceptio: Nisi conuenerit,ne dos petatur. Hæc exceptio approbatur l.si pater.12.§.ex pactis. ibi: cæterùm. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide §. cap.prox.quæst.1.except.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum alius pro muliere dotem promisisset,ei sine consensu mulieris pactum de non petendo factum sit.quæ replicatio approbatur simul & d stinguitur per ea quæ dicta sunt §.cap.1.quæst.1.except. 1. Secunda replicatio est:Nisi uir uxori donandi causa pactum de non petendo fecerit.Hæc replicatio approbatur ĵ.lib.35.cap.8.except.29.repl.1.exemplo 7.*

XXXVI. *Exceptio: Nisi dos marito soluta sit. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi maritus uxori donandi animo,constante matrimonio,dotem restituerit. quæ replicatio approbatur l.unica. C. si dos constante matr.his uerbis*: Si constante matrimonio à marito uxori dos sine causa legitima refusa est(quod legib.stare non potest:quia donationis instar perspicitur obtinere) eadem uxore defuncta, ab eius hæredibus cũ fructib. ex die refusæ dotis marito restituatur: ita ut proprietas eiusdẽ, liberis ex eadẽ susceptis,alienari contra legem à marito nõ possit. *Concordat Nouell.c.22.§.porrò aũt dotes, his uerbis*: Dotes quas mariti perceperunt, nõ temerè uxoribus reddent, cõstante adhuc matrimonio, nisi ex causis quas lex enumerat. Alioquí si quid tale egerint: quod gestũ est, imitationem quandã & speciem de se præbere donationis uidetur:& si mulier moriatur, recipiẽt dotes mariti, qui intẽpestiuè eas uxorib. restituerunt,ab uxorũ hęredibus, cum medij tẽporis fructibus, tam ipsi quàm hæredes eorum, & ex pacto conuento habe

bunt in lucrum: & si ad secundas uiri nuptias procedant, conseruabunt hæc filijs, nulla ex ijs re abalienata. id quod in uniuersum constitutum est. *Ait Imperator:* Nisi ex causis quas lex enumerat. *Hisce uerbis denotantur repli cationis propositæ duplicationes, quarum prima hæc est: Nisi in alimenta uxori dotem constante matrimonio restituerit. quæ duplicatio approbatur l. mutuo. 79. §. ma nente. ff. de iure dotium, his uerbis:* Manente matrimonio, non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest, ut se suosq; alat, ut fundū idoneum emat, ut in exiliū uel in insulā relegato parenti præstet alimoniā, aut ut egentem uirum, fratrem, sororemue sustineat. *Secūda duplicatio est: Nisi ut emat prædia, restituit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vt fundum idoneum emat. *Tertia duplicatio est: Nisi ut patrem exulantem uel egentem uxor alat, ei dos à marito sit restituta. Hæc duplicatio approbatur uerbis suprà dictis hisce:* Vt in exiliū uel in insulam relegato parenti præstet alimoniam. *Concordat l. quamuis. 20. ff. soluto matrimonio. cuius uerba pro ponentur paulò inferius. Quarta duplicatio est: Nisi ut liberos ex alio coniugio, fratres, sorores, parentes aut uirum sustineat, uel ab hostibus redimat, dos illi à marito sit restituta. Hæc duplicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* Aut ut egētem uirum, fratrem, sororemue sustineat. *Concordat d. l. 20. his uerbis:* Quamuis mulier non in hoc accipiat constante matrimonio dotem, ut æs alienū soluat, aut prædia idonea emat: tamen ut liberis ex alio uiro egentibus, aut fratribus, aut parentibus consulat, uel ut eos ex hostibus redimat (quia iusta & honesta causa est) nō uidetur malè accipere: & ideo rectè ei soluitur. idq; & in filiafamilijs obseruatur. *Quinta duplicatio est: Nisi ut æs alienum soluatur, maritus uxori dotem restituerit. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Vt æs alienum soluat. *Concordat l. ult. ff. de iure dotium, his uerbis:* Fundum filiæ nomine pater in dotem dederat. huius hæredi filiæ ex asse (creditoribus patris urgētibus) utilius uidebatur, potiùs fundum, qui dotalis erat, distrahere, quòd minus fructuosus esset: & alios hæreditarios uberiore reditu retinere. maritus consensit, si nulla in ea re captio futura sit. Quæro, an pars dotis, quæ in hoc fundo est, mulieri manente matrimonio rectè soluatur? Scæuola respondit, si precium creditoribus soluatur, rectè solutum. *Hæc de duplicationibus propositæ replicationis sint dicta. Sed & plures huiusmodi duplicationes licet uidere ff. lib. 23. cap. 8. Quæ enim ibi exceptiones propositæ sunt, hic quoque duplicationum loco possunt repeti. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi dos in solutum data euicta sit. De hac re uide ff. cap. prox. Tertia replicatio est: Nisi non solidum fit solutum. quæ replicatio approbatur l. si uoluntate. 4. C. de dotis promiss. his uerbis:* Si uoluntate dotantis, &c. *Concordat l. si pater. 12. §. si fundo. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide ff. cap. 8. reg. 11. except. 4.*

XXXVII. *Exceptio: Nisi antenuptialis donatio actis non sit insinuata. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 127. §. illud quoq;, his uerbis:* Illud dignū correctione aliqua esse iudicantes, partem hoc præsentis facimus legis. Ex ipso enim rerum inuenientes experimento, necessarium esse mulieribus actis monumentorum antenuptiales donationes insinuari, ut si principalia instrumenta pereāt (quod facile est) per monumenta matrimonij eis probatio maneat: sancimus, necesitatem habere uiros ipsos, aut etiam qui pro eis antenuptialem donationem scribunt, si quingentorum solidorum transcendit quantitatem, insinuare eam in actis monumētorum, in regia quidem ciuitate apud magistrum cēsus, in prouincijs autem apud uniuscuiusque ciuitatis defensores, aut apud quos omnino talia documenta confici possunt. Si uerò non insinuent eas: quantum quidem ad partem mulieris, etiam sic eas ualere iubemus, & si tempus fiat exactionis donationis & partis eius, non opponi mulieri non insinuatam fuisse donationem. Si uerò dotalia pacta & horum euentus parti uiri cōcedunt actionem dotis, aut etiam eius partis: nullam eum habere iubemus actionem, si nō donationem insinuauit in actis monumentorum, sicut dictum est. uiris enim habentibus potestatem insinuare donationes, pro non insinuatis periculum mulieribus imminere, ineptum nobis esse uidetur. *Concordat Nouell. c. 119. §. 1. cuius uerba uide ff. cap. 11. quæst. 4. reg. 3. except. 5. Hactenus de causa petitionis dotis, eiusq; exceptionibus dictū est. Sequuntur nunc reliqui huius actionis loci.*

II. QVIBVS PETITIO DOtis competit?

I. *Regula, De muliere, pro qua dos est promissa. Huic quoq; dotis petitio competit. quæ regula approbatur l. tali stipulatione. 48. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Socer genero sic legauerat: Lucio Titio filię meæ nomine centū hæres meus dare damnas esto. Hanc pecuniam generum petere debere, & exactam acceptam legatis referre: sed diuortio facto, de dote actionem mulieri reddendam, Proculus respondit: & nihilominus dotis esse factam. Iulianus notat: Imò nec filiæ (si uoluerit) deneganda est huiusmodi actio. *Cōcordantes leges uide ff. lib. 33. cap. 2. quæst. 3. reg. 3. Planè regula proposita in actione quidem ex testamento locum habet, in actione uerò ex stipulatu locum non habet: quod exceptionis loco notandum. quæ exceptio approbatur l. si pater. 35. C. de dotis promiss. his uerbis:* Si pater marito tuo stipulanti promiserit dotem: non tibi, sed marito contra successores soceri competit actio.

II. *Reg. De patre mariti filiifamilias. Huic quoq; ua-*

detur actio danda, ex l. si is. 56. §. ibi. ff. de iure dotium, his uerbis: Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonij sunt. Post mortem patris statim onera matrimonij filiū sequūtur, sicuti liberi, sicut uxor.

III. *Regula, De domino serui dotem stipulantis, proponitur l. quemadmodum. 46. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 5.*

III. ADVERSVS QVOS datur actio?

I. *Regula, De fideiussore, proponitur l. cum dotis. 55. ff. de iure dotium, his uerbis:* Cum dotis causa aliquid expromittitur, & fideiussor eo nomine datus tenetur.

II. *Regula, De debitore dotis nomine inutiliter delegato, & uxore delegante, proponitur l. si mulier. 59. §. ex asse. ff. d. tt. cuius uerba uide §. quæst. 1. except. 17.*

IIII. QVID ET QVANTVM ueniat in hac actione?

I. *Regula, De usuris. Hæ regulariter non debentur. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mora in soluenda dote sit facta. Hæc exceptio approbatur simul et declaratur l. ult. §. præterea, usq; ad finem legis. C. de iure dotium, his uerbis:* Sancimus, si quis in dotem uel prædia, uel certū reditum, uel ædes, uel panes ciuiles spopondit uel promisit: si ex tempore matrimonij biennium transactum sit, illicò redituum uel pēsionum, necnon panis ciuilis quæstum eum præstare, etiamsi non fuerint adhuc res principales traditæ. Et si tota dos in auro sit, itidem post biennium usuras usq; ad tertiā centesimæ prę stari. Sin autem aliæ res præter immobiles uel aurum fuerint in dotem datæ, siue in argento, siue in muliebribus ornamentis, siue in ueste, siue in alijs quibuscunq;: siquidem æstimatæ fuerint, simili modo post biennīū & earum usuras ex tertia centesimæ currere. Sed æstimationem earum (quia & hoc apertius declarare oportet) eam intelligendam, quę pro singulis speciebus facta est, uel pro unoquoq; genere dotalium specierum, id est, pro argento, uel ornamento, uel ueste, uel alijs speciebus: & nō esse expectandam post singulas æstimationes unam coadunationē totius calculi: quod satis scrupulosum, & per nimiam subtilitatem pernicioſum est. Sin autem minimè res mobiles fuerint æstimatæ: ea post biennium obseruari, quæ leges post litem contestatam pro omnibus huiusmodi rebus definiunt. Sin uerò res permistæ fuerint, & partim in auro, partim alijs rebus mobilibus uel immobilibus: pro iam facta diuisione omnia procedere: licentia minimè deneganda marito, quando uoluerit, dotem petere. nec is qui debet, putet sibi licentiam esse, reditus, uel pēsiones, uel usuras, uel accessiones soluenti dotis solutionem protelare; sed siue ante biennium, si ue postea, uoluerit dotem pars mariti petere, queat (& secundum leges) eam exigere. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi biennium ex tempore matrimonij nōdum præterierit. tunc enim nec ex mora debentur usuræ, ut ex iam dictis patet. Sed & alias replicationes uide §. except. prox. Altera propositæ regulæ exceptio est: Nisi usuræ promissæ sint. quæ exceptio approbatur l. 2. C. de dotis promiss. his uerbis:* Si dote promissa, socer tuus usuras dare spopondit: id quod deberi ostenderis, competens iudex dissolui tibi præcipiet. *Ratio huius exceptionis proponitur l. si quis. 21. §. si uxor. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide §. repl. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi mulier uel eius pater ipsam suis sumptibus exhibuerit. quæ replicatio approbatur l. cum post. 69. §. in domū. ff. de iure dotium, his uerbis:* In domum absentis uxore deducta, nullis in eam interea ex bonis uiri sumptibus factis, ad exhibitionē uxoris promissas usuras reuersus uir improbè petit. *Concordat l. pater. 17. in prin. ff. de dolimali except. his uerbis:* Pater pro filia dotem promiserat, & pactus erat, ut ipse aleret filiam suam eiusq; homines. idē homo rusticanus genero scripsit usuras præstādas, quasi ex dotis promissione. quæsitum est, cum ipse filiam suam exhibuerit, & maritus nullam impensam fecerit, an ex chirographo ex stipulatu agēti genero exceptio obstare debeat? Scæuola respondit, si (ut proponitur) pater, cum exhiberet, per errorem promisisset, locum fore doli mali exceptioni. *Concordat item l. in insulam. 42. §. usuras. ff. soluto matrim. cuius uerba uide §. cap. 8. reg. 9. Secunda replicatio est: Nisi maritus uxori usuras remiserit. Hæc replicatio reprobatur l. si quis. 21. §. si uxor. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si uxor uiro dotem promisit, & dotis usuras: sine dubio dicendum est, usuras peti posse: quia non est ista donatio, cum pro oneribus matrimonij petantur. Quid tamē, si maritus uxori petitionem earum remiserit? eadem erit quæstio, an donatio sit illicita? Et Iulianus hoc diceret: quod & uerum est. *Admittitur replicatio proposita, si maritus uxori dotem eiusq; usuras in alimenta eius remiserit. quæ distinctio approbatur ibidem uersiculo: plane si conuenerat. cuius uerba cum similibus uide §. lib. 35. cap. 8. except. 12. in prin. Tertia replicatio est: Nisi uir per uitam suam usuras non petierit, & uxori dotem relegauerit. quæ replicatio approbatur l. uir. 54. ff. d. tt. his uerbis:* Vir usuras promissæ dotis in stipulatum deduxerat, easq; non petierat. cum per omne tempus matrimonij sumptibus suis uxorem & eius familiam uir exhiberet: dote relegata, & donationibus fideicommisso confirmatis, legato quidē dotis usuras nō cōtineri uidebatur, sed titulo donationis esse remissas.

II. *Regula, De fructibus. Hi quoque debentur. quæ regula approbatur l. dotis. 7. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:*

his uerbis: Dotis fructus ad maritũ pertinere debere, æquitas suggerit. cum enim ipsa onera matrimonij subeat, æquum est eum etiam fructus percipere. *Cõcordat l.ult.§.præterea. C.de iure dotiũ.cuius uerba uide s̃.reg.1.in prin. Huius regulæ exceptio prima uidetur esse talis:* Nisi maritus *uxorem fructus capere permiserit. Hæc exceptio reprobatur l.pro oner.20.C.de iure dotium, his uerbis:* Pro oneribus matrimonij, mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit: uel si uxori capere donationis causa permisit, eũ in quãtum locupletior facta est, posse agere, manifestissimi iuris est. *Planè admittitur exceptio proposita, si in alimenta uxorem fructus capere permisit. quæ distinctio approbatur l.2. C. de pactis super dote, his uerbis:* Fructus prędiorum in dotem datorum, si secundum pactũ sumptibus tuis tuorumq; seruierunt, repeti non posse, ambigere non debes. *Secũda exceptio est, Quòd impensæ à muliere factæ ex fructibus deducantur. quæ exceptio approbatur l.fructus.7.in prin.ff.soluto matr.cuius uerba uide j.cap.8.reg.2.except.3.replic.2.*

III. Regula: *In quantũ facere potest, reus hac actione tenetur. quæ regula approbatur l.rei iudicatæ.15. §. fin.cum legibus sequentib.ff.soluto matrimonio, his uerbis:* Socero, cum quo nurus de dote agit, idẽ honor habetur, ut in id damnetur quod facere potest. quia parentis locum socer obtinet. Ex diuerso, si socer ex promissione à marito conueniatur: solet quæri, an idem honor ei habẽdus sit? Neratius libris membranarum, & Proculus scribunt, hoc iustum esse. Item si mulier ex promissione conueniatur, magis placuit defendẽdam eam per exceptionem. idẽ & Proculus ait. Sicuti enim cum socia fuerit, sic dabitur ei exceptio: quãuis iure ciuili sit obligata. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non uxor neq; socer, sed extraneus dotem promiserit. quæ exceptio approbatur l. si de dote.34.ff.de iure dotium, his uerbis:* Si de dote promissa agatur, non oportet in quantũ facere potest, condemnari eum qui promisit. Paulus: Imò quod ad extraneũ attinet, semper hoc uerum est. Cæterùm si manente adfinitate, dotẽ promissam gener à socero petat: utiq; in quantũ facere potest, socer condemnabitur. Si dirempto matrimonio petatur, ex causa & persona id tribuendũ puto. Quid enim, si socer specie futurę dotis induxerit generũ: & cum sciret se præstare dotẽ non posse, id egerit ut genero insidiaretur? *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi extraneus tanquã ex causa dotis debitor mulieris dotem promiserit. quæ replicatio approbatur l.si prior.32. ff.soluto matr. his uerbis:* Si prior maritus posteriori dotis nomine tanquã debitor mulieris dotẽ promiserit: non plus quàm facere possit, dotis futurum est. *Altera propositæ regulæ exceptio est: Nisi mulier uel socer inescandi mariti causa ampliorem dotem promiserit. quæ exceptio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Quid enim, si socer specie futuræ dotis induxerit generum, &c.

IIII. Regula: *Si quis dotem promiserit, quantum arbitratus sit: ad boni uiri arbitrium redigitur. quæ regula approbatur l.si cum ea.3.C.de dotis promiß.cuius uerba uide s̃.cap.eod.except.8.repl.1.*

V. Regula: *Si illud aut illud doti promissum sit, in arbitrio promissoris est, quid debeatur. quæ regula approbatur l.quemadmodũ.46.§.si debitori.ff.de iure dotiũ, hisce uerbis:* Si debitori suo mulier nuptura ita dotẽ promiserit, Quod mihi debes, aut fundus Sempronianus doti tibi erit: utrum mulier uolet, id in dotem erit. Et siquidem debitum malit dotis nomine apud uirum remanere, potest exceptione se tueri aduersus petentem fundum. Quòd si fundum dederit, pecuniã à marito condicet. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi marito, qui illud aut illud debet, doti promissum sit quod debet. quæ exceptio approbatur l.si marito.9.ff.de fundo dotali, his uerbis:* Si marito debitori fundi id quod debebat, doti mulier promiserit: dotalẽ fundum effici. Quòd si ei promittat, qui fundum aut decem debuit: in arbitrio esse mariti, quid in dotem sit. Quòd si Stichum aut fundũ debuerit maritus, & quod debet doti ei promiserit: Sticho mortuo, fundum in dotem esse. His consequens esse, ut si Cornelianum aut Sempronianũ fundum debenti, id quod debet, doti promissum sit: utrum eorũ dotalem esse malit, hunc dotis esse. Planè utrum uelit alienatum, alterũ alienare non posse. Si tamen alienatũ rursus redimat: adhuc in eius potestate esse, an eum quẽ retinuisset, alienare uelit.

VI. Regula: *Si pater pro filia dotem promisit, utrum ex suis, an ex filiæ bonis dotem debeat, definitur l.si pater.7.C.de dotis promiß. his uerbis:* Si pater dotem pro filia simpliciter dederit, uel filio ante nuptias donationem fecerit, habeat autem filius uel in potestate constitutus, uel fortè emancipatus, res maternas, uel ex alio modo tales, quæ adquisitionem effugiũt, quarum ususfructus solus apud patrem remanet, uel quocunq; modo poterat quasdam actiones contra patrẽ habere: dubitabatur apud ueteres, utrúmne uideretur pater ex ipso debito, dotis uel ante nuptias donationis fecisse promissionẽ uel dationem, ut sese ab huiusmodi nexu liberaret: an debitũ quidẽ remaneret in sua natura, liberalitas autẽ paterna dotem uel ante nuptias donationẽ dare suggessisset? Et in tali dubitatione multa pars legislatorũ sese diuisit, alio etiam incremento huiusmodi quęstioni addito, si fortè dixerit in instrumento dotali, ex rebus paternis & maternis dotẽ uel ante nuptias donationẽ dare, utrũ pro dimidia parte uideatur datio uel ꝓmissio facta esse, an ꝓ rata portione utriusq;

utriusque substantiæ? Vtranque igitur dubitationem certo fini tradentes, sancimus, siquidem nihil addendum existimauerit, sed simpliciter dotem uel ante nuptias donationem dederit uel promiserit, ex sua liberalitate hoc fecisse intelligi, debito in sua figura remanente. Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino parentum esse officium, dotem uel ante nuptias donationem pro sua dare progenie. Liberalitas itaque talis maneat uera & irreuocabilis, ut puro nomine & liberalitas & debitum suam sequatur fortunam. Vbi autem ex rebus tam suis, quàm maternis, uel alijs, quæ non adquiruntur, uel ex suis debitis dixerit fecisse huiusmodi liberalitates: tunc siquidẽ inopia penitus tẽtus est, ex illis uideri rebus dotem uel ante nuptias donationẽ esse datam, quæ ad filios uel filias pertinent. Si uerò & ipse substantiam idoneã possidet, & in hoc quasi de suo patrimonio dotem uel ante nuptias donationem dedisse intelligatur. Poterat enim secundum suas uires dotem pro filia, uel ante nuptias donationem pro filio dare, & consentire filijs suis, quando uoluerint partem uel fortè totam suam substantiam, quam habent, paternæ liberalitati pro dote & ante nuptias donatione aggregare: ut reuera appareat, quid ipse uelit dare, & quid de substantia filiorum proficiscatur: ne dum effuso sermone sese iactet, in promptũ incidat sui periculum.

VII. Regula, *De fundo in dotem dato, & re pro fundo, muliere per in integrum restitutionem restituta, proponitur l.Titia.62.ff.de iure dotium, his uerbis:* Titia cum esset minor uigintiquinq; annis, quartam hæreditatis matris suæ, communem sibi cum fratribus, permutauit, & accepit pro ea parte fundum, quasi emptione inter se facta. Hunc fundum cum alijs rebus doti dedit. quæro, si in integrum restituatur, & partem suam accipiat quarram, & fundum reddat, quid debeat maritus facere? an contentus esse debeat alijs rebus in dotem datis? Item quæro, si hæc decesserit, & hæredes eius in integrum restitutionem ex persona eius petierint, & ipsi petant quartam partem, & illi fundum, an maritus cogatur restituere fundum, cõtentus in retentione lucri dotis cæteris rebus? Modestinus respondit, nihil proponi, cur marito dos auferẽda sit: sed in meram æstimationem prædij mulier, uel eius hæredes condemnandi sunt, referendã in hoc tempus, quo in dotem datus est.

VIII. Regula: *Si curator adultæ plus quàm facultates mulieris ferunt, doti promiserit: quid & quantum debeatur, definitur l.quæro.60. & l.siue.61. in prin. ff.de iure dotium.cuius uerba uide s̃.eod.cap.except.9.*

IX. Regula, *De re minoris, & eius precio, proponitur d.l.61.§.1.his uerbis:* Curator res dotis nomine tradere debet, non ut uendat cuilibet, & precium eius in dotem det. Dubitari tamen potest, an hoc uerum sit. Quid enim, si aliter honestè nubere non possit, quàm ut pecuniam in dotem det, idque ei magis expediat? Atquin possunt res in dotem datæ plerunq; alienari, & pecunia in dotem conuerti. Sed (ut expediatur quæstio) siquidem res in dotem maritus accipere maluerit, nihil amplius quærendum est. Sin autẽ non aliter contrahere matrimonium uir patiatur, nisi pecunijs in dotem datis: tunc officium curatoris est, apud eũdem impetrare iudicẽ, qui eum constituit, ut interim ei causa cognita, etiam uiro absente, permittat rerum uenditione celebrata dotem constituere.

X. Regula: *Ne maior dos petatur, quàm est antenuptialis donatio, definitur Nouell. c.97. in prin. usq; ad §.sed & aliud.cuius uerba uide j.cap.8.reg.24.*

XI. Regula: *Omnibus bonis in dotem datis, id duntaxat debetur, quod deducto ære alieno superest. quæ regula approbatur l.mulier.72. in prin. ff.de iure dotium.cuius uerba uide j.cap.10.reg.8.*

V. QVANDO COMPETAT ACTIO?

I. Regula: *Statim secutis nuptijs competit hæc actio. quæ regula approbatur l.ult.§.fin.C.de iure dotium. cuius uerba uide s̃.quæst.prox.reg.1.in prin. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi aliter cõuenerit. quæ exceptio approbatur l.si pater.12. §.ex pactis.ibi: & donec nupta sit. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide s̃. cap.prox.quæst.1.except.3.*

II. Regula: *Si ita conuenit, Cum commodissimum erit, dotem præstari: quando debeatur, definitur l.auus. 79.§.fin. ff.de iure dotium. cuius uerba uide s̃. quæst.1. except.15.*

III. Regula: *Si intra annum dotem dari stipulatus sit: utrum à die stipulationis, an nuptiarum, annus currere incipiat, definitur l.tali.48.in prin.ff.de iure dotium, his uerbis:* Tali stipulatione, Decem in anno dotis nomine dare spondes? quæsitum est, annus ex quo tẽpore sit numerãdus, utrum ex die stipulationis factæ, an ex eo die quo dos esse potuisset, id est nuptiarum? Et responsum est, ex die nuptiarum annum esse numerandum: ne si aliter obseruemus (si intra annum nuptiæ factę non sint) uideri possit dos ex ea obligatione non deberi. [V. j. col. 1536. except. 5. replic.]

IIII. Regula: *Etiam soluto matrimonio dos peti potest. de quo dictum s̃.quæst.1.except.30.*

VI. QVAE ACTIO COMPETAT, quæq; eius adfinia sint remedia?

I. Regula: *Ex stipulatu actio competit, siue stipulatio interuenerit, siue non interuenerit. quæ regula approbatur l.unica.§.1.C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide s̃.eod.cap.quæst.1.except.18.*

II. Reg. *Ex empto actio datur, si res æstimata in dotẽ data*

data sit. quæ regula approbatur l.cum dotem.10. C. de iure dotium,his uerbis: Cum dotem te æstimatam accepisse profitearis:apparet iure communi per pactum, quod doti insertum est, formato contractu,ex empto actionem esse. quis enim dubitet, æstimationē à te mulieri deberi: cùm periculo tuo res deteriores fiant,uel augmenta lucro tuo recipiantur?

III. *Regula*: *Hypothecaria quoque actio competit, suntq; res mulieris pro dote obligatæ.quæ regula approbatur l.unica. §.& ut plenius. C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Vt plenius dotibus subueniatur, quemadmodum in administratione pupillarium rerum & in alijs multis iuris articulis tacitas hypothecas inesse accipimus, ita & in huiusmodi actione damus ex utroque latere hypothecam, siue ex parte mariti pro restitutione dotis,siue ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda, pro rebus dotalibus enictis: siue ipsæ principales personæ dotes dederint,uel promiserint,uel susceperint,siue aliæ pro ijs personæ: & dos siue aduentitia,siue profecticia sit,secundum ueteris iuris nominationem.Ita enim & imperitia hominum & rusticitas nihil eis poterit adferre præiudicij, cùm nos illis ignorantibus & nescientibus in hoc casu nostram induximus prouidentiam. Si enim & stipulationes & hypothecæ inesse dotibus intelliguntur, & inutiles stipulationes emendantur: sic in posterum causa inuenietur ualida & perfecta, quasi omnibus dotalibus instrumētis à prudentissimis uiris confectis. Et nemo putet nos hæc sancire in his tantummodò dotibus, quæ instrumentis receptæ sunt. Nihil enim prohibet, etsi sine scriptis dos uel detur,uel promittatur,uel suscipiatur,simili modo intelligi factam stipulationem & hypothecam ex utraque parte, quasi fuerit scripta. Et naturā quidem ex stipulatu actionis hæc intelligatur, re uxoria in posterum cessante. *Ait Imp*. Si enim stipulationes inesse dotibus intelliguntur. *Ad hæc uerba intelligenda repete ea quæ dicta sunt §.cod.cap.quæst.1.excep.18.*

IIII.*Regula*:*Exceptio quoque adsine remedium est actionis propositæ,quemadmodum & aliarū actionum. quæ regula approbatur l. si pater. 44. §. quæ debitorem.ff.de iure dotium,his uerbis*: Quæ debitorem filiumfamiliās habet, si patri eius ita dotem promiserit, Quod mihi debes:uel, Quod mihi filius tuus debet, doti tibi erit: non obligatur,sed efficitur ut id quod actione de peculio seruari à patre poterat,in dote sit.Marcellus: Siue igitur cū filio posthæc,siue cum patre agere instituerit,exceptione pacti conuenti submouebitur.Actione autem de dote si experiatur: consequetur quod in peculio fuisse apparuit eo tempore, quo dos promittebatur, utique si post nuptias promissa est dos. Si uerò ante nuptias:eius temporis peculium æstimari debet,quo nuptiæ fierēt. *Hæc de dotis petitione,prima mariti actione.*

DE ACTIONE MARITI dote euicta. Cap. III.

Secunda mariti actio,quam dotis nomine habet,est si dos sit euicta. de qua nunc dicendum.

I. CAVSA HVIVS actionis.

Si dos euicta sit,marito eius nomine datur actio.quæ regula approbatur l. quoties. 16. ff. de iure dotium, his uerbis: Quoties res æstimata in dotem datur: euicta ea, uirum ex empto contra uxorem agere, & quidquid eo nomine fuerit consecutus, dotis actione soluto matrimonio ei præstare oportet. Quare & si duplum fortè ad uirum peruenerit,id quoq; ad mulierem redigetur. Quæ sententia habet æquitatem:quia non simplex uenditio sit,sed dotis causa:nec debet maritus lucrari ex damno mulieris.Sufficit enim,maritum indemnem præstari,non etiam lucrum sentire.*Concordat l.mater.34.ff.d.tt. his uerbis*: Mater cum filiæ aurum dedisset utendum, pater puellæ id aurum in dotem uiro adpendit:dein mortua est mater. Si insciā inuitaue uxore uir id aurum in dorem dedit: manet id aurum hæredis matris,uindicariq; potest,& eo minorem uiro dotem datā esse placuit. Sed quia res euicta est, marito competit aduersus socerum actio. *Concordat item l.qui res. 98. in prin. ff.de solution. his uerbis*: Qui res suas obligauit, postea aliquam possessionem ex his profilia sua promittendo dotem obligauit & soluit:si ea res à creditore euicta est,dicendum est maritum ex dotis promissione agere posse,ac si statuliberum uel rem sub conditione legatam dotis nomine pro filia pater solui̇sset,nisi ex euentu, liberare: scilicet quo casu, &c. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi res inæstimata in dotem data sit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.1.C.de iure dotium,his uerbis*: Euicta re quæ fuerat in dotem data,si pollicitatio uel promissio fuerit interposita: gener contra socerum,uel mulierem,seu hęredes eorum condictione uel ex stipulatione agere potest. Sin autem nulla pollicitatio uel promissio interceserit: post euictionem eius, siquidem res æstimata fuerit, ex empto competit actio. Sin uerò hoc non est factum: siquidē bona fide eadem res in dotem data est, nulla marito competit actio. Dolo autem dantis interposito, de dolo actio aduersus eum locum habebit:nisi à muliere dolus interpositus fit.tunc enim,ne famosa actio aduersus eam detur, in factum actio competit. *Concordat l.si à matre.13.C.cod.tt. his uerbis*:

his uerbis: Si à matre uestra superstite aliquid ad uos pertinens in dotem scienti uitrico uestro datum est:intelligis,nullam firmitatem iuris donationem habere,si neq; pollicitatio,neque stipulatio interceserit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi cautio de euictione præstanda interceserit.quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si pollicitatio uel promissio fuerit interposita, &c. *Secunda replicatio est*: *Nisi dolus dotem dantis interceserit. quæ replicatio approbatur itidem uerbis iam propositis hisce*: Dolo autem dantis interpositō,&c. *Concordat l.cum post.89.§.cum res,in fine. ff.de iure dotium.cuius uerba uide ī.proximè. Altera propositæ regulæ exceptio est:Nisi res in dotem æstimatas soluto matrimonio reddi conuenit. quæ exceptio approbatur d.§.cum res,his uerbis*: Cum rēs in dotem æstimatas soluto matrimonio reddi pacuit: summa declaratur, non uenditio contrahitur. Ideoque rebus euictis, si mulier bona fide eas dederit,nulla est actio uiro: aliquin de dolo tenetur.

II. ADVERSVS QVOS Actio proposita competit?

Contra socerum, mulierem, uel hæredes eorum datur. quæ regula approbatur l.1.in prin. C. de iure dotium.cuius uerba uide §.quæst.prox.except.1.Concordat l.mater.34.in fine.ff.de iure dotium.cuius uerba uide §. quæst.prox.in prin.

III. QVAE EX EVICTIOne detur actio?

Ex stipulatu, ex empto, de dolo uel in factum actio competit,pro uarietate circumstantiarum. quæ regula approbatur l.1.C.de iure dotium. cuius uerba uide §. quæst.1.except.1. Hæc de euictionis actione sint dicta. Superest adhuc una actio & exceptio marito dotis nomine cōpetens, ob impensas scilicet in res dotales factas.

DE ACTIONE ET EXceptione impensarum nomine in res dotales à marito factarum. Cap. IIII.

I. CAVSA, EX QVA ACTIO uel exceptio hæc comperat.

Si maritus in res dotales impensas fecit, tam per actionem eas repetere, quàm per exceptionem deducere & retinere potest. quæ regula approbatur quoad retentionem,Inst.de actionib.§.item si de dote.ibi: propter retentionem, his uerbis: Propter retētionem,dotis repetitio minuitur.Nam ob impensas in res dotales factas marito quasi retentio concessa est:quia ipso iure necessarijs sumptibus dos minuitur, sicut ex latioribus Digestorū libris cognoscere licet. *Approbatur quoad actionem, l. quod dicitur. 5. §. si dos tota. ff.de impensis in rebus dotalibus factis, his uerbis*: Si dos tota soluta sit,non habita ratione impensarum, uidendum est, an condici possit id quod pro impensis necessarijs compensari solet? Et Marcellus admittit,cōdictioni esse locum. Sed etsi plerique negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia admittenda est. *Exempla huius regulæ uide §. exc. prox.Sunt enim aliquot propositæ regulæ exceptiones, quæ sumuntur ex causa, ex qua impensum est, ex re in quam impensum est, et ex alijs huiusmodi circumstātijs, ordine hic proponendæ.*

I. Exceptio: *Nisi impensæ non fuerint necessariæ. Hæc exceptio approbatur simul & declaratur l. 1. in prin. ff.de impensis in rebus dotalibus factis, hisce uerbis*: Impensarum quędam sunt necessarię, quædam utiles, quædam uoluptariæ: Necessariæ hæ dicuntur, quæ habent in se necessitatem impendendi. Cæterùm si nulla sit necessitas,alio iure habentur. *Concordat l. impensæ.79.ff.de uerb.signif.cuius uerba uide ī. lib.50. in uerbo impensæ. item concordat l. & in totū. 4. ff.de impensis in rebus dotalibus. Declaratur item exceptio proposita l.& in totum.4.ff.eod.tt.his uerbis*: In totum id uidetur necessarijs impensis contineri,quod si à marito omissum sit,iudex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit,eas impēsas fieri.Sed in hoc differt,quòd factarum ratio habetur, & si res malè gesta est: non factarum ita, si ob id res malè gesta est. Itaque si fulserit insulam ruentem, eaq; exusta sit,impensas consequitur: si non fecerit,deusta ea nihil præstabit. *Alia necessariarū, sed & non necessariarum impensarum definitio proponitur l.impensæ.14.ff.eod.tt.his uerbis*: Impensæ necessariæ sunt, quibus non factis dos imminuitur: ueluti aggeres facere,flumina auertere,ædificia uetera fulcire, iter reficere, arbores in locum mortuarum reponere. utiles sunt,ueluti pecora prędijs imponere,stercorare. uoluptuosæ sunt, balinea extruere. *Sanè aliæ necessariarum impensarum species enumerantur l.i.§.fin.cum duabus legibus sequentibus.ff.d.tt. his uerbis*: Inter necessarias impensas esse,Labeo ait, moles in mare uel flumē proiectas. Sed & si pistrinum uel horreum necessariò factum sit,in necessarijs impēsis habendum ait.Proinde Fulcinius inquit,si ædificium ruens,quod habere mulieri utile erat, refecerit, aut si olitoria defecta restaurauerit, uel si ex stipulatione dāni infecti nomine, ne cōmittatur, præstiterit, uel si in ualitudinē seruorum impenderit, uel si uites propagauerit, uel arbores curauerit, uel seminaria pro utilitate agri fecerit:necessarias impensas fecisse uidebitur. *Similes species proponuntur l.fructus.7.§.fin.ff.soluto matrim.his uerbis*: Si nouā uillam necessariò extruxit, uel ueterem totam

sine culpa sua collapsam restituit: erit eius impensæ petitio. Simili modo & si pastinũ instituit. hæ enim impensæ aut in res necessarias, aut in utiles cedunt, pariuntque marito actionem. *Hactenus definitiones & species impensarum necessariarum propositæ sunt. Non necessariæ uerò impensæ duplices sunt, utiles & uoluptariæ, ut patet ex ijs quæ proposita sunt ẽ. ead. except. in princ. Harum definitiones & species proponũtur l. quod dicitur. 5. §. fin. cum duabus legibus sequentibus. ff. de imp. in rebus dotalibus factis, his uerbis:* Vtiles impensæ sunt, quas maritus utiliter fecit, quæq; rem mulieris meliorem reddunt: ueluti si nouel letum in fundo factum sit, aut si domui pistrinum aut tabernam adiecerit. Idem erit, si seruos artes docuerit. Voluptariæ autem impensæ sunt, quas maritus ad uoluptatem fecit, & quæ species exornant. *Concordat l. impensæ. 14. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò superius ead. except.* Propositæ exceptionis replicatio prima *hæc est: Nisi impensæ utiles sint. hæ enim quamuis per retentionem ipso iure dotem non minuant, tamen per actionem peti possunt. quæ replicatio approbatur l. uoluptariæ. 7. in fine. ff. d. tt. his uerbis:* Vtiles quidẽ ipso iure dotem non minuunt, ueruntamen habent exactionem. *Concordat l. ult. in prin. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat. diuortio facto quæritur, marmor quod cæsum neq; exportatum est, cuius sit? & impensas in lapidicinas factas mulier, an uir præstare debeat? Labeo, marmor uiri esse, ait. Cæterùm uiro negat quidquam præstandum esse à muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, & fundus deterior esset factus. Ego non tantùm necessarias, sed etiam utiles impensas dandas à muliere existimo: nec puto fundũ deteriorẽ esse, si tales sint lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit. *Concordat l. fructus. 7. §. si uir in fundo. ff. soluto matrim. his uerbis:* Si uir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas inuenerit, & fundum fructuosiorẽ fecerit: marmor quod cæsum neque exportatum est, mariti est, & impẽsa non est ei præstanda: quia nec in fructu est marmor, nisi talis sit, ut lapis ibi renascatur, quales in Gallia sunt & in Asia. Sed si cretifodinæ, uel argentifodinæ, uel auri, uel cuius alterius materiæ sint, uel arenæ: utique in fructu habebuntur. *Declaratur replicatio proposita, definitione & speciebus utilium impensarum paulo antè propositis. Sed & duplicationis loco notandum, quòd utiles impensæ per actionem peti quidem possint, per retentionem autem ipso iure dotem non minuant: ut dictum paulò superius ead. repl. in prin. Huius autem duplicationis triplicatio hæc est:* Nisi uoluntate mulieris factæ sint. tunc enim etiam ex dote possunt deduci. quæ triplicatio approbatur l. utilium. 8. ff. de imp. in rebus dotalibus factis, his uerbis: Vtilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicũt, si uoluntate mulieris factæ sint. Iniquum enim esse, compelli mulierem rem uendere, ut impensas in eam factas soluat, si aliunde solue re non potest. quod summam habet æquitatis rationem. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi uoluntate mulieris impensæ non necessariæ factæ sint. quæ replicatio reprobatur l. in uoluptariis. 11. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* In uoluptarijs Aristo scribit, nec si uoluntate mulieris factæ sunt, exactionem párere. *Tertia replicatio est: Nisi res, in quas impensæ non necessariæ factæ sunt, pro mercales sint. Hæc replicatio approbatur l. quod si. 10. ff. d. tt. his uerbis:* Quòd si hæ res, in quibus impensæ factæ sunt, promercales fuerint: tales impensæ non uoluptariæ, sed utiles sunt. *Quarta replicatio est: Nisi mulier non patiatur maritum res tollere, in quas impensæ non necessariæ factæ sunt. quæ replicatio approbatur l. & pro. 9. ff. d. tt. his uerbis:* Et pro uoluptarijs impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem, exactionẽ patitur. Nam si uult habere rem mulier, reddere ea quę impensa sunt, marito debet: aut, si non uult, pati deberollentem, si modò recipiant separationem. Cæterùm si non recipiant, relinquendæ sunt. Ita enim permittendum est marito auferre ornatum quem posuit, si profuturum est ei quod abstulit. *Concordat l. unica. §. sed nec ob, in fine. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Si uoluptariæ sint, licet uoluntate mulieris expensæ, deductio operis quod fecit (sine læsione tamen prioris speciei) marito relinquatur: ut sit omniũ retentionũ expeditus tractatus, & ex stipulatu actio meritò secundum suam naturam nullam recipiat retentionem. *Propositæ replicationis duplicatio est: Nisi res non recipiat separationem. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Cæterùm si non recipiant separationẽ, relinquendæ sunt, &c. *Item hisce uerbis:* Sine læsione tamen prioris speciei. *Hæc de primæ exceptione eiusq; replicationibus sint dicta.*

II. Exceptio: *Nisi non ad perpetuam utilitatem rei, sed ad eam quæ præsentis temporis est, fit impensum. Hæc exceptio approbatur l. uel si uites. 3. §. nos generaliter. ff. de imp. in rebus dotalibus factis, hisce uerbis:* Nos generaliter definimus, multum interesse, an ad perpetuam utilitatem agri, uel ad eam quæ non ad præsentis temporis fructũ pertineat, an uerò ad præsentis anni fructũ. si in præsentis, cum fructibus hoc compensandum: si uerò non fuit ad præsens tantùm apta erogatio, necessarijs impensis computandum Iulianus putat. *Huius exceptionis species est j. except. prox.*

III. Exceptio: *Nisi fructuum quærendorum causa, uel in agrum colendum impendit. Hæc exceptio approbatur l. ult. ff. eod. tt. hisce uerbis:* Ante omnia, quæcunque impensæ quærendorum fructuum causa

causa factæ erunt (quanquam eędem etiam colendi agri causa fiant: ideoque non solùm ad percipiendos fructus, sed etiam ad conseruandam ipsam rem speciemque eius necessariæ sunt) eas uir ex suo facit, nec ullam habet eo nomine ex dote deductionem. *Declaratur hæc exceptio l. fructus. 7. §. impendi. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Impendi autem fructuum percipiendorum causa, Pomponius ait, quod in arando serendoq; agro impensum est, quodq; in tutelam ædificiorum, ægrúmue seruum curandum: scilicet si ex ædificio uel seruo fructus aliqui percipiebantur. Sed hæ impensæ non repetuntur, cum maritus fructum totius anni retinet: quia ex fructibus prius impensis satisfaciendum est. *Concordat d. l. 7. §. si uir in fundo. cuius uerba uide ẽ. except. 1. replic. 1.* Ait *Iurisconsultus:* Quia ex fructibus prius impensis satisfaciendum est. De *hac re dicetur j. cap. 8. reg. 2.* Propositæ exceptionis *replicatio prima est: Nisi nouum ædificium extruxit, uel uetus collapsum restituit. quæ replicatio approbatur d. l. 7. §. fin. cuius uerba uide ẽ. except. 1. in prin. Altera replicatio est: Nisi cum in sementem impendisset, messis non responderit. quæ replicatio approbatur l. si fundus. 8. §. fin. ff. soluto matrim. his uerbis:* Quod in sementẽ erogatur, si non responderint messes, ex uindemia deducetur: quia totius anni unus fructus est.

IIII. Exceptio: *Nisi in tutelam & conseruationem rerum dotalium impendit. Hæc exceptio approbatur l. quod dicitur. 15. ff. de imp. in rebus dotalibus factis, hisce uerbis:* Quod dicitur, Impensas quæ in res dotales necessariò sunt factæ, dotem deminuere: ita interpretandum est, ut si quid extra tutelam necessariam in res dotales impensum sit, id demum in ea causa sit. Nam tueri res dotales uir suo sumptu debet: alioquin tam cibaria dotalibus mancipijs data, quàm quę uis modica ædificiorum dotalium refectio, & agrorum quoque cultura dotem minuerent. omnia enim hæc in specie necessariarum impensarum sunt. Sed ipsæ res ita præstare intelliguntur, ut non tam impendas in eas, quàm deducto eo minus ex his percepisse uidearis. Quæ autem impędia secundum eam distinctionem ex dote deduci debeant, non tam facilè in uniuersum definiri, quàm per singula ex genere & magnitudine impendiorum æstimari possunt. *Concordat l. si id. 28. §. 1. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide j. except. 6. repl. 2.*

V. Exceptio: *Nisi stipendij uel tributi nomine ob fundum dotalem impensum sit uel solutum. Hæc exceptio approbatur l. neque. 13. ff. de imp. in rebus dotalibus factis, hisce uerbis:* Neque stipendium, neque tributum ob dotalem fundum præstita exigere uir à muliere potest, onus enim fructuum hæc impendia sunt.

VI. Exceptio: *Nisi in aliam quàm dotalem rem sit impensum. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. in necessarijs. ff. d. tt. hisce uerbis:* In necessarijs impensis hoc sciendum est, eas demum impensas dotem minuere, quæ in dotem factæ sunt. Cæterùm si in dotem factæ non sint, non habet in se reputationem. *Concordat l. quod dicitur. 5. §. nam in pecunia. ff. eod. tt. his uerbis:* Hoc de his impensis dictum est, quæ in dotem ipsam factæ sunt. Cæterùm si extrinsecus, non deminuent dotem. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex dote sit expensum in necessarias mulieris, uel eius qui dotis repetitionem habet, causas. quæ replicatio approbatur l. sed & si. 21. ff. soluto matrim. his uerbis:* Si ideo maritus ex dote expendit, ut à latronibus redimeret necessarias mulieri personas, uel ut mulier uinculis aliquem de necessarijs suis uindicaret: reputatur ei id quod expẽsum est, siue pars dotis sit, pro ea parte: siue tota dos sit, actio dotis euanescit. Et multò magis idem dicendum est, si socer agat de dote, debere rationem haberi eius quod in ipsum impensum est, siue ipse maritus hoc fecit: siue filiæ, ut faceret, dedit. Sed & si non pater experiretur, sed post mortem eius filia sola de dote ageret: idem erit dicendum. Cum enim doli exceptio insit de dote actioni, ut cæteris bonæ fidei iudicijs: potest dici (ut & Celso uidetur) inesse hunc sumptum actioni de dote: maximè, si ex uoluntate filiæ factus sit. *Secunda replicatio est: Nisi in pueros ex ancillis dotalibus natos sit impensum. quæ replicatio approbatur l. si id quod. 28. §. 1. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus impenderit, aut in doctrinam aut alimenta, non seruatur marito: quia ipse ministerijs eorũ utitur. Sed illud seruatur, quod nutrici datum est ad educandum: quia pro capite id dedit, quemadmodum si à prædonibus redemisset seruos dotales. *Tertiæ replicationis loco no tandũ, quòd quamuis id quod à marito in alias res quàm dotales impensum est, ex dote deducere, uel dotis repetitioni per exceptionem opponere non possit: tamen illud per actionem petere non prohibeatur, exemplo eius quod ẽ. except. 1. repl. 1. de utilibus impensis dictũ est.*

VII. Exceptio: *Nisi maritus donãdi causa impenderit, uel impẽsas remiserit. Hæc exceptio reprobatur l. in uoluptarijs. 11. §. fin. ff. de impensis in reb. dotalib. factis. cuius uerba uide j. lib. 35. ca. 8. except. 29. repl. 1. exẽplo 6.*

VIII. Exceptio: *Nisi res, in quam impensum est, perierit. Hæc exceptio reprobatur l. & in totum. 4. in fin. ff. de impensis in rebus dotalibus factis. cuius uerba uide ẽ. except. 1. in prin.*

IX. Exceptio: *Nisi mulier marito malit relinquere rem, in quam impensum est, quàm impensas præstare. quæ exceptio reprobatur exemplo l. cum in fundo. 78. §. si fundus. ibi: nec audiri. ff. de iure dotium. cuius uerba uide j. cap. 8. reg. 28.*

X. Exceptio: *Nisi modicæ sint impensæ. Hæc exceptio approbatur l.omnino.12. ff.de imp.in rebus dotalibus factis,hisce uerbis*: Omnino & in ædificandis ædibus, & in reponendis propagandisque uineis, & in ualetudine mancipiorum modicas impensas non debet arbiter curare: alioquin negociorum gestorum potius, quàm de dote iudicium uidebitur. *Concordat l.quod dicitur.15. ibi: quàm quæuis modica. item ibi: ex genere & magnitudine impendiorum. ff. eod. tt. cuius uerba uide s̃.except.4.*

XI. Exceptio: *Nisi conuenerit,ne ob impensas ageretur. Hæc exceptio reprobatur l.illud.5.§.fin.ff.de pactis dotalibus. cuius uerba cum sua distinctione uide s̃. lib.eod.cap.1.quæst.1.except.7.*

XII. Exceptio: *Nisi dote soluta, impensarum ratio habita non sit.Hæc exceptio reprobatur l.quod dicitur. 5. §.si dos tota. ff.de imp.in rebus dotalibus factis. cuius uerba uide s̃.hoc cap.in prim.*

XIII. Exceptio: *Nisi matrimonium iure non subsistat. Hæc exceptio reprobatur exemplo l.si cum dotem. 22.§.fin.cũ lege sequente.ff.soluto matrimonio.ubi cum d.§.fin.dictum esset, mulierem,cuius maritus seruus apparuit, in peculio eius habere priuilegium dotis. cuius uerba uide s̃.lib.8. cap.9. reg.4.. except.10. subijcitur l. 23.his uerbis*: Et si quid in eam dotem impensum est,nec à muliere reddatur, per doli mali exceptionem seruabitur. *Hæc de exceptionibus aduersus causam propositam.*

II. QVID ET QVANTVM VENIAT IN ACTIONEM UEL EXCEPTIONEM PROPOSITAM?

I. Regula: *Dos,non corpus dotis deminuitur ob impẽsas.quæ regula approbatur d.l.5.in prim.ff.de impens. in rebus dotalibus factis,hisce uerbis*: Quod dicitur, Necessarias impensas dotem minuere:sic erit accipiendum (ut & Pomponius ait) non ut ipsæ res corporaliter deminuantur (utputa fundus,uel quodcunque aliud corpus.) etenim absurdum est,deminutionem corporis fieri propter pecuniam. cæterùm hęc res faciat desinere esse fundũ dotalem, uel partem eius. Manebit igitur maritus in rerum detentione,donec ei satisfiat. nõ enim ipso iure corporum,sed dotis fit deminutio. Vbi ergo admittimus deminutionem dotis ipso iure fieri? ubi non sunt corpora, sed pecunia. Nam in pecunia ratio admittit deminutionem fieri.Proinde si æstimata corpora in dotem data sint, ipso iure dos deminuetur per impensas necessarias. *Concordat l.si is qui. 56.§.quod dicitur.ff.de iure dotium,his uerbis*: Quod dicitur, Necessarias impensas ipso iure dotem minuere:non eò pertinet,ut si fortè fundus in dote sit, desinat aliqua ex parte dotalis esse: sed nisi impensa reddatur, aut pars fundi,aut totus retineatur. Sed si tantum in fundum dotalem impensum sit per partes, quanti fundus est: desinere eum dotalem esse,Scæuola noster dicebat:nisi mulier spõtè marito intra annum impensas obtulerit. Si pecunia & fundus in dote sint, & necessariæ impensæ in fundo factæ: Nerua ait, dotem pecuniariam minui. Quid ergo,si mulier impensas marito soluerit:utrum crescet dos, an ex integro data uidebitur? cuius rei manifestior iniquitas in fundo est, secundum sententiam nostri Scæuolæ. Nam si desinit dotalis esse,poterit alienari. rursus quẽadmodum poterit fieri dotalis, data pecunia? an iam pecunia in dotem esse uidebitur? sed magis est,ut ager in causam dotis reuertatur, & interim alienatio fundi inhibeatur. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pecunia in dotem sit data, non corpus aliquod, ut fundus. quæ exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce*:Vbi ergo admittimus deminutionẽ dotis ipso iure fieri? ubi non sunt corpora, sed pecunia,&c. *Concordat d.uers.* Si pecunia & fundus in dote sint, &c. *Altera exceptio est: Nisi corpus æstimatum in dotem datum sit. quæ exceptio approbatur uerbis s̃.propositis hisce*: Proinde si æstimata corpora in dotem data sint, ipso iure dos deminuitur per impensas necessarias.

II. Regula: *Impensis in uestimenta seruorum factis, ipsa uestimenta,si supersunt, erunt restituenda. quæ regula approbatur l.in his rebus.66.§.seruis.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Seruis uxoris uir numos in uestiarium dederat: quo peracto, deinde intra annum diuortium intercesserat. placuit Labeoni & Trebatio, qualia uestimenta post diuortium essent,talia uiro reddi. Idem iuris futurum fuisse, si ipsa uestimenta uir emisset, & seruis dedisset. Quòd si uestimenta non redderẽtur,tunc uirum pretium in dotem compensaturum.

III. QVAE ACTIO VEL EXCEPTIO IMPENSARUM NOMINE COMPETAT?

I. Regula: *Impensæ ipso iure dotem minuunt, & ex dote deducuntur.quæ regula approbatur l.illud.5.§.fin. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide s̃.cap.1.quæst.1. except.7. Concordat l.si is qui.56.§.quod dicitur. ff.de iure dotiũ. cuius uerba uide paulò superius quæst.prox. reg.1. Concordat item l.1.§.est & illud.ibi:impensæ autem. ff. de dote relegata. cuius uerba uide j̃.lib.34.cap. 10. quæst.2. reg.3. Concordat item instit.de actionibus. §.item si de dote. ibi:propter retentionem. cuius uerba uide s̃.hoc cap.in prin. Propositæ regulæ exceptiones uide s̃.quæst.1.Sed et tollitur hæc regula per ea quæ habentur j̃.reg.prox.*

II. Regula: *Per exceptionem maritus impensas potest consequi,si dos à se repetatur.quæ regula approbatur l.quod dicitur.5.in prim.ibi:manebit igitur.ff.de impẽsis in rebus dotalibus factis. cuius uerba uide s̃.quæst. prox.in prim.Concordat l.& si.23.ff.soluto matrimonio. cuius uerba uide s̃.quæst.1.except.13. Mutatur hæc regula l.*

unica. §.sed nec ob res. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide j̃.reg.prox.Sed & plura de hac re uide j̃.cap.8.reg.25.in fine.

III. Regula,*De actione & condictione impẽsarum, proponitur d.l.5. §.si dos tota. ff.de impensis dotalibus. cuius uerba uide s̃.eod.cap.in prim. Concordat l.unica. §.sed nec ob impensas. C.de rei uxoriæ actione,his uerbis*: Sed nec ob impensas in res dotis factas retẽtio satis esse nobis uidetur idonea. cum enim necessariæ quidem expensæ dotis minuant quantitatem, utiles autem non aliter in rei uxoriæ actione detinebantur, nisi ex uoluntate mulieris: non ab re est, siquidem mulieris uoluntas intercedat,mãdati actionem à nostra authoritate marito cõtra uxorem indulgeri, quatenus possit per hanc, quod utiliter impensum est,adseruari: uel si non intercedat mulieris uoluntas, utiliter tamen res gesta est, negociorum gestorum aduersus eam sufficere actionem.

IIII. Regula:*Deficiente actione & exceptione,deductio operis permittitur. d. §.sed nec ob impensas. ibi: quòd si uoluptariæ. cuius uerba cum concordantibus uide s̃.quæst.1.except.1.repl.4.*

IIII. EVENTVS ACTIONIS ET EXCEPTIONIS PROPOSITÆ.

Solutis impensis,utrum dos uideatur creuisse, an uerò ex integro data, definitur l. quod dicitur. 5. §. sed si impensis.ff.de impensis dotalibus,hisce uerbis: Si impensis necessarijs mulier satisfecerit, utrum dos crescit,an uerò dicimus ex integro uideri dotem? Et ego (Vlpianus) ubi & pecunia data est, non dubito dotem uideri creuisse. *Concordat l.illud.56.§.quid ergo.ff.de iure dotium. cuius uerba uide s̃.quæst.2.reg.1.*

DE REPETITIONE DOTIS. Cap. V.

HActenus *actiones & exceptiones, marito dotis nomine competentes,propositæ sunt: quanquam plures huiusmodi actiones & exceptiones proponentur j̃.cap.10. Nunc istæ actiones proponendæ sunt,quæ ex parte mulieris dotis nomine competunt:inter quas præcipuũ locum obtinet dotis repetitio,de qua in hoc & infrà proximè sequẽtibus capitib.tractabitur.*

I. GENVS ET SIMILE HUIUS ACTIONIS.

I.Regula: *Ex stipulatu actio datur,quamuis stipulatio nulla uel inutilis interuenerit. quæ regula approbatur l.unica.§.1.C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide s̃.c.2.excep.18. Concordat d.l.unica.§.& ut plenius, usq; ad §.sed etsi.cuius uerba uide s̃.d.c.2.quæst.6.reg.3.*

II.Regula:*Bonæ fidei actio est.quæ regula approbatur d.§.sed etsi, his uerbis*: Etsi nõ ignoramus, ex stipulatu actionem stricto iure esse uallatam, & non ex bona fide descendere:tamen quia nouam naturam de dote stipulatio sibi inuenit,accommodetur ei natura rei uxoriæ & bonæ fidei beneficium.Et omnes quidem euentus, quos dos ex stipulatu habet, maneat pro sui natura exercens. si quid autem optimum ex rei uxoriæ actione inuenimus,hoc in præsenti specialiter ei addimus, ut & sit noua ista ex stipulatu, quam composuimus:& non propria tantùm,sed etiam ueteris actionis pulchritudine decorata. Primùm itaque, quid naturale sit ex stipulatu actionis,exponatur:& ita,si quid ex actione rei uxorię superuenerit,addatur,&c. *Concordat Inst.de actionib. §.fuerat antea. cuius uerba uide j̃. reg.proxima.*

III. Regula: *Actio ex stipulatu de dote, rei uxoriæ actionis naturam habet: ut ex iam propositis constat. Cui concordat Inst. d. §. fuerat, his uerbis*: Fuerat antea & rei uxoriæ actio una ex bonæ fidei iudicijs. sed cum pleniorem esse ex stipulatu actionẽ inuenientes, omne ius, quod res uxoria antè habebat, cum multis diuisionibus in actionem ex stipulatu,quæ de dotib. exigẽdis proponitur,trãstulerimus: meritò rei uxorię actione sublata,ex stipulatu actio, quæ pro ea introducta est,naturã bonę fidei iudicij tantum in exactione dotis meruit,ut bonæ fidei sit. Sed & tacitam ei dedimus hypothecã.Præferri aũt alijs creditoribus in hypothecis tunc cẽsuimus,cũ ipsa mulier de dote sua experiatur,cuius solius prouidẽtia hoc induximus.*Quæ autem rei uxoriæ actionis natura fuerit,infrà in suis locis dicetur.*

II. ADVERSVS QVOS COMPETAT ACTIO PROPOSITA?

I. Regula,*De eo cui dos tradita est,& marito. Regulariter aduersus maritum datur, quamuis alij dos data sit.quæ regula approbatur l.si cum dotem.22.§.trãsgrediamur.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Transgrediamur nunc ad articulum hunc, ut quæramus, aduersus quos cõpetat de dote actio? Et aduersus ipsum maritum competere,palàm est: siue ipsi dos data sit, siue alij ex uoluntate mariti,uel subiecto iuri eius,uel non subiecto. *Concordat l.etiamsi.19.ff.de iure dotium, his uerbis*: Etiamsi alij iussu mariti dos detur, nihilominus maritus de dote obligatur.*Concordat l.si mulier.59.in prin.ff.d.tt.his uerbis*: Si mulier ita dotem promiserit, Decem tibi aut Titio doti erunt: hoc casu dici potest,uel Titio dari posse: sed de dote uirum teneri,quemadmodum si Titio iussisset dari.nec mirum, cum etiam promissura uiro dotẽ possit delegante eo alteri promittere. Etsi dici solet,alij quàm marito dotis nomine mulierẽ non posse obligari: his tamen casibus uiro dos quæritur. Non enim existimabimus illã ita promisisse, ut uel de Titij nuptijs cogitaret. *Huius regulæ exceptio hæc est:Nisi patri,in cuius potestate maritus est,dos sit data. quæ exceptio approbatur d.§.transgrediamur. ibi:sed si filiusfam. cuius uerba uide j̃.reg.prox. Concordat l.si socero.10.C.soluto matrimonio,his uerbis*: Si socero filiæ tuę dotem de-

disti: licet in eius positus potestate gener tuus rebus humanis exemptus sit,tamen nõ de peculio,sed in solidum à te consentiente filia conuentũ eum satisfacere oportet. *Plura de regula proposita uide ȝ.cap.prox. except.11.*

II. *Regula*, *De filiofamiliâs marito, eiusq; patre, proponitur d.§.transgrediamur. ibi: sed si filiusfam. his uerbis*: Sed si filiusfamiliâs maritus sit, & dos socero data sit: aduersus socerũ agetur. Planè si filio data sit: siquidem iussu soceri, adhuc absolutè socer tenebitur. Quòd si filio data sit non iussu patris: Sabinus & Cassius responderunt, nihilominus cum patre agi oportere. Videri enim ad eũ peruenisse dotem,penes quem est peculiũ. Sufficit aũt ad id eum damnari quod est in peculio, uel quod in rem patris uersum est. Sin aũt socero dotem dederit: cum marito non poterit experiri,nisi patri hęres extiterit. *Concordat l.si filiofam.25.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Si filiofamiliâs dos data sit iniussu patris, de peculio quidẽ agetur: sed siue propter impẽsas à filiofamiliâs factas ageret,siue propter res donatas à filiofamiliâs, uel amotas ab uxore res peculiares, hoc ipso q; habet actionẽ pater ex persona filij,maius peculium fit: & sic totum est præstandum mulieri,quod in peculio est: modò adhuc sit quod uxori debeatur. *Cõcordat l.si filiofam.53.ff.eod.tt.his uerbis*: Si filiofamiliâs data est dos,ipse quidem dotis actione tenetur, pater autẽ eius de peculio. nec interest,in peculio rem uel pecuniã dotalẽ habeat,nec ne: sed quatenus facere potest,hic quoq; cõdemnandus est. Intelligitur aũt peculio tenus facere posse, quod habet rei iudicatæ tempore. Et quidem si cum patre agatur,deducetur ex peculio quod patri uel subiectis ei personis filius debet. At si cum ipso filio agatur,alterius debiti nõ fiet detractio in computatione quãtum facere possit filius. *Concordat item l.si socero.10.C.soluto matrim. cuius uerba uide ȝ. reg.proxim.in fine.*

III. *Regula*, *De hæredibus mariti,uel eius qui dotis actione tenetur. Hi quoq; eadem tenẽtur actione. quæ regula approbatur l.dotis.9. C.soluto matrim. his uerbis*: Dotis actione succẽssores mariti super eo, quod ei dotis nomine fuerat datũ,conuenire debes. ingrediendi enim in possessionem rerum dotalium, hæredibus mariti non consentientibus,sine authoritate competentis iudicis nullam habes facultatem. *Propositæ regulæ exceptio prima hęc esse uidetur*: Nisi dos alij sit legata. *hoc enim casu legatarius, nõ hæres uidetur conueniendus esse. uerùm exceptio hæc reprobatur l.1. §.per contrarium. ff. de dote relegata. cuius uerba uide ȝ. lib.34. cap.10. quæst.1. except. 8. Planè admittitur exceptio proposita, si hæres non soluendo existens,cautionem de indemnitate à legatario præstãda exigere supersederit*, quæ distinctio approbatur *l.pater dotem.7. §. fin. ff.d.tt. cuius uerba uide d. except.8.repl.1. Concordat d.l.7. §.sed si lex. cuius uerba uide ȝ.cap.prox.except.39.repl.3. Secunda exceptio est*: *Nisi unus ex hæredibus dotem præcipuam habeat. hoc enim casu is solus teneri uidetur, non etiam cæteri eius cohæredes. Verùm & hæc exceptio reprobatur: de indemnitate tamen is hæres cæteris cohæredibus co nomine tenetur cauere. quæ cautio approbatur l.unica. §. cautione uidelicet. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Cautione uidelicet defensionis in specie, in qua dotem suæ uxoris uel nurus in familiæ erciscundæ iudicio præcipuã filius defuncti detrahit,secundũ propriam naturã ex stipulatu actionis cohæredibus suis præstanda. *Tertia exceptio est*: *Nisi ab uno ex hæredibus mulieri pro dote compensandi animo defunctus legauerit, & mulier dotem malit quàm legatum. tunc enim dotis actione is solus tenetur, à quo legatum relictum est, non cæteri. quæ exceptio approbatur l.cũ ab.55. ff.de legatis,his uerbis*: Cum ab uno hærede mulieri pro dote compensandi animo legatum est, eaq; dotem suam ferre quàm legatum maluit: utrum in omnes hęredes,an in eum solum, à quo legatum est, actio dotis ei dari debeat: quæritur? & Iulianus in eum primùm,à quo legatũ sit,actionem dãdam putat. Nam cum aut suo iure,aut iudicio mariti cõtenta esse debeat: ęquum esse, eum à quo ei maritus aliquid pro dote legauerat,usq; ad quãtitatem legati onus huius æris alieni sustinere: reliqua parte dotis ab hæredibus ei præstanda. Eadem erũt dicenda, si hæres instituta pro dote omiserit hæreditatẽ, ut in substitutũ actio detur: & hoc uerum est. Sed de legatis & legis Falcidiæ ratione bellè dubitatur, utrũ is,in quem solum dotis actio datur,legata integra ex persona sua debeat, perinde ac si omnes hæredes dotẽ totã præstarent: an dotem totã in ęre alieno cõputare, quia in eum solũ actio eius detur? quod sanè magis ratione habere uidetur. *Quarta exceptio est*: *Nisi pater mulieris, in cuius potestate illa est, marito hæres existat. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit,uerùm eius replicatio hæc est*: *Nisi mulier à patris potestate sit liberata. quæ replicatio approbatur l.si socer.44.in prin. ff.soluto matr. cuius uerba uide ȝ.cap.prox.except.35.*

IIII. *Regula*, *De legatario, cui dos legata uel prælegata est. De hoc uide ȝ.reg.prox.except.1.& 2.*

V. *Regula*, *De fideiussoribus. Hi quoq; dotis actione tenentur. quæ regula approbatur l. cum dotis.55. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ȝ.cap.2.quæst.3.reg.1. Huius exceptio est*: *Nisi ab inuito detur. Approbatur l.1, cum lege sequente.C.ne fideiussores uel mandatores dotium dentur. cuius uerba uide ȝ. cap.10.reg.6.*

VI. *Regula*, *De fisco mariti bonis publicatis,proponitur l.si marito.31.in prin.ff.soluto matr.his uerbis*: Si marito publico iudicio damnato, pars aliqua bonorum eius publicetur: fiscus creditoribus

toribus eius satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est. *Concordat l.2. C. eod.tt. his uerbis*: Secundum rationem iuris existimas restitui tibi debere dotẽ à fisco,qui bona damnati patris tui susceperit. Licet enim uiro quondam tuo pater tuus hæres extiterit, attamen iuri tuo hoc derogare non potest: cum & ipse pater sine uoluntate tua nec exigere,nec accipere dotem poterat.

III. QVANDO ET QVAMdiu detur actio?

I. *Regula*: *Constante matrimonio dos repeti non potest. quæ regula approbatur l.filiæ.7. C. soluto matrim. his uerbis*: Filiæ pecuniam adimere,quam habes in potestate,minimè prohiberis. Nam si pro ea dotem dedisti,hanc constante matrimonio,nec consentiente quidem ipsa: matrimonio autem dissoluto, inuita repetere non potes. *Concordat l.dotis.5. C.de collationibus, his uerbis*: Dotis quidem petitio perseuerante matrimonio tibi non competebat.quamuis enim eã,intestato patre defuncto,fratri conferre debueras: non tamen eo nomine aduersus maritum tibi actio potuit esse: cum eo minus in partem tibi delatæ successionis patris auferre potueris. *Concordat item l.doce.9. C.de rei uendicatione, his uerbis*: Doce ancillam, de qua supplicas, dotalem fuisse in notione præsidis: quo patefacto,dubium nõ erit, uin dicari ab uxore tua nequiuisse. *Planè recipit regula proposita aliquot exceptiones, quarum prima hæc est*: *Nisi maritus ad inopiam redigatur. quæ exceptio approbatur l.si const.24. in prin. ff.soluto matr. his uerbis*: Si constante matrimonio propter inopiam mariti mulier agere uolet,unde ex actionem dotis initium accipere ponemus? & constat,exinde dotis exactionem competere, ex quo euidentissimè apparuit, mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. *Planè huius exceptionis replicatio uidetur esse talis*: *Nisi non personali actione de dote agatur,sed hypothecaria aduersus possessores rerum mariti. Hæc replicatio reprobatur l.ubi.29.C.de iure dotium.cuius uerba uide ȝ.lib.8.cap.9.reg.4.except.12. Secunda exceptio est*: *Nisi marito deportato,uel aliàs damnato,bona eius sint publicata. quæ exceptio approbatur l.1. C.de repudijs.cuius uerba uide ȝ.lib.prox.cap.8.causa 4. Tertia exceptio est*: *Nisi filiofamiliâs uel seruo dos promissa uel data sit, domino uel patre ignorante aut inuito. quæ exceptio approbatur l.quemadmodum.46. §. traditione. ff.de iure dotium. cuius uerba uide ȝ. quæst.3. reg.7. Quarta exceptio est*: *Nisi seruo dotali uoluntate mulieris manumisso,mulier ea quæ ad maritum occasione libertatis peruenerunt,petat. quæ exceptio approbatur l.hæc actio.65.ff.soluto matrim. Cum enim in proxima præcedente lege 64. cuius uerba uide ȝ. cap. prox.except.25.repl.1. dictum esset, mulierem posse ea, quæ ad maritum occasione libertatis peruenerunt, petere: subijcitur d. l. 65. his uerbis*: Hæc actio etiam constante matrimonio mulieri competit.

II. *Regula*: *Soluto matrimonio,post annũ datur hæc actio.quæ regula approbatur l.unica.§.exactio.C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Exactio dotis celebretur non annua,bima,trima die,sed omnimodò intra annũ in rebus mobilibus,uel semouentibus,uel incorporalibus: cæteris uidelicet rebus,quæ solo continentur,illicò restituendis: quod cõmune fuerat utriusq; actionis. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi res soli sit,quæ repetitur. tunc enim statim soluto matrimonio cõpetit actio. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Cæteris uidelicet rebus, quæ solo continentur,illicò restituendis. *Secunda exceptio est*: *Nisi de alio tempore conuenerit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.de die. 14. eum duabus legibus sequentibus. ff. de pactis dotalibus, his uerbis*: De die reddendæ dotis hoc iuris est, ut liceat pacisci qua die reddatur: dummodo mulieris deterior conditio fiat: id est, ut citeriore die reddatur. Vt autem longiore die reddatur dos, conueniri nõ potest: non magis, quàm ne omnino reddatur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi de longiore tempore,quàm legibus statutum est,conuenerit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Vt autem longiore die, &c. *Concordat l.Atilicinus.17. ff.eod.tt. his uerbis*: Atilicinus Proculo suo salutem. Cum inter uirum & uxorem pactum cõuentum ante nuptias factum esset,ut quibus diebus dos data esset, ijsdem diuortio facto redderetur: post quinquẽnium quàm nuptiæ factæ sunt, uxor uiro dotem dedit. Diuortio facto, quæro, utrum quinquennij die uir uxori dotem reddet, an statuto legibus tempore? Proculus respondit: Quod ad diem dotis reddendæ attinet, pacto existimo meliorem conditionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse. Itaque si cautum est,ut priore tẽpore,quàm legibus constitutum est,reddatur: stari ab eo debere. Si ut longiore, nec ualere id pactum conuentum. Cui sententiæ conueniens est dicere,si pacto conuento cautum est, ut quanto serius post nuptias data fuerit, tanto serius post diuortium reddatur: si propiore tempore, quàm in reddenda dote constitutũ est, data sit, ualere pactum conuentum: si longiore, non ualere. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est*: *Nisi post diuortium factum de longiore tempore conuenerit. quæ duplicatio approbatur l.licet.18. ff.d.tt. his uerbis*: Licet manente matrimonio non possit inter uirum & uxorem conueniri, ut longiore die dos reddatur: post diuortium tamen,si iusta causa conuentionis fuerit,id pactum debet custodiri. *Secunda duplicatio est*: *Nisi non ipsa mulier, sed pater eius pro ea dotem dederit,& longius tẽpus pactus fuerit. quæ duplicatio approbatur l.aliud.19.ff.d.tt.his uerbis*: Aliud est,

si pater pro filia dotem promisit, ut annua, bima, trima, quadrima, quinto anno à se redderetur: & conuenit, ut isdem diebus soluto matrimonio dos redderetur. Hoc enim pactum ita ualet, si patri filia hæres extiterit, & interueniente ea pactum conuentum fuerit. *Tertia duplicatio est: Nisi cum antea de breuiori tempore pactum factum esset, postea de tempore legibus statuto conuenerit. quæ duplicatio approbatur l. si unus. 27. §. quod & in specie dotis. ff. de pactis, his uerbis:* Puta pactam mulierem, ut præsente die dos redderetur: deinde paciſci, ut tẽpore ei legibus dato dos reddatur. incipiet dos redire ad ius suum: nec dicendum est, deteriorem conditionem dotis fieri per pactum. Quoties enim ad ius, quod lex naturæ eius tribuit, de dote actio redit: non fit causa dotis deterior, sed formæ suæ redditur. Hæc & Scæuolæ nostro placuerunt. *Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio est: Nisi non in continenti, sed ex interuallo cõuenerit. quæ replicatio approbatur l. iuris gentium. 7. §. quinimò. ibi: sed hoc sic accipiendum. ff. de pactis. cuius uerba cum alijs propositæ exceptionis replicationibus uide ẽ. lib. 37. cap. 3. except. 12. repl. 4. dupl. 5. Tertia exceptio est: Nisi mulieris periculo res sit. Hæc exceptio reprobatur l. si constante. 24. §. siue aũt. ff. soluto matr. his uerbis:* Siue mariti, siue uxoris periculo dos fuit, nihilominus legitimo tempore debet soluere maritus.

III. Regula: *Defuncto eo, aduersus quem competebat actio, non nisi adita eius hæreditate actio datur. quæ regula approbatur d. l. 24. §. 1. his uerbis:* Si exhæredato marito mulier agat, magis est ut ex die aditæ patris hæreditatis incipiat ei dotis actio.

IIII. Regula: *Etiam dotis actioni obstat longi tẽporis præscriptio: quæ à quo tẽpore currere incipiat, definitur l. in rebus. 30. §. omnis. C. de iure dotiũ, his uerbis:* Omnis temporalis exceptio, siue per usucapionẽ inducta, siue per decem, siue per uiginti annorum curricula, siue ex eo tempore maiore uel minore sit introducta: ea mulierib. ex eo opponatur, ex quo possint actiones mouere, id est, opulentis quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimoniũ: minus autẽ idoneis, ex quo hoc infortunium eis illatũ esse claruerit: cùm cõstante etiam matrimonio posse mulieres cõtra maritorum parum idoneorum bona hypothecas suas exercere, iam nostra lege humanitatis intuitu definitum est: ficti diuortij falsa dissimulatione in huiusmodi causa, quam nostra lex amplexa est, stirpitùs eruenda. *Ait Imp.* Iam nostra lege. *scilicet l. ubi adhuc. 29. C. cod. tt. de qua ẽ. reg. 1. except. 1. repl. 1. Concordat l. cẽ notissimi. 7. §. illud. ibiunde euenit. C. de præscript. 30. uel 40. annorum. cuius uerba uide ẽ. lib. 36. cap. 15. exc. 10. Concordat item l. licet. 43. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ẽ. cap. 8. reg. 14.*

IIII. ADIVNCTA ET euentus propositæ actionis.

I. Regula, *De cautione indemnitatis ab actore præstanda, proponitur l. cum mulier. 55. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Cum mulier de dotis repetitione post solutum matrimonium agit, cauere debet marito, qui ædium nomine damni infecti cauit, si uelit eam recipere, ut periculum marito amoueatur. *Similis cautio proponitur l. si filiofam. 25. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si uir in quinquenniũ locauerit fundum, & post primum fortè annum diuortium interuenerit: Sabinus ait, nõ aliàs fundum mulieri reddi oportere, quàm cauerit, si quid præter unius anni locationẽ maritus damnatus sit, id se præstaturam esse. Sed & mulieri cauẽdum, quidquid præter primum annum ex locatione uir consecutus fuerit, se ei restituturũ. *Alia actoris cautio proponitur l. fructus. 7. §. interdum. ff. soluto matr. cuius uerba uide ẽ. cap. 8. reg. 2. exc. 5.*

II. Regula, *De cautione à reo præstanda, proponitur d. l. 25. §. maritum. ff. soluto matr. his uerbis:* Maritum in reddẽda dote de dolo malo & culpa cauere oportet.

III. Regula, *Itidem de cautione rei conuenti, proponitur d. l. 25. §. si qui dotalium, his uerbis:* Si qui dotalium seruorum in fuga erũt, cauere debebit maritus, se eos uiri boni arbitratu persecuturum & restituturum.

IIII. Regula, *De alia huiusmodi cautione, proponitur d. l. 25. §. fin. cuius uerba uide ẽ. reg. 1.*

V. Regula, *De alia rei conuenti cautione, proponitur l. si constante. 24. §. si uir uolũtate. ibi quod si negotium. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. except. 25.*

VI. Regula, *De iudicati actione: cui detur, definitur l. si marito. 31. §. si uoluntate. ff. soluto matr. his uerbis;* Si uolũtate filiæ procurator à patre datus litem de dote cõtestatus fuerit, & re secundum eum iudicata, pater decesserit: iudicati actionem filiæ potius, quàm hæredibus patris, dari oportebit.

V. ADFINIA PROPOSITAE actionis remedia.

I. Regula, *De rei uxoriæ actione, proponitur l. unica, in prin. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Rem in præsenti non minimam aggredimur, sed in omni penè corpore iuris effusam, tam super rei uxoriæ actione, quàm ex stipulatu: earum communiones & differentias referantes, & in unum tramitem ex stipulatu actionis totum rei uxoriæ ius, quod dignum esse ualere censemus, concludentes. Rei itaq; uxoriæ actione sublata, &c. *Cætera uerba uide ẽ. cap. 2. quæst. 1. except. 18. item quæst. 6. reg. 3. Concordat inst. de actionib. §. fuerat autea. cuius uerba uide ẽ. quæst. 1. reg. 3.*

II. Regula, *De actione hypothecaria & priuilegio dotis. Mariti bona mulieri tacitè pro dote sunt obligata, & in*

his uerbis: Traditione quoq; rei dotalis in persona serui uel filijfamiliâs facta, dos constituitur, ita ut neq; periculum, nec culpam dominus aut pater præstet. Igitur hanc dotem periculo mulieris esse dico, quàdiu dominus uel pater ratam promissionẽ uel traditionẽ non habuerit. Ideoq; etiam manente matrimonio res quas tradiderit, cõdictione repetitura puto: itemq; incerti condictione consecuturam, ut promissione liberetur. *Simile rẽ medium est: Si pro re dotis nomine data, postea alia res detur. tunc enim prior repeti potest cõdictione sine causa. quod approbatur l. quæ fundum. 50. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Quę fundũ in dotẽ habebat, diuortio facto, cũ in matrimoniũ rediret, pacta est cum uiro, uti decem in dotem acciperet, &c.

VIII. Regula, *Si pater ignorans filiã diuertisse, pro ea dotem numerauerit, proponitur l. si pater. 41. ff. soluto matr. his uerbis:* Si pater ignorans filiam diuertisse, dotẽ ex causa promissionis numerauerit: non per indebiti condictionem, sed de dote actione pecunia petetur.

IX. Regula, *De negociorum gestorum actione, proponitur l. diuortio. 34. in prin. ff. de negocijs gestis, his uerbis:* Diuortio facto, negocia uxoris gessit maritus. Dos nõ solùm dotis actione, uerùm & negociorũ gestorum seruari potest. Hoc ita, si maritus, dum gessit, facere potuit. aliàs enim imputari non potest, quòd à se nõ exegerit. Sed & posteaquam patrimonium amisserit, plena erit negociorum gestorum actio: quamuis si dotis actione maritus conueniatur, absoluendus sit. Sed hic quidam modus seruandus est, ut ita querelę locus sit: Quantum facere potuit, posteaquã is amiserit: si illo tempore ei soluere potuit. Non enim euestigiò in officio deliquit, si non protinus res suas distraxit ad pecuniam redigendã. Præterire deniq; aliquid temporis debebit, quo cessasse uideatur. Quòd si interea, priusquã officium impleat, res amissa est: perinde negociorum gestorũ non tenetur, ac si nunquã facere potuisset. Sed & si facere possit maritus, actio negociorũ gestorũ inducitur: quia fortè periculum est, ne posse facere desinat.

X. Regula, *De addictione bonorum mariti pro dote, proponitur l. unica. C. ne pro dote mulieri bona mariti add. his uerbis:* Vt uxori pro dote addicantur bona quondam mariti, iure prohibitum est. Sanè si nullo relicto successore, non idoneus decesserit: secundum iuris formam, quatenus successionis modus patitur, indemnitati tuæ consulere non prohiberis.

XI. Regula, *De possessione dotis propria authoritate non occupanda, proponitur l. dotis. 9. C. soluto matr. cuius uerba uide ẽ. quæst. 2. reg. 3.*

XII. Regula, *De sequestratione, proponitur l. si cũ. 22. §. si uerò dotem. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ẽ. lib. 5. cap. 9. de re litig. sequest. quæst. 1. except. 2.*

XIII. Re-

XIII. Regula, De exceptione, proponitur l.ubi. 29. in prin. C.de iure dotium. cuius uerba uide §. lib.8. cap.9.reg.4.except.12. Hæc de quinq; quæstionibus seu locis actionis de dote ex stipulatu. Causæ autem, ex quibus ista actio competit, uel non competit: quibus item ea competit, necnon quid quantumq; in eam ueniat petendum, tractabitur in sequentibus tribus capitibus.

DE CAVSA, EX QVA dotis actio seu repetitio competit, eiusq; exceptionibus. Cap. VI.

REgulariter, si dos data sit, & matrimonium solutum: dotis repetitio competit. quæ regula approbatur l.unica. §.illo proculdubio. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §.except.6. Concordat l.ult. C. soluto matrim. his uerbis: Si constante matrimonio maritus fatali sorte fuerat consumptus: dos quæ data dicitur uel promissa ex eius uxoris facultatibus, ad eádem reuertatur, nihilque sibi ex hoc defuncti hæres audeat uindicare, quod ad mulierē recurrere fecit obitus maritalis. Propositæ regulæ exceptiones plures sunt, partim ex causa soluti matrimonij desumptæ, partim ex antecedentibus, partim ex cõsequentibus, partim ex alijs circumstantijs, in hoc capite proponendæ.

I. Exceptio: Nisi culpa uxoris matrimonium sit dissolutum. Hæc exceptio approbatur l.consensu.8. §.uirum. C.de repudijs, hisce uerbis: Virũ, si mulierem interdicta arguerit attentãtem, tam dotem, quàm ante nuptias donationem sibi habere seu uindicare, uxoremq; (si uelit) statim ducere, hac iusta definitione sancimus. Sin autem aliter uxori suę renunciare uoluerit, dotem redhibeat, & ante nuptias donationem amittat. Huius exceptionis species est §.except.prox. Sed & species seu exemplum eius proponitur l.miles.11. §.fin.ff.ad l.Iul.de adulterijs. cuius uerba uide §.except. 27.replic.2. Item plures propositæ exceptionis species uide §.lib.prox.cap.8.quæst.2.reg.3.except.6. Planè huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi utriusque culpa interceſſerit. Hæc replicatio approbatur l.uiro.39.ff.soluto matrim. his uerbis: Viro atque uxore mores inuicem accusantibus, causam repudij dedisse utrunque, pronunciatum est. Id ita accipi debet, ut ea lege, quam ambo contempserunt, neuter uindicetur. paria enim delicta mutua pensatione dissoluuntur. Huius exemplum etiam proponitur l.cum mulier. 47. ff.cod.tt. his uerbis: Cum mulier uiri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinet. Cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut antè corrupit, aut postea probauit? Secunda replicatio est: Nisi alius pro muliere dotem dederit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.22.§.præterea autem & aliud. cuius uerba uide §.lib.prox.cap. 8.quæst.2.reg.3.except.12. Concordat l.si filia.5.ff.de diuortijs. cuius uerba uide d.except.12. Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi alij qui dotem dedit, non competit dotis actio, sed mulieri. quæ duplicatio approbatur l.si dotem.24.C.de iure dotium, his uerbis: Si dotem marito libertæ uestræ dedistis, nec eam reddi soluto matrimonio in continenti uobis pacto uel stipulatione prospexistis: hanc culpa uxoris dissoluto matrimonio pernes maritum remansisse constitit, licet eam ingratam circa uos fuisse ostenderitis. Tertia replicatio est: Nisi cum maritus eius ue pater mulierem de crimine, ob quod soluitur matrimonium, accusare instituisset, ab accusatione desiterit. quæ replicatio approbatur l.miles.11. §.socer. ff. ad l.Iul. de adulterijs, hisce uerbis: Socer cum nurum adulterij accusaturum se, libellis præsidi datis attestatus fuisset, &c.

II. Exceptio: Nisi mulier marito repudium miserit, uel diuerterit. Hæc exceptio species est exceptionis præcedẽtis, approbaturq; l.cõsensu.8.§.hæc nisi uir. C.de repudijs. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.5.quæst.2.reg.2. Concordat l.quod ait lex.11.in prin.ibi: deniq; scribit. ff. de diuortijs. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.4.except. 5.in prin. Concordat item Nouell.c.117.§.quia uerò quædam. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.8. quæst.2, reg.6. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post repudium sponsalia inter eosdem rursus sint cõtracta. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt §.lib.prox. cap.8.quæst.2.except.10. Verum eius duplicatio hæc est: Nisi pater absentis mariti eius nomine sponsalia contraxerit. quæ duplicatio approbatur l.Lucius.38. ff. soluto matrimonio, his uerbis: Lucius Titius, cum esset filius familiâs, uoluntate patris uxorem Mæuiam duxit, & dotem pater accepit. Mæuia Titio repudium misit. postea pater repudiati absente filio sponsalia cum eadem nomine filij sui fecit. Mæuia denuò repudiũ sponsalibus misit, atq; ita alij nupsit. quæro, si Mæuia ageret cum Lucio Titio quondam marito, & à patre hærede relicto, de dote, & probetur culpa mulieris matrimoniũ dissolutũ: an possit maritus propter culpã mulieris dotem retinere? Marcellus respõdit, etiamsi ut hæres institutus à patre Titius cõueniretur: tamen si sponsalibus non consensisset, culpã mulieris mulctandã esse. Hæc de prima replicatione. Plures huiusmodi replicationes uide §.lib.prox. cap.8.quæst.2.reg.3. Quæ enim ibi exceptiones propositæ sunt, hic replicationum loco repeti possunt. Sed & alias replicationes uide paulò superius except.prox.

III. Exceptio: Nisi alio casu matrimonium solutum sit, quàm in quem stipulatio de reddenda dote facta est. Hæc exceptio approbatur l.inter socerum. 26. §.fin. ff. de pactis dotalibus, his uerbis: Pater, si filia nupta mortem obijsset, dotem dari stipulatus est. constante matrimonio capitali crimine dãnatus est. Diuortio secuto, uel morte uiri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit. Quòd si mulier in matrimonio decesserit, ex stipulatu fisco dotis actio quæritur.

Post

Post uerum autem diuortium renouatis nuptijs, non committitur fisco stipulatio, licet defuncta sit in matrimonio filia: quoniam ad primas nuptias pertinet. Concordat l.cum pater.79.§.pater, in fine.ff.de leg.2. cuius uerba uide §.ca. prox. reg.6. except.2. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum in mortem alterutrius stipulatio facta esset, in fraudem stipulatoris ab altero repudium sit missum. quæ replicatio approbatur l.dubium.3.C.de repudijs, hisce uerbis: Dubium non est, omnia omnino quę consilio rectè geruntur, iure meritoque effectu & firmitate niti. Quare si tu dotẽ pro muliere dedisti, & ex morte eius repetitionem stipulatus es, circumscribendi autem tui causa ficto repudio matrimonium breui tempore rescissum est: res dotales, quas ante nuptias obtulisti, præses prouinciæ recipere te non dubitabit. Certum est enim, daturum operam moderatorem prouinciæ, ut quę contra fas gesta sunt, fructum calliditatis obtinere non possint: cùm nobis huiusmodi commenta displiceant. Imaginarios enim nuncios & repudia nullius esse momenti, siue nuptijs fingant se renunciasse, siue sponsalibus, etiam ueteribus iuris authoribus placuit. Concordat l.filiæ. 59.ff.soluto matrim.his uerbis: Filiæ meæ emancipatæ & ægræ uir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius hæredibus eius quàm mihi redderet. Sabinus dicebat, utile mihi eius dotis recuperandę iudicium dandum esse. Concordat item Nouell.c.22.§.præterea autem & aliud. cuius uerba cum concordantibus uide §. lib.prox.cap.8.quæst.2.reg.3.except.12. uide item paulò superius except.1.repl.2. Secundæ replicationis loco notandum, quòd quamuis stipulatori actio sit deneganda, alio casu matrimonio soluto, quàm in quem stipulatio facta est: tamen ipsi mulieri actio danda sit, non marito ad retinendam dotem exceptio. quæ replicatio approbatur l.si cum.22.in prin. ff.soluto matrimonio, his uerbis: Si cum dotem daret pater uel extraneus pro muliere, in unum casum pepigit, uel in diuortium, uel in mortem: dicendum est, in eum casum, in quem non pepigit, esse mulieri actionem. Tertia replicatio est: Nisi nõ in certum casum, sed generaliter soluto matrimonio dotẽ reddi sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur l.cum quæreb.240.ff.de uerb.signif.his uerbis: Cum quærebatur, an uerbum, Soluto matrimonio dotem reddi, non tantùm diuortiũ, sed & mortem contineret: hoc est, an de hoc quoq; casu contrahentes sentirent? & multi putabãt de hoc sensisse, & quibusdam alijs contrà uidebatur. Secundum hoc motus Imperator pronunciauit, id actum eo pacto, ut nullo casu remaneret dos apud maritum. Concordat l. si quis.56.ff.soluto matrim.his uerbis: Si quis sic stipuletur à marito: Si quo casu Titia tibi nupta esse desierit, dotem dabis? hac generali commemoratione & ab hostibus capta ea committetur stipulatio, uel etiamsi deportata fuerit, uel ancilla facta. hæc enim cõceptio ne omnes hi casus continentur. Planè quantum ueniet in stipulatione, utrũ quasi mortua sit, an quasi diuortiũ fecerit? Sed humanius quis id competere dixerit, quod propter mortem conuenit. Quarta replicatio est: Nisi solutum matrimonium postea redintegratum sit, et tunc eo, in quẽ stipulatio facta est, casu rursus solutum. Hæc replicatio reprobatur l.inter socerum.26. §.fin. ff. de pactis dotalib. cuius uerba uide §.ead.except.in prin.

IIII. Exceptio: Nisi cum ita, Si morte mulieris solutum esset matrimonium, stipulatio facta esset, maritus & uxor simul perierint, ut ignoretur uter alteri superuixerit. Hæc exceptio reprobatur l.qui duos.10. §.si maritus. ff.de rebus dubijs. cuius uerba cum alijs similibus uide §.lib.7.cap.9.reg.13.

V. Exceptio: Nisi conditio stipulationis dotalis defecerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur §.lib.34.cap.6. Sed & propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi cum ita esset facta dotis stipulatio, Si mulier intra biennium moreretur: illa mortua quidem sit post biennium à tempore stipulationis numerandum, sed intra biennium à tempore celebratarum nuptiarum. de qua replicatione ex facto consultus respondi, eam admittendam ex l. si pater. 48. in prin. ff.de iure dotium. cuius uerba uide §.cap.2.quæst. 5.reg.3.

VI. Exceptio: Nisi nulla uel inutilis stipulatio aut pactum de reddenda dote antecesserit. Hæc exceptio reprobatur l.unica.§.1.C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §.cap.2.quæst.1.except.18. Concordat d.l.unica. §.illo proculdubio, his uerbis: Illo proculdubio in ex stipulatu actione seruando, ut si decesserit mulier constante matrimonio, dos nõ in lucrum mariti cedat, nisi ex quibusdam pactionibus: sed ad mulieris hæredes ex stipulatu actio secundum suam naturã transmittatur, siue expressa fuerit, siue ex hac lege in esse intelligatur. Concordat l.auia.6.C.de iure dotium, his uerbis: Auia tua eorum quæ pro filia tua in dotem dedit, etiamsi uerborũ obligatio non interceſsit, actionem ex fide cõuentionis ad te (si hæres extitisti) transmittere potuit. nec enim eadem causa est patris uel matris pacisscentium: quippe matris pactum actionem præscriptis uerbis cõstituit, patris dotis actionem profecticiæ nomine competentem conuentione simplici minimè credi tur innouare. Ait imp. Quippe matris pactum actionem præscriptis uerbis constituit. Illud hodie mutatum est ex d.l.unica. §.1. & d.§.illo proculdubio. Actio enim ex stipulatu datur, siue stipulatio interuenerit, siue nõ, ut antea dictum est. Planè si alius quàm pater dotem pro muliere dederit, nisi nominatim sibi eã reddi pactus sit, ipsi denegabitur actio, sed mulieri dabitur. de quo dicetur §. cap. prox. Idq; notãdum loco primæ aduersus exceptionẽ propositã replicationis.

Altera

posito approbatur, simul & duæ eius replicationes. quarum prima hæc est: Nisi res à marito sit usucapta ante matrimonium. Altera hæc est: Nisi pecunia aliena, in dotem ab ancilla accepta, rem aliquam bona fide emerit. Tertia in casu proposito replicatio est: Nisi serua seruo nupserit, & quasi dotem dederit, postea quã ambo ad libertatem, peculio nõ adempto, peruenerint. quæ replicatio approbatur l. si serua. 39. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis: Si serua seruo quasi dotem dederit, deinde constante conditione ad libertatem ambo peruenerint, peculio eis non adempto, & in eadem coniunctione permanserint: ita res moderetur, ut si quæ ex rebus corporalibus, uelut in dotem tempore seruitutis datis, extiterint, uideantur ea tacitè in dotem cõuersa, ut eorũ æstimatio mulieri debeatur. Hæc de quarta distinctione, eiusq; replicationibus sint dicta. Quintò admittitur exceptio proposita, si uxor res à marito sibi donatas ei in dotem dederit. nam hoc casu res quidem alienæ sunt, utputa donatione non subsistente: sed mulier eas soluto matrimonio repetere non potest. quæ distinctio approbatur simul & distinguitur l. 1. C. de donationibus ante nuptias, his uerbis: Multum interest, si ea quæ donat uir futurus, tradiderit uxori, & postea in dotem acceperit: an uerò donandi animo dotem auxerit, ut uidoatur accepisse, quod non accepit. priore enim casu donatio nõ impeditur, & res quæ in ea causa sunt dotis effectæ, iudicio de dote peti possunt: posteriore autem casu nihil actum est donatione, & quod in dotem datum non est, repeti non potest. Propositæ excceptionis in casu proposito replicatio prima hæc est: Nisi ante nuptias à marito uxori donatum sit. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis. Cui concordat l. cum sponsus. 12. in prin. ff. de Public. in rem act. his uerbis: Cum sponsus sponsæ seruum donasset, eumq; in dotem accepisset ante usucapionem: rescriptum est à diuo Pio, facto diuortio restituẽdum esse seruum: nam uoluisse donationem inter sponsum & sponsam. Dabitur ergo & possidenti exceptio, & amissa possessione Publiciana, siue extraneus, siue donator possideat. Secunda replicatio est: Nisi maritus donationem in uita non reuocauit. quæ replicatio approbatur l. si quis. 59. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis: Si quis uxori ea cõditione donauit, ut quod donauit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio conualescit. Sed & alias recipit replicationes exceptio proposita in casu proposito, tot scilicet, quot casibus donatio inter uirum & uxorem ualet. de quibus uide ff. lib. 35. cap. 8. Hactenus de duodecima exceptione.

XIII. Exceptio: Nisi ususfructus domino proprietatis in dotem sit datus. Hæc exceptio approbatur l. cum in. 78. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis: Cum in fundo mariti habens mulier usumfructum, dotis causa marito eum dedit: quamuis ab ea ususfructus discesserit, maritus tamen usumfructum non habet: sed suo fundo quasi dominus utitur, consecutus per dotem plenam fundi proprietatem, non separatam ab usufructu: nec est, quòd non utendo eum maritus amittat. Diuortio autem facto, constituet in eodem fundo usumfructum mulieri. Quòd si in matrimonio decesserit uxor, nihil emolumenti ob dotem habere uidetur maritus: quia etsi uxorem eam non duxisset, tamen fructuariæ morte finitus usufructus ad proprietatem rediret. Ideoque nec in funus confert mulieris. Planè si pater filiæ nomine, qui in fundo generi usumfructum habebat, dotis constituendæ gratia eum dederit, & in matrimonio ea mortua fuerit: habebit ex sua persona usufructus petitionem. Ait Iurisconsultus: Quòd si in matrimonio decesserit uxor, nihil emolumenti ob dotem habere uidetur maritus, &c. Hisce uerbis exceptio proposita approbatur. Concordat l. usufructu. 57. ibi: ut si cum haberet. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ff. cap. prox. reg. 2. except. 5. Huius replicatio prima hæc est: Nisi non morte mulieris, sed diuortio solutum sit matrimonium. quæ replicatio approbatur uerbis suprà dictis hisce: Diuortio autem facto, constituet in eodem fundo usumfructum mulieri. Altera replicatio est: Nisi non uxor, sed pater eius usumfructum habens, eum genero, eidemq; proprietario in dotem dederit. tunc enim etiam morte uxoris soluto matrimonio pater repetitionem dotis habet. quæ replicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce: Planè si pater filiæ nomine, qui in fundo generi, &c. Vide item plura de exceptione proposita ff. except. 16.

XIIII. Exceptio: Nisi ususfructus in dotem datus non utendo sit amissus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d. l. 78. §. quòd si mulier, his uerbis: Quòd si mulier in suo fundo usumfructum dotis causa constituerit, tunc ex mariti persona propriè erit usufructus: quia & non utendo ipsi perit. Quod si acciderit, uideamus an etiam nunc dotata sit mulier? Et si quidem dominium apud mulierem est fundi, ad quem reuersus est usufructus: nihil iam in dote habet, quod actione dotis consequatur ab eo, cui quòd non utendo amisit usumfructum, imputari non potest, ex quo ipsa lucrum habet: ideoque ipsa indotata erit. Quòd si uxor alienauerit proprietatem, quæ sine ullo mulieris emolumento plenior facta est, adhuc dotata est: quia dotis actione teneri debet maritus, qui quando licuit usufructu uti, amiserit eum non utendo. Nam si habere perseuerasset usumfructum usque ad diuortium, commodo mulieris cederet eius restitutio:

tutio: quia etsi non protinus ad ipsam transiret, tamen uel precio, uel beneficio, sine incommodo mulieris ad proprietatem reuerteretur. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non penes uxorem, sed penes alium sit fundi proprietas. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Quòd si uxor alienauerit proprietatem, &c. Altera replicatio est: Nisi penes maritum proprietas quoque sit. tunc enim non utendo usumfructum amittere nequit. quæ replicatio approbatur d. l. 78. in prin. ibi: nec est, quòd non utendo. cuius uerba uide suprà except. proxim. Plura de except. proposita uide infrà except. 22.

XV. Exceptio: Nisi usufructu in dotem dato, morte mulieris solutum sit matrimonium. tunc enim non repetitur ususfructus dotalis, nisi marito quoque mortuo. quæ exceptio approbatur d. l. 78. §. si autem usumfructum, his uerbis: Si autem usumfructum maritus non amiserit, morte mulieris non finitur usufructus apud maritum. Diuortio autem facto, primùm uideamus & in hac & in superiore specie, an pro rata temporis anni eius diuidantur fructus. quod probandum est.

XVI. Exceptio: Nisi usufructu in dotem dato, proprietatem quoque maritus sit nactus. quæ exceptio approbatur l. si socrus. 18. C. de iure dotium, his uerbis: Si socrus tua fundum deducto usufructu uxori tuæ donauit, tibique in dotem uxor quidem proprietatem, socrus autem usumfructum dedit: uxore tua rebus humanis in matrimonio exempta, fundum apud te remansisse secundum placiti inter uos fidem, non ambigitur. Nam si acceptura certum quid annuum, filiæ suæ usumfructum locauit: mortua conductrice, ususfructus extingui minimè potuit. Huius exceptionis replicatio est: Nisi uxor fundi sui usumfructum in dotem dederit, postea; eiusdem fundi proprietatem sine usufructus æstimatione uendiderit. tunc enim soluto matrimonio precium ususfructus peti potest. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. cum in fundo. 78. §. uxor. ff. de iure dotium, his uerbis: Vxor uiro usumfructum dotis nomine dedit: manente matrimonio, eidem fundum uendidit. quæsitum est, diuortio facto, quid dotis iudicio recuperare debeat? Triphonius dixit, referre quanti fundus uenisset. nam si nudæ proprietatis æstimatio facta fuisset, mulierem dotis iudicio precium usufructus recuperare debere. Quid ergo, si uir ante litem contestatam mortuus fuisset? hæredes eius nihil præsticturos. nam etsi quilibet alius emptor proprietatis extitisset, hæres uiri nihil præstaret, scilicet usufructu reuerso ad proprietatem. Cæterùm si fundus totus uenisset, quanti deberet uenire, non detracto usufructu: intelligi mulierem dotem matrimonio manente recepisse. Vide plura de exceptione proposita suprà except. 15.

XVII. Exceptio: Nisi matrimonium, propter quod dos data est, ipso iure non subsistat. Hæc exceptio approbatur Institut. de nuptijs. §. si aduersus ea, in fine. cuius uerba uide suprà lib. prox. cap. 2. quæst. 3. reg. 1. Concordant ea quæ habentur ff. lib. proxim. cap. 1. quæst. 4. reg. 3. except. 5. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ex pòst facto matrimonium conualescat. quæ replicatio approbatur exemplo l. si serua. 39. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ff. except. 12. distinct. 4. repl. 3. Plures huiusmodi replicationes uide ff. lib. prox. cap. 2. quæst. 3. reg. 3. except. 1. cum sequentibus.

XVIII. Exceptio: Nisi in dãda dote dolus interesserit. Hæc exceptio approbatur l. iure. 6. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ff. cap. 2. except. 20.

XIX. Exceptio: Nisi in dotis datione Dotis nocabulum non sit adiectum. Hæc exceptio reprobatur l. quia autem. 23. ff. de iure dotium. cuius uerba uide suprà d. cap. 2. except. 21.

XX. Exceptio: Nisi scriptura in constituenda uel de reddenda dote non interceserit, uel amissa sit. Hæc exceptio reprobatur l. cum citra. 15. C. de iure dotium, his uerbis: Cum citra fidem etiam instrumẽtorum datam dotem aliũde probanti, post diuortium quondam uxoris tuæ secundum bonam fidem restitui debere constet: amissis etiam instrumẽtis, sine dubio cætera probationum indicia iure prodita non habentur irrita. Concordat l. unica. §. 1. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ff. cap. 2. quæst. 1. except. 18. Concordat item d. l. unica. §. & nemo putet. cuius uerba uide d. cap. 2. quæst. 6. reg. 3.

XXI. Exceptio: Nisi dos marito non sit numerata, nihilq; dotis nomine acceptum. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de dote cauta non numerata, his uerbis: Dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. & ideo non ignoras, ita demum ad petitionẽ dotis admitti te posse, si dotem à te reipsa datam probatura es. Concordat l. ult. C. eod. tt. his uerbis: In dotibus, quas datas esse dotalibus instrumentis conscribi moris est, cum adhuc nulla datio, sed pollicitatio tantùm subsecuta sit, liceat non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere, non solùm marito contra uxorem uel eius hęredes, morte mulieris uel repudio dissoluto matrimonio: sed etiã hęredibus mariti, cuius morte dissolutũ est matrimoniũ: socero etiam uel eius hęredibus, si cum filio suo dotem suscepisse dotalibus instrumentis scriptũ sit: omni deniq; personæ, quam dotem suscepisse unà cũ marito cõscribitur, & eius similiter hęredibus. ita tamen, ut intra annũ tantùm cõtinuum à morte mariti, uel mulieris, uel missione repudij computãdum, ea licẽtia detur. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi querela nõ numeratæ do-

sis intra legitimum tempus non sit proposita. quæ repli catio approbatur uerbis iam propositis hisce: Ita tamen, ut intra annum tantùm continuum à morte mariti, uel mulieris, uel missione repudij computandum, ea licentia detur. *Hisce uerbis proposita replicatio approbatur, simul & quod sit tempus proponendæ querelæ legitimum, definitur: scilicet annus à tempore soluti matrimonij. Planè hoc tempus mutatur Nouell. c.100. ubi inter cætera Imp. Iustinianus ait in hæc uerba*: Vt summatim dicamus, intra biennium quidem soluto matrimonio siue morte, siue diuortio, tam ipsi marito de dote non numerata queri licet, quàm eius insuper hæredi intra alterum annum. Si uerò matrimoniũ ultra biennium usq; ad decimum annum extendatur: marito, eiusq; insuper hæredi intra menses tres querelam concedimus. Si autem decẽnium decurrat: tunc neq; marito, neq; hæredibus eius querelæ mouendæ potestas erit, in uniuersum hoc tempore mulieri sufficturo. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi maritus eiusue hæres minor fuerit uigintiquinque annis. Hæc duplicatio approbatur, certo tamen modo, d. c. 100. §. enimuerò, his uerbis*: Si minor annis maritus sit, neq; cõqueratur: tantũ illi temporis ad restitutionem attribuimus, ut ne à tempore cõtracti matrimonij duodecim annorum spacium excedat. Siquidem compertum habemus, eos qui quàm celerrimè nuptias contrahunt, ad illas non minores quindecim annis accedere. Vnde & uicesimumquintum ętatis annum excedet, & intra annum porrò uicesimũseptimum de dote non numerata queri poterit. Mortuo uerò ipso intra prædictum tempus, hæredes ad proponendam querelam annum habento. Si minores ætate sint hæredes eius qui querelam non proposuit, ad querelam de dote non numerata mouendam duntaxat quinquennium habento, sufficturo eo tempore, neque præstolaturo exitum omnium minorum temporum, id quod nos ad præsentem quoque legem commouit. Nam cum mulier quatuordecim annis fuisset in matrimonio, post uicesimum annum à morte patris, abutens quidem minoris ætatis beneficio, contra matrem mouebat litem, post quartum demum & tricesimum matrimonij annum nõ numeratæ dotis actione proposita. quod quidem nos disceptantes remedio curauimus. Et propter hasce factorum circumstantias minorum ætate tempus etiam in quinquennium per præsentem legem determinauimus: illo uidelicet solo non numeratam dotem opponente, qui ut dotem susciperet, in hoc descriptus fuit, negocio intra sua tempora iudicando, siue perfectæ, siue imperfectæ ætatis sit. *Secunda duplicatio est*: *Nisi matrimonium tempore latæ constitutionis sit contractum. quæ duplicatio approbatur d. c. 100. §. penultim. his uerbis*: Obtentura hac lege in pòst futuris matrimonijs. nam in constantibus, siquidem reliquum sit decennium, aut non minus biennio, habeto & hoc tempus ad querelam de non numerata dote mouendam, quæ ei etiam transmissionem præbet. Si uerò aut minus biennio tempus illi reliquum sit, aut uniuersum decem annorum spacium iam excesserit: tunc ad querelam de dote non numerata proponendam ipsis quidem præbemus biennium, ipsorum uerò hæredibus post matrimonij diremptionem trimestre, ut per omnia iusticiam ipsis conseruemus. *Hæc de tempore querelæ de non numerata dote proponendæ. Modus quoque querelæ istius proponendæ proponitur d. c. 100. §. loquimur autem, his uerbis*: Loquimur non de contestatione, quæ uerbis fit. sæpenumero enim aut quædam iracundia, aut alia incidens occasio, efficit, ut talia quæpiam maritus dicat: aut etiam cum nihil dixerit, redempti id testes improbè mentiuntur. sed contestationem oportet in scriptis consistere. Porrò si constituto fortè iudicio eam facere uoluerit, omninò id mulieri, aut prorsus ei qui dotem se daturum conscripsit, innotescere debet. non quòd aliquid obstet, quo minus ipse maritus per se hoc facere possit, & item conqueri, & partem mulieris ea quæ geruntur ignorare: modò prius in animo reponat, nulla id ratione ualere posse contra eũ, qui quòd querela aduersus ipsum facta sit, ignorat. *Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio est*: *Nisi per maritum steterit, quo minus dotem acceperit. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur exemplo l. si extr. 33. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis*: Si extraneus sit qui dotem promisit, isq; defectus sit facultatibus: imputabitur marito, cur eum non conuenerit, maximè si ex necessitate, non ex uoluntate dotem promiserat. Si tamen donauit, utcunque parcendum marito, qui non præcipitauerit eum ad solutionem, qui donauerat, quemq; in id quod facere posset, si conuenisset, condemnauerit. Hoc enim diuus Pius rescripsit, eos qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere possunt condemnandos. Sed quid si uel pater, uel ipsa promiserit? Iulianus quidem lib. XVI. Digest. scribit, Etsi pater promiserit, periculum respicere ad maritum. quod ferendum non est. Debebit igitur mulieris esse periculum. nequaquam enim iudex propiciis auribus audiet mulierem dicentem,

cur

cur patrem, qui de suo dotem promisit, nõ uiserit ad solutionem? multò minus, curipsam non conuenerit? Rectè itaque Sabinus disposuit, ut diceret, quod pater uel ipsa mulier promisit, uiri periculo non esse: quod debitor, uiri esse periculo: quod alius, scilicet donaturus, eius periculo esse, cui adquiratur. adquiri autem mulieri accipiemus, ad quam rei commodum respicit. *Aliud exemplum propositæ replicationis proponitur l. uir. 49. ff. de iure dotium, his uerbis*: Vir ab eo, qui uxori eius dotem facere uolebat, certam pecuniam eo nomine stipulatus est: deinde acceptam ei fecit. quærebatur, esset ne ea pecunia in dotem? Iulianus respondit, si acceptam non feciſſet, & promissor soluendo esse desijsset: quęreremus, an culpa mariti ea pecunia exacta non esset. Cum uerò acceptam fecit, omnimodo periculum ad eum pertinebit. Perinde enim est, ac si acceperit pecuniam, & eandem promissori donauerit. *Sunt item propositæ replicationis species seu exempla §. repl. 3. & 4. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est*: *Nisi mulier eiusue pater dotem promiserit. hoc enim casu imputari marito non debet, cur non exegerit. quæ duplicatio cõstat ex uerbis suprà propositis hisce*: Sed quid si uel pater, uel ipsa promiserit? &c. *Secunda duplicatio est*: *Nisi alius donandi animo pro muliere dotem promiserit. nam nec hoc casu imputari marito debet, cur non exegerit. quæ & ipsa duplicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce*: Si tamen donauit, utcunque parcendum marito, &c. *Item hisce*: Rectè itaq; Sabinus, &c. *Tertia duplicatio est*: *Nisi uxor hæres extiterit ei qui dotem promisit. quæ duplicatio approbatur l. promittendo. 41. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis*: Si debitor mulieris dotem promiserit, & mulierem hæredem reliquerit: Labeo perinde habendum ait, ac si mulier ipsa dotem promisisset. cuius sententiam Iulianus quoq; probat. nec enim æquũ esse ait, ut ei damnetur eius pecuniæ nomine, quam ipsa debeat: & satis esse, acceptilatione eam liberari. *Concordat l. in his rebus. 66. §. fin. ff. soluto matr. his uerbis*: Si quis pro muliere dotem uiro promisit, deinde muliere hærede relicta decesserit: qua ex parte mulier ei hæres esset, pro ea parte dotis periculum, quod uiri fuisset, ad mulierem pertinere, ait Labeo: quia nec melius, nec equius esset (quòd exigere uir ab uxore nõ potuisset) ob id ex detrimento uiri mulierem locupletari. & hoc uerum puto. *Quarta duplicatio est*: *Nisi is qui dotem promisit, mulieri hæres extiterit. quæ duplicatio approbatur l. nupta. 30. ff. soluto matr. his uerbis*: Quoties culpa uiri accidit, ne dos à socero, aut quolibet alio, qui mulieris nomine promiserat, exigeretur: si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamilias facta eum, qui dotem repromiserat, hęredem instituerit: satis constat, nihil amplius uirum præstare debere, quàm ut eos obligatione liberet. *Quinta duplicatio est*: *Nisi maritus dotem exigere non potuit. quæ duplicatio approbatur l. Mæuia. 49. in prin. ff. soluto matr. his uerbis*: Mæuia marito suo inter alias res dotis etiam instrumentum solidorum decem tradidit, quod Otacilius eidem Mæuiæ cauerat daturum se, cum nuptũ ire cœpisset, decem. ex eo instrumento maritus nihil exegit: quia nec potuit. Quæsitum est, si dos à marito petatur, an compellendus sit etiam illam summam, quæ instrumento continetur, refundere? Paulus respondit, potuisse quidem eum, cui actiones mandatæ sunt, debitorem conuenire: sed si sine dolo malo uel culpa exigere pecuniam nõ potuerit, neque dotis nomine eum conueniri posse, neque mandati iudicio. *Concordat l. promittendo. 41. §. si à debitore. ff. de iure dotium, his uerbis*: Si à debitore mulieris sub conditione dos promittatur, & postea, sed ante quã maritus petere posset, debitor soluendo esse desierit: magis periculum ad mulierem pertinere placet. nec enim uideri maritum nomen secutum eo tempore, quo exigi nõ potuerit. Quòd si iam tunc debitor, cũ sub conditione promitteret, soluendo non fuerit: periculũ uiri esse, quòd sciens tale nomen secutus uideatur, quale in obligatione fuerit. *Sexta duplicatio est*: *Nisi non maritus, sed eius seruus dotem sit stipulatus. tunc enim, quamuis debitor dotis soluendo esse desierit, periculum ad maritũ nõ pertinet. quæ duplicatio approbatur l. quemadmodum. 46. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 1. except. 5. Concordat d. l. 46. §. 1. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 5. reg. 7. Septima duplicatio est*: *Nisi ita conuenerit, ne nomen eius qui dotem promisit, mariti periculo sit, sed mulieris. quæ duplicatio approbatur l. Pomp. 6. ff. de pactis dotalibus, his uerbis*: Pomponius ait, maritum nõ posse pacisci, ut dolum solummodò in dotem præstet, uidelicet propter utilitatem nubentiũ: quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius nomen debitoris, qui ei dotem promisit. nam ut sit dos periculo mulieris, pacisci eum posse probat: & per contrariũ, ut ea dos, quæ periculo mulieris est, sit periculo mariti. *Hæc de secunda replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Tertia replicatio est*: *Nisi maritus sciens dotem stipulatus sit ab eo, qui soluendo non est, uel alio modo nomen eius sit secutus. quæ replicatio approbatur l. promittendo. 41. §. si à debitore. ibi: quòd si iam tunc. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. repl. prox. dupl. 5. Cõcordat l. cum dotem. 71. ff. eod. tit. his uerbis*: Cum dotẽ mulieris nomine extraneus promiserit, mulieris periculũ esse:

si maritus nomen secutus usuras exegerit, periculũ eius futurũ respondetur. Cõcordat item l.dotem.35. ff.eod.tt. his uerbis: Dotẽ à patre uel à quouis alio promissam, si uir nouandi causa stipuletur, cœpit uiri esse periculũ, cũ antè mulieris fuisset. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi tempore stipulationis soluẽdo debitor existẽs, postea soluẽdo esse desierit, antequã maritus dotẽ exigere potuit. quæ duplicatio approbatur d. §. si à debitore. Secunda duplicatio est: Nisi maritus donandi animo eum qui soluẽdo non est, in dotem susceperit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur l. cũ uir. 53. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Cũ uir uxori donare uellet, debitor mulieris, qui soluendo non erat, dotẽ ei promisit. Ad id dũtaxat, quoad soluendo fuit, uiri periculo ea res est: & si quid debitori ad soluendũ facultatis accesserit, periculũ ad eam summã, quæ accesserit, crescet: permanebitq;, etiãsi rursus pauperior factus erit: quia neq; tum, cũ dos promitteretur, donatio facta est, nisi eius pecuniæ, quæ à debitore seruari nõ poterat: neq; cùm soluẽdo esse cœpit, donationis causa permanet, cùm eo loco res sit, quo esset, si tum quoq;, cum promitteretur dos, locuples fuisset. *Quarta replicatio est: Nisi maritus debitori dotis acceptotulerit. quæ replicatio approbatur l. uir. 49. ff. de iure dotiũ. cuius uerba uide §. repl. 2. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi iussu mulieris maritus debitori dotis acceptotulerit. quæ duplicatio approbatur l. debitor. 36. cũ duabus legibus sequẽtibus. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Debitor mulieris iussu eius pecuniam uiro expromisit: deinde uir acceptã eam iussu mulieris fecit: res mulieri perit. Hoc quomodo accipimus, dotis nomine, an si alia ex causa? Et uidetur de eo debitore dictũ, qui dotis nomine, promisit. Illud adhuc subest, utrum ante nuptias, an post nuptias id factũ sit: multum. n. interesse uidetur. nam si secutis nuptijs id factũ est, dote iam cõstituta, maritus acceptoferendo perdit dotẽ: si autem antequam nuptiæ sequerẽtur, nihil uidetur cõstitutum esse. Non enim aliàs perit mulieri actio, quàm si nuptiæ secutæ fuerint: nam si secutæ non sunt, manet debitor mulieri obligatus. Sanè uidendũ est, an marito mulier, quæ iussit acceptofieri, obligetur? & putem obligari mãdati actione, & hoc ipsum in dotem conuerti, quòd mulier mãdati iudicio obligata est. & quod dicitur rem mulieri perire, consequens est. Nam si cœperit uelle de dote agere, ipsa secum debebit compensare iussum suũ. *Secunda duplicatio est: Nisi propter egestatem soceri maritus ei dotẽ acceptotulerit. Hæc duplicatio reprobatur l. in his reb. 66. §. si uir. ff. soluto matr. his uerbis:* Si uir socero iniussu uxoris manẽte matrimonio dotem acceptam fecisset, etiamsi id propter egestatẽ soceri factũ esset, uiri tamẽ periculum futurũ, ait Labeo: & hoc uerũ est. *Quinta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi marito dotis constituendæ causa id quod mulieri debebat, sit acceptolatum. hoc enim casu, quasi nihil in dotem acceperit, se defendere non poterit. quæ replicatio approbatur l. promittendo. 41. §. acceptilatione. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Acceptilatione quoq; dos constituitur, cum debitori marito acceptofertur dotis constituẽdæ causa. *Concordat l. si pater. 44. §. quæ debitorem. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 6. reg. 4. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi per remissionẽ debiti prior obligatio non sit extincta. cuius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi per exceptionem extinguẽ posit. tunc enim quamuis ipso iure maneat prior obligatio, tamen nihilominus de dote actio est. quæ triplicatio approbatur l. si res. 12. §. fin. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Si cũ marito debitore mulier pacta sit, ut id quod debet, in dotẽ habeat: dotis actione scilicet eam agere posse existimo. licet. n. ipso iure priore debito liberatus non sit, tamẽ exceptionẽ habere potest. *Secunda duplicatio est: Nisi aliud quàm debetur, dotis nomine cõstituatur. Hæc duplicatio reprobatur l. si ei. 25. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Si ei nuptura mulier, qui Stichum debebat, ita cum eo pacta est: Pro Sticho quẽ mihi debes, decẽ tibi doti erũt, secũdum id quod placuit rem pro re solui posse, & liberatio contingit, & decẽ in dotem erunt: quia & permutatio dotium cõuẽtione fieri potest. *Tertia duplicatio est: Nisi res aliena debeatur, eiusq; debiti acceptilatio facta sit dotis constituendæ causa. quæ duplicatio approbatur l. si nuptura. 14. §. si fundum. ff. de fundo dotali. cuius uerba uide §. except. 12. distinct. 1. Contradicit l. si sponsalibus. 58. §. si mulier. ff. de iure dotium. cuius uerba uide j. cap. 8. reg. 3. except. 2. Sexta replicatio est: Nisi legatum uel hæreditas dotis constituendæ causa sit repudiata. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. fin. ff. de fundo dotali, his uerbis;* Si fundum legatũ sibi dotis causa mulier repudiauit, uel etiã substituto uiro omisit hæreditatem uel legatum: erit dotalis fundus. *Septima replicatio est: Nisi dotis constituendæ causa marito sit legatum relictum. quæ replicatio approbatur l. tali stipulatione. 48. §. socer. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 2. reg. 1. Octaua replicatio est: Nisi maritus mulieri hæres extiterit. quæ replicatio approbatur l. quæ dotis. 33. ff. soluto matrim. his uerbis:* Quæ dotis nomine certam pecuniam promiserat, quosdam adhibuerat qui stipularẽtur, partem dotis distracto matrimonio sibi solui. ea nulla data dote obierat, eodem marito suo hærede relicto. is damnosam hæreditatem eius adierat. nihilominus stipulatoribus teneri, Africanus ait: quoniam adeundo hæreditatem debitricis intelligeretur se compẽsasse: nec ad rem pertinere, quòd solueno-

soluendo non esset hæreditas, quando cæteris etiam creditoribus teneatur. *Nonæ replicationis loco uidetur dicendum, si maritus dotem promissam non numeratam soluerit, eam repeti non posse: & ita ob dotem non numeratam exceptionem tantùm, non etiam actionem dari. uerùm replicatio hæc reprobatur l. maritus. 52. ff. soluto matrim. his uerbis:* Maritus dotem, quam non accepit, si post diuortium per errorem soluit, repetet, quasi non numeratam pecuniam cauerit: exigi enim ab eo non potuit. *Decima replicatio est: Nisi post dotalia instrumenta confecta maritus scripserit, se dotem accepisse. quæ replicatio approbatur l. in contractib. 14. §. sed quoniam. C. de non numerata pecunia, his uerbis:* Illis etiam securitatibus, quæ post confectionem dotalium instrumẽtorum de soluta dote ex parte uel in solidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi, sancimus. *Vndecima replicatio est: Nisi maritus donandi animo uxori dotem constituerit, uel rem uxori donauerit, eamq; statim in dotem constituerit, uel receperit. quæ replicatio approbatur l. 2. C. de dote cauta non numerata, his uerbis:* Quod de suo maritus constante matrimonio donandi animo in dotem adscripsit, si eandem donationem legitimè confectam non reuocauit, qui incrementum doti dedit, & durante matrimonio mortem obijt: ab hæredibus mariti, quatenus liberalitas interposita munita est, peti potest. *Concordat l. Marcellus. 59. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide §. except. 12. distinct. 5. repl. 2.* Planè propositæ *replicationis duplicatio hæc est: Nisi donatio inter mariti & uxorem sit inutilis. quæ duplicatio ex iam dictis constat: estq; regulariter donatio ista inutilis, nisi in certis quibusdam casibus: de quibus uide j. lib. 35. cap. 8. Duodecima replicatio est: Nisi soluto matrimonio maritus uxori stipulanti certam quantitatem dotis nomine promiserit. quæ replicatio approbatur l. si diuortio. 21. ff. de uerb. oblig. cuius uerba uide j. lib. 38. cap. 4. except. 25. Hæc de uicesima prima exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta.*

XXII. *Exceptio: Nisi res in dotem data perierit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. plerunq;. 10. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Plerunq; interest uiri, res non esse æstimatas: idcirco, ne periculũ rerum ad eum pertineat: maximè si animalia in dotem acceperit, uel uestem qua mulier utitur. Eueniet enim, si æstimata sit, & eam mulier attriuerit, ut nihilominus maritus æstimationem earum præstet. Quoties igitur nõ æstimatæ res in dotem dantur, & meliores & deteriores mulieri fiũt. Si prædijs inęstimatis aliquid accesserit, hoc ad compendium mulieris pertinet: si aliquid decesserit, mulieris damnum est. *Concordat l. si res. 12. §. si mulier. ibi: cæterum. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulo inferius cap. 8. reg. 11. except. 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi res æstimata in dotem data sit. quæ replicatio ex uerbis iam propositis constat. Concordat l. cũ dotem. 10. in fine. C. de iure dotiũ, cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 6. reg. 2. Item concordat l. unica. §. sed & nouissimi. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Æstimatarum rerum maritus quasi emptor commodum sentiat, & dispẽdium subeat, & periculũ expecter. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi ante nuptias res æstimata perierit. quæ duplicatio approbatur l. plerunq;. 10. §. si ante matrimonium. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si ante matrimonium æstimatæ res dotales sunt, hæc æstimatio quasi sub conditione est. namq; hanc habet conditionem: Si matrimoniũ fuerit secutum. Secutis igitur nuptijs, æstimatio rerum perficitur, & fit uera uenditio. Inde quæri potest, si ante nuptias mancipia æstimata deperierint, an mulieris damnum sit? & hoc consequens est dicere. Nam cum sit conditionalis uenditio: pendente autem conditione, mors contingens extinguat uenditionem: consequens est dicere, mulieri res periisse: quia nondum erat impleta uenditio. æstimatio enim, uenditio est. *Secunda duplicatio est: Nisi post moram à muliere in soluenda dote factam res perierit. tunc enim, quamuis æstimata fuerit, nihilominus mulieris damnum est. quæ duplicatio approbatur l. si rem. 14. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si rem æstimatam mulier in dotem dederit, deinde ea moram faciente in traditione, in rerũ natura esse desierit: actionem eam habere non puto. *Huius duplicationis triplicatio est: Nisi non per mulierem steterit, quo minus soluat. quæ triplicatio approbatur ibidem l. 15. his uerbis:* Quòd si per eam non stetisset, perinde precium auferet, ac si tradidisset: quia quod euenit, emptoris periculo est. *Tertia duplicatio est: Nisi res donationis causa sit æstimata. quæ duplicatio approbatur l. si res. 12. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si res æstimata post contractum matrimonium donationis causa adprobetur, nulla est æstimatio: quia nec res distrahi donationis causa potest, cum effectum inter uirum & uxorem non habeat. Res igitur in dote remanebit. Sed si ante matrimonium, magis est ut in matrimonij tempus collata ea donatio uideatur, atq; ideo non ualeat. *Quarta duplicatio est: Nisi mulier dicat, se circumuentam in æstimatione. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 12. §. si mulier. cuius uerba uide j. cap. 8. reg. 11. exc. 1. Quinta duplicatio est: Nisi ipsam rem aut eius æstimationẽ mulier alternatiuè sit stipulata, ita ut in arbitrio mariti sit, utrum uelit præstare. Et hæc duplicatio reprobatur l. plerunque. 10. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide j. cap. 8. reg. 10. except. 1. repl. 1. dupl. 3. Sexta duplicatio uidetur esse: Nisi usu mulieris res æsti-*

mata perierit, uel deterior facta sit. Hæc *duplicatio reprobatur l. æstimatæ. 51. ff. soluto matrim. his uerbis:* Æstimatæ res usu etiam mulieris periculo mariti deteriores efficiuntur. *Septima duplicatio est: Nisi rebus æstimatis in dotem datis, postea conuenerit ne essent æstimatæ. Hæc duplicatio approbatur l. cum maritus. 29. in prin. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide §. eod. lib. cap. 1. quæst. 1. except. 9. Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio est: Nisi res quæ pondere, numero uel mensura constant, in dotem datæ sint. quæ replicatio approbatur l. res. 42. ff. de iure dotium, his uerbis:* Res in dotem datæ, quæ pondere, numero, mensura constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & quandoq; soluto matrimonio eiusdem generis & qualitatis alias restituat uel ipse, uel hæres eius. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi pro pecunia in dotem promissa postea mancipia uel quid aliud detur. quæ duplicatio reprobari uidetur l. si mulier. 21. ff. de pactis dotalibus, in hisce uerbis:* Ea conditione, ut periculo eius essent. *Ergo uidetur iurisconsultus eius esse sententiæ, ut nisi illa cõditio pacto insit, pactum non ualeat. Verba istius legis uide ĩ. cap. 8. reg. 16. Tertia replicatio est: Nisi dolo uel culpa mariti res dotalis perierit. quæ replicatio approbatur l. in his. 66. in prin. ff. soluto matr. his uerbis:* In his rebus, quas præter numeratã pecuniam doti uir habeat, dolum malum & culpam præstare eum oportere, Seruius ait: eaq; sententia & Publij Mutij est. nam is in Licinia Gracchi uxore statuit, quòd quæ res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perijssent (quia Gracchi culpa ea seditio facta esset) eas Liciniæ præstari oporteret. *Aliud exemplum proponitur l. cum in fundo. 78. §. quòd mulier. ibi: quod si uxor. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. except. 14. Item aliud exemplum proponitur l. si fundum. 16. ff. de fundo dotali. cuius uerba uide ĩ. except. prox. Concordat item l. etiam. 18. §. quanquam. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ĩ. cap. 8. reg. 18. exc. 2. Huius replicationis prima duplicatio hæc est:* Nisi ita conuenit, ne maritus culpam præstet. *quæ duplicatio reprobatur l. Pomponius. 6. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 2. dupl. 7. Secunda duplicatio est: Nisi non ipsi marito, sed eius filio uel seruo dos tradita sit. tunc enim culpam præstare non compellitur. quæ duplicatio approbatur l. quemadmodum. 46. §. 1. ff. de iure dotiũ. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 5. reg. 7. Tertia duplicatio est: Nisi per mulierem stetit, quo minus dotem receperit. Hæc duplicatio approbatur l. si mora. 9. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Si mora per mulierem fuit, &c. *Quarta replicatio est: Nisi post moram à marito in reddenda dote factam res perierit. Hæc replicatio approbatur l. si filiofam. 25. §. si post. ff. soluto matrim. his uerbis:* Si post diuortium res dotales deteriores factæ sint, & uir in reddenda dote moram fecerit, omnino detrimentum ipse præstabit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi post moram maritus rem obtulit, eamq; uxor accipere noluit. quæ duplicatio approbatur l. semel. 26. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Semel mora facta, si seruum dotalem postea offerente marito mulier accipere noluerit, & ita is decesserit, non debebit precium eius maritus uel hęres eius: ne damnum sentiat, quòd postea offerente eo mulier accipere noluit. *Quinta replicatio est: Nisi postquam maritus in exigenda & petenda re dotali moram fecisset, ea interierit. Hæc replicatio ipso iure approbatur. cuius duplicatio hæc est: Nisi res apud maritum quoque peritura erat. quæ duplicatio approbatur l. si is. 56. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si is qui Stichum mulieri debet, in dotem delegatus sit, & antequam solueret debitor, Stichus decesserit: cum neque per debitorem stetisset quo minus solueret, neque maritus agendo moram fecisset, periculo mulieris Stichus moritur. Quanquam etiamsi moram maritus fecerit in exigendo, si tamen apud maritum moriturus Stichus fuerit, actione dotis maritus non tenetur. *Sextæ replicationis loco notandum, quòd maritus ad præstandas actiones, quas rei dotalis nomine habet, teneatur. quæ replicatio approbatur l. etiam. 18. §. fin. ff. soluto matrimon. cuius uerba uide ĩ. cap. 8. reg. 18. except. 1. repl. 1.*

XXIII. *Exceptio: Nisi res dotalis ab alio usucapta sit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio hæc est: Nisi maritus, cum posset, usucapionem non interpellauit. quæ replicatio approbatur l. si fundum. 16. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Si fundum, quem Titius bona fide possidebat, & longi temporis possessione poterat sibi quærere, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexerit uir, cum id facere posset: rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quæ uetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad huiusmodi adquisitionem: non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus fit, si antequam constitueretur dotalis fundus, iam cœperat. Planè si pauciſsimi dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerunt, nihil erit quod imputetur marito.

XXIIII. *Exceptio: Nisi seruus dotalis manumissus sit. Hæc exceptio approbatur l. quòd si uir. 62. cum lege sequente. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Si uir uoluntate mulieris seruos dotales manumisit, cum donare ei mulier seruos uoluit: nec de libertatis causa impositis ei præstandis tenebitur. Et desinit seruus in dote esse: quia cui manumittendi causa donare liceret, ei quodãmodò donaret, quòd permitteret manumittere. *Concordat l. si constante. 24. §. si uir uoluntate. ff. eod. tt. his uerbis:* Si uir

Si uir uoluntate mulieris seruos dotales manumiserit, si quidem donare ei mulier uoluit, nec de libertatis causa impositis ei præstandis tenebitur. Quòd si negocium ab eo gestum est, utique tenebitur, ut officio iudicis caueat, restituturũ se mulieri, quidquid ad eum ex bonis liberti, uel ex obligatione peruenisset. *Huius exceptionis replicatio hæc est, Quòd quamuis non ad ipsum seruum manumissum restituendum maritus teneatur: tamen ad ea, quæ occasione libertatis ad se peruenerunt, restituenda sit obligatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quòd si negocium ab eo gestum est, &c. *Concordat l. si uerò. 64. ff. eod. tt. his uerbis:* Si negocium gerens mulieris non inuitæ maritus dotalem seruum uoluntate eius manumiserit, debet uxori restituere, quidquid ad eum peruenerit. Sed et si quid libertatis causa maritus ei imposuit, id uxori præstabit. Planè si operæ fuerint marito exhibitæ, non æstimatio earum: non erit æquum, hoc nomine uxori maritum quidpiam præstare. Sed et si post manumissionem aliquid fuerit ei liberto impositum, id uxori præstandum est. Sed et si reum maritus acceperat, expromissoremue: æquè aduersus ipsum obligationem debet præstare. Item, quidquid ad eum ex bonis liberti peruenerit, æquè præstare cogetur, si modò ad eum quasi ad patronum peruenerit. Cæterùm si alio iure, non cogetur præstare. nec enim beneficium, quod in eum libertus contulit, hoc uxori debet: sed id tantùm, quod iure patronatus adsequitur, uel adsequi potuit. Planè si ex maiore parte quàm debet, hæres scriptus fuerit: quod amplius est, non præstabit. & si fortè, cum ei nihil deberet libertus, hæredem eum scripsit: nihil uxori restituet. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi uxor donandi causa permiserit marito seruum dotalem manumittere. tunc enim nec ea quæ ad se peruenerunt, maritus cogitur restituere. quæ duplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt suprà ead. except. in prin. Secunda duplicatio est: Nisi operæ liberti ad maritum peruenerint. harum enim nomine mulieri non tenetur. quæ duplicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Planè si operæ fuerint marito exhibitæ, non æstimatio earum: non erit æquum, hoc nomine uxori maritum quidpiam præstare. *Tertia duplicatio uidetur esse: Nisi post manumissionem liberto sit impositum. Hæc duplicatio reprobatur uerbis ibidem propositis hisce:* Sed et si post manumissionem aliquid fuerit ei liberto impositum, id uxori præstandum est. *Quarta duplicatio est: Nisi non tanquam ad patronum, sed alio iure ad maritum peruenerit. quæ duplicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Item, quidquid ad eum ex bonis liberti peruenerit, æquè præstare cogetur, si modò ad eum quasi ad patronum peruenerit. Cæterùm si alio iure, non cogetur præstare. nec enim beneficium, quod in eum libertus contulit, hoc uxori debet: sed id tantùm, quod iure patronatus adsequitur, uel adsequi potuit. Planè si ex maiore parte quàm debet, hæres scriptus fuerit: quod amplius est, non præstabit. & si fortè, cum ei nihil deberet libertus, hæredem eum scripsit: nihil uxori restituet. *Huius exemplum proponitur ibidem, his uerbis:* Planè si ex maiore parte quàm debet, hæres scriptus fuerit: quod amplius est, non præstabit. & si fortè, cum ei nihil deberet libertus, hæredem eum scripsit: nihil uxori restituet. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi inuita uxore maritus seruum dotalem manumisit. quæ triplicatio approbatur l. dotalem. 61. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Dotalem seruum uir inuita uxore manumisit. solus uir hæres à liberto institutus, portionem hæreditatis, quam ut patronus consequi potuit ac debuit, restituere debet: alteram uerò portionem dotis iudicio, si modò uxor manumittenti refragatur. *Quinta duplicatio est: Nisi ad maritum non peruenerit. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius triplicatio prima hæc est: Nisi exigere posit. quæ triplicatio approbatur d. l. 64. §. dabit autem. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Dabit autem (ut ait lex Iulia) quod ad eum peruenit. Peruenisse accipimus, siue iam exegit, siue exigere potest: quia actio ei delata est. *Secunda triplicatio est: Nisi maritus dolo fecerit, quo minus ad se perueniat. quæ triplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Adijcitur in lege: Et si dolo malo factum sit, quo minus ad eum perueniat. *Huius triplicationis quadruplicatio prima hæc est: Nisi maritus filium exhæredauerit, ut ad eum bona liberti pertineant. quæ quadruplicatio approbatur d. l. 64. §. si filium, his uerbis:* Si filium exhæredauerit patronus, ut ad eum bona liberti pertineant: uidendum est, an hæres hoc nomine teneatur? & cum nihil neq; ad ipsum, neq; ad hæredẽ eius perueniat: quomodo fieri potest, ut hoc nomine teneatur? *Secunda quadruplicatio est: Nisi maritus in testamento liberti sibi aliquid adscripsit, & ob id amisit quod aliàs ad eum erat peruenturum. Hæc quadruplicatio approbatur l. filius. 14. §. maritus. ff. ad l. Cornel. de falsis, hisce uerbis:* Maritus seruum dotalem manumisit, & in testamento eius legatum sibi adscripsit. quęsitum est, quid mulier ex lege Iulia consequi possit? Paulus respondit: Et patronũ incidere in pœnam edicti diui Claudij, dicendũ est, & filium emancipatum (licet pręteriri possit) petere bonorum possessionem. Ergo si nihil habet patronus ex bonis liberti, nõ tenebitur mulieri. An ideo teneri potest, quòd adiectum est in lege:

Aut

Aut dolo fecit,quo minus ad eũ perueniat? Sed nihil fecit in fraudem mulieris : non enim aduerſus illam hoc excogitauit. *Tertia triplicatio uidetur eſſe : Niſi ad ſocerum eiuſúe hæredes peruenerit. Sed reprobatur l.ſi uerò.64. §.de uiro. ff.ſoluto matr.his uerbis*: De uiro hæredeq; eius lex tãtùm loquitur: de ſocero ſucceſſoribusq; ſoceri nihil in lege ſcriptũ eſt: & hoc Labeo quaſi omiſſum adnotat. In quibus igitur caſibus lex deficit, non erit nec utilis actio danda. *Hæc de quinta duplicatione. Sexta duplicatio eſt: Niſi non ad maritum, ſed eius patrem, patriſúe ſucceſſores peruenerit. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis. Septimæ duplicationis loco notandum, quòd in arbitrio mariti ſit, utrum uelit res,quæ ad ſe peruenerũt,præſtare,an earum æſtimationem. quæ duplicatio approbatur d.l.64.§.fin.his uerbis*: Quòd ait lex, Quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato: oſtendit æſtimationem hæreditatis uel bonorum liberti,non ipſam hæreditatẽ uoluiſſe legẽ pręſtari : niſi maritus ipſas res tradere maluerit. & hoc benignius admitti debet. *Plures propoſitæ regulæ duplicationes uide j.cap.8.reg.6.*

XXV. *Exceptio : Niſi ſeruus dotalis in fuga ſit. Hoc caſu maritus ad cauendum tenetur. de quo dictum s̄.cap.5. quæſt.4. reg.3.*

XXVI. *Exceptio : Niſi pactum de retinenda & non retinenda dote factum ſit. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. illo proculdubio. ibi: niſi ex quibuſdam pactionibus. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide s̄.excep.6. Concordat l.ſi conſtante.19. §.pactis uidelicet. C. de donationib.ante nuptias. cuius uerba uide j. cap. 11. quæſt.4. reg.4. Item concordat l. ſi ſocrus.18. C.de iure dotium. cuius uerba uide s̄.except.17. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi morte mariti ſolutũ ſit matrimonium. Hæc replicatio approbatur l.2. ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Si conuenerit, ut quoquo modo diſſolutũ ſit matrimonium, liberis interueniẽtibus, dos apud uirũ remaneret: Papinianus Iuniano prętori reſpondit, morte mariti finito matrimonio,neq; cõueniſſe uideri dotem remanere: & ſi cõueniſſet,non eſſe ſeruandum pactum cõtra dotem,cum mariti mortalitas interuenit. *Concordat l.ut autem.16. in fine. ff. eod.tt. cuius uerba uide s̄.cap.prox. quæſt.3.reg.2.except.2. Cõcordat l. quamuis.3. C. de pactis ſuper dote, his uerbis*: Quamuis pater tuus,cùm te nuptui collocaret,pactus ſit,ut ſi maritus tuus ſuperſtitibus filijs communibus in matrimonio deceſsiſſet, pars dotis liberorũ nomine retineatur: eiuſmodi tamen cõuentio,quo minus actionem integræ dotis habeas, proficere non poteſt. *Concordat item l.1. in prin. ff. de dote relegata. cuius uerba uide j. lib.34. cap.10. quæſt.1. exc.6. Secunda replicatio eſt : Niſi culpa mariti matrimoniũ ſit diſſolutum, isq; repudium miſerit. Hæc replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt s̄. lib.prox. cap.8. quæſt.2. reg.3. Eiusq; exemplum proponitur l. Bebius. 30. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide j.except.prox. replicat. 1. Item concordat l. conſenſu.8. §. uirum etiam, in fine. C. de repudijs. cuius uerba uide ſuprà eod. cap. except. 1. in prin. Sed & alias leges concordantes uide j. eod. cap. in fine, replic. generali 1. Sed & eius duplicatio hæc eſt : Niſi iuſtè repudiauerit, & matrimonium iure ſubſiſtere non potuerit. quæ duplicatio approbatur exemplo l. miles. 11. §.fin. ff.ad l.Iuliam de adult. his uerbis*: Ream adulterij uxorem duxi, eam damnatam mox repudiaui. quæro, an cauſam diſsidij præſtitiſſe uidear? Papinianus reſpondit: Cum per legem Iuliam huiuſmodi uxorem retinere prohibearis, non uideri cauſam te diſsidij præſtitiſſe, palàm eſt. Quare ita ius tractabitur, quaſi culpa mulieris facto diuortio. *Tertia replicatio eſt : Niſi maritus uxoris mortem non defendit. quæ replicatio approbatur l. ei qui. 20. ff. de his quibus ut indignis, hiſce uerbis* : Ei qui mortem uxoris non defendit, ut indigno dos aufertur. *Quarta replicatio eſt : Niſi poſtea in contrarium conuenerit ut reddatur. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit : uerùm eius duplicatio, teſte Accurſio, proponitur l. ſi liberis. 27. ff. de pactis dotalibus,his uerbis*: Si liberis ſublatis,reuerſa poſt iurgium per diſsimulationem mulier,ueluti uenali concordia,ne dotata ſit, conueniat : conuentio ſecũdum ordinem rei geſtæ moribus improbanda eſt. *Quinta replicatio eſt : Niſi nulli liberi ex matrimonio ſuperſint. Hæc replicatio reprobatur l. ſi pater. 12. in prin. ff. de pactis dotalibus, his uerbis*: Si pater dotem dederit, & pactus ſit, ut mortua in matrimonio filia,dos apud uirum maneret: puto pactum ſeruandum,etiamſi liberi non interueniant. *Sexta replicatio eſt : Niſi cum pactum de retinenda dote factum eſſet ſub hac conditione, Si liberi ſuperſint : liberi qui ſuperſunt, ante pactum ſint nati, nulli poſtea. Hæc replicatio reprobatur l. ſi inter. 24. ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Si inter uirum & uxorem pactum eſt, ut certa pars dotis uel tota ob unum uel plures liberos interuenientes retineatur : etiam eorum liberorum nomine, qui antè nati ſunt quàm dos daretur aut ampliaretur, conuentio rata eſt. nam ſufficit eos ex eo matrimonio naſci, in quo dos data eſt. *Septima replicatio eſt : Niſi cum pactum de retinenda dote factum eſſet ſub conditione ſuperſtitum liberorum, uxor unà cum liberis perierit, ut ignoretur uter utri ſuperuixerit. Hæc replicatio approbatur l. inter ſoc. 26. in prin. ff. de pactis dotalibus, his uerbis* : Inter ſocerum & generum conuenit, ut ſi filia ſuperſtitem filium anniculum habuiſſet, dos ad uirum pertineret: quòd ſi uiuente matre filius obijſſet,uir dotis portionem,uxore in matrimonio defuncta, retineret. mulier naufragio cum

anniculo filio perijt. quia ueriſimile uidebatur, ante matrem infantem perijſſe : uirũ partem dotis retinere placuit. *Octaua replicatio eſt : Niſi maritus dotem, quam ex pacto retinere potuit, reſtituerit. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit : uerùm eius duplicatio hæc eſt : Niſi per errorem reſtituerit. quæ duplicatio approbatur d. l. 26. §.1. his uerbis*: Vir dotem, quam ex pacto filiæ nomine retinere potuit, ſi lapſus errore non retinuit: filiam quæ ſola patri,matri pro parte hæres extiterat,apud arbitrum diuiſionis non improbè dotis perperam à patre ſolutæ præceptionem deſiderare conſtitit. *Nona replicatio eſt : Niſi maritus uxorem eiuſúe hæredes non tantum ex antenuptiali donatione uelit lucrari, quantum ille lucratur ex dote. De hac re dicetur j. cap. 8. reg. 24. Decima replicatio eſt : Niſi pacto ſub conditione exiſtentium liberorum facto, nulli filij uel filiæ ex eo matrimonio ſuperſint. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit : uerùm eius duplicatio hæc eſt : Niſi ſuperſint nepotes. quæ duplicatio approbatur l. ſi dotali. 48. ff. ſoluto matrim. his uerbis* : Si dotali inſtrumento ita ſtipulatio interpoſita ſit, ut liberorum nomine dos apud maritum reſideat: nepotum quoque nomine dos retinebitur. *Plura de propoſita conditione uide j. lib. 34. cap. 7. condit. 3. Sed & plures replicationes uide j. hoc cap. in fine.*

XXVII. *Exceptio : Niſi pacto de reddenda dote ſub certa conditione facto, conditio pacti defecerit. quæ exceptio approbatur l. inter ſocerum. 26. §. cum inter. ff. de pactis dotalibus, his uerbis* : Cum inter patrem & generum conuenit, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia, dos patri reſtituatur : id actũ inter cõtrahentes intelligi debet, ut liberis ſuperſtitibus filia defuncta,dos retineatur : nec ſeparabitur portio dotis additamenti cauſa data, ſi poſtea nihil aliud conueniat. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt : Niſi culpa mariti matrimoniũ ſit ſolutũ. Hæc replicatio approbatur l. Bebius.30. ff.eod. tt.his uerbis*: Bebius Marcellus Bebio Marylo dotis filiæ ſuæ nomine centena promiſerat: & cõuenerat inter eos,ne ea dos cõſtante matrimonio ſine liberis peteretur : uel ſi poſt mortẽ patris in matrimonio ſine liberis filia deceſsiſſet,ut dimidia dos apud Maryllum remaneret,dimidia fratri mulieris reſtitueretur : eaq; etiã in ſtipulationẽ deducta erant. Mortuo Marcello, filio & filia ſuperſtitibus, dote uniuerſa filiæ prælegata, Maryllus nata filia diuerterat : & mulier deceſſerat,fratre ſuo & filia ex ęquis partibus hęredibus relictis. Apud Petronium magnum prætorem Maryllus ab hęrede filio Marcelli ex dotis promiſsione uniuerſam dotẽ petebat ex coniectura : quia ſi inter eos placuiſſet, nullo filiorum extãte mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum : magis ergo conueniſſet utique, dotem totam eſſe eius, ſi filiũ filiamúe habuiſſet. Et ex diuerſo reſpondebatur, pacti quidem uulgaris exceptionem hęredi proficere. ſed in ſpeciẽ quę proponitur,nõ quaſi mulieris hęres ex perſona defunctæ ſe exceptione pacti tuebitur : ſed ipſe ille,qui etiam uiua muliere,ſi ab ea dos peteretur,potuiſſet exceptione Maryllum, quia diuortium factum erat, ſubmouere, eandem quoque defenſionem & poſt mortem ſororis ſuæ retinebit. Itaq; placuit, eum ab ea petitione abſolui : nulla ex hac ſententia facta derogatione petitioni fideicommiſsi, quam iure hæreditario per filiam heres uxoris Maryllus in parte dimidia habebat. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt : Niſi cauſa potius quàm conditio ſit demonſtrata in ſtipulatione. Hæc replicatio approbatur exemplo l. ſi mulier. 25. C. de iure dotium, his uerbis* : Si mulier dotem à uiro dari ſtipuletur,ut de ea teſtari poſsit : cum ordinationis teſtamẽti cogitatio mortis antecedẽs tempus ſignificat : nec conditionem, ſed cauſam continet : inteſtata quoque muliere defuncta,ſtipulationem committi proficiet. *Plures propoſitæ exceptionis replicationes uide s̄. except. prox. quæ enim ibi propoſitæ ſunt, & huc pertinent.*

XXVIII. *Exceptio : Niſi matrimonium rurſus inter eaſdem perſonas ſit redintegratum. Hæc exceptio approbatur l.ſi mulier.19. ff.ſoluto matr. his uerbis* : Si mulier diuerterit, & iudicio de dote conteſtato,reuerſa fuerit in matrimonium : redintegrato matrimonio expirat iudiciũ, & omnia manent in ſtatu priſtino. *Concordat l. ſi mulier. 13. ff.de iure dotiũ,his uerbis* : Si mulier poſt diuortiũ,antequam ex ſtipulatu de dote agat,ad eundẽ uirũ fuerit reuerſa : conſtãtius dicetur,per doli exceptionẽ inefficacẽ fieri ex ſtipulatu actionẽ,uſquequò matrimoniũ durat. *Cõcordat item l.dotẽ.30.ff.eod.tt.his uerbis*: Dotẽ, quæ in prius matrimoniũ data eſt,non aliter cõuerti in poſterius matrimoniũ dicendũ eſt, quàm cùm hoc agitur : dum hoc agi ſemper interpretemur, niſi probetur aliud cõueniſſe. *Concordat item l. quòd ſi.31. ff.eod.tt. his uerbis* : Quòd ſi non diuortiũ,ſed iurgium fuit : dos eiuſdem matrimonij manebit. *Concordat item l.diuus.40. ff.eod.tt. his uerbis*: Diuus Seuerus reſcripſit Pontio Lucriano in hæc uerba : Si mulier,quæ dotem dederat,poſt diuortiũ rurſus in matrimonium redit,nõ reuocatis inſtrumentis : non dubitabit is, apud quem res agetur,ſecundũ uolũtatem mulieris,quæ utiq; nõ indotata redire in matrimonium uoluit, partibus ſuis fungi,quaſi renouata dote. *Cõcordat item l. cũ poſt.69. §.uſuras. ff.de iure dotiũ, his uerbis* : Vſuras dotis in ſtipulatũ cum dote poſt diuortium dedu-

deductas, ex die secundi matrimonij nõ esse præstandas placuit: quia nec sortis exactio locum habere cœpit. medij autem temporis debebuntur. *Concordat deniq; l.pleriq;.33. ff.de ritu nuptiar. his uerbis:* Pleriq; opinantur, cùm eadem mulier ad eũdem uirum reuertatur, id matrimoniũ idem esse: quibus adsentior, si nõ multo tempore interpositio reconciliati fuerint, nec inter moras aut illa alij nupserit, aut is aliam duxerit: maximè, si nec dotem uir reddiderit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi cum alio, aliáue medio tempore nuptiæ interceſſerint. Hæc replicatio quamuis uideatur approbari uerbis ſ. proximè propoſitis, tamen reprobatur l.poſt diuort.64.ff.de iure dotium, his uerbis:* Poſt diuortiũ mulieri ſi de dote maritus nihil cauit: & cum alij nupſiſſet, poſtea ad priorem uirum redijt: tacitè dos ei redintegratur. *Concordat l.penult. ſ.uxor.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Vxor diuortio facto partem dotis receperat, partem apud uirum reliquerat: deinde alij nupſerat. iterũ uidua facta ad priorem uirum redierat, cui centum doti dederat: neque eius pecuniæ, quæ reliqua ex priore dote erat, mẽtionem fecerat. diuortio facto, reliquum ex priore dote ijſdem diebus uirum redditurum, ait Labeo, quibus reddidiſſet, ſi ſuperius diuortium inter eos factum non eſſet: quoniam prioris dotis cauſa in ſequentem dotis obligationẽ eſſe translata. & hoc uerum puto. *Secunda replicatio eſt: Niſi alij quàm mulieri dotis repetitio cõpetat. quæ replicatio approbatur l.ſtipul. 63. ff.de iure dotium, his uerbis:* Stipulatio de dote reddenda ab extraneo interpoſita, facto diuortio ſtatim committitur: nec redintegrato matrimonio, actio ſtipulatori quæſita intercidit. Denuò igitur conſciente ſtipulatore dos cõſtituenda eſt, ne ſequente matrimonio mulier indotata ſit: ſi modò ea dos nõ ab ipſa profecta ſit, quam alius permiſſu eius ſtipulatus eſt. tunc enim cõſenſus eius nõ eſt neceſſarius. *Concordat l. in inſulam. 42. ſ. fin.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Ad uirũ uxore poſt diuortium reuerſa, iudicium acceptũ ex ſtipulatione, qua extraneus, qui dotem dedit, ſtipulatus fuerat, nõ diſſoluitur, nec officio iudicis abſolutio cõtinebitur. *Concordat l.ſi ut proponis. 7. C. de nuptijs. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap.2.quæſt.3.reg.3.except.5. Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi is, cui competit dotis actio, in ſecundas nuptias conſenſerit. quæ duplicatio approbatur d.l.63. ibi: denuò igitur conſciente, &c. Concordat l.cum maritus.29.ſ.Titius.ff.de pactis dotalibus, his uerbis:* Titius mulieris nomine dotem dedit, & ſtipulatus eſt in caſum mortis & diuortij. diuortio ſecuto, nõ repetita dote Titius deceſsit. mulier ex uoluntate eius hæredis redintegrauit matrimonium. quæſitum eſt, an ex ſtipulatu dotem repetere poſsit? Scæuola reſpondit, hæredem Titij, ſi cõſenſiſſet ut ea quantitas, quã ex ſtipulatu conſequi poterat, reconciliato matrimonio dotis fieret, poſſe pacti exceptione ſubmoueri. *Secũda duplicatio eſt: Niſi dos alij promiſſa, à muliere ſit profecta. quæ duplicatio approbatur d.l. 63. hiſce uerbis:* Si modò ea dos non ab ipſa profecta ſit, quam alius permiſſu eius ſtipulatus eſt. tunc enim conſenſus eius non eſt neceſſarius. *Tertia duplicatio eſt: Niſi exiguum tempus inter prius & poſterius matrimonium interceſſerit. tunc enim idem matrimonium uidetur, & per conſequens nec extraneo actio dotis danda eſt. quæ duplicatio approbatur l.pleriq;.33.ff.de ritu nuptiar. cuius uerba uide ſ. ead.except. in prin. Sed & leges concordantes uide ſ. lib. proxim. cap.8. quæſt.2. reg.3. except.10.*

XXIX. Exceptio: *Niſi mulier dotem repetens alij nupſerit. Hæc exceptio reprobatur l.nupta.30. in prin.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Nupta non impeditur, quo minus cum priore marito de dote experiatur.

XXX. Exceptio: *Niſi liberta patrono nupta di uortio facto dotem repetat. Et hæc exceptio reprobatur l.liberta.35. ff ſoluto matrim. his uerbis:* Liberta quæ uoluntate patroni diſceſsit, de dote cũ eo agere poteſt, quam ei dedit.

XXXI. Exceptio: *Niſi marius literis ad uxorem miſsis, declarauit prædium dotis non fore, eiq; mulier conſenſit. Hæc exceptio approbatur l.dotale.15.ff. de fundo dotali, his uerbis:* Dotale prædium, cuius uir poſſeſsionẽ retinuit, poſt literas ad uxorem miſſas, quibus dotis non fore prædium declarauit: in matrimonio defuncta muliere, uirum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit.

XXXII. Exceptio: *Niſi maritus uxori compẽſandi animo legatum reliquerit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l. unica. ſ. ſciendum. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Sciendum eſt, edictum prætoris, quod de alterutro introductũ eſt, in ex ſtipulatu actione ceſſare: ita ut uxor & à marito relicta accipiat, & dotẽ cõſequatur: niſi ſpecialiter pro dote ei maritus ea dereliquit: cum manifeſtiſsimum ſit, teſtatorem, qui hoc non addiderit, uoluiſſe eam utrũq; conſequi. *Concordat l.cum pater.79. ſ.qui dotale.ff.de leg.2. cuius uerba uide ſ.cap. 9. quæſt.5. except.20. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi nõ compenſandi animo uxori marito legauerit. quæ replicatio ex iam dictis cõſtat: ſimul etiam illud conſtat, quòd replicatio propoſita præſumatur, niſi cõtrarium ſpecialiter in legato ſit expreſſum. Secunda replicatio eſt: Niſi mulier legatum repudiauerit. quæ replicatio approbatur l. cum ab uno. 55.ff.de leg.2. cuius uerba uide ſ.cap.prox.quæſt.2.reg. 8.except.3. Tertia replicatio eſt: Niſi mulier legatum capere non poſsit. Hæc replicatio approbatur l. qui dotem.*

qui dotem.46.ff.ſoluto matrim. his uerbis: Qui dotẽ ſtipulanti uxori promiſerat, eidem teſtamẽto quædam legauerat: ita tamen, ne dotem ab hæredibus peteret. ea quæ legata erant, uxor capere non potuerat. Paulus reſpondit, dotis actionem mulieri aduerſus hæredes non eſſe denegandam.

XXXIII. Exceptio: *Niſi mulier mariti hæres exiſtat. Hæc exceptio ipſo quidem iure, quo confuſione tollitur obligatio ſimul & actio, approbatur: uerum eius interdum replicationes & hæc eſt: Niſi defunctus ultra dodrantem bonorum legauerit. tunc enim mulier hæres non ſolùm quartam hæreditatis partem retinet, ſed etiam dotem ſuam ex bonis deducit. quæ replicatio approbatur l.unica. ſ.igitur & in ſequenti. C.de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Si mulier à marito fuerit hæres inſtituta, & Falcidiæ legis ratio emerſerit: etiam dotis debitum liceat ei, ſicut alia debita, ex ſubſtãtia mariti ſubtrahere, & ſic quartam partem deducere.

XXXIIII. Exceptio: *Niſi pater mulieris marito hæres exiſtat. Hæc exceptio reprobatur l.ſi ſocer.44. in prin.ff.ſoluto matrim. his uerbis:* Si ſocer à genero hæres inſtitutus, adierit hæreditatẽ quandoq; mortuo patre, cum hærede eius filiam de dote acturam, Nerua & Cato reſpondẽrũt: uti eſt relatũ apud Sextum Pomponium ab Ariſtone libro quinto, ubi idem Ariſtoni conſenſit. Ego dicerem, etſi emãcipaſſet pater filiam, ipſum quoq; conueniri poſſe.

XXXV. Exceptio: *Niſi mulier marito dotem legauerit. Hæc exceptio approbatur l.Seia cum nuberet. 11. ff. de dote relegata. cuius uerba uide ſ.lib.32. cap.4. except.40.repl.12.exemplo ult. Concordat l.cum quis. 35.ſ.nuptura.ff.de leg.3.cuius uerba uide ſ.lib.32.cap.6. except.74.ſ.caſu igitur propoſito. Concordat item l. 2.in fine. C. de iure dotiũ. cuius uerba uide ſ.cap.prox. reg.1.except.3.Item concordat l.cum patrem.19.C.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.except.7.in prin. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi alius dotem ſibi reddi ſtipulatus eſt. tunc enim legatum mulieris in præiudicium alterius marito non prodeſt. quæ replicatio approbatur l.cum maritus.29.ſ.fin. ff.de pactis dotalibus, his uerbis:* Mulier de dote quam dedit, pacta eſt, ut ſi in matrimonio deceſsiſſet, fratri eius redderetur: isq; in eum caſum ſtipulatus eſt. mulier quaſdã res dotales decedens marito legauit & alijs, quoſdam ex dotalibus ſeruis manumiſit. quæſitum eſt, an maritus rerũ nomine quas legauit mulier, & ſeruorum quos manumiſit, fratri teneretur? Scæuola reſpondit, nihil proponi cur non teneatur: cum etiam hæredes defunctæ tam legatarijs quàm libertatibus obnoxij ſint. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi animo donandi mortis cauſa, uel procuratorio nomine mulier alium dotem ſtipulari paſſa fuerit.* Iuxta hanc duplicationẽ Accurſius putat leges in prin cipio huius exceptionis propoſitas intelligendas *contrarietatis uitandæ cauſa: quod ſi uerũ eſt, iſtis legib. duplicatio propoſita approbatur.*

XXXVI. Exceptio: *Niſi maritus in res dotales, uel ex dote in res mulieris expenderit, ne eas mulier reſtituat. De hac exceptione dictum ſ. cap. 4.*

XXXVII. Exceptio: *Niſi nouatio facta ſit, & mulieri alius pro dote delegatus. Hæc exceptio approbatur ipſo iure, quo nouatione tollitur obligatio ſimul & actio. Sed eius replicatio hæc eſt: Niſi delegatus non ſit ſoluendo. quæ replicatio approbatur l.ſi cum.22.ſ.ſi mulier.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Si mulier, ſoluto matrimonio, egentem reum dotis per nouationem decepta accipiat: nihilominus actio dotis ei manebit.

XXXVIII. Exceptio: *Niſi dos ſoluta uel reddita ſit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, eiusq; exemplum proponitur l.ſi marito.31.ſ.cũ patri.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Cum patri dos data eſt, & ei filius ex aliqua parte hæres ſub conditione inſtitutus fuerit, & pendente conditione, &c. *Huius prima replicatio hæc eſt: Niſi mulieri ſine conſenſu patris eius dos ſit ſoluta. Hæc replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l.non ſolùm.3.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Non ſolùm in exigenda, ſed etiã in ſoluenda dote, quæ communis eſt & patri & filiæ, utriuſq; uoluntas exquiritur, nec alter alterius conditionem deteriorem facere poteſt. Sed ſi pecunia ad patrem peruenit, quam filia accepit: actio de dote utriuſq; tolletur. *Concordat l.ſi cum.22.ſ.1.ff.eod.tit. cuius uerba uide ſ. dupl.6. Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi pecunia filiæ ſoluta ad patrem peruenerit. quæ duplicatio uerbis iam propoſitis approbatur. Secundà duplicatio eſt: Niſi pater furioſus ſit. Hæc duplicatio approbatur l.ſi filia.65.ff.de ſolutionibus, his uerbis:* Si filia furioſi à uiro diuerterit: dicendũ eſt, adgnato curatori uoluntate filiæ, uel filiæ conſentiente adgnato ſolui dotem. *Concordat d.l. 22.ſ.ſi ſoluto.ff.ſoluto matr. his uerbis:* Si ſoluto matrimonio pater furioſus ſit, curator eius uoluntate filiæ dotem petere poterit: aut ſi curatoris copia non ſit, agere filiam permittendum erit, caueriq; oportebit de rato. *Tertia duplicatio eſt: Niſi pater ab hoſtibus captus ſit. Hæc duplicatio approbatur d.ſ.ſi ſoluto, his uerbis:* Item dicendum eſt, & ſi ab hoſtibus captus ſit pater, puellæ dandam actionem de dote repetenda. *Quarta duplicatio eſt: Niſi pater ibi, ubi dos petenda eſt, eſſe non poſsit. quæ duplicatio approbatur d.l.22.ſ.ſi patri, his uerbis:* Si patri propter condẽnationem Romæ, ubi dos petatur, eſſe nõ licet, filiæ ſatis dotis fieri oportet: ita tamẽ, ut caueat ratam rem patrem habiturum. *Quinta duplicatio eſt: Niſi filia de ſuo dotem dederit. Hæc duplicatio approbatur l. ſi filiaſ.24. ff.de iure dotium, his uerbis:* Si filia familiàs nuptura ex peculio, cuius adminiſtrationem habebat, dotem uiro dederit: deinde cum in eadem cauſa peculium eius eſſet, diuortium fecerit: dos ei rectè ſoluitur, quaſi à quolibet peculiari debitore.

re. *Sexta duplicatio est: Nisi filiæ non perdituræ, & ex iustis causis dos sit soluta. Hæc duplicatio approbatur l.si cum.22.§.1.ff.soluto matr.his uerbis:* Si post solutum matrimonium filiafamiliàs citra patris uoluntatem exactam communem dotem consumat: patri & uiua ea, & mortua, actio superest, ut dos ipsi soluatur. quod ita uerum est, si perdituræ soluatur. Cæterùm si non perdituræ, & ex iustis causis soluta sit: non supererit actio. sed mortuo patre, nec etiam hæredes agent, nec mulier. *Concordat l. quamuis. 20. in fine. ff.cod.tt. cuius uerba uide s.cap.2. except.36.dupl.2. Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio est: Nisi patri sine consensu filiæ dos sit soluta. Hæc replicatio approbatur l.qui hominem.34.§.si gener.ff.de solutionibus, his uerbis:* Si gener socero, ignorante filia, dotem soluisset: non est liberatus, sed condicere socero potest, nisi ratum filia habuisset: & propemodum similis est gener ei, qui absentis procuratori soluerit: & quia in causam dotis particeps, & quasi socia obligationis patri filia esset. *Concordat l.post nuptias.28. in fine. ff.de iure dotium. cuius uerba uide s.lib.cod.cap.1.quæst.1.except.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi filia solutionem patri factam ratam habuerit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi ratum filia habuisset. *Secunda duplicatio est: Nisi pater dotem receptam alij pro filia in dotem dederit. quæ duplicatio approbatur l.si cum.4.ff.soluto matr.his uerbis:* Si cum pater sine consensu filiæ dotem à uiro exegisset, & eandem alij uiro eiusdem filiæ nomine dedisset, mortuo patre filia cum priore uiro agat: doli mali exceptione repellitur. *Tertia duplicatio est: Nisi filia ex causa legati uel alia simili tantum à patre acceperit, quanta dos est patri soluta. Hæc duplicatio approbatur l.si cum.22.§.si pater.ff. soluto matrim.his uerbis:* Si pater filia absente de dote egerit, etsi omissa sit de rato satisdatio, filiæ denegari debet actio, siue patri hæres extiterit, siue in legato tantū acceperit, quātum doti satis esset. Sed & Iulianus in pluribus locis scribit, compēsandum ei in dotem quod à patre datur: lucroque eius cedere, si tantum ab eo consecuta sit, quantum ei dotis nomine debebatur à marito, qui patri soluit. *Concordat l.dotem.37.ff.cod.tt. cuius uerba uide paulò inferius dupl.prox. Concordat item l.Titia.35.§. qui inuita.ff.de legatis 2.his uerbis:* Qui inuita filia de dote egerat, decessit, eadem illa exhæredata, filio hærede instituto: & ab eo fideicōmissum filiæ dotis nomine reliquit. quæro, quantum à fratre mulier consequi debeat? Modestinus respondit (quod in primis est) non esse consumptam de dote actionē mulieri, cum patri suo non consenserit, utique non ignorans. Sic autem res explicatur, ut siquidem maior quantitas in priore dote fuerit: illius petitione sit tantummodò mulier contenta. Quòd si in summa dotis nomine legata amplius sit, quàm in dote principali: compēsatio fiat usq; ad eandem summam, quæ concurrit: & id tantummodo, quod excedet in sequenti summa, ex testamento cōsequatur. Non est enim uerisimile, patrē duplici præstatione dotis filium eundemq; hæredem onerare uoluisse, præsertim cum putauerit se efficaciter (licet non consentiēte filia) instituisse aduersus generum de dote actionem. *Quarta duplicatio est: Nisi filia iustam patri contradicendi causam non habeat. Hæc duplicatio approbatur l.dotem.37.ff.soluto matr.his uerbis:* Dotem uoluntate filiæ uideri patrem recepisse, cum causas contradicendi ei filia non haberet: maximè cū ab eo postea ampliore summa dotata sit. *Plura de replicatione proposita uide j.cap.prox.reg.8.except.20. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi non solidum sit solutum. Hæc replicatio approbatur exēplo l. pater.7. §.sed si lex. ff. de dote relegata. ubi cum pater mariti dotem marito filio suo legasset, & hæredes patris dotis actione conuenti exceptionem opposuissent, quòd eam ex causa legati marito filio defuncti soluissent, subijcit Iurisconsultus:* Sed si lex Falcidia locum in legato dotis aduersus filium exhæredatum habuerit, & mulier solutionem ratam fecerit: propter eam quantitatem, quam hæres retinuerit, utilis actio ei dotis dabitur. Quòd si ratum nō habeat: defendi quidem debebit hæres à uiro, qui se defensurum promisit. sed si totam litem uir solus subierit: actio iudicati (si cautū non erit) pro ea quantitate, quæ iure Falcidiæ petenda est, aduersus hæredem dabitur. *Quarta replicatio est: Nisi res deterior reddatur. Hæc replicatio reprobatur j.cap.8.reg.20.*

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus exceptiones aduersus causam actionis ex stipulatu de dote propositæ sunt, cum suis replicationibus. Sed illarum aliquot sunt replicationes generales hic proponendæ.

I. Replicatio generalis: *Nisi culpa mariti matrimonium sit dissolutum. Hæc replicatio approbatur Nouell. c.117. §. quia uerò quædam. ibi: si autem & uir. cuius uerba uide s.lib.prox.cap.8.quæst.2.reg.4. Concordat l.consensu.8.§.sin uerò causam. C.de repudijs, his uerbis:* Si mulier causam probauerit intentatam, tunc eam & dotem recuperare, & ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus uindicare iubemus, & nubendi post annum ei (ne quis de prole dubitet) permittimus facultatem. *Ait Imp.* Si causam probauerit intentatam. *Quæ sint huiusmodi causæ, exponuntur in d.l.8.in prim. cuius uerba uide s. lib.prox. cap.8. quæst.2.reg.3.except.6. Concordat item d.l.8.§.uirum etiam, in fine. cuius uerba uide s. hoc cap. except. 1. in prim. Sed & duplicationes propositæ replicationis uide s.d.reg.5.*

I I. Re-

II. Replicatio: *Nisi maritus uxorem occiderit. quæ replicatio approbatur l.si ab hostibus.10.§.fin. ff.soluto matrimonio, his uerbis:* Si uir uxorem suam occiderit, dotis actionē hæredibus uxoris dandam esse, Proculus ait. & rectè: non enim æquum est, uirū ob facinus suum dotē lucrifacere. Idemq; & ex contrario statuēdum est.

III. Replicatio: *Nisi uir mortem uxoris non defenderit. quæ replicatio approbatur l. & qui. 20. ff. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide s.excep.27.repl.3. Sed & alias huiusmodi replicationes uide s.d.except.27.*

QVIBVS DOTIS ACTIO seu repetitio competit. *Cap. VII.*

PRima regula: *Repetitio dotis regulariter nulli alij competit, quàm mulieri eiusq; defunctæ hæredibus. cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi alius pro muliere dotem dederit. huic enim soluto matrimonio dotis repetitio uidetur danda, non mulieri. Hæc exceptio reprobatur, nisi in certis casibus, j.reg.prox. Secunda exceptio est: Nisi mulier alij dotem reddi pacta sit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicta sunt s.cap. prox.except.7. Tertia exceptio est: Nisi alius uoluntate mulieris, uel eius qui dotem dedit, dotem sibi reddi sit stipulatus. huic enim actio danda est, non mulieri, nec eius hæredibus. quæ exceptio approbatur l.2. C.de iure dotium, his uerbis:* Si stipulatio de restituenda portione dotis datæ subiecta est, conditioq; eius extitit: habet ex ea actionem is, in cuius personam utiliter concepta commissaq; est. Secundum quod, si Polla soror tua de restituenda sibi parte dotis habet actionem, eo quòd mater uestra donandi animo passa est partem dimidiā dotis post obitum matris filiam stipulari: metuere non debet doli exceptionem, quòd matri suæ, quæ pactū interposuit, hæres ex minore quàm dimidia portione extitit: nisi liquidò probatū fuerit, matrem eius mutasse dotis pacti uoluntate, contentamq; esse uoluisse filiam suam pro portione hæreditatis prælegationibus, maritūque suum exactione liberari uoluisse. *Concordant ea quæ dicta sunt s.cap.prox.except.7.repl.1. Huius replicatio prima hæc est: Nisi mulier, quæ dotem dedit, postea nolit stipulatori dotem solui. Hæc replicatio approbatur l.mulier.72.§.fin.ff.de iure dotium, his uerbis:* Paulus respondit, si mulier de suo dotem dedit, & adhibuit matrem quę stipularetur: potuisse eam postea instrumentum dotale mutare. *Concordat d.l.2.C.de iure dotium. ibi: nisi liquidò probatum fuerit, &c. Plura de hac replicatione uide s.cap.prox. except.36.repl.1. Secunda replicatio est: Nisi maritus alij stipulanti promittere nolit. quæ replicatio approbatur l.2.in prim.ff.soluto matr.his uerbis:* Soluto matrimonio solui dos mulieri debet: nec cogitur maritus alij eam ab initio stipulanti promittere, nisi hoc ei nihil noceat. nam si incommodum aliquod maritus suspectum habet, non debere eum cogi alij quàm uxori promittere, dicendum est. Hæc si sui iuris mulier est. *Tertia replicatio est: Nisi filia sine patris uolūtate, in cuius est potestate, quiq; dotē pro ea dedit, dotem alium stipulari fecerit: uel contrà pater sine uoluntate filiæ. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Quòd si in patris potestate est, & dos ab eo profecta sit: ipsius & filiæ dos est. Deniq; pater non aliter quàm ex uoluntate filiæ petere dotē nec per se, nec per procuratorem potest. Sic ergo & promittēdum, Sabinus ait: Ei ergo promittendum erit, cui uterque iusserit. Cæterùm si pater solus iussit, dotis actio filiæ non erit adempta, quandocunque sui iuris filia fuerit facta. Item, si uoluntate solius filiæ promittatur, remanebit dotis actio integra patri. Sed utrum ut agat solus, an ut adiuncta quoque filiæ persona experiri possit? Et puto, nec eam actionē amissam, quam adiuncta filię persona potest habere. quòd si sui iuris fuerit facta filia, nocebit ei ista stipulatio. *Quarta replicatio est: Nisi ei, qui alium tanquam hæredem suum dotem stipulari uoluit, postea nati sint liberi. Hæc replicatio approbatur l.tale pactum.40. §. fin. ff.de pactis, hisce uerbis:* Pater qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suā in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum fratrem maneret. ea conuentio liberis à socero postea susceptis, & hæredibus testamento relictis, per exceptionem doli proderit: cum inter contrahentes id actum sit, ut hæredibus consulatur: & illo tempore, quo pater alios non habuit, in fratrem suum iudicium supremum contulisse uideatur. *Hæc de tertia exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Quarta exceptio est: Nisi mulier minor sit uiginti quinque annis. Hæc exceptio reprobatur l.mulier.28.C.de iure dotium. cuius uerba uide s. cap.2. quæst. 1. except.3. Quinta exceptio est: Nisi mulier sine consensu patris dotem profecticiam repetat. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt s.cap.prox.except.39.repl.1.*

II. Regula, *De eo qui dotem pro muliere dedit, eiusque hæredibus. Huic regulariter repetitio dotis non datur, sed mulieri eiusq; hæredibus. quæ regula approbatur l.cum quidam.31. in prin. C.de iure dotium, his uerbis:* Cum quidam dotes pro mulieribus dabant, siue matres, siue alij cognati uel extranei: rectè quidem eas mariti sine monumentorum obseruatione suscipiebant. Cum autem mulier redhibitionem casus stipulabatur, & huiusmodi fortuitus casus euenisset: ipsa mulier, utpote à se non facta donatione, propter hoc quòd monumenta deerant, necessitatem habebat actionē in huiusmodi casu ad eum qui dotem dedit, per cessionem transferre, uel ipsas res reddere: & ita inueniebatur forsitā post prolixa matrimonij annorum curricula, & liberos fortè editos, in-

tos,infœlix mulier indotata. Sancimus itaque omnibus huiusmodi casibus, nullis momentis rem indigere,sed in omnes personas ratas esse huiusmodi donationes,& mulierem dotem suam ipsam habere (cum fortuitus casus hoc lucrum ei addiderit) & firmiter hoc apud eã permanere: nisi ipse, qui ab initio dotem dedit,sibi dari in huiusmodi casum stipulatus est. tunc etenim,cum neque ab initio suspicio aliqua liberorum concurrit,sed sibi omnem rem ille qui dotẽ dedit pepigerit,huiusmodi tractatus locum habere non potest. Atqui in alijs omnibus casibus, in quibus ipse non est stipulatus, tristiciæ suæ mulier hoc proprium habeat solatium per actionem dotis. *Concordat l.unica.§.accedit.C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Si quando extraneus dotem dabat, nulla stipulatione uel pacto pro restitutione eius in suam personam facto: quisquis hic fuerat,mulier habebat rei uxoriæ actionẽ. quod antea in exstipulatu actione non erat. Stipulatione autem uel pacto interposito, stipulator, uel is qui paciscebatur, habebat uel ex stipulatu, uel præscriptis uerbis ciuilem actionem. In præsenti autem non sic esse uolumus. Sed si non specialiter extraneus dotem dando, in suam personam stipulatus sit dotem,uel pactum fecerit:tũc præsumatur ipsa mulier stipulationem fecisse, ut ei dos ex huiusmodi casu accedat. Neq; enim in hac specie uolumus uideri extraneum tacitã stipulationem fecisse: ne quod pro mulieribus introduximus,hoc aduersus mulieres conuertatur. Imò magis in huiusmodi dotibus,quæ ab extraneis dantur uel promittuntur,ipsa mulier uideatur fecisse tacitam stipulationem:ni si expressim extraneus dotem reddi pactus fuerit uel stipulatus: cũ donasse magis mulieri,quàm sibi aliquod seruasse ius extraneus non stipulando uideatur. Extraneum autem intelligimus omnem citra parentẽ per uirilem sexum ascendentem, & in potestate dotatam personam habentem. parenti enim tacitam ex stipulatu actionem donauimus. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi is qui dotẽ pro muliere dedit,eam sibi specialiter reddi sit stipulatus uel pactus.quæ exceptio uerbis iam propositis approbatur. Concordat l.ex morte.9.§.fin.C.de pactis super dote,cuius uerba uide ſ.cap.prox.reg.24.Cõcordat item l.licet.43. §.quoties. ibi*: *planè secutis. ff.de iure dotium,his uerbis*: Quoties extraneus acceptofert debitori dotis constituendæ causa: siquidem nuptiæ insecutæ non fuerint, liberatio non sequetur: nisi forte sic acceptotulit, ut uelit mulieri in totum donatum. tunc enim credendum est,breui manu acceptum à muliere,& marito datum. Cæterùm mulieri per liberam personam condictio adquiri non potest. Planè secutis nuptijs,mulieri soluto matrimonio dotis exactionem habebit:nisi forte sic acceptotulit extraneus,ut ipse (quoquo modo solutum fuerit matrimonium) condictionem habeat. tunc enim mulier actionem non habebit. *Concordat item l.quoties.29.§.fin.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Si quis pro muliere dotẽ dederit,cõueneritq;, ut quoquo modo dirempto matrimonio, ipsi solueretur: postea maritus uxori dotem dederit: rectissimè dicetur, exactionem nihilominus ei qui dedit,cõtra maritũ cõpetere. *Concordat l.auia.6.C.de iure dotium.cuius uerba uide ſ.cap.prox.except.6. Huius exceptionis prima replicatio hæc est*: *Nisi conditio stipulationis defecerit. quæ replicatio approbatur l.si cum.22.in prin. ff.soluto matrimonio. cuius uerba uide ſ.cap.prox.except.5.replic.2. Secunda replicatio est*:*Nisi sine consensu mulieris sibi reddi sit stipulatus. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ſ.cap.1. quæst.1.except.1. Secunda exceptio est*:*Nisi cum extraneus pro muliere dotem dedisset, nuptiæ non sint secutæ. Hæc exceptio approbatur l.licet.43.§.quoties.ff. de iure dotium.cuius uerba uide ſ.except.prox. Sed & leges concordantes uide ſ.lib.prox.cap.1. quæst.4.reg. 4. Tertia exceptio est*: *Nisi dominus proprietatis, usumfructum pro muliere in dotem dederit. Hæc exceptio approbatur l.si ususfructus. 66. ff. de iure dotium, his uerbis*: Si ususfructus fundi,cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi à domino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa reddẽdum ius mulieri: quoniam dicimus, usumfructum à fructuario cedi non posse,nisi domino proprietatis: & si extraneo cedatur,id est,ei qui proprietatem non habeat,nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reuersurum usumfructum. Quidam ergo remedij loco rectè putauerũt introducendum, ut uel licet hunc usumfructum mulieri maritus, uel uenda numo uno: ipsum quidem ius remaneat penes maritum, perceptio uerò fructuum ad mulierem pertineat. *Concordat l. usufructu.57.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Vsufructu in dotem dato, si diuortium interuenerit,nec proprietas rei apud maritum uel mulierem sit:eam dotis esse restitutionẽ,ut maritus caueat,quandiu uixerit,passurum se uti frui mulierem hæredemque eius:id an uerum sit circa adiectionem hæredis, dubito. Sed interest, quemadmodum sit ususfructus in dotem datus: ut si, cum haberet mulier usumfructum, uiro, cuius erat proprietas fundi, usumfructum cesit, nihil mulier hæredi suo relinquat. debebatur enim ei ususfructus, qui ad hæredem non solet transire. Quòd si fundi sui fructum mulier uiro cesit,restitui is à uiro debet: cum proprietate enim ad hæredem eius transisset, si uir in reddendo

reddendo eo non feciſſet moram. Si uerò alienata sit proprietas, aut aliquis fundi sui usumfructum mulieris iussu uiro eius dederit in dotem:inspiciendũ est primùm, quem admodum mulieri possit restitui. Potest autem uel cautionibus interpositis,ut (sicut poteſt) uiri iure suo cedat mulieri, fruique eam patiatur: uel si se accommodauerit dominus proprietatis, uolente eo mulieri constituatur ususfructus. nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cedere, aut aliquid uidelicet pro eo (prout inter eos actum fuerit) dare. nam finge hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino uẽdere. quo casu non iniquè etiam mulieris hærede agente, uir facere cogetur: quippè si moram non feciſſet, precium fructuum mulier hæredi suo reliquiſſet. Quòd si facultatem ususfructus uendendi proprietatis domino mulier non habuerit: patientiam percipiẽdi fructus, quam præstare ipse debuit,& hæredi eius præstet. *Concordat denique l.cum in fundo. 78. §. ipsius autem. ff.de iure dotium,his uerbis*: Ipsius ususfructus restitutio ita fiet, ut habenti mulieri fundum ususfructus cedatur, & ita cum proprietate consolidetur. Sed etsi non sit fundi domina, nihilominus competit dotis actio, ut dimittat à se maritus usumfructum. nam uel ex empto actione adhuc, ut usumfructum præstet, mulier teneturiaut precium eius consequi sperat: aut cuiuis magis gratiam præstare, quàm relinquere apud inimicum ius à se translatum, licere ei, ciuile est. *Quarta exceptio est*: *Nisi mulier ingrata fuerit aduersus eum, qui pro ea dotem dedit. Hæc exceptio reprobatur l.si dotẽ. 24. in fine. C. de iurẽ dotium. cuius uerba uide ſ. cap. prox.except.1.repl.2. Quinta exceptio est*:*Nisi pater pro filia,quam in potestate habet,dotem dederit. huic enim soluto matrimonio etiam sine stipulatione dotis actio seu repetitio datur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proponuntur ſ.reg.8.*

III. *Regula*: *De eo qui sibi dotem reddi stipulatus est,uide ſ.reg.prox.except.1.item reg.1.except.3.*

IIII. *Regula*: *De eo cui dotem reddi pactus est is qui dotem dedit,uide ſ.cap.prox.except.7.*

V. *Regula*, *De hæredibus eius cui dotis actio competit. His quoque eadem competit actio. quæ regula approbatur l.unica.§.maneat.C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Maneat ex stipulatu actionis ius ad successores & sine mora transmissionis incorruptum. *Concordat l.auia.6.C.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.cap.prox.except.6. Concordat item l.si post.27.ff.soluto matrimonio,his uerbis*:Si post diortium mortua muliere,hęres eius cum uiro parentéue eius agat: eadem uidentur de restituenda dote interuenire, quæ ipsa muliere agente obseruari solent. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi pater profecticiæ dotis nomine actionem habens decesserit,tunc enim actio ista nõ eius hæredibus, sed filiæ,pro qua dos data est,competit. quæ exceptio approbatur l.unica. §.uidẽamus. C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Cum iuris certi & indubitati est, si parens per uirilem sexum ascendens, dote pro filia uel pro nepte præstita,emancipauerit eam,uel ipse decesserit, in rei uxoriæ actione dotem omnimodò ad mulierem pertinere, etsi fuerit exhæredata (quod non erat in ex stipulatu actione: ibi enim, uelut aliæ actiones, in omnes hæredes actio diuidebatur) æquissimum nobis uisum est, & in ex stipulatu actione mulierem dotem suam præcipuam accipere, etsi emancipata uel exhæredata sit, uel cum alijs hęredibus scripta. Quo à nobis recepto, & aliæ multæ species promptum accipient exitum: cum dos possit & de inofficioso actionem excludere (maximè si sufficit ad quartam) & in collationem ferri, si intestatus paterfamiliâs decesserit, & testamento facto,quando hoc testator dixerit. Quæ omnia ex stipulatu actio à rei uxoriæ actione accepit. *Concordat d.l.unica.§.& hoc ex rei. cuius uerba uide ſ.reg.8.except.20. Concordat item l.si marito. 31.§.si uoluntate.ff.soluto matrimonio. cuius uerba uide ſ.cap.5.quæſt.4.reg.6. Huius exceptionis replicatio hæc est*:*Nisi pater per fideicommissum inſerit hæredes dotem stipulari. quæ replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicationes tres proponuntur ſ.reg. prox. Secunda propositæ regulæ exceptio est*: *Nisi cum mulier pro se dotem dans, eam alij reddi pacta esset,is antequam sibi redderetur decesserit.hoc enim casu non eius hæredibus,sed mulieri dos reddenda. quæ exceptio approbatur l.in his.86.§.filiafam.ff.soluto matrimonio, his uerbis*: Filiafamiliâs,diuortio facto, dotem patri reddi iusserat:deinde parte dotis persoluta,pater decesserat. reliquam partem, si necdum delegata nec promissa nouandi animo patri fuisset, mulieri solui debere,Labeo & Trebatius putant: idque uerum est. *Tertia exceptio est*:*Nisi defunctus dotem alij reddi pactus uel stipulatus sit. hoc enim casu, siquidem inutilis sit stipulatio in persona alterius,nec ipsi stipulatori datur actio:tantum abest,ut hæredi eius sit dãda.Sin utilis sit stipulatio in persona alterius,ipsi cui stipulatio facta est, non hæredi stipulatoris actio danda, per ea quæ habentur ſ.cap.prox.except.7.*

VI. *Regula*, *De eo cui dotis actio per legatum uel fideicommissum relicta est. Huic quoque dotis actio tribuenda & danda est, ut patet ex ijs quæ dicta sunt ſ.lib. 34.cap.12. Huius autem exceptio prima hæc est*:*Nisi cum pater,dote filiæ relicta,iussisset ut frater eam stipularetur: tam pater quàm frater in elocanda filia & sorore illud fideicommissum non obseruauerint. quæ exceptio approbatur l.uxorem.39.§.testamento. ff.de leg. 3. his uerbis*: Testamento, quo filium & uxorem hæredes instituerat,filiæ per fideicommissum centum,cum in familia nuberet,legauit, & adiecit: Fidei tuæ committo filiam, ut cui

XII. Exceptio: *Nisi pater tanquam fideiussor eius qui dotem promiserat, eam soluit. Hæc exceptio approbatur l. profecticia. 5. §. si pater non. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si pater non quasi pater, sed alio dotem promittente fideiusserit, & quasi fideiussor soluerit: Neratius ait, non esse profecticiam dotem: quamuis pater seruare à reo id quod soluit, non possit. Sed si pater dotem promisit, & fideiussorem uel reū prose dedit: ego puto, profecticiam esse dotem. sufficit enim, quòd pater sit obligatus, siue reo, siue fideiussori.

XIII. Exceptio: *Nisi pater nihil dotis nomine de suo dedit: Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, secundum ea quæ dicta sunt §. cap. prox. except. 22. in principio. Huius autem replicatio uidetur esse:* Nisi hæreditatem uel legatum dotis constituendæ causa repudiauit. *Hæc replicatio reprobatur d. l. 5. §. si pater repud. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si pater repudiauerit hæreditatem dotis cōstituendæ causa, fortè quòd maritus erat substitutus, aut quia potuit ab intestato hæreditatem uindicare: dotem profecticiam non esse, Iulianus ait. Sed & si legatum in hoc repudiauerit pater, ut apud generum hæredē remaneat dotis constituendę causa: Iulianus probat, nō esse profectum id de bonis patris: quia nihil erogauit de suo pater, sed nec adquisiit.

XIIII. Exceptio: *Nisi pater dotem sibi reddi pactus non sit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt §. cod. reg. in prin.*

XV. Exceptio: *Nisi alij dotem reddi stipulatio sit facta. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt §. eod. cap. reg. 1. except. 3.*

XVI. Exceptio: *Nisi cum in mortem filiæ pater dotem reddi stipulatus esset, non morte filiæ, sed diuortio matrimonium fit solutum. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio prima hæc est: Nisi in fraudem patris ab alterutro coniugum repudium sit missum. quæ replicatio approbatur l. si filia. 5. ff. de diuortijs. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 8. quæst. 2. reg. 3. except. 12. Sed & leges concordantes uide §. cap. prox. except. 3. repl. 1. Secunda replicatio est:* Nisi filia ab hostibus capta decesserit. *quæ replicatio approbatur l. si ab hostibus. 10. in prin. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Si ab hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dotem à patre profectam habebat, ibi decesserit: puto dicendum, perinde omnia obseruanda, ac si nupta decessisset: ut etiamsi in potestate patris non fuerit, dos ab eo profecta reuerti ad eum debeat. *Plures huiusmodi replicationes uide §. cap. prox. except. 3.*

XVII. Exceptio: *Nisi pater deportatus sit, uel publico iudicio damnatus. Hæc exceptio approbatur l. in insulam. 42. in prin. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* In insulam patre deportato, qui pro filia dotem dedit, actio dotis ad filiam pertinet. Post diuortium quoque patre damnato, qui dotem consentiente filia non petierat, æquè dotis actio mulieris est. *Ait Iurisconsultus:* Actio dotis ad filiam pertinet. *Hoc ita, si diuortio solutū est matrimonium: secus, si morte mulieris, tunc enim fisco dotis actio datur. de quo dictum §. reg. prox.*

XVIII. Exceptio: *Nisi pater mortuus sit. tunc enim non eius hæredibus profecticiæ dotis actio competit, sed filiæ. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. reg. 5. except. 1.*

XIX. Exceptio: *Nisi filia patri dotem repetenti non consentiat. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. & hoc ex rei. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Si quando post dissolutum matrimonium dos à patre petebatur, si quidem rei uxoriæ fuerat actio, non poterat pater sine cōsensu filiæ suę agere: & si necdum actione mota ab hac luce fuerat subtractus, etsi lis contestata esset, ad filiam quasi proprium patrimoniū dos reuertebatur. quod non erat in ex stipulatu actione. Ibi enim solus exactionem habebat, consensu filiæ non expectato: & si decedebat, ad suos hæredes transmittebat. Sed rei uxoriæ ius & in ex stipulatu actionem transponere, satis humanum, satis pium, satis utile matrimonijs est. *Concordat l. 2. in fin. C. soluto matrimonio. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 2. regula 6. Item concordat l. filiæ. 7. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. cap. 5. quæst. 3. reg. 1. Item concordat l. 2. §. deniq; pater. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Pater non aliter, quàm ex uoluntate filię, petere dotem, nec per se, nec per procuratorem potest. *Concordat item l. Titia. 34. ff. eod. tt. his uerbis:* Titia diuortium à Seio fecit. hanc Titius in sua potestate esse dicit, & dotem sibi reddi postulat: ipsa se matremfamiliâs dicit, & de dote agere uult. quęritum est, quæ partes iudicis sint? Africanus respondit, patri, nisi probet filiam non solùm in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi, denegandam actionem, sicuti denegaretur, etiamsi constaret eam in potestate esse. *Concordat item l. post dotem. 40. ff. eod. tt. his uerbis:* Post dotem datam & nuptias contractas stipulatus est pater uoluntate filiæ, diuortio facto dotem reddi. si conditio stipulationis impleatur, & postea filia sine liberis decesserit: non erit impediendus pater, quo minus ex stipulatu agat. Viua autem filia si agere uult, exceptione submouendus erit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi filia mortua sit. *tunc enim hæredum consensus non requiritur. quæ replicatio ex iam d. l. 40. constat. Secunda replicatio est:* Nisi filia sit in potestate patris. *Hæc replicatio reprobatur §. d. l. 14. Tertia replicatio est:* Nisi filia ante alium dotem stipulari sine patre iusserit. *Hæc replicatio approbatur sub conditione l. 2. §. quòd si in patris. ibi: sed utrum ut agat. ff. soluto matrimonio. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 3. repl. 3. Quarta replicatio est:* Nisi filia non contradicat. *Hæc replicatio approbatur d. l. 2. §. uoluntatem, his uerbis:* Voluntatē autem filiæ, cum pater agit de dote, utrum

utrum sic accipimus, ut consentiat: an uerò, ne contradicat filia? & est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam, nisi euidenter cōtradicat, uideri consentire patri. *Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi filia sit absens, & ignoret quid agatur. *Hæc duplicatio approbatur d. l. 2. §. fin. his uerbis:* Sed si absens filia sit: dicendum erit, non ex uoluntate eius id factum: cauendumque à patre, ratam rem filiam habituram. ubi enim sapit, scire eam exigimus, ut uideatur non contradicere. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est:* Nisi pater caueat de rato. *quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Cauendumque à patre, ratam rem filiam habituram. *Altera triplicatio est:* Nisi absens sciat quid agatur. *quæ triplicatio ex iam propositis elicitur. Eius autem quadruplicatio hæc est:* Nisi ideo abfit filia, ne præsens patri consentire cogatur. *quæ quadruplicatio approbatur l. si cum. 22. §. necnon illud. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Sed si latitet filia, ne tali patri cōsentire cogatur: puto dari qui dem patri actionem, sed causa cognita. quid enim, si filia uerecundè per absentiam patri contradicat? cur non dicamus, patri non esse dandam actionem? *Quinta replicatio est:* Nisi filia sit furiosa. *Hæc replicatio approbatur d. l. 2. §. penult. his uerbis:* Iulianus lib. XVII. Digestor. scripsit, quasi ex uoluntate filiæ uideri experiri patrē, si furiosam filiam habeat. nam ubi non potest per dementiam contradere, consentire quis eam meritò credet. *Concordat d. l. 22. §. item pater furiosæ. ff. soluto matrimon. his uerbis:* Pater furiosæ utiliter intendere, sibi filięue suæ reddi dotem, potest. quamuis enim furiosa nuncium mittere non potest, patrem eius tamen posse, certum est. *Sexta replicatio est:* Nisi filia patri contradicendi causam iustam non habeat. *Hæc replicatio approbatur d. l. 22. §. quòd si is pater, his uerbis:* Si is pater sit, cui omnimodò consentire filiam deceat, hoc est, uitæ probatę, filia leuis mulier, uel admodum iuuenis, uel nimia circa maritum non merentem: dicendum est, patri potius adquiescere prætorem oportere, dareque ei actionem. *Concordat l. dotem. 37. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 39. repl. 2. dupl. 4. Septima replicatio est:* Nisi consenserit filia. *Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerum eius duplicatio prima hæc est:* Nisi postea uoluntatem rursus mutauerit. *quæ duplicatio approbatur d. l. 22. §. eo autem tempore, his uerbis:* Eo tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur. Secundum hæc, si filia dicat se patri consentire, & ante litis contestationem mutauerit uoluntatem, uel etiam emancipata sit: frustra pater aget. *Altera duplicatio est:* Nisi tam turpis pater sit, ut metus sit, ne dotem receptam consumat. *quæ duplicatio approbatur d. l. 22. §. necnon illud, his uerbis:* Necnon illud quoq; probamus, quod Labeo probat, non nunquam patri denegandam actionem, si tam turpis persona patris sit, ut uerendum sit, ne acceptam dotem consumat. Ideoque officium iudicis interponendum est, quatenus & filiæ & patri competenter consulatur. Octaua replicatio est: Nisi pater in danda dote specialiter sibi reddi stipulatus uel pactus sit. *Hæc replicatio approbatur l. quoties. 29. in prin. ff. soluto matrimonio. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 1 except. 1. replic. 1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi non in continenti, sed ex interuallo illam stipulationem interposuerit. *quæ duplicatio approbatur d. l. 29. in principio. Huius duplicationis triplicationes uide §. d. replic. 1. Altera duplicatio est:* Nisi nudo pacto conuenerit sine stipulatione. *quæ duplicatio approbatur l. auia. 6. in fin. C. de iure dotium. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 6.* Nona replicatio est: Nisi filia sine consensu patris nuptias cum eodem redintegrauerit. *quæ replicatio approbatur l. in copulandis. 7. C. de nuptijs. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 3. reg. 3. except. 5. Hæc de decimanona exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Sed & de his uide §. cap. prox. except. 39. repl. 2.*

XX. Exceptio: *Nisi tam turpis persona patris sit, ut uerendum sit, ne dotem receptam consumat. Hæc exceptio approbatur l. si cum. 22. §. necnon illud. ff. soluto matrim. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 7. dupl. 2.* Hactenus, quibus dotis actio ex stipulatu competat, sit dictum. Superest una adhuc huius actionis quæstio, quid scilicet in ea ueniat petendum?

QVID VENIAT IN REpetitione dotis? Cap. VIII.

PRima regula, *De eo quod rei dotali accessit uel decessit. Hoc regulariter ad mulierem spectat. quæ regula approbatur l. plerunq;. 10. §. si prædijs. ff. de iure dotium, cuius uerba uide §. cap. 6. except. 23. in prin. Concordat l. quãuis. 75. ibi: huic enim. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 10. reg. 9.* Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi *res æstimata in dotē data fit. tunc enim tam accessio quàm deminutio mariti est. quæ exceptio approbatur l. unica. §. sed & nouissimi. ibi: æstimatarum enim. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §. ea. 6. except. 23. repl. 1. Concordat item l. cum dotē. 10. in fin. C. de iure dotiū. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 6. reg. 2. Propositæ regulæ species & exceptiones proponuntur in sequentibus.*

11. Regula, *De fructibus rei dotalis. Hi regulariter in actionem propositam non ueniunt. quæ regula approbatur l. dotis. 7. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Dotis fructus ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit. cum enim ipsa onera matrimonij subeat: æquum est, eum etiam fructus percipere. *Concordat l. ult. §. fin. ff. soluto matr. cuius uerba uide §. reg. 26. Itē cōcordat d. l. 10. C. de iure dotiū. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 4. reg. 3. Itē concordat l. unica. §. fœtus autē. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Fœtus iumentorū, omniaq; quę fructuū nomine cōtinētur, ad lucrū mariti pertineāt, si tempore matrimonij, siue æstimata, siue non æstimata

æſtimata ſint. *Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi ante nuptias fructus ſint percepti. quæ exceptio approbatur d.l.7.§.1.ff.de iure dotium, his uerbis*: Si fructus conſtante matrimonio percepti ſint, dotis non erunt: ſi uerò ante nuptias percepti fuerint, in dotem conuertentur: niſi forte inter maritum futurum & deſtinatam uxorem aliud conuenit. tunc enim quaſi donatione facta fructus non redduntur. *Concordat l.ſi ſeruo. 47.ff.eod.tt.his uerbis*: Si ſeruo in dotem ante nuptias dato donatum aliquid uel legatum ante nuptias fuerit, ampliatur dos, ſicut ex fructibus fundi qui ante nuptias traditus eſt. *Concordat item l.uideamus.38.§.ante matrim.ff.de uſuris & fructibus,his uerbis*: Ante matrimonium fructus percepti dotis fiunt, & cum ea reſtituuntur. eadem ratio eſt in fructibus prædiorum urbanorum. *Concordat denique l.ſi ante. 6. ff.ſoluto matrimonio. cuius uerba uide ẽ.except.3.replic.4. Concordat item l.fructus.7.§.item ſi meſſes,in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.except.3.replic.4. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi aliud inter uirum & uxorem ante nuptias conuenerit. quæ replicatio approbatur d.l.7.§.1. Secunda exceptio eſt: Niſi ante dotem datam fructus ſint percepti. Quæ exceptio approbatur l.de diuiſione.5.ff.ſoluto matrimonio. cuius uerba uide ẽ.except.prox.replic.4. Tertia exceptio eſt: Niſi poſt ſolutum matrimonium fructus ſint percepti. Hæc exceptio approbatur l.ſi marito.31.§.fin. ff.ſoluto matrimonio, his uerbis*: Si fundum dotalem recepiſſet mulier, non habita ratione fructuũ pro portione anni, quo nupta non fuiſſet: nihilominus de dote agere poteſt: quia minorem dotem recepiſſet. hoc enim ad dotis augmentũ pertinet: quẽadmodum ſi partum ancillarum non recepiſſet, aut legata uel hæreditates, quæ poſt diuortium per ſeruos dotales adquiſitæ marito fuiſſent. *Concordat l.unica.§.ſin autem ſuperſederit.C.de rei uxoriæ actione,his uerbis*: Si ſuperſederit res mobiles, uel ſe mouentes, uel incorporales poſt annale tempus reſtituere, uel cæteras res ſtatim poſt diſſolutum matrimonium: etiam uſuras æſtimationis omnium rerum, quæ extra immobiles ſunt, uſque ad tertiam partem centeſimæ ex bona fide introducendas, maritus præſtet: fructibus uidelicet immobilium rerum parti mulieris ex tempore diſſoluti matrimonij præſtandis: ſimiliq; modo penſionibus uel uecturis nauium, ſiue iumentorum, uel operis ſeruorum, uel queſtu ciuilium annonarum, & aliis quæ ſunt eis ſimilia, parti mulieris reſtituendis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt, quòd maritus ob donationes & res amotas compenſationem inducere poſſit. quæ replicatio approbatur l.fructus.7.§.ob donationes.ff.ſoluto matrimonio, his uerbis*: Ob donationes, item ob res amotas ex his fructibus qui poſt diuortium percepti ſunt, compenſationes fieri poſſunt. *Secũda replicatio eſt, quòd ob impẽſas à ſe factas maritus ex fructibus retinere poſſit. quæ replicatio approbatur d.l.7. in prin.his uerbis*: Fructus eſſe conſtat, qui deducta impenſa ſupererunt. quod Scęuola & ad mariti, & ad mulieris impenſas refert. nã ſi mulier pridie uindemias doti dedit, mox ſublatis à marito uindemijs diuertit: nõ putat ei undecim duntaxat menſiũ fructus reſtitui, ſed & impenſas, quæ antequã portiones fructuum fiant, deducendæ ſunt. Igitur ſi & maritus aliquid impẽderit in eundum annum, utriuſq; impenſæ concurrent: & ita (ſi impenſarum à muliere factarum ratio habeatur) cùm plurimis annis in matrimonio fuit, neceſſe eſt primi anni tempori computari, quod fuit ante datum prædiũ. *Declaratur hæc replicatio d.l.7.§.impendi. cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæſt.1.except.3. Tertia replicatio eſt: Niſi percepti ſint eo tempore fructus, quo per mulierẽ ſtetit, quo minus dos ei redderetur. Hæc replicatio reprobatur l.ult.§.fin.ff.de fundo dotali,his uerbis*: Si per mulierem mora fieret, quo minus æſtimationem partis fundi uiro ſolueret, & fundum reciperet, cùm hoc pactũ eſſet: fructus interim perceptos ad uirũ pertinere, ait Labeo. Sed puto potius pro portione fructus uirum habiturum, reliquos mulieri reſtituturũ. quo iure utimur. *Concordat l.ſi mora.9.in fine.ff.ſoluto matrim. cuius uerba uide ẽ.cap.6.except.23.repl.3.dupl.3. Quarta replicatio eſt: Niſi eo anno, quo matrimonium ſoluitur, fructus percipiantur. hi enim pro parte ad maritũ pertinent, ſuntq; inter maritum & uxorem diuidendi. quæ replicatio approbatur l.unica.§.ſed & nouiſſim.C.de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Sed & nouiſſimi anni, in quo matrimonium ſoluitur, fructus pro rata tẽporis portione debere utriq; parti adſignari, commune utriuſq; actionis eſt, in rebus ſcilicet nõ æſtimatis. æſtimatarum enim rerum maritus quaſi emptor & commodum ſentiat, & diſpendium ſubeat, & periculum expectet. *Planè hoc loco ſciendum eſt, à quo tempore annus iam dictus ſit numerandus? Eſt autem numerandus ex die datæ dotis: aut ſi dos ante nuptias data ſit, ex die nuptiarum, non ex die ſoluti matrimonij. quod approbatur l.de diuiſione.5. cum lege ſequente.ff.ſoluto matr.his uerbis*: De diuiſione anni eius, quo diuortium factum eſt, quæritur, ex die cõtracti matrimonij, an ex die traditi fũdi maritus ſibi computet tempus? & utiq; in fructib. à uiro retinendis neq; dies cõſtituę dotis, neq; nuptiarũ obſeruabitur: ſed quo primùm dotale prædiũ conſtitutũ eſt, id eſt, tradita poſſeſsione. Sed ſi ante nuptias fundus traditus eſt, ex die nuptiarũ ad eũdẽ diẽ ſequentis anni cõputandus annus eſt. Idẽ in cæteris annis obſeruatur, donec diuortiũ fiat. nã ſi ante nuptias traditus ſit, & fructus in de pcepti: hi reſtituẽdi ſunt quãdoq; diuortio facto,

tio facto, quaſi dotis facti. *Concordat l.fructus.7.§.Papinianus, cum ſequentib. ff.eod.tt. his uerbis*: Papinianus lib. XI. Quæſtionum, diuortio facto fructus diuidi ait, non ex die locationis, ſed habita ratione præcedentis tẽporis, quo mulier in matrimonio fuit. neq; enim, ſi uindemiæ tempore fundus in dotem datus ſit, eumq; uir ex calendis Nouembrib. primis fruendum locauerit: menſis Ianuarij ſuprema die facto diuortio, retinere uirum & uindemiæ fructus, & eius anni, quo diuortiũ factum eſt, quartam partem mercedis, ęquum eſt. Alioquin ſi coactis uindemijs, altera die diuortium intercedat, fructus integros retinebit. Itaq; ſi in fine mẽſis Ianuarij diuortium fiat, & quatuor menſibus matrimonium ſteterit: uindemię fructus, & quarta portio mercedis inſtantis anni confundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio uiro relinquatur. Ex contrario quoque idem obſeruandum eſt. Nam ſi mulier percepta uindemia ſtatim fundum uiro in dotem dederit, & uir ex calendis Martijs eundem locauerit, & calendis Aprilibus primis diuortium ſecutum fuerit: nõ ſolùm partem duodecimam mercedis, ſed pro modo temporis omniũ menſium, quo dotale prædium fuit, ex mercede quæ debebatur, portionem retinebit. Item ſi meſſes eius anni, quo diuortium factum eſt, colonum ex forma locationis ſequantur: ante uindemiam ſoluto matrimonio, nihilominus pecunia meſsium in computationem cum ſpe futuræ uindemiæ ueniet. Apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit antequam nuberet, non debere in contributionem uenire. *Concordat item d.l.7.in prin. cuius uerba uide ẽ.repl.2. Item concordat d.l.7.§. quod in anno, cum ſequentibus, his uerbis*: Quod in anno dicitur, poteſt dici & in ſex menſibus, ſi bis in anno fructus capiantur: ut eſt in locis irriguis. Sed & in pluribus annis idem dici poteſt, ut in ſylua cædua. Item ſi locatio agri talis ſit, ut ſuper annuam mercedẽ quinquennio quoq; aliquid amplius præſtaretur. In eo enim quod amplius eſt, tempus ad quinquenium computamus. Non ſolùm autem de fundo, ſed etiam de pecore idem dicemus, ut lana ouium fœtusque pecorum præſtetur. quare enim, ſi maritus prope partum oues doti acceperit, item proximas tonſuræ: poſt partum & tonſas oues protinus diuortio facto, nihil reddat? Nam & hic fructus toto tempore quo curantur, non quo percipiuntur, rationem accipere debemus. In ſeruo quoque anni ratio habetur, ut ſi in annum fortè operæ eius locatæ ſint, præteriti temporis ad maritum, poſt diuortium autem ad mulierem operę pertineant. De penſionibus quoque prædiorum urbanorum idem eſt, quod in fructibus ruſticorum. *Concordat item l.ſi alienam. 11. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.6.except.12. Quinta replicatio eſt: Niſi res æſtimata in dotem data ſit. quæ replicatio approbatur l.unica.§.ſed & nouiſſimi. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ẽ.replic.prox. Hæc de tertia exceptione, eiuſq; replicationibus dicta ſint. Quarta exceptio eſt: Niſi eo anno, quo ſoluitur matrimonium, fructus quamuis conſtante matrimonio ſint percepti. hi enim inter uirum & uxorem ſunt diuidendi. de quo dictum ẽ.repl.prox. Quinta exceptio eſt: Niſi fructus tempore ſoluti matrimonij nondum ſint percepti. tunc enim dotem augent. quæ exceptio reprobatur l.ult. in prin.ff.de fundo dotali. cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæſt.1.except.1.repl.1. Concordat l.fructus.7.§.ſi uir.ff.ſoluto matrimonio. cuius uerba uide d.repl.1. Item concordat d.l.7.§.interdum, his uerbis*: Interdum marito de fructibus à muliere cauetur, & nihil retinebit, ſi fructibus ſtantibus fundum mulier recipiet: interdum retinebit totum maritus, & nihil reſtituet: id eſt, ſi non plus erit, quàm pro portione eum retinere oportet: interdum uerò reddet, ſi plus percepit quàm eum retinere oportet. Eadem conditio erit, & ſi cum ſocio uel cum hærede alterutrius de dote agatur. *Sexta exceptio eſt: Niſi in dote danda aliud conuenerit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi conuenerit.4.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Si conuenerit, ut fructus in dotem conuertantur, an ualeat conuentio? Et Marcellus ait libro VII. Digeſt. conuentionem non ualere. Propè enim indotatam mulierem hoc pacto fieri. Sed tamen diſtinguit, ſi quidem fundum in dotem dederit mulier, ita ut maritus fructus redderet: non eſſe ratum pactum. idemque & ſi uſumfructum in dotem hoc pacto dediſſet. Quòd ſi conueniſſet de fructibus reddendis, hoc eſt, ut in dotem fructus eſſent, quoſquos percepiſſet: & fundus uel uſusfructus in hoc traditus eſt, non ut fundus uel fructus fieret dotalis, ſed ut fructus perciperet dotis futuros: cogendum de dote actione fructus reddere. Erunt igitur in dotem fructus, & fruetur iſte uſuris, quæ ex fructibus collectis, & in ſortem redactis percipi poſſunt. Ego utrobique arbitror intereſſe, qua contemplatione dos ſit data: ut ſi ob hoc ei maiorem dotem mulier dedit, quia fructus uolebat eſſe dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex uſuris redituum colligeretur: poſſit dici conuentionem ualere. Nec enim uidebitur ſterilis eſſe dos. Finge quadringenta annua eſſe reditus apud eum, qui non acciperet in dotem (niſi hoc conueniſſet) plus trecentis: & bonũ conſuleret, ſi tam uberem dotem conſecutus eſſet. Et quid dicemus, ſi tale pactum conuentum interuenit, ut maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier ſe ſuoſq;

suosq; aleret tueretúrue, & uniuersa onera sua expediret? quare non dicam conuentionem ualere? Ex *his constat, exceptionem propositã ipso quidem iure reprobari: admitti autem primùm, si maior dos sit constituta, ita ut usuras fructuum maritus lucraretur: deinde admitti quoq;, si simul etiam conuenerit, ut mulier se suosque aleret sine sumptibus mariti. Tertiò admittitur exceptio, si de parte fructuum reddẽda conuenit, non de uniuersis fructibus. quæ distinctio approbatur exemplo l. si inter. 31. ff. eod.tt. his uerbis:* Si inter uirum & uxorem conuenerit, ut extremi anni matrimonij fructus nondum percepti mulieris lucro fiãt: huiusmodi pactum ualet. *Aliud huius exemplum proponitur l. quæris. 28. ff. eod.tt. his uerbis:* Quæris, si pacta sit mulier uel ante nuptias, uel post nuptias, ut ex fructibus fundi, quem dedit in dotem, creditor mulieris dimittatur: an ualeat pactum? Dico, si ante nuptias id conuenerit, ualere pactum, eoq; modo minorem dotem constitutam. Post nuptias uerò, cum onera matrimonij fructus releuaturi sunt: iam de suo maritus pacisci tur, ut dimittat creditorem, & erit mera donatio. *Propositæ exceptionis in casu proposito tertio replicatio hæc est: Nisi constante matrimonio de parte fructuum reddenda pactum sit factum. tũc enim tanquam donatio inter uirum & uxorem non ualet. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Post nuptias uerò, &c. *Cuius duplicationes uide ĩ. lib. 35. cap. 8. Septima exceptio est: Nisi ususfructus in dotem datus sit.* Et *hæc exceptio reprobatur l. dotis fructus. 7. §. si ususfructus. ff. de iure dotiũ, his uerbis:* Si usus fructus in dotem datus sit, uideamus, utrum fructus reddẽdi sint, nec ne? Et Celsus lib. X. Digestorum ait, interesse quid acti sit: & nisi appareat aliud actum, putare se ius ipsum in dotem esse, non etiam fructus qui percipiuntur. *Octaua exceptio est: Nisi partus sit ancillæ dotalis. Hæc exceptio approbatur ĩ. reg. prox. Diuersum est in fœtu pecorum, de quo ĩ. reg. 4. Nona exceptio est: Nisi arbores sint perceptæ. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. fructus. 7. §. si fundum. ff. soluto matrim. his uerbis:* Si fundum uiro uxor in dotem dederit, isq; inde arbores deciderit: si hę fructus intelliguntur, pro portione anni debent restitui. Puto autem, si arbores cæduæ fuerint, uel cremiales: dici oportere, in fructum cedere. si minus: quasi deteriorem fundum fecerit, maritum teneri. Sed si ui tempestatis ceciderint: dici oportet, precium earum restituendum mulieri, nec in fructum cedere, non magis quàm si thesaurus fuerit inuentus. Non enim in fructu computabitur, sed pars eius dimidia restituetur, quasi in alieno inuenti. *Concordat l. uir. 3. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Vir in fundo dotali uxoris rogatu oliuetum succiderat, ad hoc ut nouellum reponeret. postea uir mortuus erat, & uxori dotem relegauerat. ligna quæ ex olineto excisa essent, oportere reddi mulieri, Alfenus respondit. *Decima exceptio est: Nisi matrimonium ipso iure non subsistat. Hæc exceptio ipso quidem iure ualet: quia nec dos intelligatur hoc casu. uerum eius replicatio prima hæc est: Nisi fructus bona fide sint consumpti. Altera replicatio est: Nisi impensarum compensationem maritus opponat. quæ duæ replicationes approbãtur l. in insulã. 42. §. fructus. ff. soluto matrim. his uerbis:* Fructus ex prædijs, quæ in dotem data esse uidebantur, bona fide perceptos, & in mulieris oneribus ante causam liberalem absumptos: quamuis seruam fuisse postea constiterit, peti non posse placuit. Sumptus uerò necessarios & utiles in prædia, quæ dotalia uidebantur, factos: compensatis fructibus perceptis, ad finẽ superflui seruari conuenit. *Hæc de fructibus.*

III. *Regula, De partu ancillæ dotalis. Hic in actionem dotis ex stipulatu uenit. quæ regula approbatur l. cum post. 69. §. fin. ff. de iure dotium, his uerbis:* Partus dotalium ancillarum dotis esse portionem conuenit. Ideoq; frustra pacisci uirum, ut inter uxorem & se partus communis sit. *Concordat l. unica. §. cumq; ex stipulatu. ibi: itaq; partus. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Partus dotalium ancillarum, id est, quæ æstimatæ non sunt, uel quæ serui dotales ex quacunque causa (nisi ex re mariti uel operis suis) adquisierunt: ad mulierem pertinere, tam rei uxorię, quàm ex stipulatu actio similiter uoluit. *Concordat item l. plerunque. 10. §. si serui. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ancilla æstimata in dotem data sit. quæ exceptio approbatur l. in his. 66. §. mancipia. ff. soluto matrimonio, his uerbis:* Mancipia in dotem æstimata accepisti. pactum conuentum deinde factum est, ut diuortio facto, tantidem æstimata redderes: nec de partu dotalium ancillarum mentio facta est. manebit (inquit Labeo) partus tuus: quia is pro periculo mancipiorum penes te esse debet. *Concordat l. si mancip. 18. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si mancipia in dotem æstimata accepisti, & pactum conuentum factum est, ut tantidem æstimata diuortio facto redderes: manere partum eorum apud te, Labeo ait: quia & mancipia tuo periculo fuerunt. *Huius exceptionis prima replicatio hæc est: Nisi post æstimationem conuenerit, ut ipsa ancilla, non æstimatio restituatur. quæ replicatio approbatur l. 1. C. soluto matrimonio, his uerbis:* Dubium non est, post æstimationem dotis pactione uel stipulatione interposita, ut si ipsæ res dissoluto matrimonio extarent, uxori reddantur: & ancillas cum partu ex stipulatu iudicio restitui oportere. *Secunda replicatio est: Nisi pecunia in dotem data, postea pro ea mancipia data sint, hac conditione, ut periculum eorum ad mulierem pertineret. Hæc replicatio approbatur l. si mulier. 21. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide ĩ. reg. 16.*

ĩ. reg. 16. Secunda exceptio est: Nisi ancilla aliena, quam maritus uxori ex stipulatu debebat, ei ab uxore in dotem sit data. quæ exceptio approbatur l. si sponsalibus. 58. §. si mulier. ff. de iure dotium, his uerbis: Si mulier ancillam Pamphilam à Titio stipulata, deinde ei nupta fuit, quod is sibi debebat, dotí habere permiserit: etiamsi non erit uiri Pamphila, an ipsa tamen in dotem & mulieris periculo erit? an & quod ea pepererit, reddi mulieri debebit: quia si in sua causa prior stipulatio manisset, non redderet? nisi fortè refert, habuit rem quam debebat uir, quo tempore dos constituebatur (nam ita poterit uideri res ipsa ad eum peruenisse) an non habuit. nam si non habuit, magis est ut liberatio obligationis potius, quàm res ipsa ad eum peruenisse uideatur. Ideoque partus eius non debetur. *Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi conuenerit, ut partus mariti uel in totum, uel pro parte maneat. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio hæc est: Nisi constante matrimonio donationis causa ita conuenerit. quæ replicatio approbatur l. cum post. 69. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĩ. ead. reg. in prin. Duplicationes autem huius replicationis uide ĩ. lib. 35. cap. 8.*

III. *Regula, De fœtu pecorum dotaliũ. Fœtus in repetitione dotis regulariter non uenit. quæ regula approbatur l. plerunq;. 10. §. si serui. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si serui sobolem ediderunt, mariti lucrum non est. sed fœtus dotalium pecorum ad maritum pertinent: quia fructibus computantur. fictamen, ut suppleri proprietatem prius oporteat: & submissis in locum mortuorum capitum adnatis, residuum maritus in fructum habeat: quia fructus dotis ad eum pertinent. *Concordat l. unica. §. cumq; ex stipulatu. ibi: fœtus. C. de rei uxoriæ act. cuius uerba uide ĩ. reg. 2. in prin. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi capita quædam pecorum interierint. hæc enim ex fœtu sunt supplenda. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sic tamen, ut suppleri, &c. *Secunda exceptio est: Nisi eo anno, quo matrimonium solutur, fœtus sit editus. tunc enim pro parte ad mulierem pertinet. quæ exceptio approbatur l. fructus. 7. §. non solùm. ff. solut. matrim. cuius uerba uide ĩ. reg. 2. exc. 3. repl. 4. Sed & plures propositæ regulæ exceptiones uide ĩ. d. reg. 2. Quæ .n. eius regulæ tãquam generis sunt exceptiones, ad hanc quoq; regulam tanquã eius speciem pertinẽt.*

V. *Regula, De usufructu, qui rei in dotem datæ accessit. Hic quoq; in repetitione dotis uenit. quæ regula approbatur l. si propr. 4. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si proprietati nudæ in dotem datæ usus fructus accesserit, incrementum uidetur dotis, non alia dos: quemadmodũ si quid alluuione accesisset.

VI. *Regula, De ijs quæ per seruum dotalem sunt adquisita. Hæc in repetitione dotis ueniunt, quæ regula approbatur l. uhic. §. cumq; ex stipulatu. ibi: itaque partus. C. de rei uxoriæ act. cuius uerba uide ĩ. reg. 3. Cõcordat l. adiitio. 45. in prin. ff. de adquir. hær. his uerbis:* Adiitio hæreditatis non est in opera seruili. Idcirco si seruus dotalis adierit, actione de dote eam hæreditatem mulier recuperabit: quamuis ea quæ ex operis dotalium seruorum adquiruntur, ad uirum pertineant. *Concordat item l. si marito. 31. §. fin. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ĩ. reg. 2. exc. 3. in prin. Concordat item l. si seruo. 47. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĩ. reg. 2. except. 1. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi seruus dotalis quid ex operis suis adquisierit. hoc enim apud uirũ remanet, ut ex uerbis iam propositis constat. Cui cõcordat d. uers. itaq; partus. Secũda exceptio est: Nisi ex re ipsius mariti seruus adquisierit. quæ exceptio approbatur d. uers. itaq; partus. Tertia exceptio est: Nisi is qui seruo aliquid donauit, uel in testamento reliquit, illud ad maritũ uoluerit pertinere. Hæc exceptio elicitur ex l. si legato. 65. ff. de iure dotium, his uerbis:* Si legato aut hæreditate aliquid seruo dotali obuenit, quod testator noluit ad maritum pertinere, id soluto matrimonio reddendum est mulieri. *Ait Iurisconsultus:* Quod testator noluit ad maritum pertinere. *Ergo si noluit testator illud ad maritum pertinere, non est reddendum mulieri: & ita exceptio proposita approbatur ex contrario sensu. Plures propositæ regulæ exceptiones uide ĩ. cap. 6. except. 25. repl. 3.*

VII. *Regula, De commodo lapidicinarum. Hoc in repetitione dotis non uenit. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. si fundus. 8. in prin. ff. soluto matrim. his uerbis:* Si fundus in dotem datus sit, in quo lapis cæditur, lapidicinarum commodum ad maritũ pertinere constat: quia palàm sit, eo nomine dedisse mulierem fundum, ut is fructus ad maritũ pertineat: nisi contrariam uoluntatem in dote danda declarauerit mulier. *Concordat l. fructus. 7. §. si uir. ff. eod.tt. cuius uerba uide ĩ. cap. 4. quæst. 2. exc. 1. rep. 1.*

VIII. *Regula, De thesauro in fundo dotali inuento. Hic pro dimidia parte in dotis repetitione uenit, quæ regula approbatur d. l. 7. §. si fundum, in fine. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ĩ. reg. 2. except. 9.*

IX. *Regula, De usuris. Hæ perinde ac fructus in dotis repetitione regulariter non ueniunt. quæ regula cùm ipso iure subsistat, recipit exceptiones aliquot. quarum prima hæc est: Nisi mulier non mariti, sed proprijs aut patris sui sumptibus se aluerit. quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt supra cap. 2. quæst. 4. reg. 1. except. 2. repl. 2. Concordat l. in insulam. 42. §. usuras. ff. soluto matrim. his uerbis:* Vsuras numeratæ dotis ex stipulatu pater, in matrimonio defuncta filia, si petat: gener qui residuæ dotis promissæ fœnus stipulatus est, ita demum ad finem uice mutuæ debitæ quantitatis compensationem opponere iustè uidetur, si proprijs sumptibus uxorem

xorem ſuam exhibuit: alioquin ſi patris ſumptibus exhibita ſit, inanis uſurarum ſtipulatio compenſationi non proderit. *Secũda exceptio eſt: Niſi mulier eiusue pater uſuras dotis reddi ſtipulatus ſit. Hæc exceptio etiam iam dictis uerbis approbatur. Huius exceptionis prima replicatio hæc eſt: Niſi cũ uſuras poſt diuortium eſſet ſtipulatus, diuortio facto matrimonium ſit redintegratũ. quæ replicatio approbatur l.cũ poſt.69. §.uſuras. ff.de iure dotium. cuius uerba uide §.cap.6.except.29.in prin.* Altera replicatio hæc eſt: *Niſi donandi animo maritus uxori dotis uſuras promiſerit. Cuius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi in alimenta uxoris dotis uſuras maritus promiſerit. quæ duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l.ſi id.28. §.fin. ff.de donat. inter uir. & uxorem. cuius uerba cum aliis huc pertinentibus uide ȝ.lib.35.cap.8.except.12.repl.1. Tertia exceptio eſt: Niſi cũ exhibitio mulieris ad patrẽ ex pacto perti neret, is marito dotis uſuras præſtiterit, mandaueritq;, ut is eam ex uſuris illis aleret. tunc enim, ſi quid ſupereſt, pater repetere poteſt actione mandati. quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.creditor.60. §.ſi inter. ff.mandati, his uerbis*: Si inter maritum & ſocerum id actum eſſet uel tacito intellectu, ut onus exhibendæ uxoris ad maritum rediret, præſtante patre dotis uſuras: nullam actionẽ ſuperfore ad recipiendũ quod negetur conſumptum. quòd ſi pater puellę exhibitionem mãdaſſe doceatur, actionem mandati competere. *Quarta exceptio eſt: Niſi mulier id, quod ſibi ſub uſuris debetur, in dotem dederit. tunc enim uſuræ, quarũ dies ante nuptias ceſſit, ſine dubio doti computantur. Sequentis aũt temporis, conſtante matrimonio, uſuræ non debentur: quod replicationis loco notandum. quæ replicatio approbatur l.ſi mulier.77. ff.de iure dotiũ, his uerbis*: Si mulier debitori ſuo, qui ſub uſuris debebat, nuptura in dotem promiſiſſet, quod is ſibi deberet: poſt cõtractas nuptias ſecuti temporis uſuras non eſſe dotales, Triphoninus reſpõdit: quia tota illa obligatio tolletur, perinde ac ſi ſolutum debitum mulieri in dotem ab ea datum eſſet. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi ſpecialiter contrarium conuenerit. quæ duplicatio approbatur l. cũ poſt.69. §.mulier. ff.eod. tt.his uerbis*: Mulier ſi pecuniam ſibi debitam à Seio cũ uſuris futuri temporis in dote promittẽda demõſtrauit: eas quoq; dotis portionem eſſe, quarũ dies poſt nuptias ceſſit, rationis eſt. *Quinta exceptio eſt: Niſi maritus in dote reddenda moram fecerit. quæ exceptio approbatur l.unica. §.ſin autem ſuperſederit. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §.reg.2.except.3.in prin.*

X. Regula, *De re dotali, eiusq; æſtimatione, utrum debeatur? Regulariter aũt ipſa res in dotẽ data in actionem propoſitam uenit, non eius æſtimatio. quæ regula approbatur l.ſi cõſent.14.. C.de donationib.ante nuptias, his uerbis*: Si conſentiente matre ſua ſpõſus filiæ tuæ mancipia donauit, & his acceptis in dotem nõ æſtimatis, in matrimonio pòſt deceſſit: mater eademque hæres eius precium offerens, reſtitutionem eorum improbè recuſat. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi res æſtimatæ in dotem ſint datæ. quæ exceptio approbatur l.quoties.5. C. de iure dotium, his uerbis*: Quoties res æſtimatæ in dotem dantur: maritus dominiũ conſecutus, ſummę uelut precij debitor efficitur. Si itaq; non conuenit, ut ſoluto matrimonio reſtituerentur, & iure æſtimatæ ſunt: retinebit eas, ſi pecuniã tibi offerat. *Concordat l.cum dotem.10. C.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.2.quæſt.6.reg.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi nihilominus cõuenit, ut res ipſæ, quæ extarent, quamuis æſtimatæ reſtituerentur. quæ replicatio approbatur l.1. C.ſoluto matrimon. cuius uerba uide §.reg.3.exc.1.repl.1. Cõcordat l.ſi inter.21. C.de iure dotium, his uerbis*: Si inter uirum & uxorem pactum ſit interpoſitum, ut ſi matrimonium intra quinquennij fortè tempora quoquo modo eſſet diſſolutum, ſpecies æſtimatæ doti datę precijs, quibus æſtimatæ ſunt, redderentur: manifeſtũ eſt, nõ precia ſpecierũ dari, ſed ipſas ſpecies debere reſtitui: cũ in placitis ſpecierũ reddẽdarum idcirco preciorum nomen uideatur adnexum, ne ſi ſpecies aliqua deminuta fuiſſet aut perdita, alio precio, quàm quo taxata fuerat, repoſceretur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi ipſæ res non extent. Hæc duplicatio ex uerbis iam propoſitis conſtat. Cui concordat l.plerunq;.10. §.fin. ff.de iure dotium. cuius uerba uide ȝ.dupl.3. Secũda duplicatio eſt: Niſi res ipſæ à uiro uenditæ ſint. Hæc duplicatio approbatur l. æſtim.50. ff.ſoluto matrimon. his uerbis*: Æſtimatis rebus in dotẽ datis, pactũ interceſſit, ut ex quacunq; cauſa dos reddi deberet, ipſæ res reſtituerẽtur, habita ratione augmẽti & deminutionis uiri boni arbitratu: ſi quæ uerò non extarent, æſtimatio earũ. Quæſitum eſt, cũ res quædam, quas maritus uendiderat, extarent, an ſecundũ pactũ & hæ ad mulierem pertinerent? Scęuola reſpondit, res quæ extãt, ſi neq; uolente, neq; ratũ habẽte muliere uenirent, perinde reddẽdas, atq; ſi nulla æſtimatio interueniſſet. *Concordat l. ult.in prin.ff.de pactis dotalibus, his uerbis*: Vxor uiro fundũ æſtimatum centum in dotẽ dederat: deinde cũ uiro pactum conuentũ fecerat, ut diuortio facto, eodẽ precio uxori uir fundum reſtitueret: poſtea uolente uxore uir eum fundum uẽdiderat ducentis, & diuortiũ erat factum. Labeo putabat, uiro poteſtatem fieri debere, utrum uelit ducenta uel fundũ reddere, neq; ei pactũ conuentũ remitti oportere. Idcirco puto Labeonem hoc reſpondiſſe, quoniã uoluntate mulieris fundus uenijt: alioquin omnino fundus erat reſtituendus. *Tertia duplicatio eſt: Niſi ita conuenerit, ut aut res aut æſtimatio præſtetur. quæ duplicatio approbatur l.plerunq;.10. §.fin. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si res in dotem datæ fuerint, quamuis æſtimatæ: uerùm conuenerit, ut aut æſtimatio, aut res præſtentur: ſiquidem fuerit adiectum, Vtrum mulier uolet: ipſa eliget, utrum malit petere res, an æſtimationem. Verùm ſi ita fuerit adiectũ, Vtrum maritus uolet: aut omnino nihil de electione adijciatur: electionem habebit maritus, utrum malit res offerre, an precium earum. Nam cùm illa aut illa res promittitur, rei electio eſt utram præſtet. Sed ſi res nõ extet, æſtimationem omnimodò maritus præſtabit. *Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi ita conuenerit, ut mulieris ſit electio. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Siquidẽ fuerit adiectum, &c. *Quarta duplicatio eſt: Niſi res deterior facta reddatur. Hæc duplicatio reprobatur l.planè.11. ff.d.tt.his uerbis*: Planè & deteriorem factam reddere poterit. *Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio eſt: Niſi donationis cauſa de æſtimatione præſtanda conuenerit. quæ replicatio approbatur l.ſi res.12. in prin. ff.de iure dotium. cuius uerba uide §.cap.6.except.23.repl.1.dupl.3. Concordat l.quod aũt.7.§.ſi maritus. ff.de donat.inter uir. & uxor. cuius uerba uide ȝ.lib.35.cap.8.except.29. exemplo 5. Tertia replicatio eſt: Niſi minoris æſtimatio ſit facta. Hæc replicatio approbatur l.ſi res.12. §.ſi mulier. ff.de iure dotium. cuius uerba cum legibus concordantib. uide ȝ.reg.prox.exc.1. Quarta replicatio eſt: Niſi nuptiæ non ſint ſecutæ. quæ replicatio approbatur l.in reb.17.in fine. ff.de iure dotium. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.1.quæſt.4.reg.5. Hæc de prima exceptione, ciusq; replicationibus. Secunda exceptio eſt: Niſi res dotalis dolo uel culpa mariti perierit. tunc enim æſtimationem eius debet. quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta ſunt paulò ſuperius repl.1. item §.cap.6.exc.23.repl.3. item l.plerunque.10. §.fin. ff.de iure dotiũ. cuius uerba uide paulò ſuperius repl.1. dupl.3. Tertia exceptio eſt: Niſi res dotalis uoluntate mulieris ſit uendita. tunc.n. preciũ eius dotis iudicio præſtandum. quæ exceptio approbatur l.ſi ex.32. ff.de iure dotiũ, his uerbis*: Si ex lapidicinis dotalis fundi lapides uel arbores, quæ fructus nõ eſſent, ſiue ſuperficiẽ ędificij dotalis uolũtate mulieris uẽdiderit: numi ex ea uẽditione recepti ſunt dotis. *Hæc de decima regula.*

XI. Regula: *Quanta æſtimatio præſtanda? Regulariter tanta æſtimatio præſtanda eſt, quanta ab initio eſt conſtituta. quæ regula approbatur per ea quæ dicta ſunt §.reg.prox.exc.1. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi mulier dicat minoris æſtimationẽ factam. tunc.n. ad iuſtam æſtimationem præſtãdam maritus tenetur. quæ exceptio approbatur l.ſi res.12. §.ſi mulier. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si mulier ſe dicat circumuẽtam minoris æſtimaſſe, puta ſeruũ: ſiquidẽ in hoc circumuẽta eſt, quòd ſeruũ dedit, nõ tantùm in hoc quòd minoris æſtimauit: in hoc actura eſt, ut ſeruus ſibi reſtituatur. Enimuerò ſi in æſtimationis modo circumuenta eſt: erit arbitriũ mariti, utrum iuſtam æſtimationẽ, an potius ſeruum præſtet. Et hæc, ſi ſeruus uiuit. Quòd ſi deceſſerit: Marcellus ait, æſtimationẽ præſtãdam nõ iuſtam, ſed eam quæ facta eſt: quia boni conſulere mulier debet, quòd æſtimatus fuerit. Cæterùm ſi ſimpliciter dediſſet: proculdubio periculo eius moreretur, non mariti. Idemque & in minore circumuenta Marcellus probat. Planè ſi emptorẽ habuit mulier iuſti precij: tũc dicendũ, iuſtam æſtimationem præſtãdam: idq; duntaxat minori annis præſtandum, Marcellus ſcribit. Scæuola autẽ in marito notat, ſi dolus eius adfuit, iuſtam æſtimationem præſtandam. & puto uerius quod Scæuola ait. *Concordat l.ſi circumſcr.6. C.ſoluto matr.his uerbis*: Si circũſcripta matre ueſtra, uiliore precio dotales res æſtimatæ ſunt: quid ſuper huiuſmodi cõtractuum uitio ſtatutum ſit, uulgo patet. Proinde ſi dolo ſis artibus mariti circumuẽtam matrẽ ueſtram, inq; ea æſtimatione circũſcriptam, apud præſidem prouinciæ euidentibus probationibus oſtenderitis: quãdo uobis poſsidentibus ad obtinẽda prædia etiã doli mali exceptionis poteſtas opitulet: ſciet, quatenus religionem iudicationis ſuæ temperare debeat. Sin aũt etiam maritus in æſtimatione grauatũ ſe alleget: ueritate examinata, nõ amplius quàm precium iuſtũ reſtituere compelletur. Hæc tũ locum habẽt, cũ res in natura ſunt. Si tamẽ extinctæ ſint, precium quod dotali inſtrumento inditum eſt, cõſiderabitur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi maritus ſeruum reſtituere malit. quæ replicatio approbatur d. §. ſi mulier, his uerbis*: Enimuerò ſi in æſtimationis modo circumuenta eſt, &c. *Secunda replicatio eſt: Niſi res in dotem data perierit. quæ replicatio approbatur ibidem dictis uerbis hiſce*: Quòd ſi deceſſerit: Marcellus ait, æſtimationẽ præſtandã non iuſtã, ſed eam quæ facta eſt, &c. *Concordat d.l.6. in uerbis dictis hiſce*: Hæc tum locum habent, cũ res in natura ſunt. Si tamen extinctæ ſint, &c. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi mulier emptorem habuit. quæ duplicatio approbatur d. §. ſi mulier, dictis uerbis hiſce*: Planè ſi emptorẽ habuit mulier, &c. *Secũda duplicatio eſt: Niſi dolo mariti res minoris ſit æſtimata. quæ duplicatio approbatur ibidem, hiſce uerbis*: Scæuola aũt in marito notat, ſi dolus eius adfuit, &c. *Hæc de prima exceptione. Secunda exceptio eſt: Niſi maritus ſe in æſtimatione grauatum conqueratur. quæ exceptio approbatur d.l.6. uerbis ſuprà propoſitis hiſce*: Sin autẽ etiam maritus in æſtimatione grauatum ſe alleget: ueritate examinata, non amplius quàm precium

iustum restituere compelletur. *Tertia exceptio est: Nisi maritus donationis causa æstimationem auxerit, uel mulier deminuerit. Hæc exceptio approbatur l. quod autẽ. 7. §. si maritus. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ff. lib. 35. cap. 8. exc. 29. exemplo 5.* Quarta exceptio est: *Nisi maritus rem postea pluris uel minoris uendiderit. Hæc exceptio ipso quidem iure reprobatur: admittitur tamen primùm in casu, si ita conuenerit, ut quanti uenieret, tantum pro ea præstaretur. quæ distinctio approbatur l. si pater. 12. §. penult. & ult. cũ lege sequente. ff. de pactis dotalib. his uerbis*: Si fundo æstimato in dotẽ dato, pacta sit mulier, ut quãto pluris uenierit, in dotem sit: Mela ait, id seruandũ: cũ ex contrario conuenire possit, ut si minoris uenierit, ipsa debeat. Si pacta sit mulier, ut siue pluris, siue minoris fundus æstimatus uenierit, precium, quanti res uenierit, in dotem sit: stari ei pacto oportere. Sed si culpa mariti minoris uenierit, & idipsum mulierem conſequi. Item si non uenierit, æstimatio præstari debebit. *Secundò admittitur exceptio proposita, si cum cõuenisset, ut eodem, quo æstimata esset, precio, matrimonio soluto, res restitueretur: postea luntate mulieris rem pluris maritus uendiderit. quæ distinctio approbatur l. ult. in prin. ff. de pactis dotalib. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 1. repl. 1. dupl. 2.*

XII. Regula, De re ex dotali pecunia comparata. *Hæc in repetitione dotis uenit. quæ regula approbatur l. res. 54. ff. de iure dotiũ, his uerbis*: Res quæ ex dotali pecunia cõparatæ sunt, dotales esse uidẽtur. *Cõtradicit l. ex pec. 12. C. eod. tt. his uerbis*: Ex pecunia dotali fundus à marito tuo cõparatus non tibi quæritur: cum neq; maritus uxori actione empti possit adquirere, & dotis tantùm actio tibi competat. Vnde aditus præses prouinciæ, si nõ te transegisse repererit, sed ex maiore parte dotem consecutam: residuum restitui prouidebit.

XIII. Regula, De eo quod maritus de suo donationis causa doti adiecit, proponitur l. 2. C. de dote cauta. cuius uerba uide §. cap. 6. except. 22. repl. 11. *Concordat l. etiam. 8. in fin. C. de iure dotium. cuius uerba uide §. cap. 6. except. 8. uide item §. reg. 17.*

XIIII. Regula: *Si acceptilatione dos sit cõstituta, soluto matrimonio obligatio pristina est restituenda. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. licet. 43. §. secundum quæ. ff. de iure dotium, his uerbis*: Cõstituta dote per acceptilationem, & secutis nuptijs, is effectus erit dotis exactionis, ut si quidem pura sit obligatio, quæ acceptolata est, non ipsa iam restituenda sit, sed soluenda dos secũndum sua tempora. Sin uerò obligatio in diem fuerit, nec ante solutum matrimonium dies obligationis præterierit, restauranda erit in diem pristinum obligatio: & si debitum cum satisdatione fuerit, satisdatio renouanda est. Similiq; modo et si conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem conuersa est, & pendente obligatione diuortium fuerit secutum: uerius est, obligationem sub eadem conditione restitui debere. Sed si conditio extiterit constante matrimonio, ex die diuortij tempora exactionis numerentur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi obligatio pura fuerit. quæ exceptio iam dictis uerbis approbatur. Secunda exceptio est: Nisi conuenerit, ut alia res quàm debetur, pro ea in dotem sit. quæ exceptio approbatur l. si ei. 25. cum duabus legibus sequentibus. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. 16. Sanè si id quod filiusfamiliàs debet, doti detur, quid soluto matrimonio ueniat restituendum, definitur l. nuptura. 57. ff. de iure dotium, his uerbis*: Nuptura filiofamiliàs si socero dotem ita promiserit: Quod filius tuus mihi debet, id doti tibi erit: interesse puto, utrum filij obligatio, an patris persecutio, & in rem uersum promissione contineatur. Nam si id quod filium dare oportet, &c.

XV. Regula: *Si actio de peculio dotis constituendæ causa acceptolata est uel delegata, cuius temporis peculium in repetitione dotis sit spectandum, definitur l. si pater. 44. §. fin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 6. reg. 4. Concordat l. quod si. 45. ff. eod. tt. Item concordat l. nuptura. 57. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. prox.*

XVI. Regula, De dote permutata. *Permutatio quoque dotis permissa est, & ob id alia res repetitur quàm doti data est. quæ regula approbatur l. si ei. 25. cum duabus legibus sequentibus. ff. de iure dotium, his uerbis*: Si ei nuptura mulier, qui Stichũ debebat, ita cum eo pacta est: Pro Sticho, quẽ mihi debes, decem tibi doti erunt. secundũ id, quòd placuit rem pro re solui posse, & liberatio contingit, & decem in dotem erũt: quia & permutatio dotium cõuentione fieri potest. Ita aũt cõstante matrimonio permutari posse dotem dicimus, si hoc mulieri utile sit: ut pecunia in rem, aut ex re pecunia. idq; probatũ est. Quod si fuerit factũ, fundus uel res dotalis efficitur. *Concordat l. si mulier. 21. ff. de pactis dotalibus, his uerbis*: Si mulier dotis causa promiserit certã summam, & pro ea pecunia mancipia in dotem dederit, ea conditione, ut periculo eius essent, & si quid ex his natum esset, ad eam pertineret: stari pacto cõuento oportebit. nam cõstat, posse inter uxorem & uirũ cõuenire, ut dos, quæ in pecunia numerata est, permutetur, & transferatur in corpora, cũ mulieri prodest. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi permutatio mulieri non prosit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Cũ mulieri prodest. *Concordant ea quæ paulò superius dicta sunt, his uerbis*: Si hoc mulieri utile sit.

XVII. Regula, De eo quod plus stipulata est mulier, quàm in dotem dedit, proponitur l. si diuortio. 21. ff. de uerb.

ff. de uerb. oblig. cuius uerba uide §. lib. 38. cap. 4. exception. 25. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi per errorem maritus plus promiserit. quæ exceptio approbatur l. in his reb. 66. §. mulier. ff. soluto matr. his uerbis: Mulier quæ centum dotis apud uirum habebat, diuortio facto ducẽta à uiro erranti stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi: siue prudens mulier plus esset stipulata, siue imprudens. Labeonis sententiam probo.

XVIII. Regula, *De eo quod facere potest. Maritus dotis nomine nõ nisi in id quod facere potest, uxori tenetur. quæ regula approbatur l. unica. §. cum aũt. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis*: Sancimus, ut si matrimoniũ fuerit dissolutum, nullo pacto adhibito: in tantum quidẽ maritus cõdemnetur, in quãtum facere potest. quia hóc æquissimũ est, & reuerentiæ debitũ maritali, si nõ dolo malo uersatus est: cautione uide licet ab eo exponenda, quòd si ad meliorẽ fortunã peruenerit, etiã quod minus persoluit, hoc restituere procuret. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi maritus dolo fecerit, quo minus facere possit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si nõ dolo malo uersatus est. *Cõcordat l. etiam. 18. §. licet. ff soluto matr. his uerbis*: Licet in dotalib. rebus non solùm dolũ, sed & culpã maritus præstet: cũ tamen quæritur in iudicio de dore, an facere possit, dolus dũ taxat comprehẽditur: quia in rerũ ipsius administratione nõ erat culpa ab eo exigẽda. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi nõ propter uxorẽ, sed propter aliũ maritus dolo fecit, quo minus sit soluẽdo. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d. l. 18. §. quanquã, his uerbis*: Quanquã eum dũtaxat dolũ marito nocere putem (si facere nõ possit) quem propter uxorẽ adhibuit, ne ei solidũ solueret, non propter quẽlibet alium: Ofilius tñ aiebat, si dolo mariti res dotales interijssent, & alioquin soluẽdo nõ esset: quamuis nihil dolo fecisset, quo minus soluẽdo esset: perinde tñ eum damnandũ eius rei dotalis nomine, in qua dolũ fecisset, atq; si dolo eius factũ esset, quo minus facere possit. Cæterùm si circa interitũ rei dotalis dolus malus & culpa mariti absit: actiones solùm, quas eo nomine quasi maritus haberet, præstandas mulieri, ueluti furti uel damni iniuriæ. *Secunda exceptio est: Nisi dolo mariti res dotalis interierit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis. de qua uide plura §. cap. 6. exc. 23. repl. 3. Tertia exceptio est: Nisi tempore sententiæ ferẽdæ facere possit. tunc n. quamuis antea facere nõ potuerit, nihilominus in solidũ est condemnãdus. quæ exceptio approbatur l. rei. 15. in prin. ff. soluto matr. his uerbis*: Rei iudicatæ tempus spectatur, quatenus maritus facere potest. *Concordat l. si filiofam. 53. §. intelligitur. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 2. reg. 2.* Quarta exceptio est: *Nisi post rem iudicatã rursus facere posse cœperit. quæ exceptio approbatur l. unica. §. cum aũt in ex, in fine. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §. ead. reg. in prin. Cõcordat l. nec maritus. 8. C. soluto matr. his uerbis*: Nec maritus (licet post diuortiũ, in quã tum facere possit, condẽnandus est) postea idoneus factus, qui nõ reddiderat integrũ, residui solutionem probabiliter recusat. At cũ eius heredes in solidũ cõueniendos non ambigatur: ne cũ his soluendo factis experiri nõ possis, superstitiosam geris sollicitudinem. *Quinta exceptio est: Nisi in solidum sit cõdemnatus maritus. Hæc exceptio reprobatur l. ex diuerso. 17. §. fin. ff. soluto matr. his uerbis*: Si in iudicio dotis iudex ignorantia iuris lapsus, condemnauerit maritũ in solidũ: Neratius & Sabinus doli exceptione uti oportere aiũt, eaq; tutum fore. *Sexta exceptio est: Nisi inter maritũ & uxorẽ contrà conuenerit, ut in solidum conueniatur. Hæc exceptio reprobatur l. alia. 14. §. eleganter. ff. soluto matrim. his uerbis*: Eleganter quærit Pomponius lib. XV. ex Sabino, si pacisca tur maritus, ne in id quod facere possit cõdemnetur, sed in solidum, an hoc pactũ seruandũ sit. & negat seruari oportere: quod quidẽ & mihi uerum uidetur. Nanq; cõtra bonos mores id pactũ esse, melius est dicere: quippe cũ contra receptam reuerẽtiam, quæ maritis exhibẽda est, id esse appareat. *Septima exceptio est: Nisi uxore postea alij nubẽte, maritus ei dotem promiserit, & exinde à posteriore marito cõueniatur. Hæc exceptio reprobatur l. si prior. 32. ff. soluto matr. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 4. reg. 3. except. 1. repl. 1. Octaua exceptio est: Nisi bonis mulieris publicatis, fiscus dotem repetat. Hæc exceptio reprobatur l. si maritus. 36. ff. soluto matr. his uerbis*: Si maritus minus facere potest, & dos publicata sit: in id quod facere potest, & fisco maritus condemnandus est: ne in pernicie mariti mulier punita sit. *Nona exceptio est: Nisi alius quàm maritus dotis nomine conueniatur. Hæc exceptio approbatur primùm exemplo hæredis l. maritum. 12. cum lege sequente. ff. soluto matr. his uerbis*: Maritum in id quod facere potest, condemnari, explorati iuris est. sed hoc hæredi extraneo non est præstãdum: quia tale beneficium personale est, & cum persona extinguitur. *Concordat l. nec maritus. 8. C. soluto matr. cuius uerba uide §. except. 4. Secundum propositæ exceptionis exemplum est fideiussoris, quod proponitur l. except. 7. in prin. ff. de exceptionibus, his uerbis*: Exceptiones, quæ personæ cuiusq; cohærẽt, nõ transeũt ad alios: sic mariti fideiussor post solutum matrimonium datus, in solidum dotis nomine cõdemnatur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæres sit filius communis marito & uxori. quæ replicatio approbatur l. etiam. 18. in prin. ff. soluto matrimon. his uerbis*: Etiam filios mulieris, qui patri hæredes

extiterunt, in id quod facere possunt, condemnandos, Labeo ait. *Secunda replicatio est: Nisi pater mariti conueniatur. quæ replicatio approbatur l. socero. 15. §. fin. cũ lege sequẽte. ff. d. tt. his uerbis*: Socero quoque, cum quo nurus de dote agit, idem honor habetur, ut in id damnetur, quod facere potest: quia parentis locũ socer obtinet. *Concordat l. si filiosam. 53. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 2. reg. 2. Tertia replicatio est: Nisi defensor mariti conueniatur. quæ replicatio approbatur l. alia. 14. in prin. ff. d. tt. his uerbis*: Alia causa est defensoris, quem placet sufficienter uideri defendisse, si tantum uxori præstet, quantũ consequeretur, si ipsum maritum conuenisset. *Decima exceptio est: Nisi reus sit soluendo. tunc enim in solidum cõdemnandus. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerum eius prima replicatio hæc est: Nisi defensor mariti non soluendo existentis conueniatur. quæ replicatio approbatur iam d. l. 14. in prin. Secunda replicatio est: Nisi pater mariti non soluendo existentis conueniatur. quæ replicatio approbatur d. l. 53. ff. soluto matrim. cuius uerba uide §. cap. 5. quæst. 2. reg. 2. Tertia replicatio est: Nisi deducto ære alieno facere amplius non possit. Hæc replicatio reprobatur l. maritus. 54. ff. d. tt. his uerbis*: Maritus facere posse creditur, nullo deducto ære alieno: item socius, item patronus patronaúe. atis qui ex donatione cõuenietur, omni ære alieno deducto facere posse intelligitur. *Concordat d. l. 53. in fine. Vndecima exceptio est: Nisi maritus per actionẽ uel exceptionem aliquid adquirere, uel ex dote retinere possit, quo adquisito uel retento facere possit. quæ exceptio approbatur l. si maritus. 43. ff. soluto matrim. his uerbis*: Si maritus in id quod facere potest, condemnatus sit, & nomina sint ad dotis quantitatem, neq; amplius habebit: mandare actiones debet. *Concordat l. facere. 28. ff. eod. tt. his uerbis*: Facere posse maritus etiã id uidetur, quod à muliere cõsequi potest: sci licet si iam ei aliquid absit, quod pro muliere uel expendit, uel mandatu eius præstitit. Cæterùm si nondũ ei abest, ut puta si sub conditione obligatus est: nondũ uidetur facere posse. *Hæc de decimaoctaua regula.*

XIX. *Regula, De in litem iurando, proponitur l. si filiosam. 25. §. maritum. ff. soluto matr. his uerbis*: Si dolo malo maritus fecerit, quo minus restituere possit: damnandum eum, quãti mulier in litem iurauerit: quia inuitis nobis res nostras alius retinere non debeat.

XX. *Regula, De damno præstando, si res deterior sit facta. Regulariter quidem maritus damnum præstare non tenetur. quæ regula approbatur l. plane. 11. ff. de iure dotium. cuius uerba uide §. reg. 10. exc. 1. repl. 1. dupl. 4. Excipiuntur certi casus, de quibus uide §. cap. 6. except. 23. item §. cap. prox. in prin.*

XXI. *Regula, De seruitute prædio dotali debita amissa redintegranda, proponitur l. si maritus. 7. ff. de fundo dotali, his uerbis*: Si maritus fundum Titij seruiẽtem dotali prædio adquisierit, seruitus confunditur. Sed si eundem fundum Titio reddiderit sine restauratione seruitutis, hoc marito imputabitur, & hoc casu maritus litis æstimationem præstabit. Quòd si maritus soluendo non erit, utiles actiones aduersus Titium mulieri ad restaurandam seruitutem dantur. Sed cum uxor fundum, cui prædia uiri seruitutem debebant, in dotem dat: fundus ad maritũ peruenit, amissa seruitute: & ideo non potest uideri per maritum ius fundi deterius factum. Quid ergo? officio de dote iudicantis continebitur, ut redintegrata seruitute iubeat fundum mulieri uel hæredi eius reddi.

XXII. *Regula: Vsufructu in dotem dato, quid sit repetendum, uide suprà cap. 6. except. 14. cum sequentibus: item cap. 7. reg. 2. except. 3.*

XXIII. *Regula: in quantum pater mariti teneatur, uide §. cap. 5. quæst. 2. reg. 2.*

XXIIII. *Regula, De lucranda parte dotis. Si pactum factum sit de lucranda parte antenuptialis donationis: tantam etiam partem maritus lucrabitur ex dote, non maiorem, nec etiam minorem: & contrà. quæ regula approbatur l. ex morte. 9. C. de pactis super dote, his uerbis*: Ex morte cuiuscunque personæ, siue mariti, siue mulieris, eandem partem, non pecuniæ quantitatem, tam uirum ex dote, quàm mulierem ex ante nuptias donatione lucrari decernimus. ueluti si maritus mille solidorum ante nuptias donationem confecerit, licebit mulieri & minoris & amplioris quãtitatis offerre dotem, & marito similiter ante nuptias donationem. Hoc tamen obseruandum est, ut quantam partem mulier stipuletur sibi lucro cedere ex ante nuptias donatione, si priorem maritum mori contigerit: tantam & maritus ex dote partem, non pecuniæ quantitatem stipuletur sibi, si constante matrimonio prior mulier in fata collapsa fuerit. Et si pactum contra uetitum fuerit subsecutum, infirmum atq; inualidum hoc esse, ut nulla ex eo procedere possit exactio, præcipimus. Eadem custodiri censemus, siue pater pro filio, siue mater, siue ipse ducturus uxorem sui iuris cõstitutus, siue quilibet alius pro eo ante nuptias donationem nupturæ dederit, seu promiserit. Simili modo, siue pater pro filia, siue mater, siue ipsa pro se sui iuris uidelicet cõstituta, siue quilibet alius pro ea uxorem ducturo dotẽ dederit, seu promiserit: quoniam & alio pro ea offeréte dotem, ipsa eam pro se uidetur offerre. Quod adeò uerum est, ut ipsa ab alio pro se oblatam dotem in lucrum suum reposcat: nisi fortè is qui eam obtulit, statim, id est, tempore oblationis seu promissionis

sionis stipulatus uel pactus sit, ut sibi dos prædicta reddatur. *Concordat l. lege. 10. C. eod. tt. his uerbis*: Lege Leonis diuæ memoriæ pacta lucrorum dotis & ante nuptias donationis paria esse sanciente, nec adijciente quid fieri oporteat, si hoc minimè obseruatum sit: nos omnia clara esse cupiẽtes, præcipimus, disparibus eis factis, maiorem lucri partem ad minorem deduci, ut eo modo uterq; minorem partem lucretur. *Concordat item l. cum multa. 20. §. si igitur dote. ibi ita tamen ut Leonina. C. de donationibus ante nuptias. cuius uerba uide §. cap. 11. quæst. 1. Concordat item Nouell. c. 22. §. quod autem superest, his uerbis*: Siue mortẽ mariti, siue obitu uxoris matrimonium dirimatur, lucrifacit maritus quidem ex pacto conuento nuptialibus instrumentis comprehenso dotem, uxor uerò donationem ante nuptias, prout & in hac parte initiò cõtrahentibus uisum fuit, non quidem prohibendis quantitate inæqualibus dotibus, sed inæqualibus pactis. quod cum generalis. Leo rectè in suis descripsisset legibus, nos id per manus ueluti sumptum manifestius adhuc cõstituimus. Nam cum incertũ esset, si (quoad lucrũ) alter plus, alter minus pactus fuisset, utrum obtinere deberet, id ne quod plus, an quod minus esset, utrinq; controuersia similiter insurgente: nobis placuit, reprobato eo quod modum excederet, maiorem in pacto conuẽto lucri partem ad minorem deducere: ne illi quidem tertiam, alteri uerò quartam fortè lucri partem paciscí liceat: sed si quid tale eueniat, ut quarta ab utroq; percipiatur, & consimiliter in cæteris partibus, non tamen in cõstituta ab utroq; quãtitate. *Ait imp. Leo in d. l. 9.* Si maritus mille solidorũ ante nuptias donationẽ confecerit, licebit mulieri & minoris & amplioris quantitatis offerre dotẽ, & marito similiter ante nuptias donationem. *Huic concordat quod ait imp. Iustinianus d. §. quod autem superest, his uerbis*: Non quidem prohibendis quantitate inæqualibus dotibus, sed inæqualibus pactis. *Hæc mutantur ac tolluntur, quoad inæqualitatem dotis & antenuptialis donationis, Nouell. c. 97. in prin. usq; ad §. sed & aliud, his uerbis*: Subijt nuper animum nostrũ cogitatio, paulò accuratius inquirere & perdiscere, quid tandem antiqua lex in dotalib. instrumẽtis sibi uoluerit, quòd cum æqualẽ in nuptijs pactorum inter se modũ tam masculis quàm fœminis esse uelit, eamq; cõtrahentium inter se æqualitatẽ ueluti ad stateram expẽdat: neq; huic quidem dimidiæ fortè portionis stipulãdi potestatẽ facit, illi uerò tertiæ aut quartæ: sed de medio attractum libratumq; pactũ ex utraq; parte eiusdem ponderis esse expetat, nempe utrinq; uel dimidiã collocans, uel tertiam, uel quartam, uel quamcunq; tandẽ contrahẽtes uelint: non multò prius perquisierit, ut in his quæ ita dantur, æqualis modus sit: sed his quidẽ permittat uel mille, uel duo aureorũ millia, uel quantumcũq; uoluerint offerre: illis uerò nõ tantundem, sed aliquanto etiã minus, quasi æqualitas in solis uerbis nudisq; literis, nõ ex ipsis rebus spectanda sit. Ante omnia alia igitur hoc corrigimus, ut in dotibus & nuptialib. donationibus tam oblationũ quàm stipulationũ æqualia pacta sint, & tam magnam quantitatem maritus cõscribat, quantã & uxor: tantundem quoq; in stipulationẽ deducant lucri, exq; tam magna portione, quantã uoluerint, dũ mensuræ æqualitatẽ obseruent. alio enim pacto iusticiæ & æquabilitatis ratio conseruari nõ poterit: nili fortè (ut in promercijs solet fieri) mutuò se circumscribant: & cũ æquales stipulationes fecisse uideãtur, reipsa inæqualis permaneat effectus, nõ eadem & consimili prius quantitate in oblatis rebus constituta. Aut sanè lex undiq; ridicula fuerit, si cum ille duo aureorũ millia conscribat, mulier uerò sex millia fortè in dotẽ offerat, stipulenturq; quartã eius, quod instrumento comprehensum est, lucrifacere: deinde sub euentũ lucri hęc quidẽ nihil aliud lucretur, quàm quingentos aureos ex quarta, ille uerò ex eadẽ quarta mille quingentos, & ueluti in ænigmate una quarta multò altera maior appareat. nam ex puruléta illa æqualitate suapte natura fœda quædã & absurda inæqualitas perficietur. Quæ igitur ante hoc tempus dotalia instrumẽta cõposita sunt, eo pacto obtinento, quo cõuenta sunt & constituta. quod .n. factum est, infectum manere impossibile est. Decæterò auté in uniuersa Imperij nostri ditione sancimus, ut & oblationes æquales sint, & lucrorũ modus item æqualis pacto comprehẽdatur, ut per omnia iusticiã & æquitatem colamus. nam si quis altero ditior sit, licebit alia ei ratione legitima, & nostris legibus cognita, erga alterum se benignũ præbere: non aũt per inæqualitatem, quæ æqualitatem simulet, maius alteri lucrum asserere.

XXV. *Regula, De compensationibus & retentionibus. Maritus dotis actione conuentus compensare ac retinere ex dote potest id, quod sibi ab uxore debetur: & ob id non in solidum, sed in id quod debiti quantitatem excedit, dotis iudicio est condemnandus. quæ regula approbatur l. rei iudicatæ. 15. §. 1. ff. soluto matrimon. his uerbis*: Hæredi mariti, licet in solidum cõdemnetur, compensationes tamẽ, quæ ad pecuniariam causam respiciunt, proderunt, ut hoc minus sit obligatus: ueluti ob res donatas, & amotas, & impensas.

pensas. morum uerò coercitionem nõ habet. *Concordat l.si cõstante.24. §.si uxor. ff. eod.tt. his uerbis*: Si uxor uiri rem commodauerit, eaq; perierit: uidendũ est, an compensatione hoc nomine pati possit? & puto, siquidem prohibuit eam maritus cõmodare, statim deductionem fieri: si uerò nõ prohibuit eam commodare, arbitrio iudicis modicũ tempus ei indulgeri cautionem præbendi. *Concordat item l.si filiosam.25.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.5.quæſt.2.reg.2. Concordat item l.facere.28. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.reg.18.except.11. Cõcordat quoq; l.in insulam.42. §.fructus. ibi: sumptus uerò. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.reg.2.exc.10. Concordat item l.in his reb.66.§.seruis.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.4.quæſt.2.reg.2. Item concordat l.1. C. rerum amotarum, his uerbis*: Compensationis æquitatẽ iure postulas. non.n. prius exolui, quod debere te cõstiterit, æquum est, quàm petitioni mutuæ responsum fuerit: eo magis, quòd ea te persequi dicis, quæ diuortij causa amota quereris. Cum igitur apud cõpetentem iudicem ex stipulatu conueniaris, apud eundem doce tui iuris res ablatas esse. *Concordat deniq; l.Titia.48. ff.de solutionibus, his uerbis*: Titia, cum propter dotẽ bona mariti possideret, omnia pro domina egit, reditus exegit, & mouentia distraxit. quæro, an ea quæ ex re mariti perceperit, in dotem ei reputari debeant? Marcellus respondit, reputationem eius quod proponeretur, nõ iniquam uideri. Pro soluto .n. magis habẽdum esse, quod ex ea causa mulier percepe-rit. Sed si fortè usurarum quoq; rationem arbiter dotis recuperandæ habere debuerit: ita esse computãdum, prout quidq; ad mulierem peruenerit, non ut ex uniuersa summa decedat: sed prius in eam quantitatem, quam usurarum nomine mulierem cõ sequi oportebit. quod non est iniquum. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est, quòd debitum mulieris prius in usuras dotis, si debet eas maritus, sit computandum: deinde, si quid superest, in sortem. quæ exceptio cõstat ex uerbis iam propositis. Idem est in fructibus dotis, quos maritus debet. quod approbatur l.in insulam.42. §.fructus, in fine. cuius uerba uide ſ.reg.2.except.10. Secunda exceptio est: Nisi hæres mariti conuentus ob mores mulieris compensationem inducere uelit, quæ exceptio approbatur l.rei iudicatæ.15. §.1. ff.soluto matr. cuius uerba uide ſ. eod. reg.in prin. Tertia exceptio est: Nisi uxor res uiri illo non prohibente commodauerit. ob hanc enim causam retentio non habet locum. quæ exceptio approbatur l.si constante.24. §.si uxor. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius eod.reg.in prin. Quarta exceptio est: Nisi sub conditione mulieris nomine maritus se obligauit. ob hanc enim causam pendente conditione compensatio est inhibenda. quæ exceptio approbatur l. facere.28. ff. soluto matrim. cuius uerba uide ſ. reg.18.except.11. Quinta exceptio est: Nisi maritus debitum petens exceptione posset submoueri. tunc .n. nec compensatio locum habet. quæ exceptio approbatur exemplo d.l.42. §.usuras. ff.soluto matrim. cuius uerba uide ſ.reg.9.except.1. Aliud huius exceptionis exemplum proponitur l.Seia.66. §.fin. ff.de donat.inter uirum & uxorem. cuius uerba uide ĩ.lib.35.cap.8. except.1.repl.1. Aliud item exemplum proponitur l. mortis.53. §.res in dotem. ff.eod.tt.his uerbis*: Res in dotem æstimatas, cõsentiente uiro, mulier in usu habuit. usu deteriores res si fiãt, damni compensatio nõ admittitur. Easdem res non potest mulier sibi quasi donatas defendere ex illis uerbis, quibus donationes ei à uiro legatæ sunt: cum eiusmodi specie neque donari, neque auferri uideantur.

Mutatio iuris.

Hactenus iura antiqua, quibus regula proposita approbatur simul & distinguitur, exposita sunt. Hæc aũt iura antiqua iure nouo mutata sunt, & regula proposita reprobata, l.unica. §.taceat. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis: Taceat in actione ex stipulatu de dote retẽtionum uerbositas. quid enim opus est inducere ob mores retentionem, alio auxilio ex cõstitutionibus introducto? uel ex qua causa ob res donatas retẽtio introducatur: cum sit donatori facultas per actionem in rem directam, uel per utilem, uel per condictionem suo iuri mederi? Sed nec retentio ob res amotas necessaria est: cum pateat omnibus maritis rerum amotarum iudicium. Sileat ob liberos retentio: cum ipse naturalis stimulus parentes ad liberorũ suorum educationem horretur. Nec uarium genus culpæ mariti contra uxores excogitent, ut possint eadẽ retentione cõtra eas uti: cum iam & Imperialibus constitutionibus statutum sit, si culpa mulierum dissolutum matrimonium fuerit, quid fieri oporteat. Sed nec ob impensas in res dotis factas retentio satis esse nobis uidetur idonea: cùm enim necessariæ, &c. *Reliqua uerba uide ſ.cap.4.quæst.3.reg.3.*

XXVI. *Regula, De peculio serui dotalis. Hoc quoq; in dotis actione uenit. quæ regula approbatur l. ult. ff.soluto matrim. his uerbis*: In partem dotis reddendæ erit id, quod mulieri ex peculio serui restitui debebit. Et ideo & dolum & culpam in eo peculio uel adquirendo, uel conseruãdo maritus præstare debet: & fructus ex eo percepti, quomodo cuiuslibet rei dotalis, ad maritum pertinebunt.

XXVII. *Regula, De eo quod cuictionis actione maritus ab uxore cõsecutus est. Hoc quoq; in repetitione dotis uenit. quæ regula approbatur l.quoties.16. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ſ.cap.3.in prin. Concordat l. non solùm.52. ff.de iure dotium, his uerbis*: Non solùm si æstimatus fundus, sed etiam si non æstimatus in dotẽ datus est: & aliã-

cum

cum necesse nõ haberet mulier duplũ promittere, promisit: quia ipse fundus est in dote, quodcunq; propter eum consecutus fuerit à muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti.

XXVIII. *Regula: Si res communis in dotem data fit, eaq; postea marito uel socio in solidum adiudicata, quid in repetitione dotis ueniat, definitur l.cum in fundo.78. §.si fundus. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si fundus communis datus erit in dotem, & socius egerit cũ marito communi diuidendo, adiudicatusq; ue fundus socio fuerit: in dotẽ erit quantitas, qua socius marito damnatus fuerit. At si admissa licitatione extraneo addictus hic fundus fuerit, precij portio, quæ distracta est: sed ita, ut nõ uice corporis habeatur, nec diuortio secuto præsenti die, quod in numerato est, restituatur, sed statuto tempore solui debeat. Quòd si marito fundus adiudicatus fuerit, pars utique data in dotem dotalis manebit: diuortio autem facto, sequetur restitutionem, propter quam ad maritum peruenit, etiam altera portio: scilicet ut recipiat tantum precij nomine à muliere, quantũ dedit ex condemnatione socio. nec audiri debebit alteruter eam æquitatem recusans, aut mulier in suscipienda parte altera quoque, aut uir in restituenda. Sed an constante matrimonio non sola pars dotalis sit, quæ data fuit in dotem, sed etiam altera portio, uideamus? Iulianus tantùm de parte dotali loquitur. ego (Triphoninus) dixi in auditorio, illam solam dotalem esse.

XXIX. *Regula, De eo quod maritus ex dote expendit in res mulieris. Hoc doti decedit, nec in actione dotis uenit. quæ regula approbatur exemplo l. sed & si.21. ff.soluto matr. cuius uerba uide ſ.cap.4.quæst.1. except.6.repl.1. Aliud exemplum proponitur l.quæris.28. ibi: eoq; modo. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide ſ.hoc cap.reg.2.except.6.distinct.3.*

XXX. *Regula: Si cum maritus mulieri illud aut illud, utrum uellet, deberet, mulier id quod debet, ei in dotem dederit: in arbitrio mariti est, quid doti esse uelit. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. si marito.9. ff.de fundo dotali. cuius uerba uide ſ.cap.2. quæst.4.reg.5.*

XXXI. *Regula, De eo quod marito ex causa doteis non est numeratum. Hoc in dotis repetitione non uenit. quæ regula approbatur exemplo l. si marito.31. §.1. ff.soluto matr. his uerbis*: Si pater, cum ducenta filiæ suę nomine doti promisisset, pactus fuerit, ne amplius quàm centum à se peterentur, & soluto matrimonio egerit: centum de quibus conuenit ne peterentur, nec intelliguntur dotis esse. Quòd si mortuo patre cũ hęrede eius maritus agere cœperit, ista quoq; pecunia in dotẽ erit. *Plura de regula proposita uide ſ.cap.6.except.22.*

DE RELIQVIS ACTIONIBVS, quæ mulieri dotis nomine competunt: item de alienatione fundi dotalis à marito facta.
Cap. IX.

HActenus de repetitione dotis in quatuor capitibus est actum. Sunt autem præter illam & aliæ causæ actionesq;, quibus uxor dotis nomine aduersus maritum uel alios experiri potest: de quibus nunc nobis dicendum est.

I. CAVSAE HARVM actionum.

I. *Causa: Si maritus rem dotalem deteriorem fecerit. Hæc causa approbatur exemplo l. fructus.7. §.si fundum. ibi: si minus. ff.soluto matr. cuius uerba uide ſ.cap.prox.reg.2.except.9. Planè regulariter, si res dotalis deterior facta sit, maritus illud non præstat, nisi dolo uel culpa eius deterior sit facta, uel in aliis quibusdam casibus. de qua re uide ſ.cap.6.except.23.*

II. *Causa: Si maritus seruitutem prædio dotali debitam culpa sua amiserit. Hæc causa approbatur l. si maritus.7. ff.de fundo dotali. cuius uerba uide ſ.cap. prox.reg.21.*

III. *Causa: Si impẽsas necessarias in res dotales nõ impẽdit maritus. Hæc causa approbatur l.& in totũ. 4. ff.de impensis in rebus dotal. cuius uerba uide suprà cap.4.quæst.1.except.1. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi res dotalis, in quam non fecit expensas, postea sine culpa mariti perierit. quæ exceptio approbatur d.l.4. in fine. Secunda exceptio est: Nisi per mulierem stet, quo minus rem dotalem recipiat. quæ exceptio approbatur l. si mora.9. ff.soluto matrimon. cuius uerba uide ſ.cap.6.exc.23.repl.3.dupl.3.*

IIII. *Causa: Si maritus in seruos dotales sæuus fuit. Hæc causa approbatur l. si constante.24. §.si maritus. ff. soluto matrim. his uerbis*: Si maritus sęuus in seruos dotales fuit: uidendum, an de hoc possit conueniri? Et siquidem tantùm in seruos uxoris sæuus fuit: constat eum teneri hoc nomine. Si uerò & in suos, licet natura: adhuc dicendum est, immoderatam eius sæuitiã hoc iudicio coercendam. Quamuis .n. diligentiã uxor eam demum ab eo exigit, quam rebus suis exhibet, nec plus possit: attamẽ sęuitia, quæ in propriis culpanda est, in alienis coercenda est.

V. *Causa: Si maritus rem dotalem alienauit. De hac causa dicetur ĩ.eod.cap.*

VI. *Causa: Si maritus dolo uel culpa in re dotali fuerit uersatus. Hæc causa generalis est, præcedentes quoq; causas sub se comprehendens, approbaturq; l.in reb.17.in prin. ff.de iure dotiũ, his uerbis*: In rebus dotalibus uirum præstare oportet tam dolum, quàm culpã. quia sui causa dotẽ accepit. Sed etiam diligentiã præstabit, quam in suis reb. exhibet. Cõcordat l. si filiosam.25. §.mariti. ff.soluto matr. *cuius uerba uide ſ.cap.5.quæst.4. reg.2. Item concordat l.in his reb.66.in prin. ff.eod.tt.*

cuius

cuius uerba uide ſ.cap.6.except.25.repl.3. Item concordat l.ult. ff.eod.tit.cuius uerba uide ſ.cap.proximo, reg.26. Propoſitæ cauſæ ſeu regulæ, quoad culpam, exceptio prima hæc eſt: Niſi talis ſit culpa, qualem etiam in ſuis rebus maritus exhibet. *quæ exceptio conſtat ex uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Sed etiam diligetiam præſtabit, quam in ſuis rebus exhibet. *Huius replicatio hæc eſt: Niſi in ſeruos dotales maritus ſæuus fuerit. tunc enim, quamuis in ſuos quoque ſæuus ſoleat eſſe, ob id non excuſabitur. quæ replicatio approbatur l.ſi conſtante.24. §.ſi maritus. ff.ſoluto matr. cuius uerba uide paulò ſuperius cauſa 4.* Secunda exceptio eſt: Niſi non ipſe maritus, ſed ſeruus eius aut filius dotem ſtipulatus ſit, uel traditam acceperit. *quæ exceptio approbatur l. quemadmodum.46.in prin.ff.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.cap.2.quæſt.1.except.5. Cõcordat d.l.46. §.2. cuius uerba uide ſ.cap.5.quæſt.5.reg.7.* Tertia exceptio eſt: Niſi ita inter maritum & uxorem conuenerit, ne culpam in dote præſtet. *Hæc exceptio reprobatur l.Pomponius.6. ff.de pactis dotalibus. cuius uerba uide ſ.cap.6.except.22.repl.2.dupl.7.* Quarta exceptio eſt: Niſi poſtquã per mulierem ſtetit, quo minus dotem recipiat, culpa mariti quid in ea acciderit. *Hæc exceptio approbatur l.ſi mora.9. ff.ſoluto matr. cuius uerba uide ſ.cap.6.except.23.repl.3.dupl.3.* Quinta exceptio eſt: Niſi quæratur, an maritus facere poſſit? ibi enim, quamuis culpa ſua facere poſſe deſierit, tamẽ ob culpam hoc caſu non tenetur. *quæ exceptio approbatur l.etiam.18. §.1. ff.ſoluto matr. cuius uerba uide ſ.cap.prox.reg.18.exc.1.* Sexta exceptio eſt: Niſi non mariti, ſed patris eius culpa ſit factum. *Hæc exceptio reprobatur l.mulier.72. §. penult. ff. de iure dotium, his uerbis:* Paulus reſpõdit, in rebus dotalibus etiam parrem mariti dolum & culpam præſtare debere.

II. ADVERSVS QVOS ACTIONES propoſitæ dantur?

De patre mariti propoſitum eſt uerbis ſuprà proximè propoſitis. de quo cum alijs ſimilibus uide ſ.cap. 5.quæſt.2.

III. QVID VENIAT IN has actiones?

De eo quod mulieris intereſt, proponitur l. & in totum.4. in prin. ff. de impenſis dotalibus. cuius uerba uide ſ.cap.4.quæſt.1.except.2.

IIII. ADFINE REMEDIVM.

Si maritus, cuius culpa ſeruetus prædio dotali debita fuerit amiſſa, ſoluendo non ſit, etiam contra uicinum datur actio. quæ regula approbatur l.ſi maritus.7. §. quod ſi maritus. ff.de fundo dotali. cuius uerba uide ſ. cap.prox.reg.21.

V. DE ALIENATIONE FVNdi dotalis à marito facta.

Alienatio fundi dotalis à marito facta regulariter inutilis eſt, competitq; mulieri ad eum perſequendum rei uẽdicatio. quæ regula approbatur Inſt.quibus alienare non licet, in prin.his uerbis: Dotale prædiũ maritus inuita muliere per legem Iuliam prohibetur alienare, quamuis ipſius ſit dotis cauſa ei datum. quod nos, legem Iuliam corrigentes, in meliorem ſtatum deduximus. Cum enim lex in ſoli tantummodò rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant, & alienationes inhibebat, quæ inuita muli ere fiebant: hypothecas autem earum rerum, etiam uolente ea: utrique remedium impoſuimus, ut etiã in eas res, quæ in prouinciali ſolo poſitæ ſunt, interdicta ſit alienatio uel obligatio: ut neutrum eorũ, neq; conſentientib. mulieribus, procedat: ne ſexus muliebris fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum conuertatur. *Concordat l. cum uir.42. ff. de uſucapionibus. cuius uerba uide ĵ.exc.17. Ait Imp.* In meliorem ſtatũ deduximus. *ſcilicet l.unica. §. & cum lex. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ĵ. exceptione 9. Habet enim propoſita regula ſuas exceptiones hic ordine proponendas.*

I. Exceptio uidetur: *Niſi is qui dominium mariti poſtea nactus eſt, rem dotalem alienauerit. Hæc exceptio reprobatur l.2. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Si marixus fuerit in ſeruitutem redactus, an dominus alienare hunc fundum non poſſit? quod puto eſſe uerius. Quare etſi ad fiſcum peruenerit, nihilominus nẽditio fundi impeditur: quamuis fiſcus ſemper idoneus ſucceſſor ſit, & ſoluendo.

II. Exceptio: *Niſi non maritus, ſed ſponſus alienauerit. Hæc exceptio reprobatur l. lex Iulia.4. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Lex Iulia, quæ de dotali prædio proſpexit, ne id marito liceat obligare aut alienare, plenius interpretanda eſt, ut & de ſponſo idem iuris ſit, quod de marito. *Concordat l.non ſine 5. §. penult. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba uide ĵ.lib.prox.cap.2. quæſt.2.except.12.repl.3.*

III. Exceptio: *Niſi non ruſticum, ſed urbanum prædium dotale ſit, quod alienatur. Hæc exceptio reprobatur l.dotale.13. in prin. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Dotale prædiũ accipere debemus tam urbanum, quàm ruſticum. ad omne enim ædificium lex Iulia pertinebit.

IIII. Exceptio: *Niſi prædium alienatum non ſit principaliter doti datum, ſed per ſeruum dotalem adquiſitum. Hæc exceptio reprobatur l.fundus.3. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Fundus dotali ſeruo legatus ad legẽ Iuliã pertinet, quaſi doralis.

V. Exceptio: *Niſi non prædium dotale, ſed ſeruitutem prædio dotali debitam maritus alienauerit uel amiſerit. Hæc exceptio reprobatur l.Iulian.5. cum lege ſequente. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Iulianus lib. XVI. Digeſt. ſcribit, neq; ſeruitutes fundo debitas poſſe maritum amittere, neque alias ei imponere. Sed nec libertas ſeruitutis urbano prædio dotali debitæ competit, ne per hoc deterior cõditio prædij fiat. *Cõcordat l.ſi maritus.7. ff.eod.tit. cuius uerba uide ſuprà cap.prox.reg.21.*

VI. Exce-

VI. Exceptio: *Niſi non totum, ſed partem prædij maritus alienauerit. Hæc exceptio reprobatur l.dotale.13. §.1. ff.d.tit. his uerbis:* Prædij appellatione etiam pars continetur. Proinde ſiue totum prædium in dotem ſit datum, ſiue pars prædij: alienari non poterit. & hoc iure utimur.

VII. Exceptio: *Niſi cum illam aut illam rem maritus deberet, id quod deberet, ei in dotem datum ſit, alteramq; rem ex iis quæ debebat alienauerit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.ſi maritus.9. cum lege ſequente. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Si Cornelianum aut Sempronianum fundũ debenti, id quod debet, doti promiſſum ſit: utrum eorum dotalẽ eſſe maritus malit, is dotis erit. Planè utrum uelit alienatum, alterum alienare non poteſt. Si tamen alienatum rurſus redimat, adhuc in eius poteſtate erit, an eum quem retinuiſſet, alienare uelit. Erit ergo poteſtas legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Nunquid ergo illo nondum redempto, alterum quoque alienare poſſit, quia poteſt alterũ redimere: an hoc non debet recipi, ut nullus in dotem ſit? Certè ex pòſt facto uidebitur rectè alienatus, illo poſtea redempto.

VIII. Exceptio: *Niſi fundus eſtimatus in dotem datus alienatus ſit. Hæc exceptio approbatur l.intereſt.6. C. de uſufructu, his uerbis:* Intereſt, uſumfructum ſolum maritus tuus in dotem acceperit: an proprietas quidẽ doti data ſit, uerùm pactum interceſſit, ut moriente eo tibi eadem poſſeſsio redderetur. Nam uſufructuarius quidem proprietatem pignorare non potuit. Qui autem proprietatem æſtimatam in dotem accepit, non ideo minus obligare eam potuit, quoniam ſoluto matrimonio reſtituenda tibi æſtimatio eius fuit. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi ita in dote conſtituenda conuenerit, ut uel rem uel æſtimationem eius, utrum mulier uellet, maritus reſtitueret. quæ replicatio approbatur l.quòd ſi.11. ff. de fundo dot. his uerbis:* Quòd ſi fundus æſtimatus in dotem datus ſit, ut electio eſſet mulieris: Africanus negauit, alienari fundum poſſe. Quòd ſi ut arbitrio mariti ſit: contrà eſſe. *Concordat l.1. C. de fundo dotali, his uerbis:* Si æſtimata prædia in dotem data ſunt, & conuenit ut electio mulieri ſeruetur, nihilominus lex Iulia locum habet.

IX. Exceptio: *Niſi uxor alienationi conſenſit. Hæc exceptio reprobatur Inſt. quibus alienare licet, in prin. cuius uerba uide ſ.cod.reg. in prin. Concordat l.unica. §. & cum lex Iulia. C. de rei uxoriæ actione, his uerbis:* Cum lex Iulia fundi dotalis Italici alienationẽ prohibebat fieri à marito, non conſentiente muliere: hypothecam autem, nec ſi mulier conſentiebat: interrogati ſumus, ſi oporteat huiuſmodi ſanctionem non ſuper Italicis tantummodò fundis, ſed pro omnibus locum habere. Placet itaque nobis, eandem obſeruationem non tantùm in Italicis fundis, ſed etiam in prouincialibus extendi. Cum autem hypothecam ei etiam ex hac lege donauimus: ſufficiens habet remedium mulier, etſi maritus fundum alienare uoluerit. Sed ne & conſenſu mulieris hypothecæ eius minuãtur, neceſſariũ eſt & in hanc partem mulieribus ſubuenire: hoc tantummodò addito, ut fundum dotalẽ nõ ſolùm hypothecæ titulo dare, nec cõſentiente muliere, maritus non poſsit, ſed nec alienare: ne fragilitate naturæ ſuæ in repentinam deducatur inopiam. Licet enim Anaſtaſiana lex de conſentientibus mulieribus, uel ſuo iuri renunciantibus loquitur: tamen eam intelligi oportet in rebus mariti, uel dotis quidẽ æſtimatis, in quibus dominiũ & periculũ mariti eſt. in fundo autem non æſtimato, qui & dotalis propriè nuncupatur, maneat ius intactum, ex lege quidem Iulia imperfectum, ex noſtra aũt authoritate plenum, atq; in omnib. terris effuſum, nõ tantùm Italicis, & ſola hypotheca cõcluſum. *Ait Imp.* Licet. n. Anaſtaſiana lex. *Hæc lex habetur l.iubemus.22. C. ad S.C. Velleianum. cuius uerba uide ſuprà lib.eod. cap.5.reg.2.except.1. Planè admittitur exceptio propoſita, ſi mulier elapſo biẽnio in eodẽ conſenſu perſeuerauerit. quæ diſtinctio approbatur ſimul & diſtinguitur Nouell.c.61. §. neq; qui per fraudem. & §. & multò amplius. cuius uerba uide ĵ.cap.11.quæſt.4.reg.1.*

X. Exceptio: *Niſi ſocer alienationi conſenſerit. Hæc exceptio reprobatur l.etiam.12. ff. de fundo dotali, his uerbis:* Soceri uoluntas in diſtrahendo prædio dotali nulla eſt.

XI. Exceptio: *Niſi hypothecæ ſit obligata res, nõ uendita. Hæc exceptio reprobatur l.unica. §. & cum lex Iulia. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ſ. except.9.*

XII. Exceptio: *Niſi ſeruos dotales maritus manumiſit. Hæc exceptio approbatur l.etſi.3. C. de iure dotium, his uerbis:* Etſi dotis exactio, defuncta in matrimonio filia, potuiſſet ad patrem peruenire: dotalibus tamen ſeruis maritus teſtamẽto directam & fideicommiſſariam libertatem iure dedit, & præſtitam reuocare nõ debuit: cum & inter uiuos manumittendi mancipia dotalia, cõſtante matrimonio, liberá habeat maritus facultatem. *Cõcordat l.ſeruũ.21. ff. de manumiſſionib. his uerbis:* Seruũ dotalem uir qui ſoluendo eſt, cõſtante matrimonio manumittere poteſt. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi maritus ſoluendo non ſit. quæ replicatio approbatur d.l.21. bis uerbis:* Sin autem ſoluendo non eſt, licet alios creditores nõ habeat, libertas ſerui impeditur, ut conſtãte matrimonio deberi dos intelligatur.

Plura de hac replicatione uide ſ.lib.19.cap.5.except.6. Sed & plura de exceptione propoſita uide lib.19. capit.6.except.11.repl.18.

XIII. Exceptio: *Niſi per uniuerſitatem res dotalis ad alium tranſierit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. fin. ff.de fundo dotali, his uerbis*: Sed & per uniuerſitatem tranſit prædium (ſecundum quod poſsibile eſt) ad alterum, ueluti ad hæredem mariti, cũ ſuo tamen iure, ut alienari non poſsit.

XIIII. Exceptio: *Niſi neceſſaria, non uoluptaria ſit alienatio. Hæc exceptio approbatur exemplo d.l.1. in prin. his uerbis*: Interdum lex Iulia de fundo dotali ceſſat, ſi ob id quòd maritus damni infecti non cauebat, miſſus ſit uicinus in poſſeſsionem dotalis prædij, deinde iuſſus ſit poſsidere. hic enim dominus uicinus fit: quia hæc alienatio non eſt uoluntaria.

XV. Exceptio: *Niſi ſoluto matrimonio alienatio ſit facta. Hæc exceptio reprobatur l. etiam.12. ff.de fundo dotali, his uerbis*: Etiam diremptо matrimonio dotale prædium eſſe intelligitur.

XVI. Exceptio: *Niſi uxori de dote actio non competat, nec ſit competitura. Hæc exceptio approbatur l.fundus.3. ff.d.tt. his uerbis*: Toties non poteſt alienari fundus, quoties mulieri actio de dote competit, aut omnimodò competitura eſt.

XVII. Exceptio: *Niſi poſt alienationem factam dos mariti lucro ceſſerit. Hæc exceptio approbatur l. fundum.17. ff.de fundo dotali, his uerbis*: Fundum dotalem maritus uendidit & tradidit. ſi in matrimonio mulier deceſſerit, & dos lucro mariti ceſsit: fundus emptori auelli nõ poteſt. *Cõcordat l.cum uir.42. ff.de uſucapionibus, his uerbis*: Cum uir prædium dotale uendidit ſcienti uel ignoranti rem dotis eſſe, uenditio non ualet: quã defuncta poſtea mulere in matrimonio, confirmari conuenit, ſi tota dos lucro mariti ceſsit. Idem iuris eſt, cum is qui rem furtiuam uendidit, poſtea domino hæres extiterit.

XVIII. Exceptio: *Niſi dominium rei alienatæ non fuerit penes maritum. tunc enim alia ratione alienatio non ualet, & ob id lege Iulia non prohibetur. quæ exceptio approbatur l. dotale.13. §.dotale. ff. de fundo dotali, his uerbis*: Dotale prædium ſic accipimus, cum dominium marito quæſitum eſt, ut tunc demum alienatio prohibeatur.

XIX. Exceptio: *Niſi uxor mariti hæres exiſtat. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur d.l.13. §. fin. his uerbis*: Si uxore hærede inſtituta, fundus dotalis fuerit legatus: ſi quidem deductis legatis mulier quantitatem dotis in hæreditate habitura eſt, ualet legatum: ſi minus, an non ualeat, quæritur. Scæuola certè, ſi non totus, ſed aliqua pars ex eo uindicari poſsit (ſi modò aliqua pars ad dotẽ ſupplendam deſit) id duntaxat ex eo apud mulierem remanere ait, quod quantitati dotis deeſt.

XX. Exceptio: *Niſi uxor legatum in teſtamento mariti ſibi relictum agnouerit. Hæc exceptio approbatur l. cum pater.79. §.qui dotale. ff.de leg.2. his uerbis*: Qui dotale prædium contra legem Iuliam uendidit, uxori legatum dedit, & emptoris fidei commiſit, ut amplius ei precium reſtituat. emptorem fideicommiſſo non teneri, conſtabat. Si tamen accepto legato mulier uenditionem irritã facere uellet, eam oblato precio doli placuit exceptione ſubmoueri. *Hactenus, utrum alienatio rei dotalis ualeat nec ne, excuſſum eſt. Nunc ſciendum eſt, dote alienata non ſolùm mulieri, ſed eius quoq; hæredi dari actionem. quæ regula approbatur d.l.13. §. hæredi. ff.de fundo dotali, his uerbis*: Hæredi quoque mulieris idem auxilium præſtabitur, quod mulieri præſtaretur. *Poſtremò, quæ dote alienata competat actio, definitur l. in rebus.30. in prin. C.de iure dotium. cuius uerba uide ſuprà lib.8. cap.9.reg.4.in fine.*

DE RELIQVO IVRE dotis. Cap. X.

Hactenus de actionibus & exceptionibus, quæ tam marito quàm uxori dotis nomine inuicem competunt, actum eſt. nunc reliqua dotis iura ſunt exponenda.

I. Regula: *Dos in bonis & dominio mariti eſt. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur l.dotis.7. §. ſi res, cum lege ſequente. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si res in dotem dentur, puto in bonis mariti fieri, acceſsionemq; temporis marito ex perſona mulieris concedendam. Fiunt aũt res mariti, ſi conſtante matrimonio in dotem dentur. Quid ergo, ſi ante matrimonium? ſiquidem ſic dedit mulier, ut ſtatim eius fiant: efficiũtur eius. Enimuerò ſi hac cõditione dederit, ut tunc efficiantur, cum nupſerit: ſine dubio dicemus, tunc eius fieri, cum ſecutæ fuerint nuptiæ. Proinde ſi fortè nuptiæ non ſequantur, nuncio remiſſo: ſiquidem ſic dedit mulier, ut ſtatim uiri res fiant: condicere eas debebit, remiſſo nuncio. Enimuerò ſi ſic dederit, ut ſecutis nuptijs incipiant eſſe: nuncio remiſſo, ſtatim eas uindicabit. Sed ante nuncium remiſſum ſi uindicabit, exceptio poterit nocere uindicanti aut doli, aut in factum. doti enim deſtinata non debebunt uindicari. Sed niſi euidenter hoc actum fuerit: credẽdum eſt hoc agi, ut ſtatim res ſponſi fiant: & niſi nuptiæ ſecutæ fuerint, reddantur. *Concordat l.doce ancillam.9. C.de rei uendicat. cuius uerba uide ſuprà cap.5.quæſt.3.reg.1. Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi re in dotem data, nuptiæ non ſint ſecutæ. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Quid ergo, ſi ante matrimonium, &c. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi non euidenter id actum ſit, ut tunc demum res ſponſi fiant, ſi ſecutæ fuerint nuptiæ. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Sed niſi euidenter hoc actum fuerit, &c. *Plura de exceptione propoſita uide ſ.lib.prox.cap.1.quæſt.4.reg.7. Secunda exceptio eſt: Niſi cum quis pro muliere res in dotem dediſſet, ita ut ſecutis nuptijs dotis efficiãtur, is ante ſecutas nuptias deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi ego.9.§.ſi res. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si res alicui tradidero, ut nuptijs ſecutis dotis efficiantur, & ante nuptias deceſſero: an ſecutis nuptijs dotis eſſe incipiant? Et uereor, ne non poſsint in dominio eius effici, cui datæ ſunt: & quia poſt mortem incipiat dominiũ diſcedere ab eo qui dedit, & quia pẽdet donatio in diem nuptiarum, & cum conditio nuptiarum ſequitur, iam hæredis dominium eſt, à quo diſcedere non poſſe rerum dominium inuito eo, fatendum eſt. Sed benignius eſt, fauore dotium, neceſsitatem imponi hæredi conſentire ei quod defunctus fecit: aut ſi diſtulerit uel abſit, etiam nolente uel abſente eo dominium ad maritum ipſo iure tranſferri, ne mulier indotata ſit. *Tertia exceptio uidetur eſſe: Niſi mulier res dotales in uſu ſuo habeat. Hæc exceptio reprobatur l.cum poſt.69.§.penult.ff.de iure dotium, his uerbis*: In dotẽ rebus æſtimatis traditis, quamuis eas mulier in uſu habeat, uiri dominiũ factum uidetur. *Quarta exceptio eſt: Niſi quæratur de modo ſubſtantiæ mariti ad munera municipalia uocati. tunc enim dos in eius bonis non computatur. quæ exceptio approbatur l.Lucius.21. §.idem reſpondit, cõſtante. ff.ad municipalem. cuius uerba uide ſ.lib.13.cap.4.reg.70.except.5. Quintæ exceptionis loco notandum, quòd quamuis dominium dotis ſit penes maritum: tamen mulierem quoad quid etiam cenſeri dominam, ſcilicet quoad actionem de cuictione dotis. de quo l.quamuis.75. ff.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.reg.9. item quoad uindicationem dotis ſoluto matrimonio. de quo l.in reb.30.in prin.C.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.lib.8.cap.9.reg 4.in fine. Hæc de prima regula, eiusq; exceptionibus ſint dicta.*

II. Regula: *Re in dotem data, mulier eam uindicare amplius à marito non poteſt conſtante matrimonio. de quo dictum ſ.cap.5.quæſt.3.reg.1. Sed nec ante matrimonium poterit eam uindicare. de quo dictum ſ.lib. prox.cap.1.quæſt.4.reg.3.except.1.*

III. Regula: *Debitore dotis nomine delegato, deleganti aduerſus illum denegatur actio. quæ regula approbatur l.ſi debitor.80. ff.de iure dotium, his uerbis*: Si debitor mulieris dotem ſponſo promiſerit, poſſe mulierem ante nuptias à debitore eam pecuniam petere, neq; eo nomine poſtea uiro debitorẽ obligatum futurum, ait Labeo. quod falſum eſt: quia ea promiſsio in pendenti eſt, donec obligatio in ea cauſa eſt. *Concordat l.ſi debitor.83. ff.eod.tt.his uerbis*: Si debitor mulieris dotem ſponſo promiſerit, non poſſe mulierem ante nuptias à debitore pecuniam petere: quia ea promiſsio in pendenti eſſet, donec obligatio in ea cauſa eſt. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi nuptiæ non ſint ſecutæ. quæ exceptio approbatur l.non enim.17. ff. eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.6. except.22. replic.4. duplic.1.*

IIII. Regula: *Rem in dotem acceptã maritus alienare non poteſt. de qua re dictum ſ.cap.prox.quæſt.5.*

V. Regula: *Rem in dotem datam mulier, uel is qui dedit, alienare non poteſt. quæ regula approbatur l. res.17.C.de iure dotium, his uerbis*: Res quas uſufructu ſibi deducto ſocrus in dotem dedit, uenundando auferre tibi non poteſt. *Concordat l.rem.22.C.eod.tt.his uerbis*: Rem quam pater in dotem genero pro filia dedit, nec recepit, alienare non poteſt. *Concordat item l.ſi prædium.21.C.eod.tt.his uerbis*: Si prædium uxor tua dotale uenundedit, ſponte nec ne contractum habuerit, nihil intereſt: cum rei tibi quæſitæ dominium auferre nolenti minimè potuerit.

VI. Regula, *De cauendo dotis ſeruandæ cauſa. Mariti uxori dotis ſeruandæ cauſa ſatisdare non tenetur. quæ regula approbatur l.1. C.ne fideiuſſ.uel mandat. dotiũ dentur, his uerbis*: Siue ex itre, ſiue ex conſuetudine lex proficiſcitur, ut uiri uxori fideiuſſorem ſeruãdæ dotis exhibeat: tamen eam iubemus aboleri. *Concordat l.2.C.eod.tt. his uerbis*: Generali definitione conſtitutione priſtinam ampliantes, ſancimus nullam eſſe ſatisdationem uel mandatum pro dote exigendum, uel à marito, uel à patre eius, uel ab omnib. qui dotẽ ſuſcipiunt. Si enim credendam eſſe mulier ſeſe, ſuam quoq; dotẽ parti mariti exiſtimauit: quare fideiuſſor exigitur, uel alius interceſſor, ut cauſa perfidiæ in connubio eorum generetur. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi maritus ſponte fideiuſſorem dederit. hic enim tenetur. quæ exceptio uidetur approbari l.cum dotis.55. ff.de iure dotium. cuius uerba uide ſ.cap.2.quæſt.3.reg.1. Secunda exceptio eſt: Niſi ſoluto matrimonio fideiuſſor pro dote ſoluenda exigatur. quæ exceptio uidetur approbari l.ſi conſtante.24.§.quoties. ff.ſoluto matr.his uerbis*: Quoties mulieri ſatisdandũ eſt de ſolutione dotis poſt certum tempus, ſi maritus ſatisdare non poſsit: tunc deducto cõmodo temporis, condemnatio reſidui repreſentatur. Sed ſi, cum maritus ſatisdare poſſet, nollet: in ſolidum eum condemnandum, Mela ait, non habita ratione commodi temporis. Iudicis igitur officio conuenit, ut aut ſatisdatione interpoſita abſoluat maritum, aut habita ratione repræſentationis eum condemnet: quod quidem hodie magis uſurpatur. nec ferenda eſt mulier, ſi dicat, magis ſe uelle dilatione pati, quàm in repræſentatione deductionem. *Tertiæ exceptionis loco notandum,*

quòd mariti bona pro dote tacitè sint obligata. de qua re dictum ſ. lib. 8. cap. 9. reg. 4.

VII. Regula: Maritus prædio dotali ſeruitutes imponere non poteſt, nec debitas amittere. quæ regula approbatur l. Iulianus. 5. ff. de fundo dotali. cuius uerba uide ſ. cap. prox. quæſt. 5. except. 5.

VIII. Regula, De actionib. rei dotalis nomine excipiendis, alijsq; oneribus ſuſtinendis. Maritus actiones dotis nomine excipere non tenetur, nec creditoribus mulieris ſatisfacere. quæ regula approbatur l. mulier. 72. in prin. ff. de iure dotium, his uerbis: Mulier bona ſua omnia in dotem dedit. quæro, an maritus quaſi hæres oneribus reſpondere cogatur? Paulus reſpõdit, eum quidem qui tota ex repromiſſione dotis bona mulieris retinuit, à creditoribus eius conueniri non poſſe: ſed non plus eſſe in promiſsione bonorum, quàm quod ſupereſſet, deducto ære alieno. Concordat l. licet. 27. C. de iure dotium, his uerbis: Licet dos iure penes maritum remanſerit: pro rebus tamen hæreditarijs ſucceſſores, non maritus quondam, ſolennibus penſationibus parère debent. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi onus ſit reale, quod rei in dotem datæ cohæret, uel actio in rem dotalem. quæ exceptio approbatur l. ult. C. ſine certo uel reliquis. de qua re alibi eſt dictum.

IX. Regula, De actionibus dotis nomine inſtituendis. Hæ actiones uxori, non marito competunt. quæ regula approbatur exemplo l. quamuis. 75. ff. de iure dotium, his uerbis: Quamuis in bonis mariti dos ſit, mulieris tamen eſt. & meritò placuit, ut ſi in dotem fundum inæſtimatum dedit, cuius nomine duplæ ſtipulatione cautum habuit, isq; ſit marito euictus: ſtatim eam ex ſtipulatione agere poſſe pro eo, quod eius intereſt non eſſe euictum, quod in dotem fuit: quodq; ipſa euictione pati creditur ob id, quòd eum in dotem habere deſijt. Huic enim conſtãte matrimonio (quamuis apud maritum dominium ſit) emolumenti poteſtatem eſſe creditur: cuius etiam cauſa matrimonij onera maritus ſuſtinet. Approbatur alio exemplo l. 2. C. de fundo dotali, his uerbis: Mariti, qui fundum cõmunem cum alio in dotem æſtimatum acceperunt, ad communi diuidundo iudicium prouocare non poſſunt, licet ipſi poſsint prouocari. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi res dotalis marito ſit ſubrepta, uel uiolenter erepta. huius enim nomine marito competit actio. quæ exceptio approbatur l. de his. ii. C. de iure dotium, his uerbis: De his quæ in dotem data ac direpta commemoras, mariti tui eſſe actionem, nulla eſt dubitatio. Concordat l. interdum. 50. in fine. ff. de furtis.

X. Regula: Seruus dotalis hæres inſtitutus, utrũ mariti, an uxoris iuſſu hæreditatẽ adire uel repudiare debeat, definitur l. ſeruus. 58. ff. ſoluto matrim. cuius uerba uide ſ. lib. 30. cap. 2. reg. 1. exc. 6. repl. 1. dupl. 16. tripl. 2.

XI. Regula, De genere dotis. Dos donatio eſt. quæ regula approbatur l. cum multæ. 20. ſ. ideo enim. C. de donat. ante nuptiã. cuius uerba uide ſ. cap. prox. q. 1.

XII. Regula: Dotis cauſa ſemper & ubiq; præcipua eſt. quæ regula approbatur l. 1. ff. ſoluto matrim. his uerbis: Dotium cauſa ſemper & ubiq; præcipua eſt. nam & publicè intereſt, dotes mulieribus conſeruari: cum dotatas eſſe fœminas, ad ſobolem procreandam, replẽdamq; liberis ciuitatem, maximè ſit neceſſarium. Concordat l. 2. ff. de iure dotium, his uerbis: Reipublicæ intereſt, mulieres dotes ſaluas habere, propter quas nubere poſsint.

XIII. Regula: Dos matrimonij oneribus deſeruit. quæ regula approbatur l. dotem. 16. in prin. ibi: dos autem. ff. de caſtrenſi peculio. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 3. quæſt. 1. except. 3.

XIIII. Regula: De dote & antenuptiali donatione liberis prioris matrimonij ſeruanda, dictum ſ. lib. prox. cap. 5. quæſt. 3. item cap. 6.

XV. Regula, De dotando. Qui dotare teneantur. Parentes tenentur dotare liberos. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ proponuntur ſ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 5. reg. 12.

DE DONATIONE ANTE VEL propter nuptias. Cap. XI.

HActenus de dote dictũ eſt: cõſequens igitur eſt, ut de antenuptiali quoq; donatione dicamus.

I. DEFINITIO NOMINIS.

Non ante, ſed propter nuptias donatio eſt appellanda. quæ regula approbatur inſtit. de donat. ſ. eſt & aliud, his uerbis: Eſt & aliud genus inter uiuos donationis, quod ueteribus quidẽ prudentibus penitus erat incognitum, poſtea autẽ à iunioribus diuis principibus introductũ eſt, quod ante nuptias uocabatur: & tacitã in ſe cõditionem habebat, ut tunc ratum eſſet, cum matrimonium eſſet inſecutum. Ideoq; ante nuptias appellabatur, quòd ante matrimonium efficiebatur, & nunquam poſt nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidẽ diuus Iuſtinus pater noſter, cum augeri dotes & poſt nuptias fuerat permiſſum: ſi quid tale euenirẽt, & ante nuptias augeri donationem, & conſtante matrimonio, ſua conſtitutione permiſit. Sed tamen nomen inconueniens remanebat, cum ante nuptias quidẽ uocabatur, poſt nuptias autẽ tale accipiebat incrementum. Sed nos pleniſsimo fini tradere ſanctiones cupientes, & conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes, conſtituimus, ut tales donationes non augeantur tantùm, ſed etiã conſtante matrimonio initium accipiant: & non ante nuptias, ſed propter nuptias uocentur: & dotibus in hoc exæquentur, ut quemadmodum dotes conſtãte matrimonio non ſolùm augentur, ſed etiam fiunt:

fiunt: ita & iſtæ donationes, quæ propter nuptias introducte ſunt, non ſolùm antecedãt matrimonium, ſed eo etiam contracto augeantur & conſtituantur. Concordat l. cum multæ. 20. C. de donat. ante nuptias, his uerbis: Cum multæ nobis interpellationes factæ ſint aduerſus maritos, qui decipiendo ſuas uxores faciebant donationes, quas ante nuptias antiquitas nominauit, inſinuare autẽ eas actis interuenientibus ſuperſedebant, ut infectæ maneant, & ipſi quidem dotis cõmoda lucrentur, uxores autẽ ſine nuptiali remedio relinquãtur: ſancimus, nomine prius emendato, ita rẽ corrigi, & non ante nuptias donationem eam uocari, ſed propter nuptias donationem. Quare enim dotem quidem, etiã conſtante matrimonio, mulieri marito dare conceditur: donationẽ autem marito, niſi ante nuptias, facere nõ permittatur? & quæ huius rei differẽtia rationabilis poteſt inueniri: cum melius erat mulierib. propter fragilitatem ſexus, quàm marib. ſubueniri? Sicut enim dos propter nuptias fit, & ſine nuptijs quidem nulla dos intelligitur, ſine dote autẽ nuptiæ poſſunt celebrari: ita & in donationib. quas mariti faciunt, uel pro his alij, debet eſſe aperta licentia & conſtante matrimonio talem donationẽ facere: quia quaſi antipherna hæc poſſunt intelligi, & nõ ſimplex donatio. Ideo enim antiqui iuris cõditores inter donationes etiam dotes connumerãt. Si igitur & nomine & ſubſtantia nihil diſtat à dote antenuptialis donatio: quare non etiam ea ſimili modo & matrimonio contracto dabitur? Sancimus itaque, omnes licentiam habere, ſiue prius quàm matrimonia cõtraxerint, ſiue poſtea, donationes mulieribus dare propter dotis donationem: ut non ſimplices donationes intelligantur, ſed propter dotem & propter nuptias factæ. Simplices etenim donationes non propter nuptias fiunt, ſed propter nuptias uetitæ ſunt: & propter alias cauſas, & libidines forſitan, uel unius partis egeſtatem, non propter ipſarum nuptiarum affectionem efficiuntur. Si igitur dote iam præſtita, maritus nulla ante nuptias donatione facta, donare mulieri res maluerit, ita tamẽ, ut dotis quantitatem non excedant, & hoc ipſum ſignificauerit, quòd non ſimplicem faciat donationem, ſed propter dotem iam conſcriptã, & ipſe ad donationem uenerit: licebit hæc ei facere, & ſupponatur pactis dotalib. huiuſmodi donatio. & ſiquidẽ hoc ſpecialiter fuerit expreſſum, pacta conuenta ſeruari oportet. Sin autem donatio talis quidem facta ſit, utpote dotali inſtrumento antecedente, nulla pacta tali donationi poſt nuptias inſerantur: reipſa uideatur hoc eſſe pactum, ut ſecundum dotales conuentiones intelligantur & in tali donatione pacta fuiſſe conuẽta: ut æquis paſsibus utraq; ambulet, tam dos quàm donatio: ita tamẽ, ut Leonina cõſtitutio (quæ ſuper exæquatione pactionũ loquitur, non in quantitate, ſed in partibus) maneat in his caſibus intacta: & non ſolùm ea immutilata cuſtodiatur, ſed etiã noſtra, quam de interpretatione eius fecimus, ambiguitatem eius tollentes. Diſparibus etenim pactionibus factis, maiorẽ lucri partem ad minorem deducendam eſſe cẽſemus, ut eodem modo uteriq; minorem partem lucretur. Similiq; modo, ſi facta quidem fuerit talis donatio, quæ antea quidem ante nuptias uocabatur, nunc autem propter nuptias, non aũt fuerit actis interuenientibus inſinuata: licebit ei conſtante matrimonio eam inſinuare, nullo penitus obſtaculo ex interuentu nuptiarum faciendo. Si enim fieri eas poſt nuptias concedatur, multò magis inſinuare. Similiq; modo & ea conſtitutio, quam pro augendis tam dotibus, quàm ante nuptias donationib. fecimus, intacta illabataq; cõſeruetur. Omnibus uidelicet, quæ de ſimplicibus donationibus inter maritum & uxorem conſtante matrimonio, uel à ueteribus, uel à nobis ſtatuta ſunt, in ſuo robore duraturis.

II. GENVS.

Non eſt ſimplex donatio, ſed ſpecialis. quæ regula approbatur uerbis iam propoſitis hiſce: Quia quaſi antiphernæ hæc poſſunt intelligi, & non ſimplex donatio. item hiſce: Vt non ſimplices donationes intelligantur, ſed propter dotem & propter nuptias factæ. Concordat Nouell. c. 119. in prin. his uerbis: Vt propter nuptias donatio ſpecialis contractus lit iuxta & iudicetur, neq; aliis connumeretur donationibus, per præſentẽ legem ſancimus: quandoquidẽ pro hac tantundẽ offertur dotis.

III. SIMILE.

Antenuptialis donatio doti ſimilis eſt, paribusq; paſſibus ambulant tã dos quàm donatio propter nuptias, eademq; utriuſque pacta ſunt. quæ regula approbatur uerbis ſ. quæſt. 1. propoſitis hiſce: Si igitur & nomine & ſubſtantia nihil diſtat à dote ante nuptias donatio, &c. item hiſce: Si igitur dote iam præſtita, &c. Concordat item Nouell. c. 22. ſ. eaq; pœna, in fine, his uerbis: Donatio ante nuptias quodammodò ſub dote comprehenſa eſſe uidetur.

IIII. EVENTVS ET IVRA rei ante nuptias donatæ.

I. Regula, De re donata à marito non alienanda, proponitur l. ſi ante. 8. C. de donationib. ante nuptias, his uerbis: Si ante matrimonium maior quinque & uiginti annis cõſtitutus, ſponſæ ſuæ, licet ante ſpõſalia, fundum donauit, eamq;

in uacuam induxit poſſeſsioné: poſtea nullo titulo ſuperſtité uel teſtamento eundem relinquentem alienare potuiſſe, certi ac manifeſti iuris eſt. *Concordat* Nouell.c.61.*his uerbis:* Sancimus, ſi quis donationem ante nuptias aut propter nuptias (iſto enim modo magis eam appellari debere, lege de hoc lata promulgauimus) conſcripſerit, ſiue ipſe pro ſe hoc egerit, ſiue alio ſcribente, uel patre, uel matre, uel cognatis, uel fortè etiam extraneis. Si quis, inquam, huiuſmodi aliquid egerit, & donationem conſcripſerit, in qua res aliqua immobilis ſit: interdicimus ei, ne in donationem ante nuptias tranſſcriptam rem uel pignori opponat, uel omnino alienet. nam quod ſemel donationis ante nuptias uinculis illigatum eſt, inconueniens ſanè fuerit denuò alienare, ut mulierem aliquando, obueniente fortè lucro, quod illi donationem ante nuptias confert, malè habeat, ſi eam rem non in bonis mariti, ſed uel alijs (potentibus fortè perſonis) alienatam uel pignori oppoſitam inueniat, ut ijs de cauſis uindicatio illi uel penitus intercluſa, uel perdifficilis exiſtat, & iudicijs indigeat, ex quibus ſibi ipſi auxilium quærat. Vnde hoc ita cuſtoditor, & qui poſthac contraxerit, ſcito nullam ſe penitus ex ijs utilitatem habiturum, ſiue ex empto, ſiue ex pignore ius habeat: ſed perinde ſunto ea quę ob id ſcripta pactaúe ſunt, quaſi neq; ſcripta, neq; dicta eſſent, & mulieri lucrũ reſeruator. Neq; enim alienum à bonis moribus feciſſe nobis uidentur quidam noſtrorum iudicum, qui & ipſi mulieribus ſoluto matrimonio ad petendam donationem ante nuptias actionem dederunt. quod quidem rectè attentatum, poſtmodũ ab his qui poſt eos iudicandi munus ſubierunt, præ nimia quadam ſubtilitate conniuentibus acceptum eſt oculis. Neq; qui per fraudem & exquiſitis artibus pignori capiunt, uias aliquas inueniunto, dando operam, ut mulieres conſentiant, & ita ſuis excidát iuribus. Nam conſenſus in talibus ob hypothecam, uel ob emptionem, uel quamcunq; alienationem in literas relatus, nihil accipientem utiq; iuuerit, etſi maximè conſenſus interuenerit. ſed quemadmodum de interceſsionibus ſcripſimus, ut ad corroborandum id quod geſtum eſt, denuò neceſſe habeat, bienij tempore decurſo, alteram rurſus confeſsionem ſcribere, quæ priorem conſenſum confirmet: ita etiam hic fiat: & licet mulier ſub forma interceſsionum conſenſerit, undique indemnis eſto, niſi & alterum (ut diximus) conſenſum præbuerit. Multa enim primo ſtatim auditu peccari poſſunt, facilè muliere uel metu coniugis, uel deceptionibus inducenda, ſuaq; iura aſpernante: quæ ſi longiore tempore rationem pignoris conſideret, cautior futura ſit quàm dudum. Enimuerò non ſimpliciter hoc permittimus, ſed tunc demum ex ſecundo conſenſu mulieré damno ſubijcimus, cum aliæ præterea res ſunt, ex quibus pro eo quod donatione ante nuptias continetur, proq; immobilibus rebus alienationis aut hypothecæ nomine ab alio detentis, ipſi poſsit ſatisfieri. Alioqui ſi nihil præterea reliquum ſit, ne ſic quidem læſionem ſuſtinere mulierem concedimus: ſed licet bis aut etiam ſæpius conſentiat, nihilominus ea res in rationem muliebris interceſsionis defertor: & undiq; lucrum eſto huic in tuto poſitum, ſi nihil aliud ſupereſſe uideatur, quod ad quantitatem donationis ante nuptias ſufficiat. Atq; hæc dicimus non tantùm curam gerentes mulierum, ſed multò magis etiam uirorum, qui iſta faciunt: ſiquidem ex multis & fermè quamplurimis caſibus res donationis ante nuptias communibus ſeruantur liberis, & denuò per hanc obſeruationem in bonis uiri & eius ſucceſſionis permanent, ut per haſce rationes ex æquo lex tam uxori quàm marito commodet. Et multò amplius iſta obtineant in dote, ſi quid dotalium rerum uel alienauerit, uel pignori obligauerit. plus ſatis enim hęc iam elaborata ſunt & expreſſa legibus. Nõ tamen ipſos ea re contrahentes in uniuerſum aſpernamur. Tametſi enim ex his natam obligationem (quo ad mulierem) neq; pro dicta, neq; pro ſcripta eſſe uolumus: uolumus tamen, ut mariti nihilominus in alijs ſuis rebus occaſione alienationis aut hypothecæ teneãtur: mulieribus quidem ius, quod in rebus immobilibus donationis ante nuptias ipſis competit, abſq; ulla innouatione reſeruantes, illis uerò in alijs eorum rebus, prout plurimum ad illos iuris ex inſtrumentis contractus pertinet. Omnibus priuilegijs, quæ doti iam à nobis data ſunt, in ſua firmitate & robore manentibus, ſi tamen mulier actionem moueat. nullis enim alijs, præter mulierem, id genus priuilegij uel initiò dedimus, uel hoc tẽpore damus. Quæ igitur nobis placuerunt, &c. *Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi mulier alienationi conſenſerit, & per biennium in eodem conſenſu perſeuerauerit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Neq; qui per fraudem & exquiſitis artibus, &c. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi nullæ aliæ mariti res ſuperſint, ex quibus mulieri ſatisfieri poſsit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Enimuerò nõ ſimpliciter hoc permittimus, &c. *Alterius exceptionis loco notandum, quòd is qui rem antenuptialis donationis à marito*

rito comparauit, de euictione in alias mariti res agere poſsit. quæ exceptio approbatur uerbis ſupradictis hiſce: Non tamen ipſos ea re contrahentes in uniuerſum aſpernamur, &c.

II. *Regula: Mulier ob res ante uel propter nuptias ſibi donatas creditoribus mariti nõ tenetur. quæ regula approbatur l.de rebus.13. C. de donat. ante nuptias, his uerbis:* De rebus in ſponſam donationis gratia collatis creditores mariti facti, ſi non prius obligatas eas ſibi probent, eam conuenire minimè poſſunt.

De petitione & exceptione rei ante nuptias donatæ, quæ competit uxori.

III. *Regula: Ex donatione ante uel propter nuptias mulieri ad rem perſequendã competit actio: item ad eandẽ retinendam exceptio. quæ regula approbatur uerbis* ∽*.reg.1.propoſitis hiſce:* Neq; alienum à bonis moribus feciſſe nobis uidẽtur quidam noſtrorum iudicum, qui & ipſi mulieribus ſoluto matrimonio ad petendã donationem ante nuptias actionem dederũt. quod quidem rectè attentatũ, poſtmodum ab his qui poſt eos iudicandi munus ſubierunt, præ nimia quadam ſubtilitate conniuentibus acceptũ eſt oculis. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi minor uigintiquinq; annis propter nuptias donauerit. quæ exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi curatore conſentiente donauerit. quæ replicatio approbatur l.mulier.28.in fine. C.de iure dotiũ. cuius uerba uide* ∽*.cap.2.quæſt.1.exc.3. Secunda exceptio eſt: Niſi nuptiæ, ob quas donatum eſt, non ſint ſecutæ. quæ exceptio approbatur l.2. C.de donat.ante nuptias, his uerbis:* Si præſidi prouinciæ probaueris, ut Eutychiam uxorẽ duceres, munera te parentibus eius dediſſe: niſi Eutychia tibi nupſerit, tibi reſtitui quod dediſti iubebit. *Concordat l.ea quæ.5. C.eod.tt.his uerbis:* Ea quæ tibi ut ſpõſæ daturum ſe promiſit is, qui te ficto cœlibatu, cum aliam matremfamiliâs domi reliquiſſet, ſollicitauit ad nuptias, petere cum effectu nõ potes: cùm tu ſponſa, uxore domi poſita, non fuiſti. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi ſponſus id quod donauerat, per uim rurſus abſtulerit. quæ replicatio approbatur l.ſi filiæ.10. C.d.tt. his uerbis:* Si filiæ tuæ ſponſus ei mancipium donauit, ac tu in eum iumenta liberalitatis ratione contuliſti, nec nuptijs ſecutis, contra iuris rationem quod dederat abſtulit: non inuicem datorum reſtitutio, ſed eius quod illicitè rapuit, petitio competit. *Secunda replicatio eſt: Niſi ſponſus eiusúe parentes nuptias fieri nolint. quæ replicatio approbatur l.cum ueterum.15. C.d.tt. cuius uerba uide* ∽*.lib.proxim.cap.1.quæſt.4.reg.10. Tertia replicatio eſt: Niſi oſculum interuenerit. quæ replicatio approbatur pro parte l.ſi à ſponſo.16. C. d.tt. cuius uerba uide* ∽*.d.reg.10.except.2. Quarta replicatio eſt: Niſi ob mortem ſponſi nuptiæ non ſint ſecutæ. Hæc replicatio approbatur l.ſi tibi.11. C.d.tt. his uerbis:* Si tibi res proprias liberalitatis cauſa ſponſus tuus tradidit: eò quòd ab hoſtibus poſtea interfectus eſt, irrita donatio fieri non poteſt. *Hæc replicatio mutatur ac tollitur d.l.16. Quinta replicatio eſt: Niſi ſimplex donatio ſit, non propter nuptias facta. Hæc replicatio ipſo iure ſubſiſtit. de quo uide* ∽*.lib.35.cap.2.quæſt.1.exception.36.replicat.1. Tertia exceptio eſt: Niſi conſtante matrimonio facta ſit donatio. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ dicta ſunt d.cap.8. Sed & eius replicatio hæc eſt: Niſi in donatione ſit adiectum, quòd propter nuptias donetur. quæ replicatio approbatur l. cum multæ.20. §. ſi igitur dote. C. de donat. ante nupt. cuius uerba uide ſuprà quæſt.1. Concordat l.ſi conſtante.19. C.eod.tt. cuius uerba uide* ∽*.reg.proxim. Item concordat Inſt. de donat. §.eſt & aliud. cuius uerba uide ſuprà quæſt.1. in prin. Vide item plura de exceptione propoſita* ∽*.lib.35.cap.8.except.1. Quarta exceptio eſt: Niſi donatio actis inſinuata non ſit. Hæc exceptio approbatur iure generali: de quo d.lib.35.cap.2.except.30. ubi etiam eius replicationes ſunt propoſitæ. Sed & propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi minoribus ætate fœminis facta ſit ante nuptias donatio. quæ replicatio approbatur l.minoribus.17. C.de donat. ante nuptias, his uerbis:* Minoribus ætate fœminis, etiam actorum teſtificatione in ante nuptias donatione ad eas facta omiſſa, ſi patris auxilio deſtitutæ ſint, iuſtè conſulitur, ut firma donatio ſit. *Concordat l.ſancimus.34. §. inſuper. C. de donat. cuius uerba uide d. except.30.repl.2. Secunda replicatio eſt: Niſi poſtea uel conſtante matrimonio ſit inſinuata. Hæc replicatio approbatur l. cum multæ.20. §.ſimiliq; modo. C.de donat.ante nupt. cuius uerba uide* ∽*.quæſt.1. Hæc de iure antiquo. Iure enim nouo exceptio propoſita in antenuptiali quidem donatione tollitur ac reprobatur* Nouell.c.119. *§.1.his uerbis:* Siue apud actorum monumẽta propter nuptias donatio inſinuata fuerit, ſiue non: iubemus, ut per omnia propriam ipſa firmitatem obtineat, quantũ ad mulierem, ſiue ab ipſo marito, ſiue ab alio quopiam mulieri oblata ſit aut conſcripta, ſiue etiam in perſonam uiri ea cõditione inſtituatur donatio, ut eaſdem res in nuptialem donationem conſcribat. Atq; hæc obtinere iubemus, cuiuſcuq; quãtitatis donatio ſit, tametſi (ut dictũ eſt) nõ inſinuetur, quantũ ſcilicet ad mulierem. Verùm enimuerò quia ex ipſa rerũ experientia neceſſarium mulieribus eſſe deprehenditur, ut donationes ante nuptias apud acta publica inſinuentur, quo magis inſtrumentorũ exemplaribus fortè deperditis, per actorũ monumenta præ manu ipſis ſint cõtractarum nuptiarum probationes: ſancimus, ut ipſi mariti, aut qui donationes ante nuptias ſeu propter nuptias pro ipſis conſcribũt, ſi quin-

donatio propter nuptias ab alio quam a marito fieri potest N. 3 reg. 8.

gentorum aureorum quãtitatem excedat, necesse habeant eam insinuare apud actorum monumenta, in regia quidem urbe apud magistros census, in prouincijs uerò apud singularum ciuitatum defensores, aut deniq; apud quos talium institui monumẽtorum cõfectio potest. Si minus eas insinuauerint, quãtum quidem ad partem mulieris, iubemus & ita eas cõualescere: & si per occasionẽ donationis aut partis eius exactio obueniat, ne mulieri opponatur, quòd donatio insinuata nõ fuerit. Sin uerò dotalium instrumentorum pactiones, & horum euentus parti mariti præbeant dotis aut etiam partis eius exactionem: nisi donationem (ut dictũ est) apud actorum monumẽta insinuauerit, ne quam ipse actionem habeat iubemus. Nam cũ uiri insinuandarum donationũ potestatem habeant: absurdum nobis esse uidetur, non insinuatarũ donationum periculũ mulieribus incumbere. Cõcordat Nouell. c. 117. §. illud quoq; cuius uerba uide §. cap. 3. quæst. 1. except. 37. *Quinta exceptio est*: Nisi rescriptum principis donationem infirmauerit. Hæc exceptio reprobatur l. cùm te. 9. C. de donationibus ante nuptias, his uerbis: Cùm te sponsæ filij tui quædam donasse cõfitearis, perfectam donationẽ rescindi nec nostro oportet rescripto, quam tua uoluntas iurisq; authoritas fecit ratam. *Sexta exceptio est*: Nisi mulier dotem nullam dederit. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 2. §. illud quoq;, his uerbis: Si coniungantur aliqui alterutris cũ dotis & antenuptialis donationis documentis, deinde uir quidẽ antenuptialem præbeat donationem, mulier autem scribat dotem, aut ipsa prębente eam, aut date patre, aut quolibet extraneo: posteà appareat matrimonij tempore dos non data marito, sed sustineat onera matrimonij, & matrimoniũ morte uiri soluatur: non est iustum, omnino mulierem dotẽ nõ dãtem marito antenuptialem accipere donationem. Sin autem etiam non totam dedit dotem: & ipsa pro tanto exigat donationem, in quantum dederit dotem. æqualitatis enim & iusticiæ sumus amatores, quã cum in omnib. alijs, tum & in consortijs uo lumus obtinere. Quapropter quæ mulier nil omnino dat, nil omnino percipiat: quæ uerò minus quàm professa est dedit, tantũ recipiat solùm, quantum obtulerit. Concordat de uerbo ferè ad uerbum Nouell. c. 91. §. sed & illud. Planè propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi per maritum uel eius patrem, nõ per uxorem steterit, quo minus dotem dederit. Hæc replicatio approbatur d. c. 91. §. illud quoq;, his uerbis: Si uxor dotem debeat, & cũ eam dare uellet, uel ipsa fortè, uel qui hanc, &c. *Septima exceptio est*: Nisi uir in causa dotis à muliere deceptus sit. Hæc exceptio approbatur l. pollicit. 3. C. de donat. ante nuptias, his uerbis: Pollicitatione à fratre quondam tuo sponsalium causa facta, etiamsi in stipulationem deducta sit: ideo præstanda non fuit, quoniam in dote uxor maritum fefellit. Exceptionem itaque doli aduersus actionẽ ex stipulatu rectè obijcies. *Octaua exceptio est*: Nisi culpa mulieris matrimonium sit dissolutum. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt suprà lib. proxim. capit. 8. quæst. 2. reg. 3.

Quid ueniat in petitione antenupt. donationis?

IIII. Regula, De augmento & decremento antenuptialis donationis. Antenuptiali donatione facta, illud etiã quo donatio ista est aucta & deminuta, in propositam uenit actionem. quæ regula ipso quidem iure subsistit: uerùm eius exceptio hæc esse uidetur: Nisi cõstante matrimonio augmentum uel deminutio sit facta. Hæc exceptio reprobatur l. si const. 19. C. de donat. ante nuptias, his uerbis: Si cõstante matrimonio consilium augendæ dotis inierit, uel uxor fortè, uel eius nomine quilibet alius: nihilominus marito quoque liceat, seu pro marito cuilibet alij, tãto donationem ante nuptias additamẽto maiorem facere, quanto dotis augetur titulus: nec obsit in huiusmodi munificentijs interdictas esse liberalitates tempore nuptiarũ. Indulgendum est nanq; cõsensui communi partium: ne cum negetur augendæ potestas donationis, dotis etiam pignus constituatur augmentum. Idemq; licere præcipimus & in his matrimonijs, in quib. interdum accidit, ante nuptias quidem donationem nullam esse, solam uerò dotem marito mulierẽ obtulisse: ut etiam tunc muliere dotẽ augente, liceat marito quoq; donationẽ in uxorem suam eiusdem quantitatis facere, quantum aucta dos cõtinere dinoscitur. Pactis uidelicet de redhibitione uel retẽtione auctæ dotis uel donationis, prout partes consenserint, pro iam statuto modo ineũdis, siue iuiũgendis ueteribus pactis, quæ initio nuptiarũ de ante nuptias donatione & dote principaliter constituenda inita sunt. Iura etiã hypothecarum, quæ in augẽda dote uel donatione fuerint, ex eo tempore initium accipiant, ex quo eædem hypothecæ contractæ sunt, & non ad prioris dotis uel ante nuptias donationis tempora referantur. Sed et si ecõtrariò maritus & uxor ad deminuendã dotem & ante nuptias donationem consenserint: licere eis ad similitudinem deminutionis quæ in dote fit, etiam ante nuptias minuere donationem: ut pacta de amborum deminutionibus ineunda firma & legitima esse intelligãtur. Exceptis uidelicet his casibus, in quibus aut maritus ex priore matrimonio liberos habens, ad secundas migrauerit nuptias: aut uxor similiter, ex anteriore matrimonio liberis extantibus, secundo marito se iunxerit. In hoc enim secundo matrimonio uel à parte mariti, uel à parte mulieris, uel ab utraque (si hoc etiam acciderit) interdictam esse deminutionem dotis uel ante nuptias donationis, ne aliquid aduersus filios prioris matrimonij machinari uideatur, cẽsemus. Concordat l. cum multæ. 20. §. fin. C. eod. tit. cuius uerba uide §. quæst. 1. Item concordat Nouell. c. 22. §. quæ uerò dotium. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 5. quæst. 3. reg. 6. except. 4. Planè admittitur exceptio proposita primùm, si liberis ex priore matrimonio existentibus, in illorum præiudicium deminutio dotis uel anteнuptialis donationis fiat. quæ distinctio iam propositis uerbis, simul & d. §. quæ uerò dotium, approbatur. Secunda distinctio, qua exceptio proposita admittitur, hæc est: Si uir uel mulier, uniuersali fideicommisso grauatus uel grauata, in fraudem fideicommissarij augmentum faciat. quæ distinctio approbatur Nouell. c. 39. §. cæterùm in omnibus. cuius uerba uide §. lib. 33. cap. 4. de eo quod adrogatum peruenerit legato, reg. 12. *Tertia distinctio est*: Si non ex æquo tam dos quàm donatio propter nuptias augeatur. quæ distinctio approbatur Nouell. c. 97. §. sed & aliud, his uerbis: Sancimus, ut si quis augere dotem aut propter nuptias donationem uelit, non liceat alteri quidem id facere, alteri uerò manere in prioribus, sed augmentum æquè ex utraq; parte celebretur: neq; ea res (ut prius) posita sit in arbitrio, sed in necessitate: penitus tamen æquali quantitate: id quod etiam patris nostri constitutio dicit. Plura de hac distinctione uide §. reg. prox. except. 7. item cap. 8. reg. 24.

V. Regula: Non plus actione proposita peti potest, quàm dos est. quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt §. d. except. 7. item d. reg. 24.

Quando petitio antenuptialis donationis competat?

VI. Regula: Constante matrimonio, regulariter mulier rem propter nuptias donatam petere non potest, sed soluto demum matrimonio. quæ regula ipso quidem iure subsistit: uerùm eius exceptio hæc est: Nisi maritus ad mortem uergat. quæ exceptio approbatur l. ubi. 29. C. de iure dotium. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 9. reg. 4. except. 12. Concordat Nouell. c. 97. §. sed & illud. ibi: si uerò sub potestate. cuius uerba uide §. lib. 30. cap. 5. quæst. 4. reg. 4.

De repetitione rei ante uel propter nuptias donatæ, quæ marito competit.

VII. Regula: Si nuptiæ propter quas donatum est, non sint secutæ, repetitio eius quod donatum est, marito competit. de quo dictum §. reg. 3. except. 2. item §. lib. proxim. cap. 1. quæst. 4. reg. 10. Sed etsi secutæ sint nuptiæ, posteaq; matrimonium rursus sit solutum, mãdato eidem repetitio datur. quæ regula, cum per se subsistat, recipit exceptionem hanc: Nisi culpa mariti matrimonium sit dissolutum. quæ exceptio approbatur l. consensu. 8. §. si uerò causam. C. de repudijs. cuius uerba uide §. cap. 6. in fine, repl. generali 1. Concordat d. l. 8. §. uerùm etiam. cuius uerba uide d. cap. 6. except. 1. in prin. Item concordat d. l. 8. §. si uerò filio. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 6. quæst. 1. except. 1. repl. 4. Item concordat Nouell. c. 117. §. quia uerò quædã. uers. si autem & uir. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 8. quæst. 2. reg. 4. Planè propositæ exceptionis replicationes uide §. d. quæst. 2. reg. 3. Sed & plures propositæ regulæ exceptiones uide §. cap. 6. Quæ enim aduersus dotis repetitionem competunt exceptiones, eadem etiam aduersus repetitionem donatæ rei competere par est, secundum id quod dictum §. quæst. 3.

Quibus repetitio rei propter nuptias donatæ competat?

VIII. Regula, De marito & eo qui pro marito donauit. Regulariter marito, non ei qui pro eo donauit, repetitio competit. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. cum quidam. 31. §. similiq; modo. C. de iure dotium, his uerbis: Si quis extraneorum, id est, qui eum pro quo dat, non in potestate habeat, pro alio ante nuptias donationem nupturæ mulieri dederit, & necessaria monumẽta adhibuerit, cum excedat summam legitimam donatio, uel non minor materfamilias nuptura sit: non solùm ad eam, cui ante nuptias donatio datur, monumenta suam adhibeant firmitatem, sed etiam ad illum, pro quo dedit: ut si lucrum ei ex dotalibus pactis accesserit, non hoc cedat donatori, sed in suum lucrum hoc maritus cõuertat, firmumque & irreuocabile habeat: nisi donator hoc sibi reddi huiusmodi casu fuerit stipulatus, nec & in præfato casu simile anteriori uitium oriatur. Sin autem minor quantitas sit, uel ita res gesta, ut monumentorum ex omni parte nulla sit utilitas: & tunc donatio ad utranque personam ualeat, & maritus casum lucretur: nisi & hic donator eum stipulatus sit. *Propositæ regulæ exceptiones duæ ex uerbis iam propositis constant, hæ nimirum*: Nisi cum donatio summam legitimam excederet, actis insinuata non sit. item: Nisi donator sibi reddi sit stipulatus. Quarum prior iure nouo uidetur mutata, per ea quæ habentur §. lib. 35. cap. 2. quæst. 1. except. 30. repl. 5. Vide insuper §. cap. 7. reg. 2. ubi alia d. l. 31. uerba etiam habentur.

IX. Regula: Hæredi quoq; repetitio proposita competit. quæ regula approbatur l. si cum. 7. C. de donationib. ante nupt. his uerbis: Si cum ante nuptias munera darentur, ita conuentum est; atq; huiusmodi conscripta pactio est, ut si quæ sors extitisset contra uoluntatẽ eius, & matrimonium distraxisset, tunc quæ data erant, apud eũ qui dedisset, hæredem sue eius

remanerent: poteſt qui hæreditatem eius accepit, cui pacta puella munera lege prædicta ſuſceperat, eadem iure poſtulare.

Quid quantumq; ueniat in repetitionem propoſitam?

X. *Regula, De parte antenuptialis donationis à muliere lucranda. De hac re uide ſ. cap. 8. reg. 24.*

Hæc de antenuptiali donatione, ad quam etiam plura ex iure dotium produci poſſunt: ſiquidem (ut ſ. quæſt. 3. dictum eſt) eadem utriuſque eſt natura, paribusq; paßibus ambulant. Hactenus ergo de iure dotis & antenuptialis donationis, necnon de uniuerſo inter maritum & uxorem iure eſt expoſitum.

DIGESTORVM LIBER DECIMVSSEXTVS:

DE IVRE INTER PARENTES & liberos.

DE PATRIA POTESTATE. Cap. I.

I. QVO IVRE PATRIA poteſtas ſubſiſtat?

IVS *patriæ poteſtatis ciuium* Romanorum *proprium eſt, moribusq; introductum. quæ regula approbatur* Inſt. *de patria poteſtate. §. ius autem, his uerbis*: Ius poteſtatis quod in liberos habemus, proprium eſt ciuium Romanorum. nulli enim alij ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus. *Concordat l. item. 3. ff. de his qui ſui uel alieni iuris ſunt, his uerbis*: In poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex iuſtis nuptijs procreauimus. quod ius proprium ciuium Romanorum eſt. *Concordat item l. patre. 8. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis*: Ius poteſtatis moribus eſt receptum.

II. CAVSAE, *ex quibus patria poteſtas adquiritur & amittitur, proponentur ī. cap. 5. cum ſequentib.*

III. QVIBVS COMPETAT patria poteſtas?

I. *Regula, De fœminis. Fœminæ poteſtatem in liberos non habent. quæ regula approbatur Inſtit. de hæred. qualitate & differ. §. cæteri, his uerbis*: Fœminæ in poteſtate liberos non habent. *Concordat Inſtit. de adopt. §. fœminæ. cuius uerba uide ī. cap. 8. except. 5.*

II. *Regula, De patre qui eſt in poteſtate, & eo in cuius eſt poteſtate. Pater qui eſt in poteſtate alterius, liberos ſuos in poteſtate ſua non habet, ſed is in cuius eſt poteſtate pater. quæ regula approbatur Inſt. de patria poteſtate. §. qui igitur, his uerbis*: Qui ex te & uxore tua naſcitur, in tua poteſtate eſt. Item qui ex filio tuo & uxore eius naſcitur, id eſt, nepos tuus & neptis, ęquè in tua ſunt poteſtate, & pronepos & proneptis, & deinceps cæteri. *Concordat l. nam ciuium. 4. in fine. ff. de his qui ſui, his uerbis*: Qui ex me & uxore mea naſcuntur, in poteſtate mea ſunt: item qui ex filio meo & uxore eius, id eſt, nepos meus & neptis, æquè in mea ſunt poteſtate, & pronepos & proneptis, & deinceps cæteri. *Item concordat l. ſi maritus. 7. C. de patria poteſtate, his uerbis*: Si maritus tuus, licet militans, in patria poteſtate conſtitutus, filium legitimis ſuſcepit nuptijs: eum in poteſtate aui perſeueraſſe, non ambigitur. *Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſſe uidetur: Niſi filiusfamiliâs miles filium habeat. Hæc exceptio iam d. l. 7. reprobatur, hiſce uerbis*: Licet militans. *Secunda exceptio eſt: Niſi pater ſui iuris ſit. tunc enim in eius, non in aui poteſtate filij eius ſunt. quæ exceptio approbatur Inſtit. quibus modis ius patriæ poteſt. ſoluitur. §. penultim. his uerbis*: Illud ſcire oportet, quòd ſi nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium poſtea emancipaueris, uel in adoptionem dederis, prægnante nuru tua: nihilominus quod ex ea naſcitur, in poteſtate tua naſcitur. Quòd ſi poſt emancipationem uel adoptionem conceptus fuerit, patris ſui emancipati uel aui adoptiui poteſtati ſubijcitur. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi filius patre adhuc in poteſtate exiſtente ſit conceptus. quæ replicatio iam dictis uerbis approbatur. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi is in cuius poteſtate pater eſt, ſit mortuus. tunc enim ſui iuris factus, incipit filios ſuos, quamuis antea conceptos, in ſua poteſtate habere. quæ duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ habentur ī. cap. 9. quæſt. 4. reg. 1. except. 1. Tertia exceptio eſt: Niſi de honoribus patris quæratur. hoc enim caſu, quamuis ipſe in poteſtate ſit, tamen creditur liberos ſuos in poteſtate ſua habere. quæ exceptio approbatur l. 2. ff. de muneribus & honoribus, his uerbis*: Quod ad honores pertinet, creditur in poteſtate filium habere etiam is, qui in patris poteſtate eſt. *Concordat l. filiusfam. 9. ff. de his qui ſui, his uerbis*: Filiusfamiliâs in publicis cauſis loco patrisfamiliâs habetur: ueluti ſi uel magiſtratum gerat, uel tutor detur. *Concordat item l. 2. ff. de minoribus uiginti quinq; annis, his uerbis*: Quod legibus cauetur, ut ſinguli anni per ſingulos liberos remittantur, ad honores diuus Seuerus pertinere ait, non ad rem ſuam à curatoribus recipiendam.

Quarta

Quarta exceptio eſt: Niſi mater ſit in alterius poteſtate. hoc enim caſu liberi eius non in eius, in qua ipſa eſt, poteſtate ſunt, ſed in poteſtate patris ſui. quæ exceptio approbatur Inſtit. de patria poteſtate. §. fin. his uerbis: Qui autem ex filia tua naſcuntur, in poteſtate tua non ſunt, ſed in patris eorum. *Quinta exceptio eſt: Niſi pater alij in adoptionem ſit datus. tunc enim filij manent nihilominus in poteſtate eius qui patrem in adoptionem dedit, nec tranſeunt in poteſtatem eius, in cuius poteſtate pater eorum eſt. quæ exceptio approbatur Inſt. quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluitur. §. penult. cuius uerba uide ſ. except. 2. repl. 1. Concordat l. adrogato. 40. in prin. ibi: quod non ſimiliter. ff. de adoptionibus. cuius uerba uide ī. repl. prox. Eſt autem propoſitæ exceptionis replicatio prima talis: Niſi pater ſui iuris conſtitutus, ſeſe alij adrogandum dederit. tunc enim & filij eius in adrogatoris poteſtatem cum eo tranſeunt. quæ replicatio approbatur d. l. 40. in prim. his uerbis*: Adrogato patrefamiliâs, liberi qui in eius poteſtate erant, nepotes apud adrogatorem efficiuntur, ſimulq; cum patre in eius recidunt poteſtatem. Quod non ſimiliter contingit in adoptione: nam nepotes ex eo in aui naturalis retinentur poteſtate. *Concordat l. 2. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Hoc proprium eſt eius adoptionis quæ per principem fit, quòd is qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogãdum dederit, nõ ſolùm ipſe poteſtati adrogatoris ſubijcitur, ſed etiam liberi eius in eiuſdem fiunt poteſtate, tanquam nepotes. *Concordat item l. ſi paterfam. 15. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si paterfamiliâs adoptatus ſit, omnia quæ eius fuerunt & adquiri poſſunt, tacito iure ad eum tranſeunt qui adoptauit: hoc amplius, liberi eius, qui in poteſtate eius ſunt, eum ſequuntur. Sed & hi qui poſtliminio redeunt, uel qui in utero fuerũt cum adrogaretur, ſimili modo in poteſtatẽ adrogatoris rediguntur. *Concordat deniq; Inſt. de adoptionibus. §. penult. his uerbis*: Illud proprium eſt adoptionis illius, quæ per ſacrum oraculum fit, quòd is qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogandum dederit, non ſolùm ipſe poteſtati adrogatoris ſubijcitur, ſed etiam liberi eius in eiuſdem fiunt poteſtate, tanquam nepotes. Sic etenim diuus Auguſtus non antea Tiberium adoptauit, quàm is Germanicum adoptaſſet: ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi filij patris in adoptionem dati, poſt adoptionem ſint concepti. quæ replicatio approbatur Inſtit. quibus modis ius pat. poteſt. ſol. §. penult. cuius uerba uide ſ. except. 2. replic. 1. Concordat l. ex adopt. 27. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Ex adoptiuo natus adoptiui locum obtinet iure ciuili. *Ait Iuriſconſultus*, Natus: *adde* Et conceptus, *iuxta d. §. penult.*

III. *Regula, De libertis. His quoq; patria poteſtas competit. quæ regula approbatur l. libertos. 8. C. de patria poteſtate, his uerbis*: Libertos exemplo ingenuorum filios ſuos poſt libertatem ex legitimis nuptijs natos in poteſtate, &c.

IIII. *Regula, De furioſo. Hic quoq; filios habet in poteſtate. quæ regula approbatur l. patre. 8. ff. de his qui ſui. cuius uerba uide ī. cap. 9. quæſt. 4. reg. 4.*

IIII. IN QVOS PATRIA poteſtas competat?

I. *Regula, De liberis ex iuſtis nuptijs procreatis, proponitur Inſt. de patria poteſtate, in prin. his uerbis*: In poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex iuſtis nuptijs procreauimus. *Concordat l. item. 3. ff. de his qui ſui. cuius uerba uide ſ. quæſt. 1. Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi non ex iuſtis nuptijs liberi ſint procreati. quæ exceptio conſtat ex uerbis iam propoſitis. Cui concordat Inſtit. de nuptijs. §. ſi aduerſus ea. cuius uerba uide ſ. lib. 14. cap. 2. quæſt. 3. reg. 1. Sed & replicationem propoſitæ exceptionis uide d. reg. 1. Item alias propoſitæ regulæ exceptiones uide ī. ubi de cauſis & modis quibus patria poteſtas ſoluitur, agetur.*

II. *Regula, De liberis adoptiuis, proponitur Inſtit. de adoptionibus, in prin. his uerbis*: Non ſolùm naturales liberi, ſecundum ea quæ diximus, in poteſtate noſtra ſunt, uerùm etiam ij quos adoptamus. *Concordat l. 1. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Filiosfamiliarum non ſolùm natura, uerùm & adoptiones faciunt. *Huius regulæ exceptiones proponentur ī. cap. 8. quæſt. 2. item quæſt. 3. reg. 1.*

III. *Regula, De liberis eius qui in noſtra eſt poteſtate. Hi quoq; ſimul cum patre in noſtra ſunt poteſtate. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ dicta ſunt ſ. quæſt. prox. reg. 2.*

V. QVAE SINT PATRIAE poteſtatis, aliaq; inter parentes & liberos iura.

I. *Regula: Patria poteſtas inæſtimabilis eſt. Quæ regula approbatur l. filiusfamiliâs. 111. §. ſecundum uulgarem. ff. de leg. 1. his uerbis*: Secũdum uulgarem formam iuris, etſi liberos ſuos emancipare rogatus fuerit quis, non cogitur hoc facere: poteſtas enim patria inæſtimabilis eſt.

II. *Regula: Liberi parentibus reuerentiam & obſequium debent. quæ regula approbatur l. liberto. 9. ff. de obſequijs liber. his uerbis*: Liberto & filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris ac patroni uideri debet. *Concordat l. nullum. 10. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. 9. quæſt. 3. reg. 2. Concordat item l. 1. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis*: Si filius patrem aut matrẽ, quos uenerari oportet, contumelijs afficit, uel impias manus eis infert, præfectus urbi delictum ad publicam pietatem pertinẽs pro modo eius uindicat. *Item concordat l. ſi filius. 3. C. de patria poteſtate, his uerbis*: Si filius tuus in poteſtate tua eſt, res adquiſitas tibi alienare non potuit: quem, ſi pie-

si pietatem patri debitam non agnoſcit,caſtigare iure patriæ poteſtatis non prohiberis: acriore remedio uſurus, ſi in pari contumacia perſeuerauerit, eumq; præſidi prouincię oblaturus,dicturo ſententiam,quam tu quoq; dici nolueris. *Concordat l.congruentius.4.C.d.tt.his uerbis*: Congruentius quidem uidetur intra domum inter te ac filios tuos, ſi quæ cõtrouerſiæ oriuntur,terminari. Sed ſi ita res fuerit, ut pro iniurijs eorum ad ius experiundum,& ad uindictam proceſſeris: aditus præſes prouinciæ,ſuper diſceptationibus quidem pecuniarijs conſuetum exerceri iubebit ordinem iuris:reuerentiam autem debitam exhibere matri filios coget: & ſi prouectam ad inclementiores iniurias improbitatem deprehenderit,læſam pietatem ſeuerius uindicabit. *Propoſitæ regulæ exceptio uidebatur eſſe talis: Niſi filius miles ſit. Sed reprobatur l.i.in prin.ff.de obſequijs à liberis,his uerbis*: Etiam militibus pietatis ratio in parentes conſtare debet. Quare ſi filius miles in patrem aliqua commiſit,pro modo delicti puniendus eſt, & inter collibertos matrem & filium pietatis ratio ſecundum naturam ſalua eſſe debet. *Concordat d.l.i.§.fin.his uerbis*:Indignus militia iudicandus eſt, qui patrem & matrem,quibus ſe educatum dixerit,maleſicos appellauerit.

III. *Regula*: *De parentibus ſine permiſſu prætoris in ius non uocandis, dictum ē.lib.6. capite 1.quæſt.4. reg.5.*

IIII.*Regula:Actiones & exceptiones famoſæ,item aliæ quædam liberis aduerſus parẽtes dandæ non ſunt. quæ regula approbatur, ſimul & huiuſmodi actiones & exceptiones enumerantur l.parens.5. cum duab.legib.ſequentib.ff.de obſequijs liberorum,his uerbis*:Parens,patronus,patrona, liberiúe aut parentes patroni patronæúe, neq; ſi ob negociũ faciendum uel non faciendum pecuniam accepiſſe dicentur,in factum actione tenentur. Sed nec famoſæ actiones aduerſus eos dantur, nec hæ quidem quæ doli uel fraudis habent mentionem. Nec ſerui corrupti agetur,licet famoſæ non ſint.Et in quãtum facere poſſunt,damnantur. Nec exceptiones doli,uel uis metusúe cauſa,uel interdictum Vnde ui,uel Quod ui aut clam,patiuntur:nec deferentes iuſiurandum de calumnia iurant. necnon & ſi uentris nomine in poſſeſsionem calumniæ cauſa miſſa dicatur patrona,libertus hoc dicens non audietur: quia de calumnia patroni queri nõ debet. His enim perſonis etiã in cæteris partibus edicti honor habetur. Honor autem his perſonis habebitur ipſis, non etiam interuentorib.eorum: & ſi fortè ipſi pro alijs interueniant, honor habebitur. *Ait iuriſconſultus*:Vel interdictum Vnde ui. *Huic concordat l.2.in fine.ff.eod.tt.his uerbis*: Interdictum quoq; Vnde ui non aduerſus eos reddendum. *Alias leges concordantes uide in ſingulis iam enumeratis actionibus & exceptionib. ut de interdicto Vnde ui,ff. lib.43.cap.11.quæſt.4.except. generali 1.* Planè propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt:*Niſi non aduerſus ipſos parentes agatur, uel excipiatur, ſed aduerſus fideiuſſores,uel interuentores eorum. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Honor autem his perſonis habebitur ipſis,non etiam interuentoribus eorum. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt:Niſi aduerſus procuratorem parentis uel patroni agatur. Hæc replicatio approbatur d. l.2.his uerbis*: Honori parentum ac patronorum tribuendum eſt, ut quamuis per procuratorem iudicium accipiant,nec actio de dolo aut iniuriarum in eos detur. Licet enim uerbis edicti non habeantur infames ita condemnati: re tamen ipſa & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam. *Secunda exceptio uidetur eſſe*: Niſi parens non ſuo, ſed alieno nomine agat, uel conueniatur. *Sed reprobatur uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce*: Et ſi fortè ipſi pro alijs interueniant, honor habebitur.

V. *Regula*: *Actio filio aduerſus parentem, in cuius eſt poteſtate, non datur. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur ī.lib.36.cap.2.except.5.Sed & eius exceptio hæc eſt*: *Niſi filius ſit emancipatus. cuius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi actio ſit famoſa,uel alia ſimilis.de qua re dictum ē.reg.prox.*

VI. *Regula: Nec patri aduerſus filium datur actio. quæ regula itidem approbatur ſimul & diſtinguitur d.except.5. Sed & huius regulæ exceptio hæc eſt:Niſi filius ſit ſui iuris, uel non in poteſtate parentis eius qui actionem ſibi dari deſiderat. quæ exceptio approbatur l.congruentius.4.C.de patria poteſtate. cuius uerba uide ē.reg.2. Item alia exceptio eſt: Niſi filius ſit inobediens, quem pater cogere non poſſit. quæ exceptio approbatur l.ſi filius.3.C.d.tt. cuius uerba uide ē. d.reg.2. Concordat l.2.ff.ad l.Cornel.de ſicarijs.cuius uerba uide ē.lib.4.cap.5.quæſt.1.except.2.*

VII.*Regula:Pater filium caſtigandi ius habet. quæ regula approbatur d. l. 3. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi modum in caſtigando exceſſerit. quæ exceptio approbatur l.diuus.5.ff.ad l.Pompeiam de parricid. his uerbis*: Diuus Hadrianus fertur, cum in uenatione filium ſuum quidam necauerat, qui nouercam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe, quòd latronis magis quàm patris iure eum interfeciſſet. nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere. *Concordat l.unica. C.de emendat. propinq. cuius uerba uide ē.libro 4. cap.2. except.1.*

VIII.*Regula*: *Pater filium uendendi, uel alio modo alienandi ius non habet. quæ regula approbatur l. libertati.10.C.de patria poteſtate, his uerbis*: Libertati à maioribus tantum impenſum eſt, ut patri-

patribus,quibus ius uitæ in liberos,necisq; poteſtas olim erat permiſſa,eripere libertatem non liceret. *Concordat l.1. C.de liberali cauſa, his uerbis*: Rem quidem illicitam & inhoneſtam admiſiſſe te cõfiteris: quia proponis filios ingenuos à te uenundatos. Sed quia factum tuum filijs tuis obeſſe non debet,adi competẽtem iudicem,ſi uis ut cauſa agatur ſecundũ ordinem iuris. *Concordat item l.ſi filiũ.37.C.eod.tt. his uerbis*: Si filium tuũ liberũ genero uendidiſti, qui tam proxima neceſsitudine coniunctus,cõditionis ignorantiam ſimulare non poteſt, utriſq; ſocijs criminis accuſator deeſt. *Concordat item l.1.C. de patribus qui filios ſuos diſtraxerunt,his uerbis*: Liberos à parentibus neq; uenditionis, neq; donationis titulo, neq; pignoris iure, aut quolibet alio modo,nec ſub prętextu ignorantiæ accipientis in alium transferri poſſe, manifeſti iuris eſt. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi propter nimiam paupertatem uictus cauſa filium uendiderit. Hæc exceptio approbatur l.2. C.eod.tt. his uerbis*: Si quis propter nimiam paupertatem egeſtatemq; uictus cauſa filium filiaḿue ſanguinolentus uenditerit, uenditione in hoc tantummodò caſu ualente, emptor obtinendi eius ſeruitij habeat facultatem: liceat autem ipſi qui uendidit, uel qui alienatus eſt, aut cuilibet alij ad ingenuitatem eum propriam repetere: modò ſi aut precium offerat quod poteſt ualere, aut mancipium pro huiuſmodi præſtet

IX. *Regula*: *Pater ius abdicandi, uel negandi filium ſuum eſſe, non habet. quæ regula approbatur l. abdicatio.6. C.de patria poteſtate,his uerbis* : Abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos uſurpabatur, & ἀπονόμησις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. *Concordat l.nec filium.9. C.eod.tt. his uerbis*: Nec filium negare cuiquam eſſe liberum,ſenatuſconſulta de partu agnoſcendo,ac denunciata pœna, item præiudicium edicto perpetuo propoſitum,& remedium alimentorum apud præſidem maiori trimo petendi monſtratum iure, manifeſtè declarat.

X. *Regula*: *Parens tenetur alere & educare liberos. quæ regula approbatur l.ſi patrem.4. C.de alendis liberis, hiſce uerbis*: Si patrem tuum officio debito promerueris,paternã pietatem non denegabit tibi. Quod ſi ſponte non fecerit, aditus competens iudex alimenta pro modo facultatum præſtari tibi iubebit. Quòd ſi patrem ſe negabit, quæſtionem iſtam in primis idem iudex examinabit. *Concordat l. ſi comp.3. C.eod.tt. his uerbis* : Si competenti iudici eum,quem te ex Claudio enixam eſſe dicis,filium eius eſſe probaueris: alimẽta ei pro modo facultatum præberi iubebit. Idem, an apud eum educari debeat, æſtimabit. *Concordat item l. cum non.8. §.ipſum autem. C.de bonis quæ liberis, hiſce uerbis* : Ipſum filium uel filiam, filios uel filias, & deinceps alere patri neceſſe eſt, non propter hæreditatem, ſed propter ipſam naturam & leges, quæ à parentibus alendos eſſe liberos imperauerunt: & ab ipſis liberis parentes, ſi inopia ex alterutra parte uertitur. *Propoſitæ regulæ aliquot ſunt exceptiones, quarum prima hæc eſt: Niſi filius ſeipſum poſſit alere. quæ exceptio elicitur ex uerbis iam propoſitis hiſce* : Si inopia ex alterutra parte uertitur. *Concordat l.ſi quis.5. §.ſed etſi filius. ff.de agnoſcendis liberis,his uerbis*: Si filius poſsit ſe exhibere, æſtimare iudices debent, ne non debeat ei alimenta decernere. Idem diuus Pius ita reſcripſit ad Titianum: Competentes iudices alite à patre tuo iubebunt pro modo facultatum eius, ſi modò (cum opificem te eſſe dicas) in ea ualetudine es, ut operis ſufficere non poſsis. *Secunda exceptio eſt: Niſi facultates parentis non ſufficiant ad alendum filium. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Pro modo facultatum eius. *Concordat d.l.5. §.idem iudex, his uerbis*: Iudex æſtimare debet, num habeat aliquid parens, uel an pater meritò filios ſuos nolit alere. *Planè hoc caſu ab alijs parentibus locupletibus filius alendus. de quo §.exc.8. Tertia exceptio eſt*: Niſi *filius patrem detulerit. Hæc exceptio approbatur ibidem, his uerbis*: Trebatio Marino reſcriptum eſt, meritò patrem eum nolle alere, qui eũ detulerat. *Quarta exceptio eſt*: Niſi *filius negetur. Hæc exceptio approbatur d.l.5. §.ſi uel parens, his uerbis*: Si uel parens neget filiũ,id circoque alere ſe non debere contendat, uel filius neget parentem, ſummatim iudices oportet ſuper ea re cognoſcere: & ſi conſtiterit filium uel parentem eſſe, tunc aliĩ iubebunt. Cæterùm ſi non conſtiterit, nec decernent alimenta. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt*: Niſi *mulierẽ denunciante ſe prægnantem eſſe,uir id non negauerit. quæ replicatio approbatur l.1. §.idem Iulianus. ff.de agnoſc. liberis,hiſce uerbis*: Iulianus ſcribit,ſi uxore denũciante ſe prægnãtem, maritus non negauerit,non utiq; ſuum illico partum effici: coõgendum tamen alere. Cæterùm ſi eſſet,ſactis iniurioſum ait. *Secunda replicatio eſt*: Niſi *eũ mulier denunciaſſet,ſe ex aliquo prægnãtem,is omiſerit ea quæ ex ſenatuſconſulto (de liberis agnoſcendis) eum obſeruare oportuit. quæ replicatio approbatur d. l.1. §.ex his apparet, his uerbis*: Ex his apparet, ſi maritus neglexerit facere quæ ex ſenatuſconſulto deberet, natum cogetur omnimodò alere. Cæterùm recuſare poterit filium. *Tertia replicatio eſt*: Niſi *iudex pronunciauerit alendũ. quæ replicatio approbatur l.ſi quis.5.*

§.meminisse.ff.d.tt.his uerbis: Meminisse oportet, etsi pronunciauerint ali oportere, attamen eam rem præiudicium non facere ueritati. nec enim hoc pronũciatur, filium esse, sed ali debere. & ita diuus Marcus rescripsit. *Quinta exceptio est*: *Nisi matrimonium, ex quo filius filiáue nata est, fuerit iniustum. Hæc exceptio approbatur d.l.5. §.idem rescripsit, his uerbis*: Diuus Pius rescripsit, ut filiam suam pater exhibeat, si constiterit apud iudicem iustè eam procreatam. *Concordat l.si neget.7.ff.eod.tt. his uerbis*: Si neget qui maritus fuisse dicitur, matrimonium esse cõtractum, eo quòd eam, quæ se uxorem fuisse dicit, ancillam esse probare paratus sit: alimenta quidem liberis præstare interim compellendũ. Sin autem constiterit eam seruam fuisse, nihil ei qui pascendos curauit, ex hoc præiudicij generari, Modestinus respondit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi eo tempore, dum lis de matrimonio pendet. quæ replicatio approbatur uerbis tam propositis hisce*: Alimenta quidem liberis præstare interim compellendum. *Secundæ replicationis loco notandum, quòd mater etiã iniustos liberos alere compellatur. quæ replicatio approbatur l.si quis.5. §.idem in liberis. ff.de agnosc.liberis. cuius uerba uide ĩ.reg.13.exc.7. Tertiæ replicationis loco notãdum, quòd filij legitimi mortuo patre fratribus naturalibus alimẽta præstare teneantur. quæ replicatio approbatur Nouell.c.89.§.si uerò (oportet. cuius uerba uide ĩ.cap.4.quæst.4.reg.5. Sexta exceptio est*: *Nisi mater prægnans omiserit ea quæ eam ex senatusconsulto de agnoscendis liberis facere oportuit. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.idem per contrarium. ff.de agnosc.liberis, hisce uerbis*: Si mulier diuortio facto nõ fecerit ea quæ senatusconsulto præcipiuntur, ut liceat patri non agnoscere: non eò pertinere Iulianus ait; ut filius natus suũ se dicere non possit: sed ad id tantùm, ut ita pater alere eum cogatur, si constiterit eum filium esse. *Concordat d.l.1. §.ex his apparet, his uerbis*: Ex his apparet, si uxor omiserit quæ eam ex senatusconsulto obseruare oportuit, nihil præiudicabit filio, si filius est, non tantùm in iure sui, uerùm ne in alimentis quidem, secundum diui Pij rescriptum. *De senatusconsulto, cuius hîc fit mentio, uide ĩ.cap.7. Septima exceptio est*: *Nisi filius sit sui iuris. Hæc exceptio reprobatur d.l.5. in prin. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Si quis à liberis ali desideret, uel liberi ut à parente exhibeãtur: iudex de ea re cognoscet. Sed utrum eos tantùm liberos, qui sunt in potestate, cogatur quis exhibere, an uerò etiam emancipatos, uel ex alia causa sui iuris cõstitutos, uidendum est. & magis puto, etiamsi non sunt liberi in potestate, alendos à parentibus, & uice mutua alere parẽtes debere. *Octaua exceptio est*: *Nisi alius parens sit quàm pater, à quo alimenta petuntur. Hæc exceptio reprobatur d.l.5. §.utrum, in fine. cuius uerba uide ĩ. reg.13.exc.7. Concordat d.l.5. §.item diuus, his uerbis*: Diuus Pius significat, quasi auus quoque maternus alere compellatur. *Concordat item d.l.5. §.si mater, his uerbis*: Si mater alimẽta quæ fecit in filium, à patre repetat, cum modo eam audiẽdam, diuus Marcus rescripsit Antoniæ Montanæ, in hæc uerba: Sed & quãtum tibi alimentorum nomine, quibus necessariò filiam tuam exhibuisti, à patre eius præstari oporteat, iudices æstimabunt. Nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura esses, etiamsi à patre suo educeretur. *Planè admittitur exceptio proposita in auo materno, patre superstite & non egente. quæ distinctio approbatur l.nõ quemad.8. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Nõ quemadmodum masculorum liberorum nostrorũ liberi ad onus nostrũ pertinent, ita & in fœminis est. nam manifestũ est, id quod filia parit, nõ auo, sed patri suo esse oneri: nisi pater aut non sit superstes, aut egens sit. *Porrò diuortio facto, utrum apud patrem, an matrem, filij sint alendi & educandi, permittitur arbitrio iudicis. l.unica.C.diuortio facto apud quem, his uerbis*: Licet neq; nostra, neq; diuorum parentum nostrorum ulla constitutione caueatur, ut per sexum liberorum inter parentes diuisio celebretur: competens tamen iudex æstimabit, utrum apud patrem, an apud matrem, matrimonio separato, filij morari ac nutriri debeãt. *Planè corrigitur hoc quodammodo Nouell.c.117. §.sed & illud, cum sequẽtibus, his uerbis*: Illud ad certam redigere formam nobis uisum est, ut si quando matrimonium inter uirum & uxorem solui contingat, nullo modo filij ex eo matrimonio nati per matrimonij separationem obligãtur: quin ad parentum hæreditatem uocãtor, haud dubiè ex substantia patris alendi. Et quidem si pater occasionem præbuit diuortio, & mater ad secundas non peruenit nuptias: apud matrem alantur, patre suppeditante sumptus. Si uerò culpa matris comprobetur solutum matrimonium, tunc apud patrem filij & habitanto & aluntor. Si patrem laborare inopia, matrem opibus affluere contigerit: ut apud ipsam egentes liberi maneant, simul & ab ea alantur, iubemus. Quemadmodum enim filij locupletes egentem matrem coguntur alere: ita æquum iudicamus, ut & à matre locuplete exhibeantur filij. Quod autem de filijs & matre, cum egent, alẽdis definiuimus, hoc sanè & in omnib. tam ascendentibus quàm descendẽtibus personis utriusq; sexus iubemus. *Postremò si parens alere filium nolit, remedium monstratur l.si quis.5. §.si quis. ff.de agnosc. liberis, hisce*

hisce uerbis: Si quis ex his alere detrectet, pro modo facultatum alimenta constituentur. Quòd si non præsentur, pignorib. captis & distractis cogetur sententiæ satisfacere.

XI. *Regula*: *Alia quoq; onera filiorum, præter alimenta, parens cogitur sustinere. quæ regula approbatur d.l.5. §.non tantùm, his uerbis*: Non tantùm alimenta, uerùm etiã cætera quoq; onera liberorũ patrẽ à iudice cogi præbere, rescriptis continetur. *Huius regulæ species est ĩ.reg.prox.*

XII. *Regula*: *Parens filiam dotare tenetur, & filio ante nuptias præbere donationem. quæ regula approbatur l.si pater.7. §.utramq; igitur. ibi: neq; enim leges. C.de dotis promissione. cuius uerba uide ĩ.lib.proxim. cap.2.quæst.4.reg.6. Concordat item l.qui liberos.19. ff.de ritu nuptiar. cuius uerba uide ĩ.lib.14.cap.4.except.1.repl.6. Huius regulæ exceptio prima hæc esse uidetur*: *Nisi parens sit furiosus. Verùm hæc exceptio reprobatur, ita ut à curatore patris dos constituatur, l.si furiosi.25. §.his itaq; C.de nuptijs. cuius uerba uide ĩ.lib.14.cap.4.except.1.replic.2. Secunda exceptio est*: *Nisi mater, non pater sit. hæc enim ad dotandam filiam non tenetur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.mater.14. C.de iure dotium, his uerbis*: Mater pro filia dotem dare non cogitur, nisi ex magna & probabili, uel lege specialiter expressa causa. Pater etiam de bonis uxoris suæ inuitæ nullam dandi habet facultatem. *Tertia exceptio est*: *Nisi parens semel dotem dederit. quæ exceptio ipso iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est*: *Nisi filia nuptias iterauerit, paterq; ex priore matrimonio dotem receperit. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur Nouell. c. 97. §.præterea quia, usq; ad §.sed & illud, his uerbis*: Quia legem iam descripsimus, ut pater, qui semel dotem dedit pro filia, uel sub eius potestate constituta, uel sui iuris facta, ita ut denuò dos sibi restitueretur, tacitam ex stipulatu actionem haberet: quæritur ab aliquibus, an conueniens sit, ut pater qui semel dotem dedit, possit genero mortuo, & data à se dote ad ipsum redeunte, filia ad secundas perueniente nuptias, hanc minuere: an uerò facere nequeat, cogitatione huius, quòd semel à sua abalienata sit substantia, sed in eadem mensura illi nubenti dare debeat, ac si neq; uidua facta esset? Siquidem nobis per suggestionem modò nunciatum est, quòd cum pater quispiam triginta auri libras filiæ in dotem dedisset, mox filia ad uiduitatem deducta, & secũdis iuncta nuptijs, non iam triginta hasce libras doti obtulerit, sed tãtùm quindecim, eò quòd mulier partem donationis ante nuptias in quindecim auri libris consistentem lucrata erat: & pater non amplius de suo triginta libras obtulerit, sed de suo quidem tantùm quindecim, ex lucro uerò mulieris alteras quindecim. Non iustum igitur hoc esse putauimus: sed filia in diuisione hæreditatis similiter tam lucrũ donationis ante nuptias præcipuũ habeto, quàm ex bonis paternis reliquas quindecim percipito; quasi pater studuerit eam iniuria afficere. Quid enim fecisset, si non cõtigisset secundis eã nuptijs iungi, sed generum eius manere superstitẽ? aut quomodo dotẽ à se iam datam minuisset, aut in lucrũ suum conuertisset, aut in dotem secũdi mariti perduxisset? Atqui oportet hæc ipsam in paraphernis habere, & per hanc causam opulẽtiori fortè se marito coniungere, non solùm triginta librarũ auri dominam existentem, scilicet quindecim donationis ante nuptias, & quindecim à patre oblatarũ, sed quadraginta quinq;, tã lucro quod illi fortuna dedit, consistente in paraphernis, quàm etiam eo quod ex paterna liberalitate oblatum est, illibato permanẽte. Hæc aũt sancimus, siquidem patris substantia in eadẽ forma permaneat, in qua prius fuit. Nã si fortuitus aliquis casus labefactarit illi patrimonium, ut neq; si uelit, potis sit eãdem mẽsura qua prius denuò dotem dare, & manifestè paternæ per fortuitũ casum substantiæ ostẽdatur depauperatio: tunc pater qui iterum filiã iungit matrimonio, amplius dare non compellitor, quàm ferre possunt uires patrimonij: eaq;, cum prioris donationis ante nuptias lucrum illibatum habeat, tam magnã à patre dotem pro secunda uice capito, quantã substantiæ eius modus subscripserit. Cõstat etenim, quòd hoc lucrum, nẽpe donationis ante nuptias, cuius ei tantummodò usumfructũ prębemus, prorsus moriens cogetur restituere filiæ, ut quæ in donatione ante nuptias omnib. modis proprietatis etiam domina fuerit.

XIII. *Regula*: *Liberi parentes inopes alere cogũtur. quæ regula approbatur l.1.C.de alendis liberis & parentib. his uerbis*: Parentum necessitatibus liberos succurrere iustum est. *Concordat l.cum non solum.8. §.ipsum autem, in fine. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide ĩ.reg.10.in prin. Item cõcordat l.filia.5.C.de patria potest. his uerbis*: Filia tua non solùm reuerentiam, sed etiam subsidium uitæ ut exhibeat tibi, rectoris prouinciæ authoritate compelletur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi filius inops sit. quæ exceptio approbatur l.2.C.de alendis liberis, hisce uerbis*: Competens iudex à filio te ali iubebit, si in ea facultate est, ut tibi alimẽta præstare possit. *Secunda exceptio est*: *Nisi parens egenus non sit. quæ exceptio approbatur d.§.ipsum autem, in fine. Tertia exceptio est*: *Nisi impubes sit filius. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.5. §.etsi impubes. ff.de agnosc. liberis, hisce uerbis*: Etsi impubes filius emancipatus sit, patrem inopem alere cogetur. Iniquissimum enim quis meritò dixerit, patre egẽ-

re,cum filius sit in facultatibus. *Quarta exceptio est: Nisi parens negetur. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.si uel parens. cuius uerba uide §.reg.10. except.4. Quinta exceptio uidetur: Nisi filius miles sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.5.§.à milite, his uerbis:* A militè quoq; filio, qui in facultatibus est, exhibendos parentes esse, pietatis ratio exigit. *Sexta exceptio est: Nisi filius in potestate patris non sit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.5. in prin. cuius uerba uide §.reg.10. except.7. Septima exceptio uidetur esse: Nisi non pater, sed auus, uel mater, auúsue materna alendus sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.5.§.1. his uerbis:* Vtrum tãtùm patrem, auúmue paternum, proauumúe paterni aui patrem, cæterosq; uirilis sexus parentes, an uerò etiam matrem, cæterosq; parentes per illum sexum contingentes cogamur alere, uidendum. & magis est, ut utrobiq; se iudex interponat, quorundam necessitatibus facilius succursurus, quorundam ægritudini: & cum ex æquitate hæc res descendat, charitateq; sanguinis, singulorum desideria perpendere iudicem oportet. Idem in liberis quoque exhibendis à parentibus dicendum est. Ergo & matrem cogemus, præsertim uulgò quæsitos liberos alere, necnon ipsos eam. *Octauæ exceptionis loco notandum, quòd actio proposita aduersus hæredem filij non detur. quæ exceptio approbatur d.l.5. §.item rescriptum, his uerbis:* Rescriptum est, hæredes filij ad ea præstanda, quæ uiuus filius ex officio suæ pietatis dabat, inuitos cogi non oportere: nisi in summam egestatem pater deductus sit.

XIIII. *Regula: Filius patris debitum soluere non cogitur. quæ regula approbatur d.l.5.§.parens, his uerbis:* Parens quamuis ali à filio ratione naturali debeat: tamen eo alienum eius non esse cogendum filium exoluere, rescriptum est. *Concordat l.2. & l.patris nomine.4. C.ne filius pro patre.de quo §.lib.36.cap.6.reg.4.*

XV. *Regula, De lugendis parentibus. Liberi parentes defunctos, & contrà, lugere tenentur. quæ regula approbatur l.parentes.23.ff.de his qui notantur infamia, his uerbis:* Parẽtes & liberi utriusq; sexus, necnon & cæteri adgnati uel cognati, secundum pietatis rationem, & animi sui patientiam (prout quisq; uoluerit) lugendi sunt. qui autem eos non eluxit, non notatur infamia. *Huius regulæ exceptio prima uidebatur: Nisi filius à patre defuncto sit exhæredatus, uel aliàs eius hæres non existat. Hæc exceptio reprobatur l.ult.ff.d.tt. his uerbis:* Exhæredatũ quoq; filium luctum habere patris memoriæ, placuit. Idemq; & in matre iuris est, cuius hæreditas ad filium non pertinet. *Secunda exceptio uidetur esse: Nisi corpus defuncti non cõpareat. Et hæc exceptio reprobatur d.l.ult. his uerbis:* Si quis in bello cecidit, etsi corpus eius non cõpareat, lugebitur.

XVI. *Regula: Liberi parentum hæredes existunt, & contrà parẽtes liberorum hæredes. de quo §.lib.29. dicetur.*

DE ADQVISITIONE, QVAE contingit parentibus per liberos.
Cap. II.

PRIMO: *Adquirebatur insuper iure antiquo parentibus per liberos. quæ regula approbatur instit. per quas personas cuique adquiritur.§.2. his uerbis:* Liberi uestri utriusque sexus, quos in potestate habetis, olim quidem, quidquid ad eos peruenerat (exceptis uidelicet castrẽsibus peculijs) hoc parentib.suis adquirebant sine ulla distinctione: & hoc ita parentum fiebat, ut etiam esset eis licentia, quod per unum uel unam eorum adquisitũ esset, alij filio uel extraneo donare, uel uendere, uel quocunq; modo uoluerant adplicare. Quod nobis inhumanũ uisum est: & generali constitutione emissa, & liberis pepercimus, & patribus honorẽ debitum reseruauimus. Sãcitum etenim à nobis est, ut si quid ex re patris ei obueniat, hoc secundum anti quam obseruationem totum parẽti adquiratur. Quæ enim inuidia est, quod ex patris occasione profectũ est, hoc ad eum reuerti? Quod autẽ ex alia causa sibi filius familiàs adquisiuit, huius usum fructum patri quidẽ adquirat, dominium autẽ apud eum remaneat: ne quod ei suis laboribus, uel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perueniens, luctuosum ei procedat. *Ait Imp.* Generali constitutione emissa. *Hæc constitutio habetur l. cum oportet.6.C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide §.cad.reg.in mutatione iuris, in prin. Concordat item l.1.in prin.C.de castrẽsi peculio. cuius uerba uide §.cap. prox.quæst.1.in prin. Concordat Inst. per quas pers. nobis obligatio adquiritur, in prin. cuius uerba uide §.lib. 21.cap.2.reg.1. Item cõcordat l.2.C.de patria potestate, his uerbis:* Eius quod in potestate patris agẽs habuisti, dominium ad patrem tuum pertinuit extra ea quæ non adquiruntur. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filius occasione militiæ quid adquisierit. Hæc exceptio approbatur §.cap.prox. Secunda exceptio est: Nisi filio quid ab imperatore uel Augusta sit donatum. Hæc exceptio approbatur l.cum multa.7.C.de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Cum multa priuilegia Imperialibus donationibus iam prẽstita sunt, dignum incrementũ & ijs conferre nostra dignata est clementia. Si quid igitur à serenissimo principe, uel à pijssima Augusta, siue masculus, siue fœmina, donatione sit consecutus uel cõsecuta, siue mobilium, siue immobilium, siue se mouentium rerum, filiusfamiliæ tamen constitutus uel constituta: habeant huiusmodi res omni adquisitione absolutas, & nemini eas adquirãt: neq; earum usumfructum

fructum pater, uel auus, uel proauus sibi uẽdicet: sed ad similitudinem castrensis peculij, omnem facultatem in eas uel filij uel filiæfamiliarum habeant. Vt enim Imperialis fortuna omnes supereminet alias, ita oportet & principales liberalitates culmen habere præcipuum. *Tertia exceptio est: Nisi filius assessor aliquid ex suo officio adquisierit. Hæc exceptio approbatur l.uelut.7.C.de adsessoribus, his uerbis:* Velut castrẽse peculium filijfamiliarum adsessores etiam post patris obitum uindicent, qui consilijs proprijs administratores iuuare consueuerunt, si quid licitis honestisq; lucris coadunare potuerunt. *Quarta exceptio est: Nisi filius clericus ex suo clericatu quid adquisierit. Hæc exceptio approbatur l.sacrosanctæ.32. C.de epiſc. & clericis. cuius uerba uide §.lib.10.cap.3. reg.3. Quinta exceptio est: Nisi filius aduocatus de castrense suæ professionis quid adquisierit. quæ exceptio approbatur l.fori.4.C.de aduocatis diuers.iudic. cuius uerba uide §.lib.5.cap.5.membr.7.reg.2. Concordat l. cum aduocatio.8. §.omneq; quod. C.eod.tt. de quo d. reg.2. Sexta exceptio est: Nisi palatinus filius quid adquisierit. Hæc exceptio approbatur l.unica. C.de castrensi omnium pal.pecul. his uerbis:* Omnes palatinos, quos edicti nostri iãdudum certa priuilegia superfundunt, si quam rem, dum in palatio nostro morãtur, uel parsimonia propria quæsierint, uel donis nostris fuerint cõsecuti, ut castrense peculium habere præcipimus. quid enim tam ex castris est, quàm quod nobis conscijs, ac propè sub conspectib.nostris adquiritur? Sed nec alieni sunt à puluere & labore castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præstò sunt semper actibus, quos intentos & eruditos studijs itinerum prolixitas, & expeditionum difficultas exercet. Ideoq; Palatini nostri, qui priuilegijs edicti uti potuẽre, peculia sua præcipua retineant, quæ dum in palatio nostro constituti sunt, aut labore (ut dictũ est) proprio, aut donatione nostra quæsierint. *Septima exceptio est: Nisi filius scriniarius sit, uel exceptor, uel in alio huiusmodi officio constitutus. Hæc exceptio approbatur l.ius.6. C.de castrensi peculio, his uerbis:* Ius castrensis peculij tam scriniarios quàm exceptores, cæterosq; qui in officio tui culminis merendi licentiam habere noscuntur, ac si in legione primę adiutricis nostræ reipublicæ militẽt, inuiolatum habere præcipimus. *Octaua exceptio est: Nisi filius silentiarius quid adquisierit. Hæc exceptio approbatur l.iubemus.5.in prin. C.de silentiarijs, his uerbis:* Iubemus clarissimorum silẽtiariorum præditos militia, etsi genitorum suorum in potestate sint constituti, quęcunq; solatiorum, seu emolumentorum, uel donationum, seu hæreditatum nomine per militiam, uel quamcunq; eiusmodi causam his adquisita sunt uel fuerint, iure castrensis peculij possidere, hęc ea posse uel parẽtes superstites sibi uindicare, uel auferre, uel etiã post eorum obitum fratres, uel eorum alios hæredes, quasi ad defunctorum dominium pertinentia in diuisionem deducere. Nec enim oportet labores eorum alijs fructum uel lucrum adferre. Hac nãq; ratione simul & contemplatione necipsam militiã, uel suffragium quodcunque pro ea, uel ab ijsdẽ uiris deuotissimis silentiarijs, uel parentib.eorum, uel quolibet alio datum est uel fuerit, ab his patimur in successione defunctorum parẽtum conferri, seu nomine collationis in mediũ easdem offerri pecunias, uel his imputari. *Nona exceptio est: Nisi ex fratris successione, cui unà cum patre succesit filius, adquisierit. Hæc exceptio approbatur Novell.c.18. §.si cum ascendentib. ibi: nullum in hoc casu. cuius uerba uide §.lib.29.cap.5.reg.1.in prin. Decima exceptio est: Nisi ex matris successione filius adquisierit. quæ exceptio approbatur, certo tamen modo, l.1.in prin.C.de bonis maternis, hisce uerbis:* Res quę ex matris successione siue ex testamento, siue ab intestato fuerint ad filios deuolutæ, ita sint in parentum potestate, ut fruendi duntaxat habeant facultatem: dominio uidelicet earum ad liberos pertinente. *Huius exceptionis replicatio est, quoad usumfructum rerum maternarum. hic enim ad patrem pertinet, ut ex iam dicto constat. de qua re uide plura §.cad.reg.in mutatione iuris. Vndecima exceptio est: Nisi filius ab auo uel proauo materno adquisierit. quæ exceptio approbatur l.2.C.d.tt.his uerbis:* Quidquid auus, auia, proauus, proauia, ex materna linea uenientes, nepoti, nepti, pronepoti, pronepti, testamento, fideicommisso, legato, donatione, uel alio quolibet titulo largitionis uel etiam intestatò successione cõtulerint: pater filio filiæue integra illibataq; custodiat, ut uendere, donare, relinquere, alteri obligare, sicut nec materna bona, non possit, usufructu duntaxat ad eum pertinente: ita ut quemadmodum ipse super his rebus licentiam totius potestatis amittit, defuncto eo, filio filiæue præcipua computentur, nec ab illis qui ex parte sunt coheredes, uindicentur. *Huius exceptionis replicatio eadem est quæ superioris proximè, ut patet ex uerbis iam propositis hisce:* Vsufructu duntaxat ad eum pertinente. *Duodecima exceptio est: Nisi filius ab uxore sua, uel filia à marito suo adquisierit. Hæc exceptio approbatur l.1.C.de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Cum uenerandæ leges uetuerint patribus iure potestatis adquiri, quidquid eorũ filijs auus, auia, proauus, proauia, à linea materna uenientes, quocunq; titulo contulissent: hoc quoq; cõuenit obseruari, ut quidquid uel uxor marito non emancipato, uel uxori maritus in potestate positæ quocũq;

titulo uel iure contulerit, seu transmiserit, & hoc patri nullatenus adquiratur: atque ideo in eius tantùm, cui delatum est, iure durabit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum pater pro filia dotem dedisset, soluto matrimonio filia dotem receperit: uel cum pater pro filio ante nuptias donationem dedisset, soluto matrimonio filius rem donatam receperit. quæ replicatio approbatur l.2.C.d.tt.his uerbis:* Constitutionis nouæ capitulum clariore interpretatione sancimus, ut quæ per filios, nepotes, pronepotes, itéque filias, neptes, proneptes, quamuis in potestate sint, minimè adquiri decreuimus, à marito uel uxore quocunq; titulo collata, siue ultima transmissa uoluntate: nullus ad id quoq; pertinere existimet, quod ab ipso parente datum dotis uel ante nuptias donationis causa pro una ex memoratis personis præstitum fuerat, ut minimè ad eum, si casus tulerit, reuertatur. Prospiciendum est enim, ne hac iniecta formidine, parentum circa liberos munificentia retardetur. Sed ut his potestatis iure ad parentes reuersis, cæterarum, quæ ex substantia speciali coniugis ad superstitem deuenerãt, quamuis idem in sacris sit (usufructu tamen solo atq; usu parentib. deputato) dominium ei qui à coniuge, uel quæ à marito meruit, reseruetur: parente propter emancipationis beneficium, si uoluerit, sicut in maternis rebus, uel quæ per eandem lineam ueniunt, præmium habituro. *Secundæ replicationis loco notandum, quòd parens usumfructum dictarum rerum habeat. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vsufructu tamen solo atq; usu parentibus deputato. *Concordat l.quæcunq;.4. in prin.C.de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Quæcunq; res ad filium uel filiam, nepotes seu pronepotes utriusq; sexus in potestate constitutos ex priore, uel secũdo, aut tertio, seu coniugio numerosiore peruenerint ex dote, uel quacunque donatione, seu hæreditate, legato uel fideicommisso: earum rerum usque in diem uitæ suæ pater, uel auus, uel proauus usumfructum habeant: easdem res quocunq; modo alienãdi, uel pignoris seu hypothecæ iure obligandi facultate eis penitus interdicta: dominio uidelicet earum apud filios & nepotes, seu pronepotes utriusq; sexus permanẽte, etiamsi ex eodem matrimonio procreati nõ sunt, ex quo eædem res ad patres eorum, qui quæue in potestate sunt, fuerint deuolutæ. *Tertia replicatio est: Nisi non ab uxore, sed à sponsa: uel non à marito, sed à sponso adquisierit. Hæc replicatio reprobatur l.non sine.5.C.d.tt.his uerbis:* Non sine ratione de negocio, quod inter matremfamiliãs, cuius uestra suggestio meminit, & germanum eius uertitur, magnitudo tua, diuersis legibus ex utraq; parte prolatis, nostram credidit consulendam esse clementiam: cum mulier diuersis iuris lectionibus idem intelligi maritum & sponsum niteretur probare, germanus mariti nomen illi soli, qui nuptias contraxisset (recitatione constitutionis diuorum retrò principum Theodosij & Valentiniani, qua cauetur, quidquid maritus uel uxor in potestate constituti inuicem sibi reliquerint, non patri adquiri, sed ad eorum ius pertinere) imponere. Quamuis ergo significatione nominis maritus uel uxor post cœptum matrimoniũ intelligatur, ex quo uidelicet inducta est dubietas: attamen quia consequens est, ambiguas atq; legum diuersis interpretationib. titubantes causas benignè, atque naturalis iuris moderamine contemperare: non piget nos in præsenti quoq; negocio, de quo sublimitas tua suggesserit, æquitati conuenientem Iuliani tantæ existimationis uiri atque disertissimi iurisperiti opinionem sequi: qui quidem de dotali prædio tractatu proposito, idem ius tam de uxore quàm de sponsa obseruare arbitratus sit, licet lex Iulia de uxore tantùm loquatur. Qua ratione tam spõsalitiam donationem, quàm hæreditatem, quam memoratus spõsus suam sponsam lucrari uoluit, non adquiri patri, sed ad eam peruenire, benignum esse perspeximus. *Decimatertia exceptio est: Nisi filius non ex re patris, sed aliunde acquisierit. Hæc exceptio approbatur, certo tamen modo, Instit. per quas personas cuiq; adqu.§.1.cuius uerba uide ẽ.eod.cap. in prin: Concordat l.cum oportet.6.in prin. C.de bonis quæ liberis.cuius uerba uide paulò inferius. Decimaquarta exceptio est: Nisi seruus filio ita sit adquisitus, ut statim eum manumittat. Hæc exceptio approbatur l.cum non solum.8.§.fin.C.de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* In seruis qui filijs & filiabus familiarum donantur, siue constante matrimonio, siue ab extraneis, sub ea conditione, ut statim eos in libertatem perducant: nullum impedimentum paterna faciat authoritas. Qualis enim ususfructus potest ei adquiri, qui momentarius esse ostenditur? Si enim in ipso momento necesse habeat eum & possidere, & libertati donare, in talem hominem qualis ususfructus patri potest adquiri? *Decimaquinta exceptio uidetur esse: Nisi cum filiusfamiliãs sub conditione stipulatus esset, pendente conditione fuerit emancipatus. Hæc exceptio reprobatur l. quæ legata.18.in fine.ff.de regulis iuris, hisce uerbis:* Si filius sub conditione stipulatus emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. *Planè admittitur exceptio proposita in legatis conditionalibus: de qua re alibi. Decimasexta exceptio est: Nisi filius*

filius sit putatiuus, non uerus. Hæc exceptio approbatur l.per eum.50.in prin.ff.de adquir.possess. his uerbis: Per eum quẽ iusto ductus errore filium meum, & in mea potestate esse existimo, neque possessio, neque dominium, neque quidquam aliud ex re mea mihi quæritur. *Concordat l.iusto.44.in prin.ff.de usucap. his uerbis:* Iusto errore ductus, Titium filium meum, & in mea potestate esse existimaui, cum arrogatio non iure interuenisset. Eum ex re mea quærere mihi non existimo. non enim constitutum est in hoc, quod in homine libero, qui mihi bona fide seruit, placuit. Ibi enim propter assiduam & quotidianã comparationem seruorum ita constitui publicè interfuit. Nam frequenter ignorantia liberos emimus: nõ autem tam facilis & tam frequẽs adoptio uel arrogatio filiorum est. *Sanè exceptio proposita nõ incommodè referri etiam potest ad ea quæ habentur ĩ.lib.22.cap.2.reg.6.ubi decimæ exceptionis loco est annotata.*

Mutatio iuris.

Hactenus ius antiquum, quo parentibus per liberos adquirebatur dominium, cum suis exceptionib. expositum est. Iure autem nouo illud mutatur, ut non amplius dominium rerum, sed ususfructus tantùm parentib. per liberos adquiratur, præterquam quod ex rebus parẽtum adquirunt. Ius hoc nouum proponitur l.cum oport.6.in princ. C.de bonis quæ liberis, hisce uerbis: Cum oportet similem prouidentiam tam patrib. quàm liberis deferri, inuenimus autem in ueteris iuris obseruatione multas esse res, quæ extrinsecus ad filios familiarum ueniunt, & minimè patribus adquiruntur: quemadmodũ in maternis bonis, uel quæ ex maritali lucro ad eos peruenerint, ita & in ijs quæ ex alijs causis filijs familiarũ adquiruntur, certam introducimus definitionem. Si quis itaq; filius familiâs, uel patris sui, uel aui, uel proaui in potestate constitutus, aliquid sibi adquisierit, nõ ex eius substãtia, cuius in potestate sit, sed ab alijs quibuscunq; causis, quæ ex liberalitate fortunæ uel laboribus suis ad eum perueniant: eas suis parentibus non in plenum, sicut antea erat factum, sed usq; ad solum usumfructum requirat: & eorum ususfructus quidem apud patrem, uel auum, uel proauum, quorum in sacris sit cõstitutus, permaneat: dominium autem filijs familiarum inhæreat ad exemplum tam maternarum, quàm ex nuptialibus causis filijs familiarum adquisitarum rerum. Sic etenim & parenti nihil derogabitur usumfructum rerum possidenti: & filij non lugebunt, quæ ex suis laboribus sibi possessa sunt, ad alios transferenda aspicientes, uel ad extraneos, uel ad fratres suos, quod etiam grauius multis esse uidetur. Exceptis castrensibus peculijs, quorum nec usumfructum patrem, uel auum, uel proauum habere ueteres leges cõcedunt. In his etenim nihil innouamus, sed ueterа iura intacta seruamus: eodem obseruando etiam in ijs peculijs, quæ quasi castrensia peculia instar castrensis peculij accesserunt. Sub hac tamen definitione hunc legis articulum inducimus, ut in successione quidem earundem rerum, quæ extrinsecus filijs familiarum adquiruntur, iura eadem obseruentur, quæ in maternis & nuptialibus rebus statuta sunt. *Concordat Instit. per quas personas cuiq; adquiritur.§.1.cuius uerba uide ẽ.eod.reg.in prin. Propositi iuris noui, quoad usumfructum etiam, exceptio prima hæc est: Nisi castrense uel quasi castrense peculium sit, quod filius adquisiuit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Exceptis castrensib. peculijs, &c. *Concordat Nouell.c.22.§.quoniam uerò semel, in fine. cuius uerba uide ĩ.except.3. De exceptione castrensis peculij dictũ quoq; ẽ.except.1.diceturq; ĩ.cap.prox. Exceptionis quasi castrensis peculij species propositæ sunt ẽ.except.2.cum sequentib. usq; ad except.9. Secunda noui iuris exceptio est: Nisi quid ea conditione filio relictum sit, ne ususfructus eius ad patrem pertineat. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.117.in prin.bis uerbis:* Sancimus, ut matri & auiæ, neq; non aliis parentibus, simul atq; debitam legibus portionem liberis reliquerint, licentia sit reliquam substantiæ suæ partem donandi, uel per ultimam uoluntatem relinquendi filio aut filiæ, nepoti aut nepti, aut deinceps descendentibus, siue in solidum uoluerint, siue pro parte: ea fine & conditione (si uelint) ut pater, aut omnino qui eos in potestate habet, nullum in hisce rebus usumfructum, aut quamlibet prorsus communionem obtineat. Hæc etenim poterant extraneis quoq; relinquere, unde nihil parentibus accesisset commodi. Quin non tantùm parentibus hoc, sed cuique etiam personæ licere iubemus. Eas uerò res, quæ ita aliorum potestati subditis personis relinquuntur donanturúe, siquidem perfectæ ætatis sint, quamuis filijfamiliarum, licentiam tamen habento administrãdi quo uolunt modo. Si imperfecta adhuc ætate sint, per quemcunque testatori donatoriúe uisum fuerit, eæ administrantor, tantisper dũ illi, quibus donatæ relictæúe sunt, ad iustam ætatem perueniant: licentiam habente testatore aut donatore, ut earum rerum administrationẽ (si uelit) tam matris quàm auiæ horum, quibus res collatæ sunt, fidei concredat, licet prædictæ mulieres maritis cohabitent: ita tamen, si & ipsæ huiusmodi administrationem amplecti uoluerint. Si uerò (ut probabile est) is qui relinquit, aut donationem facit, neminem qui hasce gu-

bernet, præfinierit: aut qui ab ipſo datus eſt, huiuſmodi adminiſtrationē ſubire uel non uult, uel non poteſt, uel prius decedat quàm illi perfectæ ætatis fiant: tunc iubemus, ut competens magiſtratus cū legitima fideiuſsione iſtiuſmodi rebus fide dignum curatorem præficiat, qui relictam huiuſmodi perſonis ſubſtantiam tantiſper adminiſtrare ſimul & cuſtodire debeat, donec illi (ut dictū eſt) ad iuſtā ætatem peruenerint. In illis enim caſibus duntaxat legem, quæ uſumfructum præbet parentibus, obſeruari uolumus, in quibus ſpecialiter huiuſmodi conditio inſerta non eſt. *Tertia exceptio uidetur eſſe: Niſi pater nuptias iterauerit. Hæc exceptio reprobatur l.ult. C.de bonis maternis, hiſce uerbis:* Omnem ambiguitatis cōfuſionem amputātes, hac liquida & compendioſa lege ſancimus, circa uſumfructū maternarum rerū nullam eſſe differentiam, ſiue in priore matrimonio pater, ex quo filios habuit, permanere uoluerit, ſiue nouercā filijs ſuperinduxerit: legibus quæ de maternis bonis latæ ſunt, ſuā habentibus firmitatē. Patres igitur uſumfructum maternarū rerum, etiamſi ad ſecundas migrauerint nuptias, ſine dubio habere debebūt: nec ullā filijs uel quibuſlibet ex perſona eorum contra parētes improbam uocē accuſationemq; poſſe cōpetere. *Concordat Nouell.c.22. §.quoniam uerò ſemel. his uerbis:* Sancimus, ut omniū rerum, quæ ad filios perueniunt, ſiue ex materna linea, ſiue ex cauſa nuptiali filiorum, ſiue aliūde, pater uſumfructum habeat, tametſi ad ſecūdas nuptias tranſeat. Nam ne earū rerū uſusfructus, quoadusq; uiuit, intercidat, omnes etiā ante nos latę leges uolūt: utq; hoc & in maternis bonis, & omnibus omnino alijs ſit, nos quoq; comprobamus. Excipiatur tñ ab his caſtrēſium & quaſi caſtrēſium peculiorū, & item quorundam aliorū ratio. *Quarta exceptio eſt: Niſi filius ſui iuris ſit, nō in poteſtate patris. Hæc exceptio approbatur l.ſi uiua.3. C.de bonis maternis. cuius uerba j.lib.28.cap.22.reg.2.exc.5. repl.1.proponentur. Quinta exceptio eſt: Niſi filius inuito patre alicuius adierit hæreditatē. Hæc exceptio approbatur l.cum nō.8. §.1.C.de bonis quæ liberis. de quo alibi. Sexta exceptio eſt: Niſi ex ſucceſsione fratris, cui unà cum patre ſucceſsit filius, adquiſierit. Hæc exceptio approbatur* Nouell.c.118. *§.ſi cum aſcendentibus. ibi: nullum in hoc caſu. de quo etiam dictū s̃.except.9. Septimæ exceptionis loco notanda eſt s̃.d.except.14. Hæ ſunt exceptiones iuris noui, quo uſusfructus rerum per filium adquiſitarum parenti uindicatur. Quod autem ad dominium attinet iſtarū rerum parenti eodem iure denegatum, eius exceptio prima hæc eſt: Niſi ex re patris filius adquiſierit. tunc enim plenum dominium parēti adquiritur. quæ exceptio approbatur Inſt.per quas perſonas cuique adquir. §.1. ibi: ſancitum etenim. cuius uerba uide s̃. ead.reg. in prin. Concordat l.cum oportet.6.in prin. uerſ.non ex eius ſubſtantia. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide s̃.ead.reg.in prin. Secunda exceptio eſt: Niſi pater hæreditatem filio delatam filio recuſante adierit. quæ exceptio approbatur l.cum non.8. §.1. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba j.lib.28.cap.22.reg.2.except.3. replicat.1.proponentur.*

II. QVIBVS PER LIBEros adquiritur?

De patre naturali & adoptiuo regula proponitur l.cum in adoptiuis.10. §.ſi uerò pater. C.de adoptionibus. cuius uerba uide j.cap.8.quæſt.3.reg.1.except.1.

III. QVID PER LIBEROS parentibus adquiratur?

Iure quidem antiquo plenum dominium parentib. adquirebatur, iure autem nouo uſusfructus tantùm adquiritur. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ dicta ſunt s̃. quæſt.1.

IIII. EVENTVS ADQVIſiti uſusfructus.

I. Regula: *Nec cautio nec ratio à parentibus eius uſusfructus nomine eſt exigēda. quæ regula approbatur l. cum oportet.6. §.non autem. C.de bonis quæ liberis, hiſce uerbis:* Non autem hypothecam filijsfamiliarum aduerſus res uiuentis patris adhuc, ſeu iam mortui ſperare audeant, nec ratiocinia eis ſuper adminiſtratione inferre: ſed tantummodò alienatione uel hypotheca ſuo nomine patribus denegata, rerum habeat parens pleniſsimam poteſtatem, uti fruique ijs rebus, quæ per filiosfamiliarum ſecundum prædictum modum adquirūtur, & gubernatio rerum earum ſit penitus impunita: & nullo modo audeat filiusfamiliâs, uel filia, uel deinceps perſonæ uetare eum, cuius in poteſtate ſunt, eaſdem res tenere, uel quomodo uoluerit gubernare: uel ſi hoc fecerint, patria poteſtas in eos exercenda eſt. Sed habeat pater uel aliæ perſonæ, quæ ſuperius enumeratæ ſunt, pleniſsimam poteſtatem uti frui, gubernareq; res, quæ prædicto modo adquiſitæ ſunt. *Concordat l.cum non ſolum.8. §.hoc proculdubio. C. d.tt. his uerbis:* Paterna reuerentia eum excuſante & à ratiocinijs, & à cautionibus, & ab alijs omnibus, quæ ab uſufructuarijs extraneis à legibus exiguntur, ſecundum noſtræ conſtitutionis tenorem, quam ſuper huiuſmodi caſibus tulimus. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi parens bonorum maternorum uel materni generis uſumfructum habeat. pro his enim bona eius pignori ſunt obligata. quæ exceptio approbatur l.ſi quis.8. §.fin. C.de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide s̃.lib.14.cap.6.quæſt.4.reg.2. Cōcordat l.ult. §.exceptis uidelicet. C.qui potiores in pignore. cuius uerba uide s̃. lib.8.cap.9.reg.4.except.7. Item concordat l. hac edictali.6. §.omnibus. C. de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide s̃.lib.14.cap.6.*

cap.6.quæſt.4.reg.1.in prin. Item concordat Nouell.c.22. §.inſuper quod de lucris. ibi: quin etſi quid. cuius uerba uide s̃.d.cap.6.quæſt.1. in prin. Concordat deniq; l.cum oportet.6. §.fin. C. de bonis quæ liberis, hiſce uerbis: Cum tacitas hypothecas tam ueteres leges in quibuſdam certis caſibus introduxerunt, quàm nos in maternis cæteriſque, quas ſeruare neceſſe eſt: & dubitabatur, ex quo hypothecas competere oportet, utrum'ne & ab initio, an ex eo tempore, ex quo malè aliquid geſtum eſt: compendioſa narratione interpretamur, initiū gerēdæ uel deferēdæ adminiſtrationis uel obſeruationis eſſe ſpectādum, & non tempus, ex quo malè aliquid geſtum fuerit.

II. Regula: *Parens in rebus, quarum uſumfructū habet, cuſtodiendis diligētiam debet præſtare. quæ regula cum alijs quibuſdam approbatur l.1. §.C.de bonis maternis, hiſce uerbis:* Parentes, apud quos maternarum rerum utendi fruendiq; tantùm poteſtas eſt, omnem debent tuendæ rei diligentiam adhibere: & quod iure filijs debetur, in examine per ſe, uel per procuratorem poſcere, & ex fructibus ſumptus impigrè facere, & litem inferētibus reſiſtere: atque ita omnia agere, tāquam ſolidum perfectumque dominium eis adquiſitum fuiſſet, & perſonam gerant legitimam: ita, ut ſi quādo rem alienare uoluerint, emptor, uel is cui res donatur, obſeruet, ne quā partem earum rerum, quas alienari prohibitum eſt, ſciens accipiat, uel ignorans. Docere enim pater debet, proprij iuris eam rem eſſe, quā donat aut diſtrahit: & emptori (ſi uelit) fideiuſſorem licebit accipere: quia nullam poterit præſcriptionem opponere filijs quādoque rem ſuam uindicantibus.

III. Regula: *Parens actiones inferre & excipere debet earum rerum nomine, quarum habet uſumfructum. quæ regula approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Et quod iure filijs debetur, &c. *Concordat l. cum non.8. §.ubi autem uoluntas. C.de bonis quæ liberis, his uerbis:* Vbi uoluntas patris & filij in adeunda hæreditate concurrit: & pater uſumfructum, & filius habeat proprietatem: & in agentibus & fugientibus pater quidem ſuſcipiat actiones & moueat, cuiuſcunq; ætatis filius inueniatur. adhibeatur aūt etiam filiorum conſenſus, niſi adhuc in prima ſunt ætate cōſtituti, uel longè abſunt: ſumptibus uidelicet à patre propter rerum incrementa faciēdis. Cum enim nuda proprietas apud filiū inueniatur, ex qua ſubſtātia poſsibile eſt eum ſumptus litis dependere? *Concordat item d.l.8. §.ubi autē puerilis. cuius uerba uide j.lib.49.cap.4.quæſt.4.cauſa 18. exceptione 3.*

IIII. Regula, *De mancipijs à patre alendis, & curando ne cauſa proprietatis fiat deterior, proponitur d.l.8. §.hoc proculdubio, his uerbis:* Hoc obſeruando, ut & mancipia ipſe uſufructuarius alere debeat, & omnia circa uſumfructum facere, quæ nullò modo proprietatem poſſint deteriorem facere.

V. Regula: *Parentes in rebus quarum habent uſumfructum, omnia debent agere & gubernare, tanquam dominium eis fuiſſet adquiſitum. Quæ regula approbatur l.1. §.1. ibi: atq; ita. C.de bonis maternis. cuius uerba uide s̃. reg.2. Concordat l.cum oportet.6. §.non autem. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide s̃.reg.1. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi quoad alienationem. quæ exceptio approbatur d. §.non autem. de qua re j.reg.prox.*

VI. Regula: *Alienatio uel obligatio rei, cuius parens habet uſumfructum, ab eo facta nullius eſt momēti. Quæ regula approbatur l.2. C. de bonis maternis. cuius uerba uide s̃.quæſt.1.except.11. Cōcordat l.quæcunq;.4. in prin. ibi: caſdē res. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide s̃. quæſt.1.except.12.repl.2. Concordat d.l.4. §.parentibus, his uerbis:* Parentibus uerò, quorū ſub poteſtate ſunt, uſumfructum duntaxat habituris, memoratas res iure poteſtatis alienandi uel obligandi licentiam denegamus: non prohibendis ijſdem liberis, ſi quandoque ſui iuris fuerint, nulla temporali præſcriptione obſiſtente, eaſdem res omnibus modis uindicare: niſi fortè, poſtquam poteſtate parentum eos cōtigerit liberari, tantum temporis effluxerit, ut ex cōtinua & incōcuſſa tenentis poſſeſsione eorum intentio excludatur. *Cōcordat item d.l.6. §.non autem. ibi: ſed tantummodò. C.eod.tt. cuius uerba uide s̃.reg.1. Concordat item Nouell.c.22. §.inſuper quod de lucris. cuius uerba uide s̃. lib.14. cap.6. quæſt.1. in prin. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi triginta annorum præſcriptio uindicanti obſtet, ex eo tempore numeranda, quo filius ſui iuris eſt effectus. Quæ exceptio approbatur d. uerbis hiſce:* Niſi fortè, poſtquam poteſtate parentum eos contigerit liberari, tantum temporis effluxerit, ut ex continua & inconcuſſa tenētis poſſeſsione eorum intentio excludatur. *Concordat Nouell.c.22. d.§.inſuper quod de, in fine. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi triginta annorum præſcriptioni etiam illud tempus ſit connumeratum, quo filius in patris poteſtate fuit, uel minoris ætatis. Quæ replicatio conſtat ex legibus iam propoſitis, ſecundum quam etiam intelligenda eſt l.1. in fine. C. de bonis maternis. cuius uerba uide ſuprà reg.2. Secunda exceptio hæc eſt: Niſi res ex fructibus rerum, quarum uſumfructum habet, redactas alienauerit, non principales. Hæc exceptio approbatur l. cum oportet. 6. §. & ſi quid ex uſu. C. de bonis quæ liberis, hiſce uerbis:* Si quid ex uſu earum pater, auus uel proauus collegerit, habeat licentiam, quemadmodum cupit, hoc diſponere, & in alios hæredes tranſmittere. uel ſi ex earum rerum fructibus res

mobiles, uel immobiles, uel se mouentes comparauerit: eas etiam, quomodo uoluerit, habeat, & transmittat, & in alios transferat, siue extraneos, siue liberos suos, seu quamlibet personam. *Tertia exceptio est: Nisi pater non suo, sed filij nomine alienauerit. Quæ exceptio approbatur l. cum non. 8. §. sed pater. C. de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Sed pater quidē in prædictis tantummodò causis habeat licētiam ritè res filiorumfamiliarum uendere filij nomine, uel si emptorem non inuenerit, ritè pignori supponere: nullo modo licentia concedenda filijs, easdem uenditiones uel hypothecas retractare. *Ait Imp.* In prædictis tantummodò causis. *Quæ sint huiusmodi causæ, uide j. reg. prox. item s̃. reg. 4. Quarta exceptio est: Nisi res perituras, uel alijs rebus damnosas, pater uendiderit, preciumq; in rem filij uerterit. Hæc exceptio approbatur d. l. 8. §. non autem, his uerbis:* Non autem parentibus licentia danda extra memoratas causas res, quarum dominium apud posteritatem eorum est, alienare, uel pignori, uel hypothecæ titulo dare. Sed si hoc fecerint, sciturus, quòd necesse est in eos legum laqueos incidere, quibus huiusmodi uenditiones uel hypothecæ sunt interdictæ: exceptis uidelicet rebus mobilibus uel immobilibus illis, quæ onerosæ hęreditati sunt, uel quocunq; modo damnosæ, quas sine periculo uendere patri cum paterna pietate licet, ut precium earum uel in res, uel in causas hæreditarias procedat, uel filio seruetur.

VII. Regula, *De ære alieno hæreditario soluendo, proponitur d. l. 8. §. sin autem æs, usq; ad §. hoc proculdubio. C. de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Si æs alienum ex defuncti persona descendit (cum etiam apud ueteres hæc esse substantia intelligatur, quæ post detractum æs alienum supersederit) habeat pater licentiam ex rebus hæreditarijs, primùm quidem mobilibus: sin autem non sufficiunt, ex immobilibus sufficientem partem nomine filij uenundare: ut illico reddatur æs alienum, & non usurarum onere prægrauetur. Quòd si pater hoc facere supersederit, ipse usuras uel ex reditibus, uel ex substantia sua omnimodò dare compellitur. Sin autem legata, uel fideicommissa, siue annalia, siue semel relicta imminent huiusmodi personis: siquidem tales reditus sunt, qui sufficiant ad annalia legata, pater ex huiusmodi reditibus hæc dependere compelletur. Sin autem non habeat substantia sufficientem reditum ad legatorum uel fideicommissorum præstationem, uel minimè reditus uel alias accessiones contineat, sint tamen res mobiles uel immobiles steriles quidem, non tamen inutiles, ueluti domus in prouincijs preciosæ, uel ubicunque posita ædificia, uel suburbana, ex quibus huiusmodi legata possint explicari: licentia dabitur patri, sufficientem partem eorum similiter filij nomine uendere, & satisfacere legatis.

VIII. Regula: *Patre usumfructum remittente, eius hæredes illum uindicare non possunt. Quæ regula approbatur l. cum oportet. 6. §. sin autem. C. de bonis quæ liberis, his uerbis:* Si res sibi memorato modo adquisitas parens noluerit tenere, sed apud filium, uel filiam, uel deinceps personas reliquerit: nullam post obitum eius licētiam habeant hæredes alij patris, aui, uel proaui, eundem usumfructum, uel quod ex hoc ad filiosfamiliarum peruenit, utpote patri debitum sibi uindicare: sed quasi diuturna donatione in filium celebranda, qui usumfructum detinuit, quem patrem habere eius oportuerat, ita causa intelligatur, ut eundem usumfructum post obitum patris ipse lucretur: parente eius ius exactionis quasi sibi debitæ à filio, qui usumfructum consensu eius possidebat, suæ posteritati uel successioni minimè transmittente: quatenus in omni pace inter se successio eius permaneat, nec altercationis cuiusdam maximæ inter fratres oriatur occasio.

IX. Regula: *Filius res, quarum parens usumfructum habet, alienare non potest, nec testari. Quæ regula approbatur l. cum non. 8. §. filijs. C. de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Filijsfamiliarum in his dun taxat casibus, in quibus usufructus apud parentes constitutus est, donec parentes uiuunt, nec testari de ijsdem rebus permittimus, nec citra uoluntatem eorum, quorum in potestate sunt, ulla licentia concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, uel hypothecæ titulo dare, uel pignori adsignare. melius enim est coartare iuueniles calores, ne cupiditati dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium. Cum enim, sicut dictum est, parentes alere eos secundum leges & naturam compellantur, quare ad uenditionem rerum suarum prosilire desiderant? *Concordat l. si filius. 3. in prin. C. de patria potestate. cuius uerba uide s̃. cap. 1. quæst. 5. reg. 2.*

X. Regula: *Parente defuncto, bona, in quib. usumfructum habuit, præcipua computantur filio in familiæ erciscundæ iudicio. Quæ regula approbatur l. 2. §. fin. C. de bonis maternis. cuius uerba uide s̃. eod. cap. quæst. 1. except. 11.*

XI. Regula: *Mortuo filio, bona, in quibus parens usumfructum habet, non ad parentem iure peculij, quemadmodum in castrensi peculio iuris est, ut infrà dicetur, sed ad hæredes filij iure hæreditario transeunt. quæ regula approbatur l. quod scitis. 3. C. de bonis quæ liberis, hisce uerbis:* Quod scitis prioribus continetur,

nec à filia quę in potestate est, donationē ante nuptias patri, nec à filio dotem adquiri: eo addito confirmamus, ut defunctis his adhuc in potestate patris, si liberis extantib. moriātur, ad liberos eorū eædem res iure hęreditatis, nō ad patres iure peculij transmittātur, nec per nepotes auo uidelicet adquirēdæ. Sin aūt idem nepos, superstitibus tam patre quàm auo paterno, diem suum sine liberis obierit: eorum dominiū, quæ ad ipsum ex matre, uel ab eius linea peruenerint, nō ad auū, sed ad patrem eius perueniat: usufructu uidelicet ex huiusmodi casibus auo, dum supererit, seruādo. *Concordat l. quæcūq; 4. §. eo uidelicet obseruando. C. eod. tt. his uerbis:* Obseruādum, ut morientium fratrū sororumúe portiones, qui quæúe ex eo matrimonio progeniti uel progenitæ sunt, primò quidem ad liberos (ut dictū est) si fuerint, deinde ijs nō extantibus, ad superstites tātummodò fratres uel sorores eorum perueniant, aut ad superstitem, si ex ijsdem fratribus siue sororibus unus unaúe remāserit. Omnibus aūt, qui ex eodem coniugio fuerunt procreati, defunctis: tunc demū ad eos qui ex alio sunt matrimonio editi, easdem res pro uirili parte uenire statuimus. Nulla autē ex memoratis personis existente, parentes eorum eas percipere. *Ait Imp.* Vt dictum est. *scilicet in principio eiusdem legis. cuius uerba uide s̃. quæst. 1. except. 12. repl. 2. Concordat item l. cum oportet. 6. §. sub hac tamen. C. eod. tt. cuius uerba uide s̃. quæst. 1. post exc. 15. in prin. Concordat deniq; d. l. 6. §. cum autem, in fine. cuius uerba uide j. cap. 9. quæst. 3. reg. 1.*

DE CASTRENSI ET QVASI castrensi peculio. Cap. III.

Q*Voniam suprà cap. prox. quæst. 1. except. 1. cum sequentibus, item ibidem exc. 1. iuris noui dictum est, ea quæ castrensis & quasi castrensis peculij essent, parentibus per liberos non adquiri, etiam quoad usumfructum: nunc de definitione & iure castrensis peculij nobis latius est agendum. Quod autem de castrensi peculio dicetur, de quasi castrensi peculio quoq; erit intelligendum.*

I. DEFINITIO CASTRENsis peculij.

Castrense peculiū dicitur, quod filiusfamiliâs occasione militiæ adquirit. Quæ definitio proponitur l. castrense. 11. ff. de castrensi peculio, his uerbis: Castrense peculium est, quod à parentibus uel cognatis in militia agēti donatū est, uel quod ipse filiusfamiliâs in militia adquisiuit: quod, nisi militaret, adquisiturus non fuisset. Nam quod erat & sine militia adquisiturus, id peculium eius castrense non est. *Concordat l. 1. C. eod. tt. his uerbis:* Si in potestate tua filius tuus fuerit eo tempore, quo quædam nomine eius emisti: ea tua esse, nō dubitatur. Peculio aūt castrensi cedūt res mobiles, quæ eunti in militiā à patre, uel à matre, alijsúe propinquis uel amicis donatæ sunt. Item quæ in castris per occasionem militiæ quæruntur: in quibus sunt etiā hęreditates eorum, qui non aliâs noti esse potuerunt, nisi per militię occasionem, etiam si res immobiles in his erūt. *Huius regulæ seu definitionis exceptio prima hæc est: Nisi etiam sine militia idem erat adquisiturus, & non occasione militiæ adquisierit. Quæ exceptio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Nam quod erat & sine militia adquisiturus, id peculiū eius castrense non est. *Huius exempli proponitur d. l. 1. §. penult. his uerbis:* Matris hæreditas, quamuis in militia delata sit, ad peculium castrēse non pertinet. *Aliud exemplum proponitur l. pater. 15. in prin. ff. de castrensi peculio, his uerbis:* Pater, milite filiofamiliâs reuerso, quod donat, castrensis peculij non facit, sed alterius peculij, perinde ac si filius nunquam militasset. *Aliud exemplum proponitur l. si militi. 6. ff. de castrensi peculio, his uerbis:* Si militi filiofamiliâs uxor seruum manumittendi causa donauerit, an suū libertum fecerit, uideamus: quia peculiares & seruos & libertos potuit habere. & magis est, ut hoc castrensi peculio non adnumeretur: quia uxor ei nō propter militiam nota est. Planè si mihi proponas, ad castra eunti marito uxorem seruos donasse, ut manumittat, & habiles ad militiam libertos habeat: potest dici, sua uoluntate sine permissu patris manumittentem ad libertatem perducere. *Huius exceptionis replicatio prima uidetur esse talis: Nisi is qui filiofamiliâs donauit, expresserit, ut in castrēsi peculio haberet. Hæc replicatio reprobatur l. si fortè. 8. ff. d. tt. his uerbis:* Si fortè uxor, uel cognatus, uel quis alius notus nō ex castris filiofamiliâs donauerit quid, uel legauerit, & etiam expresserit nominatim, ut in castrensi peculio habeat: an possit castrensi peculio aggregari? & non puto. ueritatem enim spectamus, an uera castrensis noticia uel adfectio fuit, non quod quis finxit. *Secunda replicatio est: Nisi res sit quasi castrensis peculij. ea enim quamuis etiam sine militia sit adquisita, tamen castrensi peculio comparatur. Quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt s̃. cap. prox. quæst. 1. exc. 2. cum sequentibus. Secūda propositæ definitionis exceptio est: Nisi filiusfamiliâs miles ab eo hæres institutus sit, cui etiam sine occasione militiæ notus & amicus fuit. tunc enim hæreditas ista castrensi peculio non connumeratur. Quæ exceptio elicitur ex contrario sensu l. 1. §. in quibus sunt etiam. C. de castrensi peculio. cuius uerba uide paulò superius ead. reg. in prin. Concordat l. de hæred. 19. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* De hæreditate ab adgnato cōmilitone da-

ta Scæ-

L. 1. § fin. C. h. t.

L. filiusfamil. & C. famil. hercisc.

ta Scęuola noſter dubitabat: quia potuit & antè notus & amicus dare, potuit & nõ dare, niſi commilitium charitatem auxiſſet. Nobis itaq; uidetur, ſi ante commilitiũ factum ſit teſtamentũ, non eſſe peculij caſtrẽſis eam hęreditatem: ſi poſtea, contrà. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi à commilitone ſuo in ipſo cõmilitio ſit hæres inſtitutus. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis. cui concordat l.cum allegas.4. C.eod.tt. his uerbis*: Cum allegas, te à fratre tuo eodemq; commilitone in ijſdem caſtris inſtitutum hæredem: ſucceſsionem eius potius in caſtrenſi peculio tuo, quàm patri tuo, cuius in poteſtate es, per te quæſitam uideri, rationis eſt. etenim peregrinationis labor ſociatus commilitoni eius & obeundorũ munerum conſortium affectioni fraternæ nonnihil addidiſſe, quinimõ uice mutua chariores inuicem ſibi reddidiſſe, credendum eſt. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi teſtator in alia prouincia militet, quàm in qua hæres inſtitutus. Quæ duplicatio approbatur l.dotem.16. §.fin. ff.eod.tt. his uerbis*: Hęreditatem caſtrenſi peculio non uideri quęſitam, Papinianus reſpondit, quam frater patruelis in alia prouincia ſtipendia merens fratri patrueli, cum quo nunquam militauit, reliquit. Sanguinis etenim ratio, non militiæ cauſa meritum hæreditatis accipiendæ præbuerat. *Secunda replicatio eſt: Niſi ſeruus caſtrẽſis peculij, nõ ipſe filiuſfamiliâs à noto hæres ſit inſtitutus. Hæc replicatio approbatur l.de hæreditate.19. §.1. ff.d.tt. his uerbis*: Sed ſi ſeruus peculij caſtrenſis à quocunq; ſit hæres ſcriptus, iuſſu militis adire debebit hæreditatẽ, eaq; fiet bonorum caſtrenſis peculij. *Tertia replicatio eſt: Niſi ab uxore ſua filius hæres ſit inſtitutus. Quæ replicatio approbatur l.diuus.23. ff.de caſtrẽſi peculio, his uerbis*: Diuus Hadrianus reſcripſit in eo quem militantem uxor hæredẽ inſtituerat, filiũ extitiſſe hęredẽ, & ab eo hæreditarios ſeruos manumiſſos proprios eius libertos fieri. *Concordat l.dotem.16.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.exc.prox. Tertia exceptio eſt: Niſi uxor marito militanti dotem dederit uel promiſerit. Hæc exceptio approbatur d.l.16. in prin. his uerbis*: Dotem filiofamiliâs datam uel promiſſam, in peculio caſtrenſi non eſſe, Papinianus reſpondit. nec ea res contraria uidebitur ei, quòd diui Hadriani temporibus filiumfamiliâs militem uxori hęredem extitiſſe placuit, & hæreditatem in caſtrenſe peculium habuiſſe. Nam hæreditas aduenticio iure quæritur: dos autem matrimonio cohærens oneribus eius ac liberis communibus, qui ſunt in aui familia, confertur. *Quarta exceptio eſt: Niſi in militiam eunti prædia ſint donata. Hæc exceptio approbatur l.1. §. fin. C.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: In caſtrẽſi peculio prædiũ donatũ nõ eſſe cõſtat: quamuis empta ex caſtrenſi peculio prædia eius conditionis efficiãtur. *Concordat l. ſi filiusfam. 4. C.familiæ erciſcundæ, his uerbis*: Si filiusfamiliâs fuiſti, & res mobiles, uel ſe mouentes, quæ caſtrenſis peculij eſſe poſſunt, donatæ tibi à patre ſunt, eas quoq; in cætero peculio caſtrenſi non communes cum fratribus habes: prædia autem licet eunti tibi in caſtra filio pater donauerit, peculij caſtrenſis non ſunt. Diuerſo iure ea prædia habentur, quæ occaſione militiæ filijsfamiliarum obueniunt: hæc enim caſtrenſi peculio cedunt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi in caſtris per occaſionem militiæ adquiſierit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Diuerſo iure ea prædia habentur, quæ occaſione militiæ filijsfamiliarum obueniunt, &c. *Secunda replicatio eſt: Niſi in hæreditate quæ caſtrenſis peculij eſt, prædia ſint. Quæ replicatio approbatur l.1. ibi: in quibus ſunt etiam. C. de caſtrẽſi peculio. cuius uerba uide ſuprà ead.reg.in prin. Tertia replicatio: Niſi pecunia quæ eſt caſtrenſis peculij, prædia ſint comparata. Hæc replicatio approbatur d.l.1. §.fin. cuius uerba uide paulò ſuperius ead. except.in prin. Quinta exceptio eſt: Niſi cum is qui ſui iuris erat, occaſione militiæ quid adquiſiuiſſet, poſtea ſe adrogandum dederit. Hæc exceptio reprobatur l. miles.4. §.ſi pater. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Si paterfamiliâs militiæ tempore, uel etiam poſt miſsionem adrogandum ſe præbuerit: uidendũ erit, ne huic quoq; intelligatur earum rerum permiſſa adminiſtratio, quas ante adrogationem in caſtris adquiſierit: quamuis conſtitutiones principales de his loquantur, qui ab initio, cum eſſent filijfamiliarum, militauerint. quod admittendum eſt. *Sexta exceptio eſt: Niſi antequam in militiã proficiſceretur filius, ei fuerit donatũ. Quæ exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi ad res militares comparandas pecunia illi ſit data, eaq; pecunia res militares comparatæ. Quæ replicatio approbatur l.ſi mulier.3. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Si mulier filio uiri militi ad caſtrẽſes uel militares fortè res comparandas reliquerit pecuniam: utique caſtrenſi peculio ea quæ comparantur, adnumerari incipiunt.

II. QVAE SINT IVRA CAſtrenſis peculij.

I. *Regula: Pater in rebus caſtrenſis peculij nihil iuris habet. Quæ regula approbatur l.ex nota.10. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Ex nota Marcelli conſtat, nec patribus aliquid ex caſtrenſibus bonis filiorum deberi. *Concordat l.errat.3. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §.cap.9.quæſt.4. reg.8. Concordant item ea quæ dicta ſunt §.cap.prox. quæſt.1.de iure nouo, except.1.*

II. *Regula: Pater rem caſtrenſis peculij filio inuito auferre* non poteſt, nec alienare. *Quæ regula approbatur l.pater.12. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Pater, qui dat in adoptionẽ filium militem, peculium ei auferre nõ poteſt, quod ſemel iure militiæ filius tenuit. qua ratione nec emãcipãdo filium, peculium ei aufert, quod nec in familia retento poteſt auferre. *Concordat Inſt.quib.non eſt permiſſum facere teſt. §.ex hoc intelligere, his uerbis*: Cõſtat, quod in caſtris adquiſierit miles, qui in poteſtate patris eſt, neq; ipſum patrẽ adimere poſſe, neq; patris creditores id uẽdere, uel aliter inquietare, neque patre mortuo cum fratribus commune eſſe: ſed ſcilicet proprium eius eſſe, qui id in caſtris adquiſierit: quanquam iure ciuili omnium qui in poteſtate parentum ſunt, peculia perinde in bonis parẽtum computentur, ac ſeruorum peculia in bonis dominorum numerãtur: exceptis uidelicet ijs, quæ ex ſacris conſtitutionibus, & præcipuè noſtris, propter diuerſas cauſas non adquirun tur. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi cum pater rem peculij caſtrenſis alienaſſet, poſtea filio defuncto ad patrem peculium pertinere cœperit. Quæ exceptio approbatur l.qui res ſuas. 98. §.rem autem. ff.de ſolutionib. cuius uerba uide §.lib.48.cap.9.except.18. repl.7. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi eo tẽpore, quo dies alienationis cedit, filius adhuc uiuat. Quæ replicatio approbatur l.ex caſtrenſi.18. in prin. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: In ſumma, &c.

III. *Regula: Filius hæreditatem caſtrenſis peculij etiam citra iuſſum patris adire poteſt. Quæ regula approbatur l.miles.5. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Miles filiusfamiliâs à commilitone, uel ab eo quem per militiam cognouit, hæres inſtitutus, etiam citra iuſſum patris ſui arbitrio rectè pro hærede gerit. *Concordat l.de hæreditate.19. §.1. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.quæſt.proxim.except.2.repl.2.*

IIII. *Regula: Filiusfamiliâs rem caſtrenſis peculij etiam ſine conſenſu patris alienare poteſt. Quæ regula approbatur l.2. C.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Filiusfamiliâs alienationem nullius rei ſine uoluntate patris habet, niſi caſtrenſe peculium habeat.

V. *Regula: Actionem rerum caſtrenſium filius etiam inuito patre habet. Quæ regula approbatur l.miles.4. §.1. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Actionem perſecutionemq; caſtrenſium rerum ſemper filius etiam inuito patre habet.

VI. *Regula: Filius quatenus eſt in peculio caſtrenſi, tenetur creditoribus etiam non caſtrenſibus. Quæ regula approbatur l.ſi caſtr.7. ff.d.tt. his uerbis*: Si caſtrenſe peculium maritus habeat, in quantum facere poteſt condemnabitur: quia etiam non caſtrẽſibus creditoribus ex eo peculio magis eſt eum cogi reddere.

VII. *Regula: Pater caſtrenſibus creditoribus non tenetur. Quæ regula approbatur l.ex caſtrenſi.18. §.ſi quando. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Si quando ex eo peculio filius rem alienam bona fide tenebit: an pater eius in rem, uel ad exhibendum actionem pati debeat, ut cæterorum filiorum nomine, quæritur? Sed uerum eſt, cùm hoc peculium à patris bonis ſeparetur, defenſionis neceſsitatem patri non imponendam. Sed nec cogendus eſt propter æs alienum, quod filius peculij nomine, quod in caſtris adquiſiuit, confeciſſe dicetur, de peculio actionem pati. Et ſi ſponte patiatur, ut quilibet defenſor ſatiſdatò filium in ſolidum, non peculiotenus defendere debebit. Sed & eius filij nomine non aliter mouere actionem poteſt, quàm ſi ſatiſdederit eum rem ratam habiturum.

VIII. *Regula: Pater actionem caſtrenſis peculij mouere non poteſt, niſi ſatiſdederit filium rem ratam habiturum. Quæ regula approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Sed & eius filij nomine, &c.

IX. *Regula: Vſufructu rei caſtrenſis peculij extincto, plenam proprietatem filius habebit. Quæ regula approbatur l.pater.15. §.fin. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Si ſerui pater uſumfructum amiſerit, cuius proprietatem in caſtrenſi peculio filius habebat, plenam proprietatem habebit filius.

X. *Regula: Filio, non patri per ſeruũ qui eſt caſtrenſis peculij, adquiritur. Quæ regula approbatur d.l.15. §.ſi ſeruus, his uerbis*: Si ſeruus peculij quod ad filium ſpectat, ab extero ſtipuletur, aut per traditionem accipiat: ſine diſtinctione cauſarum res ad filium pertinebit. non enim ut filius duplex ius ſuſtinet, & patris & filijfamiliâs: ita ſeruus qui caſtrenſis peculij eſt, quiq; nullo iure, quamdiu filius uiuit, patri ſubiectus eſt, aliquid adquirere ſimpliciter ſtipulando uel accipiendo patri poteſt. Quæ ratio ſuadet, ut ſi ab ipſo patre ſeruus, qui ad filium pertinet, ſtipuletur ex quacunq; cauſa, uel traditum accipiat, ſic adquiratur filio res & ſtipulatio, quemadmodum ſi extero promiſiſſet: quia perſona ſtipulantis & accipientis ea eſt, ut ſine differentia cauſarum, quod per eum agitur, emolumentum filij ſpectet.

XI. *Regula: In caſtrenſi peculio inter patrem & filium qui in eius eſt poteſtate, obligatio ſimul & actio conſiſtit. Quæ regula approbatur d.l.15. §.1. his uerbis*: Si ſtipulanti filio, &c. *Sed plura de hac re uide §. lib.36.cap.3.except.5.*

XII. *Regula: Pater rem caſtrenſis peculij uſufructu & cæteris ſeruitutib. liberare poteſt: item ſeruitutes illis poteſt adquirere, imponere autem non poteſt. Quæ regula approbatur l.ex caſtrenſi.18. §.ſeruos. ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Seruos ex eo peculio uſufructu, item prædia tam uſufructu quàm cæteris ſeruitutibus pater liberare poteſt

poterit: sed & seruitutes his adquirere. Id enim & eum, cui bonis interdictum est, uerum est consequi posse. neq; autem seruis ex eo peculio, neq; prædijs usumfructum uel seruitutem imponere pater potest.

Reliqua castrensis peculij intra suis subiecta sunt locis. Sed & huc pertinet successio in peculium castrense, filio mortuo: de qua sequitur.

III. DE SVCCESSIONE IN castrense peculium, filio mortuo.

I. QVIBVS ISTA SVCCESsio competat?

I. *Regula: Testamento facto, peculium illud ad hæredem scriptum pertinet: quia licet filiofamiliâs de castrensi peculio testari. Quæ regula approbatur per ea quæ habentur ff. lib. 28. cap. 7. in prin. Sed & huius regulæ exceptiones tot sunt, quot aduersus testamẽta exceptiones: de quibus d. lib. 28.*

II. *Regula: Intestato mortuo filio, peculium castrense ad patrem pertinet. Quæ regula approbatur per ea quæ proponentur paulò inferius reg. 4. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi scriptis hæredibus deliberantib. pater decesserit, posteaq; illi hæreditatem ex testamento repudiauerint. Quæ exceptio reprobatur l. propon. 9. ff. de castrensi peculio, his uerbis:* Proponebatur filiusfamiliâs miles testamento facto extraneum hæredẽ scripsisse, patre deinde superstite decessisse: pater, deliberante hærede instituto, & ipse diem functus esse: deinde hæres institutus repudiasse hæreditatem. quærebatur, ad quem castrense peculium pertineret? Dicebam, castrense peculium filiifamiliâs, siquidem testatus decessisset, quasi hæreditatem deferri hæredi scripto, siue extraneum scripsisset hæredẽ, siue patrem. Sed cum nihil de peculio decernit filius, non nunc obuenisse patri, sed non esse ab eo profectum creditur. Deniq; si seruo filij castrensi libertatem pater adscripserit, moxq; filius uiuo patre defunctus sit, non impeditur libertas: cum si filius patri superuixerit, impediatur libertas. Vnde Marcellus putat, necessarium quoq; hæredem seruum filij peculiarem patri existere posse, si filio pater superuixerit. Idem referebam, & si rem peculiarem filij pater legauerit. nam eodem casu, quo libertatem cõpetere diximus, legatum quoq; uel debebitur, uel impedietur. Quib. ita præmissis, & in proposito dicebam, cum hæres non adijt hæreditatẽ, retrò peculium patris bonis accessisse. Vnde posse dici, etiam patris bona aucta per hanc repudiationem: nec esse nouum, ut ex pòst facto aliquis successorem habuisse uideatur. Nam & si filius eius qui ab hostibus captus est, decẽsserit, patre captiuo uiuo: siquidem pater regrederetur, quasi filiusfamiliâs peculium habebit. Enimuerò si ibidem pater decesserit, quasi paterfamiliâs legitimum habebit successorem, & retrò habuisse credetur eius successor. Ea quoq; quæ medio tempore filiusfamiliâs iste quæsijt, non hæredi patris, sed ipsi filio quæsita uidebuntur. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi filius liberis uel parentibus proximioribus relictis decesserit, per hos enim parens, in cuius potestate filius defunctus fuit, excluditur. quæ exceptio approbatur in bonis maternis & nuptialibus, quorum parens usumfructum tantùm habuit, l. quos scitis. 3. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba uide* ſ. *cap. prox. quæſt. 4. reg. 11.*

II. QVID VENIAT IN SVCcesione castrensis peculij.

III. *Regula, De eo quod seruus castrensis peculij ante aditam hæreditatem adquisiuit uel stipulatus est, proponitur l. in eo. 33. ff. de adquir. rerum dom. his uerbis:* In eo quod castrensi seruo ante aditam hæreditatẽ filiifamiliâs militis legatur, uel in eo quod stipulatur seruus, tractatur apud Marcellum lib. XXX. ex cuius persona uel stipulatio uires habeat, uel legatum? & puto uerius, quod & Scæuolæ uidetur, & ipse Marcellus tractat, siquidem adeatur hæreditas, omnia ut in hæreditario seruo: si uerò adita non sit, ut in proprio patris esse spectanda. Et si ususfructus fuerit huic seruo relictus, modò patri uideri delatum, modò hæredi: nec à persona in personam creditur tranſisse. Eadem distinctione quis utetur, etiamsi res fuerit subtracta: aut cessare, aut non furti actionem dicet, si ex testamento adierit: quoniam hæreditati furtum non fit: aut si nõ adierit, patri dabitur furti actio: nam & condictio. *Concordat l. filiusfam. 14. ff. de castrensi peculio, his uerbis:* Scriptis hæredibus deliberantibus, quod seruus interim stipulatus est, uel ab alio sibi traditum accepit (quod quidem ad patris personam attinet) si fortè peculium apud eum resederit, nullius momenti uideatur: cùm illo tempore non fuerit seruus patris. Quod autem ad scriptos hæredes, in suspenso fuisse traditio, itemq; stipulatio intelligatur. Vt enim hæreditarius fuisse credatur, post aditã hæreditatem fit. Sed paterna uerecundia nos mouet, quatenus & in illa specie, ubi iure pristino apud patrem peculium remanet, etiam adquisitio stipulationis uel rei traditæ per seruum fiat. *Concordat d. l. 14. §. fin. his uerbis:* Legatum quod ei seruo relictum est (quamuis tunc propter incertum nulli sit adquisitum) omisso testamento, patri tunc primùm per seruum adquiretur: cum si fuisset exemplo hæreditatis peculio adquisitum, ius patris hodie non consideraretur. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi seruus castrensis peculij cum alio sit communis. tunc enim socio in solidũ adquiritur. Quæ exceptio approbatur l. si seruus. 19. in*

28. in prin. ff. de stipulat. seruorum. cuius uerba uide ſ. *lib. 22. cap. 2. reg. 8. except. 5.*

III. QVOMODO SVCCESSIO competat?

IIII. *Regula: Patri, mortuo filio, peculium castrense non tanquam hæreditas obuenit, sed tanquam peculium filij. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. 2. ff. de cast. pec. his uerbis:* Si filiusfamiliâs miles decesserit, siquidẽ intestatus, bona eius non quasi hæreditas, sed quasi peculium patri deferuntur: si autem testamẽto facto, hic pro hereditate habetur castrense peculium. *Concordat l. 2. ff. eod. tt. his uerbis:* Filijfamiliâs militis peculium si apud patrem remansit, sine testamento filio defuncto, pater ipsi hæres non fit: sed tamen hæres his fiet, quibus filius fuit. *Concordat item l. proponebatur. 9. §. dicebam. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ſ. *reg. 2. Item concordat l. intelligis. 5. C. eod. tt. his uerbis:* Intelligis, filio qui militauit defuncto, peculiũ eius penes patrem remansisse, non hæreditati patri quæsitam. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi pater à filio hæres scriptus, hæreditatem adierit. Quæ exceptio uerbis iam propositis approbatur.*

IIII. EVENTVS SVCcessionis.

V. *Regula: Pater, si sine testamento defuncto filio successit in peculium, actionibus aduersus filium competentibus tenetur tanquam actione de peculio: & ideo post annum à morte filij præscriptione utetur. sin autem hæres à filio scriptus ex testamento hæreditatem adierit, præscriptione iam dicta non utetur. Quæ regula approbatur l. pater. 17. in prin. ff. de castrensi peculio, his uerbis:* Pater qui castrense peculium intestati filij retinebit, æs alienum intra modum eius & annum utilem iure prætorio soluere cogitur. Idem, si testamento scriptus hæres extiterit, perpetuò ciuiliter ut hæres cõuenitur. *Huius regulæ exceptio est: Nisi pater, omissa causa testamenti, castrense peculium posse dit. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur d. l. 17. §. pater, his uerbis:* Pater à filio milite, uel qui militauerat, hæres institutus, testamenti causam omisit, & castrense peculium possedit. legitimi hæredis exemplo cogetur ad finẽ peculij perpetuò legata præstare. Quòd si filius post annum quàm militare desierat, iure communi testamento facto uita decessit: ratione Falcidiæ retinebitur quarta. Cæterùm si testamẽti causam pater omisit, cum peculium creditoribus soluendo non esset: nihil dolo uidebitur fecisse, quamuis temporis incurrat compendium. *Hactenus, quæ sint iura patriæ potestatis, expositum est. Plura huiusmodi iura uide* ſ. *cap. 8. quæſt. 5.*

DE NATVRALIBVS LIberis. Cap. IIII.

EA quæ hactenus dicta sunt de patria potestate, exceptionem recipiunt in liberis naturalibus. Ideoque de his nobis hic tractandum est. Naturales autem liberi dupliciter dicuntur: primùm ij quos ex iustis nuptijs procreauimus, non adoptauimus. In hac significatione sumitur inſt. de adoptionibus, in prin. cuius uerba uide ſ. cap. 1. quæſt. 4. reg. 2. De his nihil in hoc Capite dicetur. Alio modo naturales liberi dicuntur, quos procreauimus quidem, sed non ex iustis nuptijs: qui aliàs dicuntur illegitimi. De his in hoc Capite agetur.

I. ORIGO NATVRALIVM liberorum.

De origine horum proponitur Nouell. c. 89. §. ac natura, his uerbis: Natura quidem, cum initiò inter homines procreandorum liberorum ratio moribus constituebatur, nondum scriptis propositis legibus, ad unũ omnes tum liberos, tum generosos produxit. Nam primis illis parentibus primi filij æquè tum liberi, tum legitimi erãt iam inde ab ipsa procreatione. Sed bella & pugnę, uoluptates & concupiscentiæ prorsus eam rem ad aliam formam deduxerunt. seruitutem nanq; bellum, illegitimorum ius temperantię ac castitatis excessus inuenit. *Concordat Nouell. c. 74. §. liceat igitur. uers. neq; enim à principio. cuius uerba uide* ſ. *eod. cap. quæſt. 3. causa 3. in prin. Item concordat d. Nouell. c. 89. §. sed et illud. ibi: neq; enim initio. cuius uerba uide* ſ. *d. causa 3. in prin.*

II. DEFINITIO AC SPECIES naturalium liberorum.

I. *Regula: Naturales liberi (ut paulò superius dictũ est) hic dicuntur, qui non ex iustis nuptijs sunt procreati. Quæ definitio proponitur inſt. de nuptijs. §. si aduersus ea. cuius uerba uide* ſ. *lib. 14. cap. 2. quæſt. 3. reg. 1. Concordat Nouell. c. 89. §. legitimi certè, his uerbis:* Legitimi hominibus successores ex ipsis, quas inter se contrahunt, nuptijs proueniunt, siue dotalium instrumentorum interuentu, siue etiam absque ijs, sic prorsus masculis congredientibus cum fœminis, ut ab initio legitimarum cum ipsis coeundarum nuptiarum affectionem habeant. Atque hoc cùm calumnijs cerneremus expositum, lege distinximus, tum quid ab his qui benignitate fortunæ ad dignitates subuecti sunt, tum quid ab his qui in medio illo hominum statu consistunt, ad legitimas cõprobandas nuptias fieri oporteat, quid item reliquæ concessum sit multitudini. Vnde nuptijs ad eũmodum procedentibus, suapte iam natura successiones manifestæ sunt: & lex protinus illis, siquidem inter legitimos connumerentur, successionum rationem explicat, plurimum circa has negocij & laboris desumẽs. Legitimorum igitur ius ad hunc fermè mo-

dum se habet. Quod uerò nõ eiusmodi, sed liberum quidem, non autem legitimis editum est nuptijs: aut etiam in seruitute natũ, tametsi libertate donetur, spurium tamẽ manet: hoc ad ius legitimorum uarij modi deferunt. *Propositæ definitionis exemplum est, Si nuptiæ sine patris consensu sint contractæ. ex istis enim nuptijs progenitus iustus filius non dicitur, sed naturalis. Quod exemplum proponitur l. respondit. ff. de statu hominum. cuius uerba uide suprà lib. 14. cap. 2. quæst. 3. reg. 1. Aliud exemplum est, Si cum seruo nuptiæ sint contractæ, & ex eo coitu liberi nati. Quod exemplum proponitur l. si ignorans. 3. C. soluto matrim. cuius uerba uide suprà lib. 14. cap. 4. except. 35.*

II. *Regula: Naturales & illegitimi liberi non dicuntur, qui ex iustis nuptijs sunt procreati. Quæ regula cõstat ex supradictis. Eius autem uidentur aliquot esse exceptiones. Quarum prima hæc est: Nisi ex eo matrimonio, quod sine instrumentis dotalibus contractũ est, sint nati. Quæ exceptio reprobatur Nouell. c. 117. §. sed & hoc, his uerbis:* Sed & hoc præsenti nobis constitutioni adijcere uisum est, ut si quis affectione maritali, nullo scripto interueniente, mulierem duxerit, & filios ex ea procreauerit: soluto q; matrimonio cum ipsa habito, aliam eum uxorem ducere cum dotalibus instrumentis, & cõsimiliter filios ex hac procreare cõtigerit: ne quod illis qui ex indotata uxore nati sunt filij, circa paternam hæreditatẽ præiudicium generetur: sed unà cum reliquis filijs, ex secunda uxore natis, quæ cum dotalibus instrumentis in matrimonio fuit, uocentur & illi ad patris hęreditatem: nimirũ cùm sola etiam affectione matrimonium possit consistere. Quod similiter obtinere uolumus, etsi primùm dotalibus instrumentis interuenientibus uxori copulatus quis fuerit, post illã uerò aliam duxerit sola affectione maritali. *Secunda exceptio uidetur esse:* Nisi *matrimonium, ex quo liberi nati sunt, postea per diuortium sit solutum. Et hæc exceptio reprobatur d. c. 117. §. sed & illud. cuius uerba uide* 5. *cap. 1. quæst. 5. reg. 10. except. 8. Tertia exceptio est:* Nisi *pater liberos suos legitimos esse nolit. Et hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 74. §. quoniam autem, cum sequentibus. cuius uerba uide* 5. *lib. 14. cap. 4. except. 6. repl. 5. Quarta exceptio est:* Nisi *partus sit monstrosus aut prodigiosus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. non sunt. 14. ff. de statu hominum, his uerbis:* Non sunt liberi, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur: ueluti si mulier mõstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. Partus autem qui membrorum humanorum officia ampliauit, alicuius uidetur effectus: & ideo inter liberos connumerabitur. *Contradicit l. quæret aliquis. 135. ff. de uerbor. signif. cuius uerba uide infrà lib. 50. cap. 4. in uerbo Liberorum.*

III. CAVSAE SEV MODI, quibus naturales efficiuntur legitimi.

I. *Causa: Si filius naturalis offeratur curiæ, legitimus efficitur: uel filia naturalis nupta decurioni, similiter legitimatur. Quæ causa approbatur Nouell. c. 89. §. primus itaq;, his uerbis:* Primus modus ad legitimorum ius perueniendi protinus ipsas etiam ciuitates adiuuat, quę piæ recẽtioris q; memoriæ Theodosius introduxit. Sancitũ nanq; ab illo est, ut quis naturales filios, uel omnes, uel ex ijs certos possit offerre curijs, aut filias iungere decurionibus. *Concordat d. c. 89. §. si quis igitur, his uerbis:* Si quis igitur naturalium filiorum pater sit, siue & ipse decurio sit, siue curiæ nexu liber, licentiam habebit hoscе, aut certos ex ijs (siue legitimorũ præterea filiorum pater sit, siue non, sed solummodò naturaliũ) offerre curię, etsi filij susceperit illustres dignitate sint, nisi tã ampla fortè, ut homines, tametsi decuriones, hac fortuna liberos redderet & immunes. Siue autem oblationis modus à patre fiat adhuc superstite, cũ quis in communi confessu filium offerat: id enim in Philocalo factum est, qui naturalis existens, à patre in Bostrenorum ciuitate decurio factus est, cũ pater hoc ipsum publicè ante omnium illic conspectũ protulisset, & ita ipsũ obtulisset curiæ, prout Leonis pientissimi principis de hoc conscripta inquit constitutio. Siue igitur eo modo publica proclamatione aliquis à patre fiat decurio, siue moriens pater in testamento scripserit fieri eum decurionem debere, deindeque is scripturam amplectatur: protinus fit legitimus, in uniuersum iure illegitimorum liberatus. Siue etiã defuncto patre seipsum filius aut filij offerant, non tamẽ subsistente prole legitima: erunt sic quoq; legitimi & decuriones. Proinde pater quidem, uel existẽtibus legitimis, etiam illegitimos filios curię offerre poterit: qui uerò sua spõte ad id progreditur, tunc solùm audietur, cum nemo ex legitimis superśit filijs. *Concordat item causæ propositæ Inst. de nuptijs. §. fin. cuius uerba uide §. causa prox. Item concordat l. si quis. 3. in prin. C. de naturalib. liberis, hisce uerbis:* Si quis naturalem duntaxat fœcunditatem sortiatur, seu liber ipse, seu curiæ nexibus sit obligatus: & tradendi filios naturales uel omnes, uel quos quemúe maluerit, eius ciuitatis curiæ, unde ipse oritur, & in solidum hæredes scribendi liberam ei concedimus facultatẽ. Quòd si cui non ex urbe, sed uico uel possessione qualibet oriundo naturales liberi contigerint, eosq; uelit sub definitione prædicta curiæ splendore honestare, & hæreditatis opibus adiuuare: eius ciuitatis adscribendi sunt ordini, sub qua uicus ille uel possessio

sessio censeatur. Quòd si alterutram regalium ciuitatũ patriam sortiatur, sit ei liberum susceptam ex inæquali coniugio sobolẽ cuiuscunq; ciuitatis decurionibus immiscere: dummodò ciuitas quæ eligitur, totius prouincię teneat principatum. Indignum enim est, ut qui sacratissimæ urbis ubere gloriatur, naturales suos non illustris ordine ciuitatis illuminet. Hæc siue postrema definiat, siue donationem cuiuslibet quantitatis in liberos naturales pater cõferat. *Concordat item d. l. 3. §. fin. his uerbis:* Sed & si filiam naturalem uel filias habuit, & eam uel eas curiali uel curialibus ciuitatis, ex qua oriundus est, uel sub qua uicus uel possessio unde oritur constitit, uel eius ciuitatis quæ principatum totius prouinciæ tenet, matrimonio collocauit: hçc eadem in persona eius uel earum ad exemplum marium obtinebũt. Quid enim interest, utrũ per filios, an per generos commoditatibus ciuitatum cõsulatur: & utrum nouos lex faciat curiales, an foueat quos inuenit? *Concordat denię; Nouell. c. 89. §. atq; hæc similiter, his uerbis:* Hæc similiter sancimus tam in masculis qui oblati sunt curiæ, quàm filiabus quæ nubunt decurionibus, nulla differentia existente, siue per liberos masculos aliquis curialia subeat munia, siue filiarum interuentu per generos ampliorem reddere curiam uoluerit, & (quantum ad ipsum) per suos liberos prioribus nouos decuriones illorum adijcere filios. *Hactenus propositæ causa approbata est. Eius autem prima exceptio hæc est: Nisi alterius, quàm ex qua oriundus est, ciuitatis curiæ filius sit oblatus. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 3. in prin. C. de naturalibus liberis. cuius uerba uide paulò superius. Concordat Nouell. c. 89. §. igitur si quis, hisce uerbis:* Si quis ex aliqua ciuitate originem trahat, siue decurio, siue etiam eiusmodi fortuna liber: poterit utique naturalem filium suum ciuitatis illius, unde originem ducit, offerre curiæ. Si uerò ciuis ipse non sit, sed ex prędio aliquo libero aut pago sit: à patre offeratur, uel seipsum illi ciuitati offerat, sub qua id prædium aut pagus censetur. *Huius exceptionis replicatio est talis:* Nisi *ex urbe Roma aut Byzanto originem ducat. tunc enim cuiuslibet ciuitatis, dummodò metropolis sit, curiæ filium offerre potest. Quæ replicatio approbatur d. §. igitur si quis, in fine, his uerbis:* Cæterùm si ex his, qui naturales suos offerre possunt curijs, quispiam uel ex ampla hac urbe, uel insuper ex seniore Roma originem habeat: huic licẽtiam damus, ut in quamcunq; metropolim uelit, oblationem peragat. Eandemq; regulam esse uolumus & in filiabus, ut iungere eas decurionibus uel eius ciuitatis, unde originem trahit, aut sub qua prædium aut pagus censetur, liceat: uel si quis liber simul & Romanus aut Byzantius sit, alicui cuiuscunque alterius ciuitatis, metropoleos tamen. *Concordat d. l. 3. in prin. ibi: quod si alterutram. C. de naturalibus liberis. cuius uerba uide suprà cad. causa, in prin. Secunda exceptio est:* Nisi *filius curiæ oblatus ex ancilla sit natus. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 89. §. certè tantam, his uerbis:* Certè tantam curiarum sollicitudinem gerimus, & ita nobis hæc ad ius legitimorum perducendi ratio placet, ut decurioni, qui naturalium duntaxat filiorum pater est, etsi ex ancilla eos susceperit, manumittere ipsos, & (ut à nobis dictum est) offerre curiæ permittamus. Insuper etiam magnificẽtius eam rem sancimus, ut tametsi pater non offerat, simulatque tamen semel filius liber factus sit, possit uel seipsum offerre curiæ, uidelicet hoc quoq; casu legitima prole non subsistente. *Concordat d. c. 89. §. insuper & si, his uerbis:* Et si ex ancilla natos habeat, siquidem uel superstes eos, uel in testamento manumiserit, obtuleritque curiæ: amplexãtor hi quoque, & decuriones sunto, prout testator uoluerit, ipsorúmue desiderium constituerit. *Tertia exceptio est: Nisi filius qui curiæ offertur, à curiali fortuna sit liber. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 89. §. si quis igitur. ibi: nisi tam ampla fortè. cuius uerba uide §. ead. causa, in princip. Quarta exceptio est:* Nisi *filius in testamento curiæ oblatus, illam conditionem recuset. Hæc exceptio approbatur d. §. si quis igitur. ibi: deindeq; is scripturam amplectatur. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi *cum filius uoluntatem patris recusasset, postea inueniatur aliquid ex bonis patris possidere. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 3. & quod de. C. de naturalibus liberis, hisce uerbis:* Quod de subeunda sorte curiali seu testamento, seu actorum fide pater constituit, ita ratum esse & stabiliter uolumus obseruari, ut siue abstinendo hęreditatibus, siue abdicando donationes, naturales liberi curialem uoluerint euitare fortunam, postęaque paternarum opum uel in solidum, uel ex parte reperti fuerint possessores: licet eas alienauerint, omnimodò ad conditionem, in qua pater eos amplificatis opibus esse uoluit, etiam inuiti cogantur accedere. *Concordat l. quoniam. 4. C. eod. tt. cuius uerba uide §. li. 29. cap. 13. except. 14. replic. 7. Item concordat Nouell. c. 89. §. enimuerò si cum, his uerbis:* Si cum initiò filij oblationem recusent, malintque manere liberi uel cum macula & iure illegitimorum, quàm ditiores fieri & decuriones existere: pòst deinde uideantur uel in solidum, uel pro parte donatas aut testamento relictas res possidere, aut etiam alienasse: omnino curiali fortunæ uel inuiti obnoxij erunt, ne quo modo hanc nobis corrumpere uideantur sanctionem, & cum lucra per causam oblationis captent, fortunam à se repellant, per quam tamen lucro dignati sunt. Se-

cunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi filius semel uoluntatem patris agnouerit. Hæc replicatio approbatur d.c.89 §.simulatq;,his uerbis: Simulatq; uerò semel illi oblationem amplexi sunt, & propterea ad legitimos conscenderunt, non permittimus ut à paterna hereditate abstineant,aut denuò putent ab ea fortuna discedere posse, si in ipsos collatâ & agnitam à se donationem dimittant.Manentes enim decuriones, relictũ donatúmue secundum mensuram à nobis prædictam obtinebunt. *Quinta propositæ causæ exceptio est: Nisi naturalis curiæ oblatus, fratres habeat legitimos. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.89.§.siue etiã defuncto patre.cuius uerba uide ẽ.ead.causa,in prin.Concordat d.c.89.§. certè tantam,in fine.cuius uerba uide ẽ.except.2. Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi non ipse filius seipsum offerat,sed à patre offeratur. tunc enim,quamuis pater alios quoque filios legitimos habeat,tamen oblatio ualet.* Quæ replicatio approbatur *d.§.siue etiam defuncto.Concordat d.c.89.§.si quis igitur naturalium. cuius uerba uide itidem ẽ.ead.causa,in prin. Concordat item d.c.89.§.illud autem, his uerbis:* Illud iam antè constat, quòd si pater quidem, aut auus, aut quicunque inter ascendentes parens ipsum obtulerit, licet legitimos habeat filios,possit tamen hoc facere. Si uerò quis seipsum offerat,tunc demũ permittimus,cum non alij legitimi fratres subsunt. *Concordat item l.communium.9.§.fin.C.de naturalibus liberis,hisce uerbis:* Quoniam omnimodò fauendum est curijs ciuitatum,illud etiam in hanc partem addendum esse censemus,ut liceat patribus naturales filios curiæ patriæ suæ tradere,non solùm nulla eis legitima sobole existente, sed etiamsi filios uel alios liberos ex legitimis matrimonijs procreatos habeant, & eo modo naturales quoque filios sibi legitimos successores efficere. *Sexta exceptio est:Nisi de alterius hæreditate,quàm eius qui filium obtulit,quæstio sit, tunc enim curiæ oblatus pro legitimo in ista hæreditate non habetur.* Quæ exceptio *approbatur d.l.9.in prin. C. de naturalibus liberis, his uerbis:* Communium rerum esse utilitatem rectè iudicantes, lucidis & omni ambiguitate segregatis legibus uti nostro subiectos Imperio, ad præsentem sanctionẽ uenimus: per quam omni dubitatione amputata, quę usque adhuc obtinebat, certissimum facimus, ut quoties naturales filij curiali fortunæ patriæ sui genitoris adsignantur,uel adhuc uiuente patre,uel post eius obitum, pro dispositione testamenti ab eo conditi, & eo modo legitima iura in paterna successione adipiscantur,ut(quod rectè fieri minimè dubium est) licet illustrem dignitatem, ex qua curialis fortunæ liberatio competere non potest, naturales filij antea meruerint: ne permittatur eis contra substantiam ab eodem naturali patre descendentiũ,uel ascendentium, uel ex latere adgnationis uel cognationis iure eidem patri coniunctorum (licet ipsi legitimi successores eidem naturali patri per memoratam fortunam efficiantur) aliquod ius sibi uindicare. Quod & in his locum habebit, qui iam à naturali patre curiali conditioni traditi,& adhuc superstites sunt: eodem scilicet modo necillis contra substantiam eiusdem naturalis filij, uel ex eo descendentium, uel ascendentium, uel à latere coniunctorum, aliquod sibi ius uindicare ualentibus. *Concordat Nouell.c.89 §. eum autem,his uerbis:* Eum filium,qui per huiusmodi causam ad ius legitimorum redactus est,dũtaxat ei qui ipsum genuit, legitimum reddimus,non uerò etiam triplici illi cognationi patris (nempe eorum ex quibus uel ipse progenitus est,uel qui ex utroque consistunt latere, uel qui ex ipso processerunt) quodam ueluti commento eum cognatum facimus. Sancimus enim,ut naturalis filius, qui offertur curiæ, patri solummodò legitimus successor fiat,nõ tamen ut communionem aliquam habeat cum ascendẽtibus aut descendentibus, aut ex transuerso adgnatis cognatisque paternis,uel etiam communionem aliquam habeat in illorum successione.Consimile priuilegium ipsi quoque dantes,ut sicut nec cognatis patris,necillis sit iste successor: ita nec illi ad eius uocentur successionem,nisi ipse uel illos hæredes scribat, uel ab illis scribatur. soli enim patri legitimi fiunt,credunturque esse cognati. *Hæc de prima causa.*

II. *Causa legitimationis filiorum est,subsequens matrimonium.quæ causa approbatur l.diui.5 C.de naturalibus liberis,hisce uerbis:* Diui Constantini,qui ueneranda Christianorum fide Romanum munuit Imperium,super ingenuis concubinis ducendis uxoribus, filijs quinetiam ex ijsdem uel ante matrimoniũ,uel postea progeniris, suis ac legitimis habendis,sacratissimam constitutionem renouantes:iubemus, eos qui ante hanc legem ingenuarum mulierum,nuptijs minimè intercedentibus,electo contubernio,cuiuslibet sexus filios procreauerint, quibus nulla uidelicet uxor est, nulla ex iusto matrimonio legitima prole susceptа,si uoluerint eas uxores ducere,quę antea fuerant concubinæ,tam cõiugium legitimum cum huiusmodi mulieribus ingenuis (ut dictum est)posse contrahere,quàm filios utriusque sexus exearundẽ mulierum priore contubernio procreatos, mox postquam nuptiæ cum matribus eorum fuerint celebratæ,suos patri & in potestate fieri:uel cum his qui postea ex eodem matrimonio susceptі fuerint,uel solos, si nullus alius deinde na-

inde nascatur, tam ex testamento uolentibus patribus etiam ex integro succedere, quàm ab intestato petere hæreditatem paternam: pactis quæ matrimonij tempore super dotibus uel ante nuptias donationis rebus subsecuta fuerint,etiam ad ipsorum personas pertinentibus: ut unà cum fratribus suis postea ex ijsdem parentibus fortè progenitis, aut soli (si nullus alius sit procreatus) dotis aut ante nuptias donationis pro tenore legum,nec minus pactorum,emolumẽta recipiant. Hi uerò qui tempore huius sacratissimæ iussionis nondum prolem aliquam ex ingenuarum concubinarum cõsortio meruerũt,minimè huius legis beneficio perfruantur:cum liceat eisdem mulieres sibi prius iure matrimonij copulare,nõ extantibus legitimis liberis aut uxorib. & legitimos filios (utpote nuptijs præcedentibus) procreare:nec audeant,quos ex ingenua cõcubina, dilato post hãc legem matrimonio, nasci uoluerint,ut iusti ac legitimi postea uideantur,magnopere postulare. *Concordat proposita causæ l.iubemus.6.§.nihilominus.C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.causa 4. Concordat item Inst.de nuptijs.§. fin.his uerbis:* Aliquando euenit, ut liberi qui statim ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea rediganturin potestatem patris: qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus potestati patris subijcitur:necnõ is qui à muliere libera procreatus,cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione,dotalibus instrumentis compositis,in potestate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati,similiter nostra constitutio præbuit. *Ait Imp.* Ex nostra constitutione.*Hæc constitutio habetur l.cum quis.10.C.de naturalibus liberis,his uerbis:* Cum quis à muliere libera, & cuius matrimonium non est legibus interdictum, cuiusq; consuetudine gaudebat,aliquos liberos habuerit, minimè dotalibus instrumentis compositis: postea autem ex eadem affectione etiam ad nuptialia peruenerit instrumenta, & alios iterum ex eodem matrimonio liberos procreauerit:ne posteriores liberi,qui post dotem editi sunt, sibi omne paternum patrimonium uindicare audeant, quasi iusti & in potestate effecti, fratres suos qui ante dotem fuerãt nati,ab hæreditate paterna repellentes:huiusmodi iniquitatem non esse ferendã censemus.Cum enim affectio prioris sobolis & ad dotalia instrumenta efficienda,& ad posteriorem filiorum educandam progeniem præstitit occasionem: quomodo non est iniquissimum,ipsam stirpem secundæ posteritatis priorem quasi iniustã excludere: cum gratias agere fratribus suis posteriores debeant, quorum beneficio ipsi sunt iusti filij, & nomen & ordinem consecuti? neque enim uerisimile est,eum qui postea uel donationem, uel dotem conscripsit, & ab initio talem affectionem circa mulierem non habuisse, quæ eam dignam esse uxoris nomine faciebat.Quapropter sancimus,in huiusmodi casibus omnes liberos, siue ante dotalia instrumenta editi sunt,siue postea,una eademq; lance trutinari,& omnes filios suos & in potestate suis existere genitoribus, ut nec prior,nec iunior ullo habeatur discrimine: sed qui ex ijsdem maioribus procreati sunt,& simili perfruantur fortuna. *Concordat deniq; Nouell.c.89.§.reliquum est,his uerbis:* Si quis ad liberam initiò mulierem,aut etiam libertinam (cum qua tamen fas sit matrimonium colere) concubinæ loco illi adhærẽtem dotalia conscribat instrumenta, siue legitimorum iam filiorum pater constitutus,siue nullos eiusmodi filios habens, ut & nuptiæ legitimæ sint, & filij, tam qui antea susceptі sunt,quàm qui adhuc gestantur in utero, æquè legitimi & patri sui existant, sancimus. Et ut maximè posthac filij ei non nascantur, aut nati mortem obeant: nihilominus tamẽ prior proles legitima extitit. Nam cum ea ipsa affectio, quam circa progenitos iam sibi filios habuit, quæ etiã ad dotale ipsum prouocauit instrumentum, eadem posterioribus filijs ansam porrexerit,ut & ipsi legitimorum ius obtineant: absurdum sanè fuerit,bonam illam occasionem, quam postea nati inuenerunt filij, & à prioribus desumpserunt, non item prioribus legitimorũ ius, simul & nullis calumnijs expositam paternam dare posse successionem:cum manifestissimum sit, quòd posteriores quidem filij ex lege patri sui facti sunt,præbente hoc eis dotali instrumento:dotale autẽ instrumentum initium & occasionem habuit ex præcedente consuetudine. Quapropter unum eundemq; ordinem utrisque attribuimus, & exinde consecutas calumnias pluribus constitutionibus subuertimus: illo dicto, quòd tametsi pater alios postea filios non procreet,nihilominus tamen sic quoque legitimos habeat filios, si dotalia instrumenta cõficiat.Nam ut alij quidem ei gignerentur filij, in potestate fortasse & arbitrio fortunæ positum fuit,quemadmodum & ut nati eriperentur.Cæterùm significationem illam affectionis de prioribus editam,quę nimirum uel ante dotalia instrumenta legitimorum ius adhibuit, nihil eius generis est, quod sanè penitus potuerit eripere.Multóque magis ex probabilibus rationibus hoc

appositum est,si ante dotalia quidem instrumenta fœtus gestaretur in utero, post dotalia uerò ederetur,quòd is sibi ipsi auxilio sit, ut qui uel ante se editis hoc præstare possit. Adeoq; inuenta à nobis est ratio quædam regulæ uim obtinens,quæ pulcherrimè nobis omnia,quę de statu nascentium dici possunt,explicat.Nam cum dissidium ac dubitatio incidit, conceptionis ne tempus potius,an natiuitatis attendendũ sit:prorsus sanximus,ut propter puerorum utilitatem non tempus cõceptionis,sed partus spectaretur: ita quidem,ut si huiusmodi aliquas circumstantias & factorũ species cõtingat excogitari, in quibus cõducibilius sit tẽpus cõceptionis quàm tẽpus partus, nostro iussu illud potius obtineat, quod nascẽti magis expedit. *Ait imp.* Adeoq; inuenta à nobis est ratio. *scilicet l.nuper.11. §.fin. C. de naturalib.liberis, de qua re ĩ. except.3.dicetur.*

Hactenus igitur leges,quibus causa proposita approbatur, expositæ sunt: nunc eius exceptiones sunt exponendæ. Harum prima hæc est: Nisi matrimonium inter patrem & matrem filij naturalis iure nõ subsistat. Hæc exceptio approbatur inst.de nuptijs.§.fin.ibi:cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat. cuius reliqua uerba uide ẽ.ead.causa,in prin. Concordat l.cum quis.10.in prin.C.de naturalibus liberis. cuius uerba uide itidem paulò superius . Item concordat Nouell.c.89. §.reliquum. ibi: si quis igitur. cuius etiam uerba paulò superius sunt proposita.Concordant item & alia paulo antè exposita.Proinde liberi ex adulterio nati per subsequens matrimonium legitimari non possunt : quia inter adulterum & adulteram matrimonium non subsistit,ut ẽ.lib.14.cap.3.except.40.est ostensum.approbatur̃q; species proposita etiam Nouell. c.18. §.consideremus. ibi: sicut enim quis legitimæ uxori. item Nouell.c. 89. §.enimuerò. ibi: quemadmodum enim si quis. cuius utriusque uerba uide ĩ.quæst.4. reg.2. except.2. Secunda exceptio est: Nisi nuptialia instrumenta non sint conscripta.Et hæc exceptio constat ex ijs quæ ẽ.proposita sunt,item ex ijs quæ proponentur infrà in sequentibus. Concordat item Nouell.c.78.§.cæterum si quis.cuius uerba uide ẽ.lib.14.cap.3.except.25.in fine. Tertia exceptio est : Nisi post contractum matrimonium nulli nascantur liberi,uel nati decesserint.Hæc exceptio reprobatur l. nuper. 11. C. de naturalibus liberis , hisce uerbis: Nuper legem cõscripsimus,per quam iussimus,si quis mulierem in suo contubernio collocauerit nõ ab initio affectione maritali (eam tamen, cum qua poterat habere connubium) & ex ea liberos sustulerit: postea uerò affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiosq; uel filias habuerit: non solùm secundos liberos,qui post dotem editi sunt,iustos & in potestate esse patribus, sed etiam anteriores,qui & ijs qui postea sunt nati, occasionẽ legitimi nominis præstiterunt. Quam legem quidam putauerunt sic interpretari, ut siue non fuerint progeniti post dotem conscriptam liberi, siue etiam ab hac luce subtracti, non anteriores filios iustos haberi,nisi in utroque tempore uiuentes & superstites liberi inueniantur. Quorum superuacuam subtilitatem penitus inhibendam censemus. Sufficiat enim talem affectionem habuisse, ut post liberorum editionem etiam dotalia efficiant instrumenta, & spem tollendæ sobolis habeãt.Licet enim hoc quod speratum est, ad effectum non peruenit, nihil anterioribus liberis fortuitus casus derogare concedatur:& multò magis,si quis mulierem,quam in contubernio suo habuerat, prægnantem fecerit, postea autem adhuc grauida muliere constituta , dotalia fecerit instrumenta,& puer uel puella editus uel edita sit,iusta patris soboles nascatur,& in potestate efficiatur, & hæres existat morienti, siue ab intestato,siue ex testamento.Satis enim absurdum est,si filij post dotem progeniti & anterioribus liberis adiutorium adferant, ipsum puerum uel puellam sibi opitulari non posse. Et generaliter definimus,& quod super huiusmodi casibus uariebatur, definitione certa concludimus, ut semper in huiusmodi quæstionibus , in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis,sed partus tẽpus conspiciatur,et hoc fauore facimus liberorum, ut editionis tempus statuamus esse inspectandum: exceptis ijs tantummodò casibus , in quibus conceptionem magis adprobari,infantium condi tionis utilitas magis expostulat.*Concordat Nouell.c.89.§.reliquum est. ibi:& ut maximè. cuius uerba cum alijs concordantibus uide paulò superius ead. causa,in prin. Sed & concordat Nouell. c.12. §.ac cum inter.ibi:siue etiam postea.cuius uerba uide paulò inferius. Quarta exceptio uidetur esse : Nisi post contractum matrimonium alij nascantur filij legitimi. Hæc exceptio reprobatur l.cum quis.10. C.de naturalibus liberis. cuius uerba uide paulò superius ead.causa, in prin. Concordat Nouell.c.89.§.reliquum est.ibi:nam cum ea ipsa . cuius uerba uide itidem paulò superius in d. prin. Quinta exceptio uidetur esse: Nisi ex alio matrimonio et ex alia uxore supersint liberi legitimi. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c.12.§.ac cum inter,his uerbis :* Si quis,cum legitimorum filiorum esset pater, post coniugis suæ ex rebus humanis discessum , aut secundum leges soluto matrimonio,cum alia muliere, quam per leges liceret uxorem ducere, consuetudinem haberet, & ante dotalia instrumenta (si quidem hæc confecerit) siue etiam postea nascerentur ei filij,aut etiam soli filij ante dotalia instrumenta nati restarent, alijs aut non genitis, aut etiam post natiuitatem mortuis: existimarunt quidam , non posse eos qui ex secunda nati essent, legitimos existere: quandoquidem adhuc superessent alij ex altera uxore legitimi & sui filij . quod quidem nullam in se habet rectam resonantiam. Nam si eiusmodi nos liberos legitimos & suos patri declarauimus, sola dotalium instrumentorum confectione contenti, existunt autem & priores sui, moritur pater relictis suis & legitimis liberis, tam ex priore , quàm etiam ex secunda uxore progenitis, etsi ante dotalia instrumenta procreati sint,etsi nemo ulterius post instrumentum dotis natus sit, aut etiam natus mortuus sit: licentiamque ei lex tribuit, ut inter prolem suam testetur quo uelit modo, ut tamen in nullo leges offendat, quæ omnes ex æquo filios ad certam successionis partem uocare solent. Sui igitur & legitimi cum sint, perueniẽt ad hæreditatem tam ab intestato , quàm ex testamento, prout uel pater, uel lex permiserit : inque uices alter alteri succedet. Quid enim tandem aliud dicamus , cùm ipsa per se legitimi & sui appellatio sufficiat declarare sub potestate patris eos existere, & ex testamento tribuere quæ leges tribuunt , & omnia obtinere quæ eiusmodi appellationem deceant? *Sexta exceptio est: Nisi liberi naturales ante constitutionem supradictam sint nati.Hæc exceptio reprobatur Nouell.c.19.his uerbis:* Peruenit ad nos, ineptam plerisque dubitationem incidisse, nempe an ea quæ à nobis de filijs ante dotalium instrumentorum confectionem natis , dotalibus postmodum instrumentis compositis , sancita sunt, pertineant etiam retrò ad eas quæstiones, quæ nondum uel iudicis sententia , uel transactione decisæ sunt: & quidem nobis , cum per partes leges ferremus, in prima constitutione, quæ de his lata est, expresè memorantibus, ut siue supereſſent illis patres , siue mortui essent, nondum tamen id quæstionum genus uel iudicis sententia, uel transactione finem accepisset: omnino ita iudicaretur, quemadmodum lex nostra præcipit. Quam deinde supplentes, alteram quoque legem tulimus, eadem obtinere sancientes , ut etsi post dotalia instrumenta filij nati sint, habeantur legitimi. Consimiliterque in hac nostra secunda constitutione apposuimus, ut ea legislatio etiam ad præterita referatur tempora :exceptis illis speciebus, quas aut iudicialis sententia, aut transactio composuit.Ex quo uerò post hasce nostras leges tam claras temerario quidam consilio malitiosè nostram interpretari sanctionem præsumpserunt, coacti sumus & tertiam constitutionem describere: per quam iussimus, ut tametsi is qui legitimam habuit uxorem, & ex ea liberos, deinde ea mortua, aut matrimonio per diuortium soluto, ex aliqua filios suscipiat,qui cum nuptiæ interdictæ non sunt,postq; natos filios dotalia in ipsam instrumenta cõponat:nihilominus & hi,qui ad eum illi modũ procreantur,filij legitimi existant. In qua nostra constitutione quoniã expressis uerbis nõ adiecimus,ut de talibus lata sanctio ęquè & in illis obtineat, quorũ patres adhuc supersint , aut si mortui sunt, contentiones nondũ uel iudiciaria sententia, uel amicorum interuẽtu sopitæ sint: inde quidam uenerunt in eam opinionẽ, ut putaret, nolle nos ea quæ memoratis cõprehenduntur sanctionibus, de his qui ante dotaliũ instrumentorum confectionẽ nati sunt filij,ualere,item in illis qui ante hãc sanctionem iam essent in lucẽ editi,præsertim cum ea pars,quæ hoc cõcernit,in prima & secunda constitutione posita,à nobis in Codicis cõpositione detracta fuerit. Quod perquàm absurdè ratiocinati sunt. optimo enim iure id & de prima secundaq; constitutione detraximus, & ad tertiam non apposuimus. Siquidem enim per partes descripsissemus sanctiones, necessarium fuisset fortè assumere tale aliquid, quod retrò ad ea quæ legem præcessissent, respiceret. Cum uerò in Codicem nostro nomine præfulgentem omnes adunam leges coaceruarentur,meritò id genus clausulas detrahi præcepimus, ne in libris superflua describeretur multitudo . In tertia uerò constitutione propter-ea de temporibus nihil adiecimus, quòd omnibus manifestum sit,ea quæ per interpretationem apponuntur, in illis obtinere debere, in quibus etiam interpretatis legibus locus sit. Quia tamen omnino extiterunt quidam , qui in re tam manifesta uel ambigere conentur,uel errent:adijcimus & hanc legem, sancientes,ut relata à nobis in tribus prędictis constitutionibus sanctio in ijsdem ualeat,quę in prima à nobis lata constitutione expresis uerbis adscripsimus: hoc est, ut siue supereſſe talium filiorum patres,siue mortem obijsse,nondum tamen controuersa in hac specie uel sententia uel transactione finẽ accipere cõtingat, secũdum hoc sub leges à nobis positas deducantur: exceptis illis speciebus, quæ antequã hæ leges à nobis ferrẽtur,iudicũ sentẽtia uel transactione decisæ sunt. *Septima exceptio est: Nisi post imperatoris Zenonis cõstitutionẽ, concubinã quis habuerit, & ex ea liberos procreauerit, eximdeq; illã in uxorem duxerit . Hæc exceptio approbatur l.diui.5.§.fin.C.de naturalib.liberis. cuius uerba uide ẽ.ead.causa, in prin. Planè exceptio proposita mutata ac sublata est per constitutiones sequẽtes ẽ.expositas.Cui mutationi cõcordat Nouell.c.89.§.ac cum tres,his uerbis:* Cum tres alię

conscriptæ sint constitutiones, Zeno quidem pientissimus princeps in sua nihil fermè de futuris, sed tantùm de iam præteritis sancit: quâ ideo solùm describi curauimus, ne eos qui ex illa fortè constitutione utilitatem caperét, propterea quòd progenies eorum, quorum inibi fit mentio, hucusque pertingit, proueniente exinde utilitate priuare mus: quomodo & constitutionem pientissimi principis Anastasij, quæ spurios adoptari permittit, tametsi subditos decæterò nostros obturbare non patimur, tamen in hoc solùm poni eam præcepimus, ne si quibus aliqua ibidem reposita esset utilitas, per nostras hanc tollere uideremur leges. Semper enim boni alicuius authorem fieri oportet, nõ quæ antè aliquibus bona suppetunt dissoluere. Nam patris nostri constitutionem, quæ spuriorum adoptiones, magnam absurditatem in se habentes, & indistinctè spurios quasi aduenas quosdam in ius legitimorum producentes, prohibuit, ut castitatis studio introductam, uenustéque positam recipimus. *Ait Imp.* Zeno quidem pientissimus princeps in sua, &c. *Hæc constitutio habetur d. l. 5. Ait insuper Imp.* Quomodo & constitutionem pientissimi principis Anastasij. *Hæc constitutio habetur l. iubemus. 6. C. de naturalibus liberis. cuius uerba uide paulò inferius causa 4. Ait denique Imp.* Nam patris nostri constitutionem. *Hæc habetur l. legem. 7. C. d. tt. de qua itidem §. d. causa 4. Octaua exceptio uidetur esse:* Nisi filij naturales ex ancilla sint nati. *Et hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 18. §. porrò autem, his uerbis:* Ex quo nos cõstituimus, ut si quis, cum humaniter ad mulierem adiecisset oculos, eaque sine dotalibus instrumentis in domesticam consuetudinem assumpta, filios inde suscepisset, postea ad maritalem se affectionem effundens eiusmodi instrumenta conscripsisset, generasset q; filios: non solùm post ea, sed etiam ante ea nati filij liberi existerent: & propter uehementem cauillátium & malignè interpretantium uersutiam, aliam quoq; constitutionem describimus, quòd ea ipsa uelimus obtinere, etsi alteri post dotalia instrumenta filij nati nõ sint, aut nati mortem obierint: quidam etiam alia nullam recipientia controuersiã inuenerunt, nempe eadem hæc obtinere & in ijs qui libertabus cohabitent: quanquam si rectè oculos in nostrum intendissent scopum, deprehendissent utiq; iam etiam hoc legibus expressum. Si enim cum libertabus nuptiæ in uniuersum prohibitæ non sunt, iam antè erat manifestum, quòd & in illis hæc obtinere uoluerimus. Veruntamen quoniam omnino ea res in dubitationem peruenit, sancimus, si quis, cum legitimam uxorem non haberet, bene erga ancillam suam affectus, ex ea in seruitute cõstituta filios susceperit, posteaque ancillam cum filijs libertate donauerit, neq; non aureorum annulorum & restitutorum natalium ius eis impetrauerit, & nuptias conscriptis dotalibus instrumentis confirmauerit, & postea nascantur filij, aut etiam non nascantur (ut utrunque constitutionis nostræ casum complectamur) sit & uxor legitima, & filij in potestate, ac sui & parenti ab intestato hæredes. Loquimur autem de ijs qui ante dotalia instrumenta nati sunt, ijs obseruationibus, quibus ad ingenuitatem prædicto modo peruenerunt, & deinde dotalium instrumentorum confectione ius legitimorum filiorum illis præbente. *Ait Imp.* Neque non aureorum annulorum & restitutorum natalium ius eis impetrauerit. *Hoc mutatur Nouell. c. 78. §. cæterùm si quis. cuius uerba uide ff. lib. 14. cap. 3. except. 25. in fin. Hæc de secunda causa.*

III. *Causa legitimationis est, rescriptum principis. quæ causa approbatur Nouell. c. 74. in prin. usq; ad §. & nos non latuit. ubi cum Imp. Iustinian. more suo multùm declamasset, subijcit tandem hæc uerba:* Liceat patri, si legitimam non habeat sobolem, filios restituere naturæ & antiquę ingenuitati, si ex libera ei fiant, & suos decæterò & sub potestate habere. neque enim à principio, quando sola natura sanciebat, hominis, antequam scriptæ prouenirent leges, fuit quæ dam differentia naturalis atq; legitimi: sed antiquis parẽtibus antiqui filij, mox ut procedebant, fiebant legitimi. Et sicut in liberis natura quidem liberos fecit omnes, bella uerò seruitutem inuenerunt: sic etiam hinc natura quidem legitimas produxit soboles, attamen ad concupiscentiam diuersio naturales eis immiscuit. Tanquam ergo similibus passionibus factis, oportet etiam meder lam ex qualitatibus inueniri, illam quidem à præcessoribus nostris, hanc uerò à nobis. Sit igitur licentia patri matrique in priore statu delinquenti, si ex ueritate aliquid circa thorum apparuerit deliquisse (aliter nanque fieri hoc in talibus casibus non permittimus, & si quædam circumuẽtio est, aut non est, aut latet, aut aliquid etiam aliud fiat circa eam, aut quod prohibeat uenire ad uiam deducentem ad dotalia) etiam sic prouidere filijs, & offerre Imperatori precem hoc ipsum dicentem, quia uult naturales filios suos restituere naturæ, & antiquæ ingenuitati, & legitimorũ iuri, ut sub potestate eius cõsistant, nihil à legitimis filijs differentes: & hoc facto, exinde filios frui tali solatio, & neque fraudare posse patrẽ, & celantes matrẽ, & ius legitimorum abijcere. uno enim hoc modo omnib. huiusmodi naturę excesib. et adinuẽtionib, in his, qui legitimos nõ habẽt filios,

filios, medemur, ita breui solatio tantum naturæ impetum corrigentes. Si uerò solummodò naturalium filiorum pater hoc quidem propter quasdam fortuitas circumstantias non agat, moriens uerò sub quodã prædictorum casuum scripserit in testamento, uelle sibi eos legitimos esse filios successores: damus & huius rei licentiam, supplicantibus tamen etiam sic filijs post mortem patris, & hoc dicentibus, & patris testamẽtum ostendentibus, & hæredibus existentibus, in quantum pater eos scripserit, & ab Imperio hoc percipientibus, ut in uno eodemque hoc quod agitur, sit donum patris & principis, id est dicere, naturę simul & legis. & hoc dicimus, nullum anteriorem legitimũ perimentes modum, sed etiam hunc addentes, in quibus illos accipere non licet. Omnino enim suis existentibus, deinde naturalibus procreatis, aut primitùs natis: nequaquam legitimorum ius eis adijcitur, nisi forsitan per constitutiones nostras, quæ dotalium instrumentorum introduxerunt modum. *Ait Imp.* Si ex ueritate aliquid circa thorum apparuerit deliquisse (aliter nanq; fieri, &c.) *Ad hæc uerba intelligenda, repetenda sunt uerba istius constitutionis præcedentia, quæ ob nimiam uerbositatem omisi. Sed & repetuntur eadem, & quidem paucis uerbis, Nouell. c. 89. §. sed & illud. ubi etiam causa proposita approbatur his uerbis:* Illud lege comprehensum fuit, ut si quis progeniem suam legitimam uelit reddere, neque suppeditet uxor talium filiorum mater, aut cùm incredibili amore filios complectatur, mulieris tamen mores uitio non careant, neque dignã ipsam ducat aliquo legitimo nomine: & propterea defuncta uxore, aut indigna reputata qui cum matrimonium coleretur, aut etiam maliciosè à filijs circumuento negocio, & de industria muliere abscondita, noua fortè opulentia uel per filios uel aliunde illi obueniente, ne legitimorum iure ab ipsis agnito, præmoriente que matre, pater usumfructum ut in filijsfamiliarum haberet. Si quis igitur non legitimos, sed spurios tantùm habet, uelitque eos legitimos facere, uxorem autem uel omnino non habeat: aut habeat quidem, non tamen uitio carentem, aut prodeuntem in conspectum, aut alioquin conficiendorum dotalium instrumentorum copiam non habeat (quid enim, si alter eorum ad sacerdotium accesserit?) sancimus, damusque ei licentiam (id quod & antea fecimus) ut spurios filios per huiusmodi aliquam uiam ad ius legitimorum producat, non subsistentibus uidelicet (ut diximus) legitimis. Quemadmodum enim certi modi sunt, qui seruos ad libertatem simul & ingenuitatem reducunt, restituuntque natalibus: ita & si patri legitima proles non suppetat, uelitque naturæ eos & primæuæ ingenuitati restituere (modò ex libera procreati sint) legitimosque & in sua decæterò potestate habere, facito id per nostrum rescriptum. Neque enim initiò, cùm sola natura mores & uiuendi leges dictaret hominibus, antequam scriptæ leges subijssent, differentia aliqua inter spurium fuit & genuinum siue legitimum: sed primis parentibus primi liberi (ut sub initium præsentis legis diximus) simulatque in lucem prodierunt, legitimi facti sunt. Et quemadmodum in liberis hominibus ex æquo natura omnes liberos fecit, bella autem inuenerunt seruitutem: ita & hic natura quidem genuinas produxit progenies, diuersio uerò ad concupiscentiam spurium quasi quoddam fermentum admiscuit. Vnde similibus passionibus exortis, æquum fuit, partim per maiores nostros, partim per nos, ex æqualibus & remedium inueniri. Esto igitur patri, qui matrẽ in priore forma relinquat, in prædictis casibus licentia maiestati Imperatorię offerre preces, quę declarent, uelle se spurios suos restituere naturæ & primæuæ ingenuitati, iurique legitimorum, ut suæ potestati subditi sint, in nullo à legitimis differentes liberis: eoque facto, filios exinde tali perfrui auxilio. Vna enim hac ratione omnes huiusmodi excessus, adinuentionesque naturæ in his, qui legitimos non habent filios, curabimus, tam paucis auxiliaribus copijs tantum naturæ impetum coërcentes. Sanè si naturalium tantummodò filiorum pater per aliquos casus fortuitos id facere nequeat, moriens autem de aliqua prædictarum specierum testamentum scripserit, uolens legitimos sibi filios suos hæredes esse: damus ei huius quoque licentiam, si tamen post patris mortem filij etiam sic preces fundant, & hoc doceant, patrisque testamentum ostendant, & ex lege hæreditatem adeant: habento & hoc donum paterno Imperialique beneficio, aut (quod idem est dicere) naturæ & legis. *Hactenus causa proposita approbata est, cuius exemplum proponitur l. diuus Marcus. 58. ff. de iure nuptiar. cuius uerba uide ff. lib. 14. cap. 2. quæst. 3. reg. 1. except. 1. Huius autem causæ exceptio prima hæc est:* Nisi pater qui rescriptum impetrat, *legitimos habeat liberos. quæ exceptio approbatur d. c. 74. §. liceat igitur. item §. fit igitur licentia. uers. in his qui legitimos non habent filios. item §. si uerò solummodò. uers. omnino enim suis existentibus. quorum omnium uerba proposita sunt ff. eod. causa, in prin. Sed & concordat d. constitut. 89. §. sed & illud. uers. si quis igitur non legitimos. item uers. non subsistentibus uidelicet (ut diximus) legitimis. quorum uerba itidem proposita sunt*

paulò

paulò superius. Concordat item d.c.89.§.in uniuersum, in fine,his uerbis: Omnimodò subsistentibus legitimis,deinde spurijs uel post uel etiam ante legitimos natis, nisi prorsus per curiam aut nostras constitutiones, quę doralium instrumẽrorum rationem introduxerunt, ius legitimorum non adijciatur. *Secunda exceptio est*: *Nisi per subsequens matrimonium pater filios legitimare posſit, nulla legitima causa impediente. Hæc exceptio elicitur ex d.Nouell.c.74.§ fit igitur licentia. ibi:si ex ueritate. Concordat d.c.89.§.sed & illud.uerſ. uxorem autem uel omnino. Tertia exceptio est*: *Nisi filius naturalis rescriptum petens, non ostenderit patris testamentum, quod eius petitioni suffragetur. Hæc exceptio approbatur d.Nouell. c. 74. §. si uerò solummodò.ibi:supplicantibus tamen. Concordat d.c.89.§.esto igitur patri.uerſ.sanè si naturalium. Quarta exceptio est*: *Nisi filij naturales ex ancilla sint nati. Hæc exceptio approbatur d.c. 89. §.sed & illud. uerſ.modò ex libera procreati sint. quorum omnium uerba paulò superius sunt proposita.*

1111. *Causa legitimationis est,adoptio*: *si scilicet liberi naturales à patre suo naturali adrogentur.quæ causa approbatur l.iubemus.6.C.de naturalibus liberis, hisce uerbis*: Iubemus eos,quibus nullis legitimis exiſtentibus liberis,in præsenti aliquæ mulieres uxoris loco habentur, ex his sibi progenitos uel procreandos, suos & in potestate legitimosque habere, propriasque substantias ad eos uel per ultimas uoluntates,uel per donationes,seu alios legi cognitos titulos (si uoluerint) transferre:ab intestato quoque ad eorum hæreditatem uocandos:nec aliquas quæstiones seu altercationes exercendi sub qualibet astutia,subtiliqué legum uel constitutionum occasione, super his uel adgnatis seu cognatis genitoris eorum,uel quibusdam alijs superesse facultatem in posterum. Nihilominus quisquis huiusmodi mulierem uxoris loco dotalibus instrumentis confectis habuerit,pro eius sobole similem eandemq; formam custodiri: ne adimatur ei licentia sibi quodam modò per liberos proprium suum patrimonium adquirendi. Filios insuper & filias, iam per diuinos affatus à patribus suis in adrogationem susceptos uel susceptas, huius prouidentissimæ nostræ legis beneficio & iuuamine potiri censemus. *Mutatur ac tollitur hæc constitutio, reprobaturq; causa proposita l.legem. 7.C.eod.tt.his uerbis*: Legem Anastasij diuæ recordationis, quæ super naturalibus filijs emissa est, in his ualere tantùm casibus concedimus,qui nunc usque subsecuti sunt proeiusdem legis tenore, in matrimonijs tunc constantibus, uel postea contractis: ita tamen, ut non aliunde progenitis subuenisse credatur, quàm non ex nefario nec incesto coniugio. Naturalibus insuper filijs seu filiabus, ex cuiuslibet mulieris cupidine non incesta, non nefaria procreatis, & in paterna per adrogationem seu per adoptionem sacra susceptis,ex diuinis iussionibus,siue antequam eadem lex irrepserit, seu post eandem legem usque ad præsentem diem,non sine ratione duximus suffragandum, ut adoptio seu adrogatio firma permaneat, nullis prorsus improbanda quæstionibus,quasi quod impetrarunt, lege quadam interdictum sit: cum etsi qua prius talis emergebat dubitatio,remittenda fuit mouente misericordia, qua indigni non sunt qui alieno laborant uitio.Sint itaque post eandem adrogationem seu adoptionem sui & in potestate patrum,successionesq; tam ex testamento quàm ab intestato capiant,prout in adrogatis seu adoptatis constitutum est. In posterum uerò sciant omnes, legitimis matrimonijs legitimam sibi posteritatem quærendam, ac si prædicta constitutio lata non esset. Iniusta nanque libidinum desideria nulla decæterò uenia defendet,nullum subleuabit nouum admiculum præter anteriorum dispositionum ordinem, non antelata sanctio, quam ex hoc hodie resecandam pia suggesſit ratio:non adrogationum uel adoptionum prætextus, quæ ulterius minimè ferendæ sunt: non astutiæ,siue diuinis affectandæ literis, seu quibusdam illicitis ambiendæ machinationibus:cum nimis sit indignum, nimis item impium, flagitijs præsidia quærere, ut & petulantiæ seruire liceat, & ius nomenque patris, quod eis denegatum est, id altero legis colore præsumant. *Concordat huic mutationi Nouell. c. 89. §.ac cum tres. ibi: quomodo & constitutionem. cuius uerba uide §. causa 2.except.7. Item concordat d.c.89.§.modum uerò, his uerbis*: Modum adoptionis, qui nonnullis ante nos Imperatoribus olim in spurijs non uisus est improbabilis, cum pro tenore paternę constitutionis importunum deprehenderimus, nos quoque (ut dictum est) eijcimus:& quia parum attentè in castitatem defixit oculos, & quia decorum non fuerit, ut pulchrè reiecta denuò reducantur in rempublicam. *Concordat item Nouell. c. 74. §. & nos non latuit, his uerbis*: Nos non latuit, quia etiam adoptionis modus erat antiquitùs ab aliquibus ante nos Imperatoribus super naturales ad legitimos transferendos non improbabilis existimatus. Sed æquè piæ memoriæ noster pater,& constitutio ab illo prolata talia reprehendit. Manere ergo & illa in suis terminis uolumus: quoniam castitatem diligenter cõsiderauit,& incompetens est,quæ bene excluſa sunt, rursus ad rempublicam reuocare.

V. *Causa legitimationis est, Si pater in instrumento publico,*

publico,uel apud acta cõsitedtur illum filium suum esse, non adiecto,naturalem. Hæc causa approbatur Nouell. c.117. §. ad hæc uerò & illud, his uerbis : Illud lege complecti uisum est, ut si quis, cũ filium seu filiam habeat ex muliere libera,qui cum illi consistere matrimoniũ posſit,in instrumẽto siue publico, siue priuato manu subscripto, & trium fidedignorum testium subscriptiones habente,uel in testamẽto, uel apud acta rum publicorum monumẽta dicat hunc aut hanc filium seu filiam suam,neq; adijciat,naturalem : huiusmodi filij legitimi sint, neq; ab ipsis alia eius rei requiratur probatio,sed omnib.perfruantur iuribus,quæcunq; legitimis filijs nostræ præbẽt leges,utpote ipsorum patre eos(ut dictũ est)suos filios appellante. Exinde enim & cũ eorum matre demõstratur legitimas hãbuisse nuptias, neq; ad nuptiarũ fidem alia ab ea requiratur probatio. Itẽ si pater,cum ex eadẽ muliere multos haberet filios,uni ex ijs quocunq; prędictorũ modorũ testimoniũ prębuerit,uni datũ patris testimoniũ sufficiat & alijs ex eadẽ muliere natis ad legitimorũ iura obtinẽda.

Exceptiones præcedentium causarum generales.

Hactenus causæ ex quibus liberi naturales efficiuntur legitimi,expositæ sunt. Harum autem exceptio generalis prima hæc est : *Nisi liberi naturales legitimi esse nolint. Hæc exceptio approbatur Nouel.c.89.§.in uniuersum, his uerbis*: In uniuersum in his qui per prædictos modos ad legitimorum ius producuntur, tunc demum ista obtinere uolumus,cum etiã filij hęc amplexentur. Nam si patriæ potestatis iura inuitis filijs dissoluere patrib.permissum non est,multò magis inuitum & nolentem filium in ius patrię potestatis redigere siue per oblationem ad curiam,siue per dotalium instrumentorũ confectionem, siue quocunq; alio commento, fortè paternam etiam reueritum fortunam, iustum non est, & maiestati Imperatoriæ ad legislationi proprium non facimus. Si uerò multis exiſtentibus filijs, alij amplectantur, alij recusent: eos tantùm qui id amplectuntur,legitimos fieri, cæteris spurijs manẽtib. *Secunda exceptio generalis hæc est* : *Nisi ex prohibito coitu filius sit natus. De hac exc.uide §.eod.cap.in fine.*

IIII. PROPRIA IVRA NATVralium liberorum.

I. *Regula, De hæreditate ex testamento,legatis & donationibus. Pater naturalibus liberis nõ nisi unciam bonorum suorum relinquere uel donare potest. quæ regula approbatur l.2.C.de naturalib.liberis,hisce uerbis* Matre uel legitimis filijs, uel nepotibus,aut pronepotibus cuiuscunq; sexus uno pluribusue exiſtẽtibus, bonorum suorum unam tantùm unciam pater naturalibus filijs, seu filiabus,eorumq; genitrici,uel si sola sit concubina,semiunciam largiendi uel relinquẽdi habeat potestatem. Quidquid uerò ultra modum concessum relictum sit, legitimis liberis,uel matri, uel cęteris successoribus datur. *Concordat Nouell.c.89.§.disces eius.uerſ.ne igitur perpetuò,his uerbis*: Sancimus,si quis legitimos filios habeat,ne naturalibus filijs eorumque matri ultra unciam unam relinquere, aut etiam donare posſit. Nam hoc in priore constitutione ratum ducimus.Sed etsi quid amplius quocunq; modo dare uoluerit,hoc legitimorum filiorum fieri: & si filij non sint, sed sola concubina, huic semiunciam relinquere aut donare concedimus. *Huius regulæ exceptio prima hæc est* : *Nisi filius naturalis sit legitimatus. quæ exceptio approbatur d. c. 89. §. unde his à nobis, hisce uerbis*: His à nobis sancitis & manifestatis, quo conueniat modo ad ciuilitatem & legitimorũ ius accedere, nihil de talium successione dicendum est. nam in illis eadẽ quoq; successionum ratio est, quæ in cæteris iam inde ab initio legitimis solet existere. *Huius exceptionis species uide §.in causis legitimationis. Planè huius exceptionis replicatio hæc est* : *Nisi pater filio naturali plus relinquat, quàm uni filio legitimo. Hæc replicatio approbatur l.communiũ. 9.§.fin.C.de natural.liberis,hisce uerbis*: Minimè patribus liceat per donationem uel ultimã uoluntatẽ amplius filio naturali, per oblationem curiæ legitimato, dare uel relinquere, quã uni filio ex legitimo matrimonio procreato dederit uel reliquerit,cui,&c. *Secunda exceptio est* : *Nisi legitimi filij nulli supersint, nec mater relinquentis. Hæc exceptio approbatur l.humanitatis.8.C.de naturalib.liberis,his uerbis*: Humanitatis intuitu naturalib. patrib. hoc indulgemus, ut liceat eis, nulla legitima sobole uel matre subsistente, naturalẽ uel naturales filios matremq; eorum non tantũ ex trib.uncijs,quod præteritæ leges permittebant:sed etiam ex duplici portione, id est, sex uncijs hæredes scribere : ut licet ab intestato nullã communionẽ ad patris naturalis successionẽ habent,ex suprema tamen eius uoluntate permittatur eis usq; ad prædictas sex uncias (si hoc scilicet naturalis pater uoluerit) hæreditatẽ eius capere : ita tamẽ,ut memoratam sex unciarũ quantitatẽ in omnib.naturalib. filijs & matre eorũ minimè testator excedat. Quã & in legatis, & in fideicõmissis relinquẽdis, & dotib. & donationib.tam alijs quã ante nuptias,usq; ad unciarum sex æstimationẽ, liberã similiter naturalib. eorũ patrib. damus potestatem. Hęc autẽ in futuris tantummodò testamentis,uel ultimis uoluntatibus,uel dotibus,uel donationib.locũ habebunt. *Huius exceptionis prima replicatio hæc est:Nisi ultra semissem bonorũ filio naturali pater reliquat. Hæc replicatio ex iam dictis constat: sed mutatus*

ac re-

ac reprobatur iure nouo Nouell.c.89. §.cæterùm si legitimos,his uerbis:Si legitimos filios aut aliquem ascendentium pater non habeat, licentia esto naturales liberos uel in omnes duodecim uncias hæredes scribere, & res inter ipsos partiri quocunque modo uoluerint, & uel per donationes siue simplices, siue ante nuptias, uel quocunque alio legitimo modo suas in illos transferre substantias. Neq; enim amplius eo pacto certis opus habebunt hominibus ad impietatem aut periurium propensis, sed per se manifestè suam disponent uoluntatem. *Ait Imp.* Neq; enim amplius eo pacto,&c. *Ad hæc intelligenda repetenda sunt uerba eiusdē constitutionis præcedentia hæc*:Nōnulli, cum licentiam non habeant naturalibus suis filijs quantum uolunt relinquendi, deligunt aliquando uiros, & hæredes eos scribunt in hoc,ut filijs restituant: qui deinde aut ex hoc impiè agunt, & præuaricantur uoluntatem defuncti, aut (quod omnium leuissimum putamus) etiam peierant. tacemusq; hoc loco, quàm multa de illustribus personis talia superioribus temporibus delinquentibus memoriæ tradita sint.Ne igitur perpetuò huiusmodi delictum admitti concedamus, & quod in peregrinis, & ijs qui nulla nobis noticia coniuncti sunt,facere licet,hoc in naturalibus suis liberis facere homines prohibeamus. *Hisce uerbis continetur ratio propositæ replicationis reprobatæ. Concordat iuri nouo iam expositio l.iubemus.6.in prin. C.de naturalibus liberis. cuius uerba uide §.quæst.prox. causa 4. Secunda propositæ exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi ascendentes relinquentis supersint. uerùm replicatio hæc reprobatur d.§.cæterùm si legitimos,his uerbis*: Ar si quos ascendentes habeant hi quos prę diximus,legitimam eis relinquunto portionem, quam lex & nos constituimus. quod supereſt, totum ad naturales liberos transmittendi licentiam habento. *Tertia propositæ regulæ exceptio uidetur: Nisi non in ultima uoluntate reliquerit, sed inter uiuos pater filio naturali donauerit, aut pro filia in dotem dederit. Hæc exceptio reprobatur l.humanitatis.8.§.quam & in legatis. C.de naturalib.liberis.cuius uerba uide §.except.prox.in prin. Quarta exceptio est: Nisi non pater,sed auus nepoti naturali relinquat. Hæc exceptio approbatur l.cuidam.12. C.d.tt.his uerbis*: Cuidam qui iustum filium habebat,nepos accesit naturalis.si nepotis nomen huiusmodi soboli legibus accōmodandum esset, quærebatur? Volebat enim tali naturali nepoti,ex suo legitimo filio iam defuncto progenito, totam suam substantiā relinquere, quasi sacris constitutionibus tantummodò in filijs naturalibus prohibentib. totum patrimonium, siue quantam partem uoluerit, eis relinquere, & certo fine partes eorum concludentibus. Huiusmodi autem dubitatio & in alia dubitationis specie uentilata est. quid enim, si ex naturali filio nepotem habeat auus legitimū patri suo, uel naturalem? In omnibus itaq; talibus dubitationibus, quum nulla legitima consequentia in huiusmodi personis custoditur, sed in teruentu sobolis naturalis nullum ius legitimū subesse potest, ut necessitas relinquendi aliquid eis ex legibus immineat: liceat ei quantū uoluerit suæ substantiæ in eos conferre,scilicet nulla legitima sobole subsistēte. Filijs enim naturalibus relinqui constitutiones, quantum uoluerint, ideo prohibuerunt, quia uitium paternum frenandum esse existimauerunt. In nepotibus autem non eadem obseruatio in præfatis speciebus custodienda est, ubi legitima soboles minimè facit impedimentum. Ea enim subsistente, ueterum constitutionum tenorem in naturalibus filijs statutum, & in nepotes extendimus. Sed hoc in his tantummodò lancimus, in quibus uoluntate aliquid consecuti sunt. Iura etenim ab intestato in aui successionem nemini eorū penitus aperimus. Et hæc nō solùm eis accedere censemus à substantia aui paterni naturalis, sed etiam proaui,uel eius cognationis: si quis saltem huiusmodi uocabulum in tam degeneres homines extēdere maluerit. *Concordat Nouell.c. 89. §.quod enim ad spurios,his uerbis*: Quod ad spurios nepotes attinet, ea obtinento, quæ expressis iā uerbis de his à nobis sancita sunt. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi auus habeat alios liberos legitimos. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Vbi legitima sobo les minimè facit impedimentum. Ea enim subsistēte, ueterū constitutionum tenorē in naturalib.filijs statutū,& in nepotes extendimus. *Quinta exceptio est*: *Nisi nō filio naturali,sed nepoti ex eo auus relinquat. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.cuidā.12. C.de naturalibus liberis,§.except.prox.exposita. Hactenus exceptiones propositæ regulæ sunt enumeratæ, quarum replicationes aliquot sunt generales,nimirum*: *Nisi ex incesto & nefario coitu filij sint nati. item*: *Nisi ex senatore & liberta sint nati. de quibus uide ȳ.eod.cap.in fine.*

11. *Regula, De hæreditate patris ab intestato. Hæc liberis naturalibus regulariter quidem nō debetur. quæ regula approbatur inst.de nuptijs.§.si aduersus ea. cuius uerba uide §.lib.14.cap.2.quæst.3.reg.1. Verùm eius exceptio prima hæc est*: *Nisi filius sit legitimatus. quæ exceptio approbatur inst. de hæreditat.quæ ab intestato.§.1.his uerbis*:Intestatorum autem hęreditates ex lege duodecim Tabularū,primùm ad suos hæredes pertinēt. Sui autem hæredes existimantur (ut suprà diximus) qui in potestate morientis fuerint: ueluti filius filiaúe, nepos neptísue ex filio, pronepos proneptísue ex nepote,ex filio nato prognatus pro-

prognataúe. Nec interest,utrum naturales sint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari necesse est etiam eos, qui ex legitimis quidem nuptijs uel matrimonijs non sunt progeniti, curijs tamen ciuitatum dati secundum diualium cōstitutionum, quæ super his positæ sunt, tenorem, hæredum suorum iura nanciscuntur. Nec non eos quos nostræ amplexæ sunt constitutiones, per quas iusimus, ut si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen,cum qua poterat habere coniugium ȳ & ex ea liberos sustulerit: postea uerò affectione procedēte, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios uel filias habuerit: non solùm eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos & in potestate patris esse: sed etiam anteriores, qui ex ijs qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis prestiterunt. Quod obtinere censuimus,etsi nō prognati fuerint post dotale instrumentum confectum liberi,uel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. *Cōcordant ea quæ dicta sunt §.reg. prox.except.1. Sed & concordat Nouell.c.89. §.reliquum,his uerbis*: Eo uerò filios naturales semel legitimos fecimus,tribuimus unà etiā, ut illas successiones habeant, quas hi habent, qui semper iam inde ab initio legitimi constituti sunt. *Concordant insuper ea quæ dicta sunt §.quæst.prox. Secunda exceptio est*: *Nisi pater legitimis liberis nō existentibus decesserit. Hæc exceptio approbatur l.iubemus.6.ibi:ab intestato quoque. C.de naturalib. liberis. cuius uerba uide §.quæst. prox.causa 4. Concordat Nouell. c.18. §.consideremus,his uerbis*: Multi molesti sunt nobis semper, precesq; crebræ & flentes filij, & semper equidem clemens aliquid definimus. Sed quia,cùm hoc non lege agimus,erubescimus: ideoq; caulæ etiam adijcientes legem, ipli quidem populos remouebimus, dabimus autē omnibus habere ex lege remedium. Quia enim testari naturalium filiorum patribus etiam ipsis dedimus, legitima quidem existente prole,usq; ad unam solùm unciam,quam habebunt unà cū matre, hoc quod etiam prius fuit: filijs autem non existētibus legitimis,& usq; ad medietatem totius substantiæ. & hoc dicunt à nobis positæ leges, non in testamentis solùm patribus concedentes hoc agere, sed etiam alijs munificentijs, quas & superstites donant: præsens autem lex de his quæ ab intestato sunt,loquitur,& noui aliquid introducit. Nunc enim,si quis moriens legitima sibi penitus sobole non existente (filiorum dicimus,aut nepotum,aut cæteræ successionis) neq; uxore legitima: proinde decedat non dispositā substantia, & ueniat cognatio forsan,aut certè manumissor,bonorum possessionem petens & insurgens,aut etiam nostrum ærarium(nec enim illi,quātum ad hoc, parcimus) sit autem ei domi, donec uiuit,libera mulier,in habitu concubinæ cum eo degens, & filij ex ea (talibus enim solis hæc lancimus, ubi omnino indubitata siue concubinę in domo retentio, siue naturalium ibidem proles,& nutrimētum) damus eis & intestatò parentibus morientibus duas habere uncias paternæ substantiæ cum matre partiendas, quotcunq; filij fuerint,ut pro portione unius filij & mater accipiat. Et hæc dicimus,si uni concubinæ cohabitauerit, & filios ex ea habuerit, aut prædiscedente concubina (morte forsan, aut diuisione) filij domi sint: tūc enim damus eis ab intestato duarum unciarum successionem. Si autem ità effusæ concupiscentiæ sit, ut & alias introducat priori concubinas,& multitudinem habeat concubinarum fornicantium (sic.n. dicere melius est)& ex eis filios faciens moriatur, multas simul relinquens cōcubinas: odibilis quidem nobis talis est,procul autem omnibus modis ab hac lege expellatur. Sicut enim quis legitimæ uxori cōiunctus,alias superinducere non poterit matrimonio consistēte,& ex eis legitimè filios procreare: sic neque post cognitam (quemadmodum diximus) concubinam & ex illa filios dabimus, si aliud opus libidinis egerit, etiam hoc ad successionem eius introduci,si mortuus fuerit intestatus. nam si hoc non cōstituimus, indiscretæ erunt mulieres,quam magis aut quam minus amauerit, indiscreti etiam filij: & nos non præbemus luxuriantibus, sed castè uiuentibus legem. Non autem distinguimus de filijs,siue masculi,siue fœminæ sint. sicut enim natura nihil circa hoc aget ratiocinatur, ita nec nos alteram in masculis & alteram in fœminis secundum hoc ponimus legem. *Concordat propositæ exceptioni secundæ Nouell.c.89. §.enimuerò si quis, hisce uerbis*: Si quis moriatur, neque ulla omnino prole legitima subsistente (nempe filijs, aut nepotibus, aut reliqua deinceps successione) neque uxore legitima, deinde moriatur non dispositā testamento substantia, & cognatio, patronusúe fortè, aut fiscus (nam neq; illi in hoc parcimus) ueniat bonorum possessionem interturbans & prætendens, habuerit autem domi, quoad superfuit, liberam mulierem cōcubinæ loco sibi adhęrentem, ex eaq; liberos (solis enim huiusmodi ista sancimus,ubi omnino tam cōcubinæ in domo retentio, quàm filiorū exinde procreatio simul & educatio indubitata est) damus eis,ut uel intestatò morientibus

parentibus, paternæ ſubſtantiæ ſextantem habeant unà cum matre partiendum, quotcunque numero filij ſint, ut ſcilicet unius filij portionem etiam mater capiat. Atque hæc quidem, ſi uni tantùm concubinæ cohabitauerit, & filios ex ea habuerit, aut etiam prædiſcedente concubina (morte fortè, uel ſeparatione) filij reſtiterint in ædibus: tunc enim præbemus eis, ut ab inteſtato in ſextantem uocentur. Cæterùm ſi nimium profuſa libidine fuerit, & alias atque alias priori cõcubinas induxerit, & multitudinem fornicãtium (ita .n. præclarius dicitur) mulierũ habuerit, & procreatis ex his liberis decedat, multis ſimul domi concubinis relictis: odio dignus eiuſmodi eſto, & longiſsimè ab hac lege prorſus cum iſtiuſmodi filijs & cõcubinis expellitor. Quẽadmodum enim, ſi quis legitimè cum uxore matrimonium colat, alias ſuperinducere conſtante matrimonio, & legitimè liberos ex ijs procreare nequeat: ita neq; poſt ſemel agnitam (quo diximus modo) concubinam, & ex illa ſuſceptos liberos concedemus, ut ſi quid aliud extraordinaria præterea libidine ſuſtulerit, illud quoque ad ſucceſsionem eius inducatur, ſi moriatur inteſtatus. Niſi enim hoc ita lege caueri-mus, neque inter mulieres aliqua diſtinctio erit, quam magis aut quam minus amarit, neque inter filios. Et nos non intemperanter ad libidinem proruentibus, ſed paulò caſtius uiuentibus legem proferimus. Non conſtituimus autem inter filios differentiam, maſculi'ne, an fœminæ ſint. Nam quemadmodum natura nihil circa iſtiuſmodi artificioſius & ſubtilius ratiocinatur: ita neque nos aliam de maſculis, aliamque de fœminis hoc caſu legem proponimus. *Hactenus exceptio propoſita approbata eſt.* *Eius autem replicatio prima hæc eſt: Niſi pater uxore legitima relicta deceſſerit. quæ replicatio approbatur uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Neque uxore legitima. *Cui concordat Nouell. c. 18. d. §. conſideremus.* *Secunda replicatio eſt: Niſi filij non ex concubina, ſed ex alia muliere, non uxore ſint nati.* Et hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce: Solis enim huiuſmodi iſta ſancimus, ubi omnino tam cõcubinæ in domo retentio, quàm filiorum exinde procreatio ſimul & educatio indubitata eſt. *Concordat d. §. conſideremus. ibi: talibus enim ſolis hæc ſancimus.* *Tertiæ replicationis loco notandum, quòd filij naturales ultra ſextantem ab inteſtato hæreditatis petere non poſſint. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Paternæ ſubſtantiæ ſextantem habeant unà cum matre partiendum. *Concordat d. §. conſideremus. ibi:* Damus eis & inteſtato parentibus morientibus, duas habere uncias paternæ ſubſtantiæ. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi filiæ curiæ ſe offerant, patre decurione exiſtente. tunc enim illis debetur dodrans. quæ duplicatio approbatur Nouell. c. 38. §. ſi cui uerò. ibi: ſi uerò & ipſe. de qua re uide ſuprà lib. 12. cap. 2. quæſt. 2. reg. 13. except. 1. replicat. 2.* *Quarta replicatio eſt: Niſi defunctus pater plures concubinas habuerit, non unam ſolùm.* Hæc replicatio approbatur ſupradictis uerbis hiſce: Atque hæc quidem, ſi uni tantùm concubinæ cohabitauerit, &c. *Concordat d. §. conſideremus. ibi:* Et hæc dicimus, ſi uni concubinæ cohabitauerit. *Quinta replicatio uidetur eſſe: Niſi non filij, ſed filiæ ſint naturales.* Hæc replicatio reprobatur uerbis ſuprà propoſitis hiſce: Non conſtituimus autem inter filios differentiam, maſculi'ne, an fœminæ ſint, &c. *Concordat d. §. conſideremus. ibi:* Non autem diſtinguimus de filijs. *Sexta replicatio eſt: Niſi ex nefario & inceſto coitu filij ſint nati. De hac re uide ĵ. eod. cap. in fine.* Hæc de ſecunda exceptione, eiuſq; replicationibus ſint dicta. Tertia propoſitæ regulæ exceptio uidetur eſſe: Niſi non de patris, ſed aui hæreditate agatur. Hæc exceptio reprobatur *l. cuidam. 11. §. fin. C. de naturalibus liberis. cuius uerba uide ſ. reg. prox. except. 4.* *Quarta exceptio eſt: Niſi de matris hæreditate agatur. huic enim naturales filij ſuccederent.* Quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur *ĵ. lib. 29. cap. 3. except. 4.*

III. Regula, *De hæreditate cognatorum.* Hæc hæreditas liberis naturalibus non competit. quæ regula approbatur per ea quæ dicta ſunt ſ. quæſt. prox. cauſa 1. except. 6. *Concordat d. l. 12. §. fin. C. de naturalibus liberis. cuius uerba uide ſ. reg. 1. except. 4.*

IIII. Regula, *De hæreditate naturalium liberorum: quis in eam ſuccedat, proponetur aliquando in loco hæreditatum.*

V. Regula, *De alendis liberis naturalibus.* Parens quidem eos alere non tenetur. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt ſ. cap. 2. quæſt. 5. reg. 10. except. 5. Sed mortuo patre, hæredes eius eis alimenta debent. quæ regula approbatur Nouell. c. 89. §. ſi uerò (oportet, his uerbis: Si uerò (oportet enim per omnia nos diuerticula ſubtilitatis iuxtà ac pietatis ingredi) is qui legitimos habet filios, relinquat & ſpurios: tametſi nihil omnino illis ab inteſtato uolumus accedere, tamen ſpurios à legitimis ſancimus, prout decet, proqi patrimonij menſura à bono uiro comprobata, id quod à noſtris legibus Boni uiri arbitratu dicitur, enutriri. Eodem hoc obſeruando, etſi quis uxorem habeat, & ex præmortua concubina progenitos ſibi ſpurios filios, ut & illi exhibeantur alanturque ab eius ſucceſſoribus.

VI. Regula, *De gratitudine filiorum naturalium & reuerentia erga parentes, proponitur d. c. 89. §. certè*

certè in quibus, his uerbis: In quibus caſibus ſpurios filios ad ſucceſsionem uocauimus, in his ſanè & ipſi decentem erga naturales parentes animi gratitudinem conſeruanto: & qua menſura naturalibus liberis ſecundum noſtram legem parentes proſpiciunt, eadem & ipſi parentes, ſiue in ſucceſsionibus, ſiue præbendis alimentis, prout de ipſis lege ſancimus, remuneranto.

VII. Regula: *Liberi naturales matris, non patris conditionem ſequuntur. Quæ regula approbatur l. cũ legitimæ. 19. ff. de ſtatu hominum. cuius uerba cum concordãtib. uide ĵ. lib. 50. cap. §. in uerbo Vulgò quæſitus.*

De exceptione præcedentium regularum generali.

Hactenus propria naturalium liberorum propoſita ſunt. Verùm eorum omnium, quæ hucuſq; uel in regulis, uel exceptionibus pro liberis naturalibus ſtatuta ſunt, exceptio generalis hæc eſt: Niſi ex nefario, aut inceſto prohibitoq; coitu filius ſit natus. quæ exceptio approbatur Nouell. c. 89. §. poſtremò, his uerbis: Primùm quidem, quicunq; ex nefario, aut inceſto prohibitoq; coitu (neq; enim nuptias appellabimus) proceſſerit, is neq; naturalis nominabitur, neq; à parẽtibus educabitur, neq; aliquam ex præſenti lege habebit commune. Proinde tametſi à Conſtantino pientiſs. principe in conſtitutione ad Gregorium cõſcripta, quædam de talibus prodita ſunt liberis, tamen ea nõ admittimus: quandoquidem & deſuetudine iam peremptа ſunt. Nam Phœnicarcharum & Syriarcharum, magiſtrorumq; militiæ, & maximè inſignium, neq; non clariſsimorum mentionem facit: neq; uult, ut exijs prognati naturales ſint, prohibens illis etiam Imperatoriæ munificentiæ manſuetudinem: quam planè conſtitutionem penitus abrogamus. *Conſtitutio hæc, quæ hic abrogatur, habetur l. 1. C. de naturalibus liberis, hiſce uerbis:* Senatores, ſeu perfectiſsimos, uel quos in ciuitatibus dumuirilitas, uel ſacerdotij, id eſt, Phœnicarchiæ uel Syriarchiæ ornamenta condecorant, placet maculam ſubire infamiæ, & alienos à Romanis legibus fieri, ſi ex ancilla, uel ancillæ filia, uel liberta, uel libertæ filia, uel ſcenica, uel ſcenicæ filia, uel tabernaria, uel tabernariæ filia, uel humili uel abiecta perſona, uel lenonis aut arenarij filia, uel quæ mercimonijs publicè præfuerit, ſuſceptos filios in numero legitimorum habere uoluerint, aut proprio iudicio, aut noſtri prærogatiua reſcripti: ita ut quidquid talibus liberis pater donauerit (ſiue illos legitimos, ſeu naturales dixerit) totum retractum legitimæ ſoboli reddatur, aut fratri, aut ſorori, aut patri, aut matri. Sed & ſi uxori tali quodcunque datum quolibet genere fuerit, uel emptione collatum: etiam hoc retractum reddi præcipimus. Ipſas etiam, quarum uenenis interficiuntur animi perditorum (ſi quid quæritur, uel commentum dicitur, quod his reddendum eſt, quibus iuſimus, aut fiſco noſtro) tormentis ſubijci iubemus. Siue itaque per ipſum donatũ eſt, qui pater dicitur, uel per alium, ſiue per interpoſitam perſonam, ſiue ab eo emptum, uel ab alio, ſiue ipſorum nomine comparatum: ſtatim retractum reddatur quibus iuſimus: aut ſi non exiſtant, fiſci iuribus uindicetur. Quod ſi exiſtentes, & in præſentia rerum conſtituti, agere noluerint, pacto uel iureiurando excluſi, totum ſine mora fiſcus inuadat: quibus tacentibus & diſſimulantibus, ad defenſionem fiſcalem duorum menſium tempora limiteri tur: intra quæ ſi non retraxerint, uel propter retrahendum rectorem prouinciæ interpellauerint, quidquid talibus filijs uel uxoribus liberalitas impura contulerit, fiſcus noſter inuadat, donatas uel commentidatas res ſub pœna quadrupli ſeuera quæſtione perquirens. *Hæc conſtitutio (ut dictum eſt) hodie per ſupradicta uerba eſt mutata ac ſublata.* *Hæc de naturalibus liberis, necnon de iure inter parentes & liberos quod ſit: nunc de cauſis huius iuris, ſeu patriæ poteſtatis, tam adquirendæ quàm amittendæ dicetur.*

DE CAVSIS PATRIAE POTEſtatis adquirendæ: necnon de actionibus alijſq; remedijs, quibus quis filius alicuius dicitur, uel negatur. *Cap. V.*

I. CAVSAE, EX QVIBVS QVIS filius probatur, uel ſaltem eſt agnoſcendus pro filio.

PRima regula: *Si quis ex uxore alicuius natus ſit, filius eius præſumitur. quæ regula approbatur l. filium. 6. in prin. ff. de his qui ſui uel alieni iuris, hiſce uerbis:* Filium eum definimus, qui ex uiro & uxore eius naſcitur. *Concordat l. nam ciuili. 4. in fine. ff. eod. tit. cuius uerba cum concordantibus uide ſ. eod. lib. cap. 1. quæſt. 3. reg. 2.* *Huius regulæ exceptio prima hæc uidetur eſſe: Niſi ſeptimo menſe natus ſit.* *Hæc exceptio reprobatur l. ſeptimo. 12. ff. de ſtatu hominum, his uerbis:* Septimo menſe naſci perfectum partum, iam receptum eſt propter authoritatem doctiſsimi uiri Hippocratis. Et ideo credendum eſt, eum qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus eſt, iuſtum filium eſſe. *Secunda exceptio eſt: Niſi maritus diu abfuerit, uel ex alia cauſa cũ uxore non coierit.* *Hæc exceptio approbatur l. filium. 6. ff. de his qui ſui, his uerbis:* Si fingamus abfuiſſe maritum

(uerbi gratia) per decennium, reuersum anniculum inuenisse in domo sua: placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti filium. Non tamen ferendum, Iulianus ait, eum qui cum uxore sua assiduè moratus, nolit filium agnoscere, quasi non suum. Sed mihi uidetur (quod & Scæuola probat) si cõstet maritum aliquandiu cum uxore nõ concubuisse, infirmitate interueniente, uel alia causa: uelut si ea ualetudine paterfamiliâs fuit, ut generare non posset: hunc qui in domo natus est, licet uicinis scientibus, filium non esse. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi absens prægnante uxore reuersus, omiserit ea quæ senatusconsulto continentur. Hæc replicatio approbatur l.1.§.si quis longo. ff.de agnoscẽdis liberis, hisce uerbis*: Si quis longo tempore abfuerit, & reuersus uxorem prægnantem inuenerit, & idcirco reiecerit: si quid ex his quæ senatusconsulto continentur, omiserit, suum hæredem ei nasci, Iulianus scribit. *Tertia exceptio est: Nisi mulier prægnans, facto diuortio, non denunciauerit marito se ex eo prægnantem esse, uel alia quæ senatusconsulto continentur, omiserit. Hæc exceptio approbatur l.1. §.sed si maritus. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Si maritus ultrò custodes offerat, & ea non admittat, uel si non denunciauerit mulier, aut si denunciauerit quidem, custodes autem arbitratu iudicis non admiserit: liberum est marito parentiúe eius, partum iam non agnoscere. *Concordat l.1. §. de inspiciendo. ibi: si cui uentrem. ff. de inspiciendo uentre. cuius uerba uide ĩ.cap.7.quæst.2.reg.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi probari possit filium esse. quæ replicatio approbatur l.1. §.idem per contrarium. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Si mulier diuortio facto, non fecerit ea quæ senatusconsulto præcipiuntur, ut liceat patri non agnoscere: non eò pertinere, Iulianus ait, ut filius natus suum se dicere non possit: sed ad id tantùm, ut ita pater alere eum cogatur, si constiterit eum filium esse. *Concordat d.l.1. §.ex his apparet. cuius uerba uide ẽ. cap.1.quæst.5.reg.10.except.6. Item concordat d. l.1. §. si mulier, in fine. cuius uerba uide ĩ. cap.7. quæst.1.except.2.repl.2. Item concordat d.l.1. §.elegãter, in fine. cuius uerba uide itidem ĩ. d.exc.2. repl.3. Secunda replicatio est: Nisi ob imperitiam & rusticitatem mulier omiserit. Hæc replicatio approbatur l.1. §.fin. ff.de inspiciendo uentre, his uerbis*: Quod Prætor ait, causa cognita se possessionem non daturum, uel actiones denegaturum: eò pertinet, ut si per rusticitatem aliquid fuerit omissum ex his, quæ prætor seruari uoluit, non obsterpartui. quale est enim, si quid ex his quæ leuiter obseruanda Prætor edixit, non sit factum, partui denegari bonorum possessionem? Sed mos regionis inspiciendus est, & secundum eum & obseruari uentrem, & partum, & infantem oportet. *Concordat l.2. ff.eod.tt.bis uerbis*: Edictum de custodiendo partu derogatorium est eius, quod ad Carboniani decreti exemplum comparatum est. Sed hoc aliquando remittere prætor debet, si non malicia, sed imperitia mulieris factum fuit, ne uenter inspiceretur, aut partus custodiretur. *Plura de exceptione proposita uide infrà cap.7.quæst.2. except.2. Quarta exceptio est: Nisi iudex pronunciauerit, matrem ex illo uiro qui pater dicitur, prægnantem non esse. Hæc exceptio approbatur l.si uerò.3.in prin. ff.de agnoscendis liberis. cuius uerba uide ĩ.reg.prox. Concordat l.1. §.pari modo. ff.de liberis exhibendis. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst.2. except.6. Quinta exceptio est: Nisi mater professa sit, se ex eo qui pater dicitur, prægnantem non esse. Hæc exceptio reprobatur in casu l.imperatores.29. §. mulier. ff.de probationibus. cuius uerba uide ẽ.lib.7. cap.2.quæst.5.reg.3. Sexta exceptio est: Nisi delato iureiurando iuratum sit, matrem ex eo qui pater dicitur, prægnantem non esse. Hæc exceptio reprobatur l.ait prætor.3.§.penult. ff.de iureiurando. cuius uerba uide ẽ.lib.7.cap.7.quæst.1.except.12. Septima exceptio est: Nisi in captiuitate filius conceptus & natus sit. Hæc exceptio ipso quidem iure approbatur per id quod dictũ ẽ.cap.4.quæst.2.reg.1.exemplo 2. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi parentes cum filio postliminio sint reuersi. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l.diui.26. ff.de captiuis. cuius uerba cum concordantibus uide ĩ.lib.19.cap.3.causa 2. exceptione 8.*

II. Regula: *Si iudex matrem ex aliquo prægnantem esse pronunciauerit, natus filius eius habetur, quamuis reuera filius eius non sit. quæ regula approbatur l.1. §. fin. cum legibus sequentibus. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Si denunciante muliere negauerit ex se esse prægnantem, tamen si custodes nõ miserit, non euitabit quo minus quæratur, an ex eo mulier prægnans sit, nec ne? quæ causa si fuerit acta apud iudicem, & pronunciauerit (cum de hoc agetur) quòd ex eo prægnans fuerit: in ea causa est, ut agnosci debeat (siue filius non fuerit, siue fuerit) quasi suus in omnibus causis. Quare & fratribus suis consanguineus erit. Si uerò contrà pronũciauerit, non fore suũ, quamuis suus fuerit. Placet enim eius rei iudicẽ ius facere. & ita Marcellus lib. VII. Digestorum probat, eoq; iure utimur.

III. Regula: *Si iudex ali aliquem debere pronunciauerit, non fit præiudicium ei an sit filius. quæ regula approbatur l.si iudex.10. ff.de his qui sui, bis uerbis*: Si iudex nutriri uel ali oportere pronunciauerit, dicendum est de ueritate quærendum, filius sit, an non. neq; enim alimentorum causa ueritati facit præiudiciũ. *Concordat l.si quis.5. §.meminisse. ff.de agnoscendis liberis. cuius*

cuius uerba uide ẽ. cap.1.quæst.5.reg.10.except.4. replic.3. Concordat item l.si neget.7.ff.eod.tt. cuius uerba uide d.reg.10.except.5.

IIII. Regula: *Si delato iureiurando mater iurauerit, se ex aliquo esse prægnantem, partui non prodest. quæ regula approbatur l. ait prætor.3. §. penult. ff.de iureiurando. cuius uerba uide ẽ.lib.7.cap.7. quæst.1.except.12.*

V. Regula: *Si uir confessus sit mulierem ex se prægnantem, uel cum ei denunciaretur, non negauerit: partus filius eius præsumitur. quæ regula approbatur l.1. §. Iulianus. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Iulianus lib. XIX. Digestorũ scripsit, quod senatusconsulto comprehensum est, Si mulier uiro denunciauerit, se ex eo concepisse: & is cui denunciatum erit, custodes ad uentrem custodiendũ inspiciendúmue nõ miserit, neque contestatò dixerit eam ex se prægnantem non esse: ut ei id quod editum sit, agnoscere sit necesse: non eò pertinere, ut quasi iudicio agnoscere se filium diceret, suum hæredem habeat, quamuis ex alio conceptus sit. Quandocunq; enim (inquit) cœperit causa agi, grande præiudicium adfert pro filio confessio patris. *Concordat ĩ.reg.prox. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi contrarium probetur, filium non esse. quæ exceptio ex uerbis iam propositis constat. Cui cõcordat d. l.1. §. idem Iulianus. cuius uerba uide ẽ. cap.1.quæst.5. reg.10.except.4.repl.1. Concordat item l.non nudis. 14. C.de probationibus. cuius uerba uide ẽ.lib.7. cap. 2. quæst.2.reg.1.except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi in iudicio uir confessus sit, matrem ex se prægnantem, uel filium suum esse. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Vt quasi iudicio agnoscere se filium diceret. *De qua re uide plura d.reg.2.*

VI. Regula: *Si denunciante uxore maritus custodes non miserit, uel alia quæ senatusconsulto continentur, omiserit, agnoscere partum cogetur. quæ regula approbatur l.1. §.pœna. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Pœna mariti ea est, ut nisi aut custodes præmiserit, aut contrà denunciauerit non esse ex se prægnantem, cogatur maritus partum agnoscere: & si nõ agnouerit, extra ordinẽ coercetur. Debebit igitur respondere non esse ex se prægnantem, aut nomine eius responderi. quod si factũ fuerit, non aliâs necesse habebit agnoscere, nisi uerè filius fuerit. *Concordat d.l.1. §.ex his apparet, in fine. cuius uerba uide ẽ. cap.1. quæst.5.reg. 10. exc.4.repl.2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi contrarium probetur, filiũ eius nõ esse. quæ exceptio approbatur d.l.1.§.Iulianus, cuius uerba uide ẽ.reg.prox. Sed & alias leges cõcordantes uide ẽ.reg. prox. Secũda exceptio est: Nisi marito nihil à muliere sit denũciatũ. Hæc exc.approbatur d.l.1.§.illud, bis uerbis*: Illud notandum est, quòd denunciatio à marito non incipit, sed à muliere.

VII. Regula: *Si denunciante muliere uir custodes miserit, ob hoc partum agnoscere nõ cogitur. quæ regula approbatur l.1. §.quemadmodum. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Si maritus uxore denunciante custodes miserit, nullúm præiudicium sibi facit. Licebit igitur ei partum editum ex se negare: nec ei nocebit quòd uentrem custodierit. & ita Marcellus lib. VII. Digestor. scripsit. Ait enim: Siue quis neget suam uxorem, siue ex se prægnantem, sine præiudicio rectè mittit custodes, maximè si missurus idipsum protestatur. *Plures huiusmodi regulas, quibus quis filius alicuius probatur, uide ẽ.lib.7.cap.2.quæst.3.reg.5. de eo an sit filius probando.*

II. QVAE ACTIO, QVOD'QVE remedium competat, si quis filius alicuius dicatur, uel negetur?

I. Regula: *Qua actione liberi petantur, definitur l.1. §.1. ff.de rei uendicat. his uerbis*: Per hanc actionem liberæ personæ, quæ sunt iuris nostri, utputa liberi qui sunt in potestate nostra, non petuntur. Petuntur igitur aut præiudicijs, aut interdictis, aut cognitione Prætoris. & ita Pomponius lib. XXXVI. scribit: Nisi fortè (inquit) adiecta causa quis uindicet. *Hæc uerba declarantur per regulas sequentes, estq; de ijs quoque dictum ĩ.lib.21.cap.5.except.20. item in Repertorio meo cap.31. Quod aiit ait*: Nisi fortè adiecta causa quis uindicet, *illud declaratur d. §. 1. his uerbis*: Si quis ita petit filium suum, uel in potestate ex iure Romano: uidetur mihi & Pomponius consentire, rectè eum egisse. ait enim adiecta causa, ex lege Quiritum uindicare posse.

II. Regula: *Interdicto de liberis exhibendis & ducendis filius peti potest. quæ regula approbatur l.1. §.post editum. ff.de inspiciendo uentre, his uerbis*: Post editum partum à muliere iam potest maritus iure suo filium per interdictum desiderare aut exhiberi sibi, aut ducere permitti extra ordinem. *De hoc interdicto dicetur ĩ. cap.prox.*

III. Regula: *Si maritus mulierem ex se prægnantem dicat, mulier à prætore euocanda est, uenterq; inspiciendus ac custodiendus. quæ regula approbatur l.1. in prin. usque ad §.de inspiciendo. ff. de inspiciendo uentre, his uerbis*: Temporibus diuorum fratrum, cum hoc incidisset, ut maritus quidam prægnantem mulierem diceret, uxor negaret: consulti Valerio Prisciano prætori urbano rescripserunt in hæc uerba: Nouam rem desiderare Rutilius Seuerus uidetur, ut uxori quæ ab eo diuertit, & se nõ esse prægnantem profitetur, custodes adponat. Et ideo nemo mirabitur, si nos quoq; nouum consilium & remedium suggeramus. Igitur si perstat in eadem postu-

latione, commodiſsimum eſt eligi honeſtiſsimæ fœminæ domum, in quam Domicia ueniat: & ibi tres obſtetrices probatæ & artis & fidei, quæ à te adſumptæ fuerint, eam inſpiciant. & ſiquidem uel omnes, uel duæ renunciauerint prægnantem uideri: tunc perſuadendum mulieri erit, ut perinde cuſtodem admittat, atque ſi ipſa hoc deſideraſſet. Quòd ſi enixa non fuerit, ſciat maritus ad inuidiam exiſtimationemque ſuam pertinere, ut non immeritò poſsit uideri captaſſe hoc ad mulieris iniuriam. Si autem uel omnes uel plures non eſſe grauidam renunciauerint, nulla cauſa cuſtodiendi erit. Ex hoc reſcripto euidentiſsimè apparet, ſenatuſconſultum de liberis agnoſcendis locum non habuiſſe, ſi mulier diſsimularet ſe prægnantem, uel etiam negaret. nec immeritò. partus enim, antequam edatur, mulieris portio eſt, uel uiſcerum. Poſt editum planè partum à muliere, iam poteſt maritus iure ſuo filium per interdictum deſiderare, aut exhiberi ſibi, aut ducere permitti extra ordinem. Igitur princeps in cauſa neceſſaria ſubuenit. Secundum quod reſcriptum euocari mulier ad prætorem poterit, & apud eum interrogari, an ſe putet prægnantem, cogendaque erit reſpondere. Quid ergo, ſi non reſponderit, aut non ueniat ad prætorem? nunquid Senatuſconſulti pœnam adhibemus, ſcilicet ut liceat marito non agnoſcere? Sed finge non eſſe eo contentum maritum, qui ſe patrem potius optet, quàm carere filio uelit. Cogenda igitur erit remedijs prætoris, & in ius uenire, & ſi uenit, reſpondere: pignoraque eius capienda & diſtrahenda, ſi contemnet; uel multis coercenda. Quid ergo, ſi interrogata dixerit ſe prægnantem? ordo ſenatuſconſulti expoſitus ſequetur. Quod ſi negauerit, tunc ſecundum hoc reſcriptum prætor debebit obſtetrices adhibere. Et notandum, quòd non permittitur marito uel mulieri obſtetricem adhibere, ſed omnes à prætore adhibendæ ſunt. Item prætor domum honeſtæ matronæ eligere debet, in quam mulier ueniat, ut poſsit inſpici. Quid ergo, ſi inſpici ſe non patiatur, uel ad domum non ueniat? æquè prætoris authoritas interueniet. Si omnes uel plures renunciauerint prægnantem non eſſe, an mulier poſsit iniuriarum experiri ex hac cauſa? & magis puto agere eam iniuriarũ poſſe, ſic tamen, ſi iniuriæ faciendæ cauſa id maritus deſiderauit. Cæterùm ſi nõ iniuriæ faciendæ animo, ſed quia iuſtè credidit, uel nimio uoto liberorum ſuſcipiendorum ductus eſt, uel ipſa eum illexerat ut crederet, quòd conſtante matrimonio hoc omnino fingebat: æquiſsimum erit, ignoſci marito. Meminiſſe autem oportet, tempus non eſſe præſtitutum reſcripto, quamuis in ſenatuſconſultis de liberis agnoſcendis triginta dies præſtituantur mulieri. Quid igitur eſt? Semper'ne dicemus marito licere uxorem ad prætorem euocare, an uerò & ipſi triginta dies præſtituimus? & putem prætorem, cauſa cognita, debere maritum etiam poſt triginta dies audire.

IIII. *Regula: Si mulier ſe ex aliquo prægnantem dicat, competit ſenatuſconſultum Plautianum de partu agnoſcendo. de quo ĩ. cap.7. Competunt & alia remedia, de quibus uide ĩ.d.cap.7.in fine.*

V. *Regula: Si partus ſubiectus eſſe dicatur, itidem ſenatuſconſultum Plautianum locum habet. quæ regula approbatur l.1.in prin. ff.de agnoſcendis liberis. cuius uerba uide ĩ.cap.7.in prin. Sed & competit hoc caſu accuſatio ex lege Cornelia de falſis. quæ accuſatio an competat mortua muliere, definitur l.qui falſam.19. §.fin. ff.ad l.Cornel.de falſis. cuius uerba uide ſ. lib.4. cap.8.quæſt.1.except.generali 5.repl.2. Quibus ea competat, definitur l.lege Corn.30. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.d.cap.8.quæſt.2.reg.2. Apud quem competat, definitur l.cum ſuppoſiti.10.C.eod.tt. cuius uerba uide ſ.d.cap.8.quæſt.4.in prin. Quando competat, definitur l.1.C.d.tt.cuius uerba uide ſ.d.cap.8.quæſt.6. reg.3. Quamdiu competat, definitur d.l.19. §.fin. Hæc de remedijs, ſi filius quis dicatur uel negetur, quæ ſcilicet ea ſint, dicta ſunt. Sed & alia uide ĩ. cap.prox. quæſt.ult. item ĩ.cap.7.quæſt.ult. De quibuſdam aũt huiuſmodi remedijs nunc copioſius eſt dicendum.*

DE INTERDICTO DE LIberis exhibendis & ducendis.

Cap. VI.

I. VERBA HORVM interdictorum.

PRioris interdicti de liberis exhibẽdis uerba proponuntur l.1.in prin.ff. de liberis exhibendis, hiſce uerbis: Ait Prætor: Qui quæue in poteſtate Lucij Titij eſt, ſi is eaue apud te eſt, doloue tuo malo factum eſt, quo minus apud te eſſet, ita eum eamue exhibeas. *Poſterioris interdicti de liberis ducendis uerba proponuntur l.deinde.3. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Deinde ait Prætor: Si Lucius Titius in poteſtate Lutij Titij eſt, quo minus eum Lucio Titio ducere liceat, uim fieri ueto.

II. DIFFERENTIA *& cognatio horum interdictorum proponitur d.l.3. §.1. his uerbis*: Superiora interdicta exhibitoria ſunt, hoc eſt, pertinentia ad exhbitionem liberorum cæterorumq;, de quibus ſuprà diximus. Hoc aũt interdictum pertinet ad ductionem, ut ducere quis poſsit eos, in quos habet ius ductionis. Itaq; prius interdictũ, quod eſt de liberis exhibendis, præparatorium eſt huius interdicti. quò magis .n. quis duci poſsit, exhibendus eſt. & ex ijſdẽ cauſis hoc interdictum tribuẽdum eſt, ex quibus cauſis de exhibẽdis liberis competere diximus. Itaque quæcũq; ibi diximus, eadem hic quoque dicta accipienda ſunt. *Ait iuriſconſultus*: Cæterorumque, de quibus ſuprà diximus. *ſcilicet tam de liberis exhibendis, quàm de libero homine exhibendo.*

III. CAVSA, EX QVA HÆC interdicta competunt.

Si quis aliquem filium ſuum & in poteſtate ſua eſſe dicit, eumq; ſibi exhiberi & duci petat, hæc interdicta competunt. quæ cauſa approbatur per ea quæ iam ſunt poſita. Concordat l.1. C.de liberis exhibẽdis, hiſce uerbis: Si (ut proponis) cum tuæ poteſtatis eſſes, ſuper rebus matris obtinuiſti: potes eos qui tibi condemnati ſunt, conuenire. Quòd ſi extitit, qui te filium & in ſua poteſtate eſſe cõtendit: interdicto in eam rem propoſito, de fide intẽtionis eius quæretur. *Concordat item l.2.C.eod.tt. his uerbis*: Adi præſidem prouinciæ, ac poſtula filios tuos exhiberi. *Poſſitæ cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi ex iuſta cauſa filius ab aliquo detineatur. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.in hoc. ff.de liberis exhibẽdis, hiſce uerbis*: In hoc interdicto prætor nõ admittit cauſam, cur apud eum ſit is qui exhiberi debet, quemadmodum in ſuperiore interdicto: ſed omnimodò reſtituendum putauit, ſi in poteſtate eſt. *Ait iuriſconſultus*: Quemadmodũ in ſuperiore interdicto. *ſcilicet de libero homine exhibendo*: *de quo ĩ. lib. 47. cap.10.dicetur. Secunda exceptio eſt: Niſi mater filium detineat. Hæc exceptio approbatur d. §. in hoc, his uerbis*: Si uerò mater ſit quæ retinet, apud quam interdum magis quàm apud patrem morari filium debere, ex iuſtiſsima ſcilicet cauſa, & diuus Pius decreuit, & à Marco & à Seuero reſcriptum eſt: æquè ſubueniendum erit ei per exceptionem. *Concordat l.deinde.3. §.etiamſi. ff.eod.tt. his uerbis*: Etiamſi maximè eum probet filium pater in ſua poteſtate eſſe: tamen cauſa cognita, mater in retinendo eo potior erit: idque decretis quibuſdam diui Pij continetur. Obtinuit enim mater ob nequitiã patris, ut ſine deminutione patriæ poteſtatis apud eam filius moraretur. *Tertia exceptio eſt: Niſi filia à marito ſuo detineatur. Hæc exceptio approbatur l.1. §.fin. ff.de liberis exhibendis, hiſce uerbis*: Si quis filiã ſuam, quæ mihi nupta eſt, uelit abducere, uel exhiberi ſibi deſideret: an aduerſus interdictum exceptio danda ſit, ſi fortè pater concordans matrimonium, & fortè liberis ſubnixum, uelit diſſoluere? & certo iure utimur, ne bene concordantia matrimonia iure patriæ poteſtatis turbentur. Quod tamẽ ſic erit adhibendum, ut patri perſuadeatur, ne acerbè patriam poteſtatem exerceat. *Quarta exceptio eſt: Niſi filius uolens apud aliquem ſit. Hæc exceptio approbatur l. ſi filius.5. ff.d.tt. his uerbis*: Si filius ſua ſponte apud aliquẽ eſt, inutile hoc interdictum erit: quia filius magis apud ſe, quàm apud eũ eſt, in quem interdicetur, cum liberam facultatem abeundi uel remanendi haberet: niſi inter duos qui ſe patres dicerent, controuerſia eſſet, & alter ab altero exhiberi eum deſideraret. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi patri interdicenti patria poteſtas in filio negetur. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Niſi inter duos, &c. *Concordat l.1.in fine. C.de liberis exhibendis. cuius uerba uide ſ.eod.quæſt.in prin. Quinta exceptio eſt: Niſi filius in poteſtate interdicentis nõ ſit. Hæc exceptio approbatur l.1.§.1. ff.de liberis exhibendis, hiſce uerbis*: Hoc interdictum proponitur aduerſus eum, quem quis exhibere deſiderat eum, quem in poteſtate ſua eſſe dicit: & ex uerbis edicti apparet, ei in cuius poteſtate eſt, hoc interdictum competere. *Sexta exceptio eſt: Niſi pronunciatum ſit, filium in poteſtate interdicentis non eſſe. Hæc exceptio approbatur d. l.1. §.pari modo, his uerbis*: Si iudicatum fuerit non eſſe eum in poteſtate, ẽtſi per iniuriam iudicatum ſit, agenti hoc interdicto obijcienda erit exceptio rei iudicatæ: nec de hoc quæretur, an ſit in poteſtate, ſed an ſit iudicatum. *Septima exceptio eſt*: Niſi filius qui petitur, *apud rem conuentum non ſit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerum eius replicatio hæc eſt*: Niſi dolo eius apud eum eſſe deſierit. *quæ replicatio approbatur d.l.1.in prin. cuius uerba uide ſ. quæſt.1. Octaua exceptio eſt*: Niſi filius qui in poteſtatem uindicatur, à nemine detineatur. *Hæc exceptio approbatur l.deinde.3. §.hoc autem. ff. de liberis exhibendis, hiſce uerbis*: Hoc interdictum competit non aduerſus ipſum filium, quem quis ducere uult: ſed utique debet eſſe is, qui eum interdicto defendat. Cæterùm ceſſat interdictum, & ſuccedere poterit notio prætoris, ut apud eum diſceptetur, utrum quis ſit in poteſtate, an non. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi certum quidem ſit, reum actoris filium eſſe: dubitetur autem de eo, an ſit in poteſtate eius. Hæc replicatio approbatur l. ſi eum.4. ff. eod. tt. his uerbis*: Si eum qui patrem familiãs ſe dicat, ego in mea poteſtate eſſe, & iuſſu meo adijſſe hæreditatem dicam: tam de hæreditate agi oportere, quàm ad interdictum de filio ducendo iri debere, Africanus ait. *Concordat l.1. C.eod.tt. cuius uerba uide ſ. ead.reg.in prin. Nona exceptio eſt: Niſi is qui filius & in poteſtate eſſe dicitur, adhuc ſit impubes. hoc enim caſu interdictum propoſitum in tempus pubertatis eſt differendũ. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.deinde.3. §. Iulianus, uſq; ad §. etiamſi. ff. de liberis exhibendis, hiſce uerbis*:

Iulianus ait, quoties id interdictum mouetur de filio ducendo, uel cognitio: & is de quo agitur, impubes est: aliàs differri oportere rem in tempus pubertatis, aliàs repræsentari. idq; ex persona eorum, inter quos controuersia erit, & ex genere causæ constituendum est. nam si is qui se patrem dixerit, authoritatis, prudentiæ, fidei exploratæ sit: usque in diem litis impuberem apud se habebit. Si uerò qui controuersiam facit, humilis, calumniator, notæ nequitiæ sit: repræsentanda cognitio est. Item si is qui impuberē negat in aliena esse potestate, uir omnibus modis probatus, tutor uel testamento, uel à prætore datus est: pupillum quem apud se habuit, in diem litis tuebitur. Si uerò qui patrem se dicit, suspectus quasi calumniator est: differre litem non oportebit. Si uerò utraque persona suspecta est, aut tanquam infirma, aut tāquam turpis: non alienum erit (inquit) disponi, apud quem puer interim educetur, & controuersiam in tempus pubertatis differri: ne per collusionem, uel imperitiam alterutrius contendentium, aut alienæ potestati paterfamiliâs addicatur, aut filius alienus patrisfamiliâs loco constituatur.

IIII. ADIVNCTA HORVM interdictorum.

Apud quem interim is caúe, qui quæúe petitur, morari debeat, definitur d.l.3. §.fin. ff. de liberis exhibendis, hisce uerbis: In hoc interdicto, donec res iudicetur, fœminam prætextatam, eumque qui proximè prætextati ætatem accederet, interim apud matremfamiliâs deponi prætor iubet. *Declaratur hæc regula ibidem, his uerbis*: Proximè autem prætextati ętatem accedere eum dicimus, qui impuberem ætatem nūc ingressus est. Cum audis matremfamiliâs, accipe notæ authoritatis fœminam. *Concordat d.l.3. §. si uerò utraque. cuius uerba uide s̄. quæst. prox. in fine.*

V. ADFINE *remedium est, notio prætoris. quod approbatur d.l.3. §. hoc autem. ibi: cæterùm cessat. cuius uerba uide paulò superius exceptione 8.*

DE ACTIONE EX SENATVSconsulto Plautiano ad agnoscendos liberos. Cap. VII.

I. CAVSA EX QVA DAtur hæc actio.

SI *mulier se ex aliquo prægnantem dicat, eiq; denūciauerit, potest agi ut is partum agnoscat. quæ causa seu regula approbatur l.1. in prin. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Senatuscōsultum quod factum est de liberis agnoscendis, duas species complectitur: unam eorum qui agnoscūt, aliam earum quæ falsum partum subijciunt. Permittitur igitur mulieri parētiúe eius, in cuius potestate est, uel ei cui mandatum ab eis est, si putet prægnantem, denunciare intra dies triginta post diuortium connumerandos ipsi marito, uel parenti, in cuius potestate est: aut ad domum denunciare, si nullius eorum copiam habeat. Domum accipere debemus hospitiū, si in ciuitate maneat. quòd si non sit in ciuitate, sed in uilla, uel in municipio: illic, ubi larem matrimonio collocauerunt. *Concordat d.l.1. §. pœna. cuius uerba uide s̄. cap.5. quæst.1. reg.6. Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi mulier, dum est prægnans, non denunciauerit uiro se ex eo prægnātem esse: uel alia quæ senatusconsulto Plautiano continentur, omiserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt s̄. cap.5. quæst.1. reg.1. exc.3. Secunda exceptio est: Nisi non intra triginta dies à tempore diuortij mulier uirò denunciauerit. Hæc exceptio approbatur l.1. §.1. ff. de agnosc. liberis. cuius uerba uide paulò superius ead. reg. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi intra triginta dies etiā feriati dies interuenerint. Hæc replicatio reprobatur d.l.1. §. dies, his uerbis*: Dies triginta continuos accipere debemus ex die diuortij, nō utiles. *Secunda replicatio est: Nisi iusta causa sit, ob quam intra statutum tempus non denūciauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.1. §. si mulier, his uerbis*: Si mulier se pręgnantē intra triginta dies nō denunciauerit: & postea denuncians, causa cognita, audiri debebit. Quinimò etsi in totum omiserit denunciationē: Iulianus ait, nihil hoc nocere ei quod editur. *Tertia replicatio est: Nisi partus intra triginta dies sit editus. Hæc replicatio approbatur d.l.1. §. eleganter, his uerbis*: Eleganter apud Iulianum libro XIX. Digestorum quæritur, Si intra triginta dies marito mulier non denunciauerit, & intra dies triginta partum ediderit, an senatusconsulto locus sit? Et ait, Plautianum senatuscōsultum cessare: quia de eo partu nō uideatur sentire, qui intra dies triginta nascatur: quippe dies triginta ad denunciandū præstat senatus. Sed hanc rem non facere præiudicium partui, arbitror. *Tertia exceptio est: Nisi denunciauerit tantùm se ex uiro prægnantem esse, non etiam ut custodes mittat. Hæc exceptio reprobatur l.1. §. denunciare. ff. de liberis agnoscendis, hisce uerbis*: Denunciare autem hoc tantùm debet, esse mulierem ex eo prægnantem. Non ergo hoc denunciat, ut mittat custodes maritus. Sufficit enim mulieri, notum facere quòd sit prægnans. Mariti est iam aut mittere custodes, aut eidem renunciare, quòd non sit ex eo prægnans. Hoc autem uel ipsi marito, uel alij nomine eius facere permittitur. *Quarta exceptio est: Nisi mulier custodes à marito missos non admiserit. Hæc exceptio approbatur l.1. §. sed si maritus. ff. de agnosc. liberis. cuius uerba uide s̄. cap.*

s̄. cap.5. quæst.1. reg.1. except.3. Quinta exceptio est: Nisi maritus uxori denuncianti renunciauerit, eam ex se prægnantem non esse. quæ exceptio approbatur l.1. §. debebit igitur. ff. de agnoscendis liberis. cuius uerba uide s̄. cap.5. quæst.1. reg.6. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi postea contrarium sit pronunciatum, mulierem scilicet ex eo, cui denunciatum fuit, prægnantem esse. quæ replicatio approbatur d.l.1. §. fin. cum lege sequente. cuius uerba uide s̄. cap.5. quæst.1. reg.2. Sexta exceptio est: Nisi partus in potestatem eius, ex quo mulier prægnans dicitur, recasurus non sit. Hæc exceptio approbatur l. si uerò.3. §. fin. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis: Hæc senatusconsulta pertinent ad eos, qui sui hæredes adnascuntur. Cæterùm si fortè non sint in potestatem recasuri: uerius est, senatusconsulta cessare. *Ait Iurisconsultus*: Senatusconsulta. *scilicet Plautianum, de quo hactenus est dictum: & aliud, de quo d.l.3. §.1. cuius uerba uide paulò inferius except.8. Huius exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes. Septima exceptio est: Nisi is ex quo mulier se prægnantem dicit, mortuus sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.3. §. illud, his uerbis*: Illud tenendum, hęc senatusconsulta post mortem parentis cessare, si is supersit in cuius potestatem recasuri non sunt. Quid ergo est in petitione hęreditatis, quam filius intendit? quæritur, utrum ex eo natus sit, cuius hæreditatem petit, an non? Et adeò hoc uerum est, ut Iulianus libro XIX. Digestorū scribat, si uiuo patre redditum sit præiudicium, & antequam sententia feratur, pater decesserit: transeundum esse ad Carbonianum edictum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alius supersit, in cuius potestatem partus sit recasurus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si is supersit, in cuius potestatem recasuri non sunt. *Concordat d.l.3. §.1. ibi: quid ergo, his uerbis*: Si quis post mortem patris nascatur, auo superstite, in cuius potestatem recasurus est, & si ex filio eius susceptus probetur: uidendum, quid dici debeat. & certè probandum est, cum auo præiudicio de partu agnoscendo similiter agendum. *Secunda replicatio est: Nisi is qui hæreditatem petit, defuncti filius negetur. Hæc replicatio reprobatur, alio remedio ostenso, uerbis paulò superius propositis hisce*: Quid ergo est in petitione hæreditatis, quam filius intendit? quæritur, utrum ex eo natus sit, cuius hæreditatem petit, an non? *Vide plura de hac specie j. eod. cap. quæst. prox. Tertia replicatio est: Nisi uiuo adhuc patre iudicium de partu agnoscendo cœptum sit. Et hæc replicatio reprobatur ibidem uerbis hisce*: Et adeò hoc uerum est, ut Iulianus libro XIX. Digestorum scribat, si uiuo patre redditum sit præiudicium, & antequam sententia feratur, pater decesserit: transeundum esse ad Carbonianum edictum. *Octaua exceptio est: Nisi non post diuortium partus editus sit, sed adhuc constante matrimonio. Hæc exceptio reprobatur l. si uerò.3. §.1. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Quia Plautianum senatuscōsultum ad eos partus pertinet, qui post diuortium eduntur: aliud senatusconsultum temporibus diui Hadriani factum est, ut etiamsi constante matrimonio partus sit editus, de agnoscendo eo agatur. *Nona exceptio est: Nisi dubitetur, utrum in matrimonio, an postea partus sit editus. Et hæc exceptio reprobatur ibidem, hisce uerbis*: Quid si hoc ipsum in quæstionem ueniat, utrum in matrimonio, an postea editus sit? dicendum est, & super hoc ex senatusconsulto agendum. Et quid si, an uxor fuerit, disceptetur? Et Iulianus Sexto Cæcilio Africano respondit, locum esse præiudicio. *Decima exceptio est: Nisi dubitetur, an sit uxor eius cui denunciatur. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Et quid si, an uxor, &c.

II. ADFINIA PROPOSITAE actionis remedia.

I. *Regula: Si hæreditas petatur, & inde actor filius defuncti esse negetur, aliud competit remedium. de quo paulò superius except.7. repl.2.*

II. *Regula: Si mulier ex defuncto se prægnantem dicat, proposita quidem actio locum non habet. de quo dictum s̄. d. except.7. sed edictum de uentre inspiciendo locum habet, quod proponitur l.1. § de inspiciendo. ff. de inspiciendo uentre, his uerbis*: De inspiciendo uentre, custodiendoq; partu sic prætor ait: Si mulier mortuo marito prægnantem se esse dicet, his ad quos ea res pertinebit, procuratoribusúe eorum bis in mense denunciandū curet, ut mittant (si uelint) quæ uentrem inspiciant. Mittantur mulieres liberæ duntaxat quinque, hæque simul omnes inspiciant: & ne qua earum, dum inspicit, inuita muliere uentrem tangat. Mulier in domo honestissimæ fœminæ pariat, quā ego constituam. Mulier ante dies triginta quàm se parituram putat, denunciet his ad quos ea res pertinet, procuratoribusúe eorum, ut mittant (si uelint) qui uentrem custodiant. In quo conclaui mulier paritura erit, ibi ne plures aditus sint quàm unus: si erunt, ex utraque parte tabulis præfigantur. Ante ostium eius conclauis liberi tres & tres liberæ cum binis comitibus custodiant. Quotiescunque ea mulier in id conclaue, aliudúe quod, siue in balineum ibit: custodes (si uolent) id ante prospiciant, & eos qui introierint, excutiāt. Custodes qui ante conclaue positi erunt (si uoluerint) omnes qui conclaue aut in domum introierint, excutiant. Mulier, cum parturire incipiet,

piet,his ad quos ea res pertinet,procuratoribusúe eorum denunciet, ut mittant quibus pręſentibus pariat. Mittantur mulieres liberæ duntaxat quinque,ità ut præter obſtetrices duas in eo conclaui ne plures mulieres liberæ ſint quàm decem, ancillæ quàm ſex. Sed hæ quæ intus futuræ erunt, in eo conclaui excutiantur omnes, ne qua prægnans ſit. Tria lumina, nec minus, ibi ſint: ſcilicet quia tenebrę ad ſubijciendum aptiores ſunt. Quod natũ erit, his ad quos ea res pertinet, procuratoribusúe eorum (ſi inſpicere uolent) oſtendatur. Apud eum educetur, apud quem parens iuſſerit. Si autem nihil parens iuſſerit, aut is apud quem uoluerit educari,curam non recipiet: apud quem educetur, cauſa cognita conſtituam. Is apud quem educabitur quod natum erit: quoad trium menſium ſit,bis in menſe: ex eo tempore, quoad ſex menſium ſit, ſemel in menſe: à ſex menſibus,quoad anniculus fiat, alternis menſibus: ab anniculo, quoad fari poſsit, ſemel in ſex menſibus (ubi uolet) oſtendat. Si cui uentrem inſpici, cuſtodiri, adeſſeúe partui licitum non erit: factumúe quid erit, quo minus ita ea fiant,uti ſuprà comprehenſum eſt: ei quod natum erit, poſſeſsionem cauſa cognita nõ dabo. Siue quod natum erit, ut ſuprà cautum eſt, inſpici non licuerit: quas utique actiones me daturum polliceor his, quibus ex edicto meo bonorum poſſeſsio data ſit: eas,ſi mihi iuſta cauſa eſſe uidebitur,ei non dabo. *Plura de hoc edicto dicentur in loco hæreditatis ab inteſtato.*

DE ADOPTIONIBVS.
Cap. VIII.

INter cauſas adquirendæ patriæ poteſtatis numeratur & adoptio. Ideoq; de ea hic nobis erit agendũ.

I. DIVISIO ET SPECIES adoptionis.

Diuiditur in adrogationem & adoptionem ſpecialem, Inſt.de adoptionibus. §.1.his uerbis: Adoptio duobus modis fit: aut principali reſcripto, aut imperio magiſtratus. Imperatoris authoritate adoptare quis poteſt eos easúe, qui quæúe ſui iuris ſunt: quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magiſtratus adoptamus eos easúe,qui quæúe in poteſtate parentũ ſunt, ſiue primũ gradum liberorum obtinent,qualis eſt filius,filia: ſiue inferiorem,qualis eſt nepos,neptis,pronepos, proneptis. *Cõcordat l.1. cum lege ſequente. ff.eod.tt. his uerbis*: Adoptionis nomen eſt quidem generale,in duas autem ſpecies diuiditur: quarum altera adoptio ſimiliter dicitur,altera adrogatio. Adoptantur filijfamiliarum,adrogatur qui ſui iuris ſunt. Generaliter enim adoptio duobus modis fit: aut principis authoritate, aut magiſtratus imperio. Principis authoritate adoptamus eos qui ſui iuris ſunt. quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio: quia & is qui adoptat, rogatur, id eſt interrogatur, an uelit eum quem adoptaturus ſit,iuſtũ ſibi filium eſſe: & is qui adoptatur,rogatur,an id fieri patiatur. Imperio magiſtratus adoptamus eos qui in poteſtate parentis ſunt, ſiue primum gradum liberorum obtineant, qualis eſt filius,filia: ſiue inferiorem,qualis eſt nepos,neptis,pronepos,proneptis.

II. AN SIT VTILIS adoptio?

Regulariter quidem adoptio utilis eſt, & per eam patria poteſtas adquiritur, ſecundum ea quæ dicta ſunt §.cap.1.quæſt.4.reg.2. habetq; alios item effectus, de quibus ĩ.quæſt.prox.dicetur. Sed huius regulæ plures ſunt exceptiones hìc enumerandæ.

I. Exceptio: *Niſi is qui adoptat, generare non poßit. Hæc exceptio reprobatur l.2. §.illud.ff.de adoptionib. his uerbis*: Illud utriuſque adoptionis commune eſt,quòd & hi qui generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſunt,caſtrati autem non poſſunt. *Concordat iiſdem uerbis Inſt.eod.tt. §.ſed & illud. Item concordat l.adrogato.40. §.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Spado adrogando ſuum hæredem ſibi adſciſcere poteſt, nec ei corporale uitium impedimento eſt. *Planè admittitur exceptio propoſita in caſtrato,ut conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Caſtrati autem non poſſunt.

II. Exceptio: *Niſi is qui adrogat, eius ætatis ſit, ut liberos generare poßit. Hæc exceptio approbatur l.ſi paterfam.15. §.in adrogationib.ff.de adoptionibus, his uerbis* : In adrogationibus cognitio uertitur, num fortè minor ſexaginta annis ſit is qui adrogat, qui magis liberorum creationi ſtudere debeat: niſi fortè morbus aut ualetudo in cauſa ſit,aut alia iuſta cauſa adrogandi: ueluti ſi coniunctã ſibi perſonam uelit adoptare. *Concordat l.nec ei.17. §.& primùm quidem. ibi:tertiò cuius. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.except.8.repl.1.*

III. Exceptio: *Niſi is qui adoptat, uxorem non habeat. Hæc exceptio reprobatur l.& qui.30. ff.d.tt. his uerbis* : Et qui uxores non habent, filios adoptare poſſunt.

IIII. Exceptio: *Niſi is qui adoptat, alios liberos habeat. Hæc exceptio approbatur d.l.17. §.præterea. ff.de adoptionibus,his uerbis*: Videndum eſt, an non debeat permitti ei,qui uel unum habebit, uel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum quos ex iuſtis nuptijs procreauit, deminuatur ſpes, quam unuſquiſque liberorum obſequio parat ſibi: aut qui adoptatus ſit, minus percipiat, quàm dignũ erit eum cõſequi. *Concordat l.cum eum.3. C.de adoptionibus, his uerbis* : Cum eum quem adrogaueris, libertum tuum eſſe profiteàris, nec ullam idoneam cauſam precibus indideris, id eſt, quòd non liberos habeas: intelligis,iuris authoritatem deſiderio tuo refragari. *Concordat l.ſi paterfam.15. §. fin. ff.de adoptionibus. cuius uerba uide ĩ.except.9.*

V. Exceptio: *Niſi fœmina ſit quæ adoptat. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur Inſt. de adoptionibus. §. fœminæ, his uerbis*: Fœminæ adoptare nõ poſſunt: quia nec naturales liberos in ſua poteſtate habent. Sed ex indulgentia principis ad ſolatium liberorum amiſſorũ adoptare poſſunt. *Cõcordat l.mul.5. C.eod.tt. his uerbis*: Mulierem quidẽ, quæ nec ſuos filios habet in poteſtate,adrogare non poſſe, certum eſt. uerùm quoniam in ſolatium amiſſorum tuorum filiorum cupis priuignum tuum uicem legitimæ ſobolis obtinere, adnuimus uotis tuis, ſecundum ea quæ adnotauimus, & eum perinde atq; ex te progenitũ,ad fidem naturalis legitimiq; filij habere permittimus.

VI. Exceptio: *Niſi cæcus adoptet. Hæc exceptio reprobatur l. etiam. 9. ff.de adoptionibus, his uerbis*: Etiam cęcus adoptare uel adoptari poteſt.

VII. Exceptio: *Niſi abſens abſentem adoptet. Hæc exceptio approbatur l.neq;.24. ff.de adoptionib. his uerbis*: Neque abſens, neque diſſentiens adrogari poteſt. *Concordat l. poſt mortem.25. §. fin. ff.eod.tt. his uerbis*: Neq; adoptare,nec adrogare quis abſens,nec per alium eiuſmodi ſolennitatem peragere poteſt. *Concordat item l. ult. §.fin. C.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.except.30.*

VIII. Exceptio: *Niſi tutor pupillum, uel curator cum cuius curam gerit, adoptet. Hæc exceptio approbatur l. nec ei.17.in prin. ff.de adoptionibus, his uerbis*: Nec ei permittitur adrogare, qui tutelam uel curam alicuius adminiſtrauit, ſi minor uigintiquinque annis ſit qui adrogatur: ne fortè eum ideo adroget, ne rationes reddat. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi pupillus tutori cognatus ſit, uel alia ſanctiſsima adfectione tutor ductus illum adoptet. Hæc replicatio approbatur d.l.17.§.ijs duntaxat,his uerbis*: Iis duntaxat pupillorum adrogatio permittenda eſt, qui uel naturali cognatione, uel ſanctiſsima adfectione ducti adoptarent, cæterorum prohibenda: ne ſit in poteſtate tutorũ & finire tutelam, & ſubſtitutionem à parente factam extinguere. *Huius replicationis duplicationes hæ ſunt: Niſi tutor non ſit ditior pupillo: Niſi uitæ turpis ſit: Niſi eius ſit ætatis,ut generare filios poßit. Hæ tres duplicationes approbantur d. l.17. §. & primùm, his uerbis*: Et primùm quidem excutiendum erit, quæ facultates pupilli ſint, & quæ eius qui adoptare eum uelit, ut ęſtimetur ex comparatione earum, an ſalubris adoptio poſsit pupillo intelligi: deinde, cuius uitæ ſit is qui uelit pupillum redigere in familiam ſuam: tertiò, cuius demum ætatis ſit, ut æſtimetur an melius ſit de liberis procreandis eum cogitare, quàm ex aliena familia quenquam redigere in poteſtatem ſuam. *Secunda replicatio eſt: Niſi pupillus ſit priuignus tutoris adrogantis. quæ replicatio approbatur l. nonnunquam.32. §.fin. ff.eod.tt. his uerbis*: Imperator Titus Antoninus reſcripſit, priuignum ſuum tutori adoptare permittendum. *Huius replicationis eædem uidentur eſſe duplicationes, quæ ſuperioris.*

IX. Exceptio: *Niſi pauperior ditiorem adoptet. Hæc exceptio approbatur per ea quæ propoſita ſunt §. except.prox.repl.1.dupl.1. Huius autem exceptionis replicatio proponitur l. nec ei.17. §.penult. ff.de adopt. his uerbis* : Interdum & ditiorem permittitur adoptare pauperiori, ſi uitæ eius ſobrietas clara ſit, uel adfectio honeſta,nec incognita.

X. Exceptio: *Niſi minor maiorem natu uel æqualem adoptet. Hæc exceptio approbatur Inſt. de adoptionibus, §.minorem, his uerbis*: Minorem natu maiorem non poſſe adoptare, placet. adoptio enim naturam imitatur: & pro mõſtro eſt,ut maior ſit filius quàm pater. Debet itaq; is qui ſibi filium per adoptionem uel adrogationem facit, plena pubertate, id eſt, decem & octo annis præcedere. *Cõcordat l.ſi paterfam.15. §.fin. cum lege ſequente. ff.de adoptionib. his uerbis*: Non debet quis plures adrogare, niſi ex iuſta cauſa. Sed nec libertum alienum, neq; maiorem minor. Adoptio enim in ijs perſonis locum habet, in quibus etiam natura poteſt. *Concordat item l. adrogato.40. §. non tantùm. ff. eod. tt. his uerbis*: Non tantùm cum quis adoptat, ſed & cum adrogat,maior eſſe debet eo quem ſibi per adrogationem uel per adoptionem filium facit: & utique plena pubertate, id eſt, decem & octo annis præcedere debet.

XI. Exceptio: *Niſi quis plures uelit adrogare. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l. ſi paterfam.15. §.fin. ff.de adoptionib. cuius uerba uide ĩ.except.prox. Sed & plura de hac re uide ĩ.exc.4.*

XII. Exceptio: *Niſi libertum alienum quis adoptet. Hæc exceptio approbatur d.l.15. §.fin. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi quis filium ſuum in ſeruitute quæſitum adoptet. Hæc replicatio approbatur l.in ſeruitute.46. ff.eod.tt. his uerbis*: In ſeruitutẽ mea quęſitus mihi filius in poteſtatẽ meam redigi principis beneficio poteſt: libertinũ tamen eum manere,non dubitatur.

XIII. Exceptio: *Niſi infans adoptetur. Hæc exceptio reprobatur l.etiam.42. ff.de adoptionib.his uerbis* : Etiam infantem in adoptionem dare poſſumus.

XIII. Exceptio: *Niſi cæcus adoptetur. Hæc exceptio*

ceptio reprobatur l. etiam cæcus. 9. ff. d. tt. cuius uerba uide §. except. 6.

XV. Exceptio: *Nisi quis filium suum naturalem adoptet. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt §. cap. 4. quæst. 3. causa 4.*

XVI. Exceptio: *Nisi quis eum quem antea emancipauit, uel alij in adoptionem dedit, adoptet. Hæc exceptio approbatur l. adoptare. 37. ff. de adoptionib. his uerbis*: Eum quem quis adoptauit, emancipatum, uel in adoptionem datum, iterum non potest adoptare. *Concordat l. qui lib. 12. ff. eod. tt. his uerbis*: Qui liberatus est patria potestate, is postea in potestatem honestè reuerti non potest, nisi adoptione. Sed si semel fuerit adoptatus, amplius adoptari non potest.

XVII. Exceptio: *Nisi fœmina sit adoptata. Hæc exceptio reprobatur l. nam & 21. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Et fœminæ ex rescripto principis adrogari possunt.

XVIII. Exceptio: *Nisi filiam libertæ suæ patronus adoptet. Hæc exceptio reprobatur l. in adopt. 9. C. de adoptionibus, his uerbis*: In adoptionem patre, in cuius est potestate, filiam dante, matris patronus adoptare nō prohibetur. nam sui iuris adrogatio fœminæ, nisi ex nostro rescripto, nunquam procedit.

XIX. Exceptio: *Nisi is qui in adoptionem dat, loqui non possit. Hæc exceptio reprobatur sub conditione l. si pater. 29. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Si pater naturalis loqui quidem non possit, alio tamen modo quàm sermone manifestum facere possit, uelle se filium suum in adoptionem dare: perinde confirmatur adoptio, ac si iure facta esset.

XX. Exceptio: *Nisi pater filium suum alij det in adoptionem. hoc enim casu ius patriæ potestatis adoptanti per adoptionem non adquiritur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proponē tur §. quæst. prox. reg. 1.*

XXI. Exceptio: *Nisi non apud competentem magistratum adoptio fiat. Hæc exceptio approbatur, simul & declaratur qui sit competens adoptioni magistratus, per ea quæ proposita sunt §. quæst. 1. ibi enim dictum est: Eum qui sui iuris est, apud imperatorem esse adrogandum: eum autem qui alterius sit iuris, adoptandum esse apud magistratum. Concordat quoad imperatorem l. adrog. 6. C. de adoptionibus, his uerbis*: Adrogationes eorum qui sui iuris sunt, nec in regia urbe, nec in prouincijs, nisi ex rescripto principali, fieri possunt. *Concordat item l. in adoptionem. 9. in fine. C. eod tt. cuius uerba uide §. except. 18. Concordat quoad magistratum l. 1. C. eod. tt. his uerbis*: Hi qui in aliena potestate sunt, iuxta ius ciuile non nisi apud eum, apud quem plena legis actio est, adoptari possunt. *Concordat item l. 2. §. fin. cum lege sequente. ff. de officio proconsulis. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 25. de legato proconsulis, reg. 3. Concordat item l. adoptio. 4. C. de adoptionibus, his uerbis*: Adoptio nō tabulis, licet per tabellionem conficiendis, sed solenni iuris ordine apud præsidem solet copulari. *Huius etiam loci est l. emancipari. 36. §. etiam. ff. de adoptionibus. cuius uerba uide §. lib. 19. cap. 7. except. 37.*

XXII. Exceptio: *Nisi filiusfamiliâs in magistratu constitutus apud semetipsum alij in adoptionem detur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm replicationem recipit in consule & præside filiosfamiliâs, l. si consul. 2. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Si consul uel præses filiusfamiliâs sit, posse eū apud semetipsum uel emancipari, uel in adoptionem dari, constat. *Sed & replicationem recipit in prætore, l. 2. ff. de officio prætoris, hisce uerbis*: Sed etiam ipsum prætorem apud se emancipari, uel in adoptionem dari, placet.

XXIII. Exceptio: *Nisi quis magistratus apud semetipsum filium suum alteri in adoptionem dederit. Hæc exceptio reprobatur l. magist. 4. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Magistratum, apud quem legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionē dare apud se posse, Neratij sententia est.

XXIIII. Exceptio: *Nisi quis magistratus apud semetipsum adoptet. Hæc exceptio reprobatur in præside l. 2. ff. de officio præsidis, hisce uerbis*: Præses apud se adoptare potest, quemadmodum & emancipare filium, & manumittere seruum potest.

XXV. Exceptio: *Nisi non in filij, sed nepotis locum quis adoptet. Hæc exceptio reprobatur l. adopt. 43. ff. de adoptionib. his uerbis*: Adoptiones non solùm filiorum, sed & quasi nepotum fiunt, ut aliquis nepos noster esse uideatur, perinde quasi ex filio uel deinceps natus sit. *Cōcordat Inst. de adoptionib. §. licet autem. cuius uerba uide §. except. prox.*

XXVI. Exceptio: *Nisi is qui filium non habet, in locum nepotis adoptet. Hæc exceptio reprobatur Inst. d. §. licet, his uerbis*: Licet autem & in locū nepotis uel neptis, pronepotis uel proneptis uel deinceps adoptare, quamuis filium quis non habeat. *Concordat l. adopt. 37. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Adoptare quis nepotis loco potest, etiamsi filium non habet.

XXVII. Exceptio: *Nisi nepotem suum in locū filij adoptet. Hæc exceptio reprobatur Inst. d. tt. §. minorem. uers. & tam filium, his uerbis*: Tam filium alienum quis in locū nepotis adoptare potest, quàm nepotem in locum filij.

XXVIII. Exceptio: *Nisi nepotem ex uno filio, quasi ex altero filio natum adoptet. Hæc exceptio reprobatur l. si patersam. 15. §. 1. ff. de adoptionib. his uerbis*: Qui duos filios, & ex altero eorum nepotem habet, si uult nepotem quasi ex altero natum adoptare, potest hoc efficere, si eum emācipauerit, & sic adoptauerit, quasi ex altero natum. facit enim hoc quasi quilibet,

libet, non quasi auus. Et qua ratione quasi ex quolibet natum potest adoptare, ita potest & quasi ex altero filio.

XXIX. Exceptio: *Nisi nulla iusta adrogandi causa subsit. Hæc exceptio approbatur l. cum eum. 3. C. de adoptionibus. cuius uerba uide §. except. 4. Concordat l. nec ei. 17. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis*: Item inquirendum est, ne fortè turpis causa adrogandi subsit.

XXX. Exceptio: *Nisi is qui filium suum alij dat in adoptionem, eum non prius emancipauerit, uel manumiserit, Hæc exceptio reprobatur l. ult. C. de adoptionibus, his uerbis*: Veteres circuitus in adoptionibus, quæ per tres emancipationes, & duas manumissiones in filijs, aut per unam emancipationem in cæteris liberis fieri solebant, corrigētes, siue tollentes, censemus, licere parenti qui liberos in potestate sua cōstitutos in adoptionem dare desiderat, sine uetere obseruatione emancipationum & manumissionum hoc ipsum, interuenientibus actis, apud competentem iudicem manifestare, præsente eo qui adoptatur nō contradicente, necnon eo qui adoptat.

XXXI. Exceptio: *Nisi impubes, qui est sui iuris, sine causæ cognitione sit adrogatus. Hæc exceptio approbatur Inst. de adoptionibus. §. cum autem, his uerbis*: Cum impubes per principale rescriptum adrogatur, causa cognita adrogatio fieri permittitur, & exquiritur causa adrogationis, an honesta sit, expediatq; pupillo. Et cum quibusdam conditionibus adrogatio fit: id est, ut caueat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem eius uenturi essent. *Concordat l. 2. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 11.*

XXXII. Exceptio: *Nisi is qui adoptatur, nō cōsentiat adoptioni. Hæc exceptio approbatur l. in adopt. 5. ff. de adoptionibus, his uerbis*: In adoptionibus eorum qui suæ potestatis sunt, ipsorum dūtaxat uoluntas exploratur. Sin autem à patre dantur in adoptionem, in ijs utriusq; arbitrium expectandum est, uel consentiendo, uel non contradicendo. *Concordat l. neque. 24. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 7. Item concordat l. inuiti. 11. ff. de his qui sui, his uerbis*: Inuiti filij naturales uel emancipati non rediguntur in patriam potestatem. *Concordat item l. ueteres. 11. in fine. C. de adoptionibus. cuius uerba uide §. except. 30. Item concordat Inst. quibus modis ius patriæ potest. soluitur. §. sed etsi pater. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 1. except. 1. repl. 2.*

XXXIII. Exceptio: *Nisi curatoris authoritas nō interuenerit. Hæc exc. approbatur l. quod. 8. ff. de adoptionib. his uerbis*: Quod, ut nec curatoris authoritas intercederet, in adrogatione antè tenuerat, sub diuo Claudio rectè mutatū est.

XXXIIII. Exceptio: *Nisi sine consensu filij in locum nepotis fiat adoptio. Hæc exceptio approbatur Inst. de adoptionibus. §. sed si quis, his uerbis*: Si quis nepotis loco adoptet, uel quasi ex filio quem habet iam adoptatum, uel quasi ex illo quem naturalem in sua potestate habet: eo casu & filius consentire debet, ne ei inuito suus hæres adnascatur. Sed ex contrario, si auus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire. *Concordat l. cum nepos. 6. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Cum nepos adoptatur quasi ex filio natus, consensus filij exigitur: idq; etiam Iulianus scribit. *Concordat item l. si quis. 11. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 9.*

XXXV. Exceptio: *Nisi sine consensu filij nepos ex eo alij in adoptionem detur. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Sed ex contrario, si auus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire.

XXXVI. Exceptio: *Nisi ij quorum adgnatus fit per adoptionem is qui adoptatur, non consentiant. Hæc exceptio reprobatur l. cum adopt. 7. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Cum adoptio fit, non est necessaria in eam rem authoritas eorum, inter quos iura adgnationis cōsequuntur.

Replicatio præcedentium exceptionum generalis.

Hactenus exceptiones contra adoptionem sunt enumeratæ, quarum replicatio generalis hæc est: Nisi adoptio non iure facta, à principe sit confirmata. quæ replicatio approbatur l. adoptio. 38. cum lege sequente. ff. de adoptionibus, his uerbis: Adoptio non iure facta à principe confirmari potest. Nam ita diuus Marcus Eutichiano rescripsit: Quod desideras, an impetrare debeas, æstimabit iudices, adhibitis etiam his qui contradicerent, id est, qui læderentur confirmatione adoptionis.

III. EVENTVS ADOPTIONIS.

I. Regula: *Adoptatus redigitur in potestatem adoptantis. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. cap. 1. quæst. 4. reg. 2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pater naturalis filium quem habet in sua potestate, alij in adoptionem dederit. hoc enim casu patria potestas non transit in adoptantem. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur Inst. de adoptionibus, §. sed hodie, his uerbis*: Hodie ex nostra constitutione, cū filiusfamiliâs à patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur, iura patris naturalis minimè dissoluuntur, nec quidquam ad patrem adoptiuum transit, nec in potestate eius est, licet ab intestato iura successionis eià nobis tributa sint. Si uerò pater naturalis non extraneo, sed auo filij sui materno: uel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiā auo, uel proauo, simili modo paterno uel materno, filium suum dederit in adoptio-

nem: in hoc casu, quia concurrunt in una personam & naturalia & adoptionis iura, manet stabile ius patris adoptiui, & naturali uinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo constitutum, ut & in familia & in potestate huiusmodi patris adoptiui sit. *Ait Imp.* Hodie ex nostra constitutione. *Hæc constitutio habetur l. cum in. 10. C. de adoptionibus, his uerbis*: Cum in adoptiuis, qui filijfamiliarũ constituti, à patrib. naturalib. alijs dantur, antiquæ sapientiæ incidit quædam dubitatio, si oporteret talem filiũ, qui præteritus à naturali patre fuerat, habere cõtra eius testamentũ de inofficioso actionem: quam Papinianus quidẽ negat, Paulus aũt sine effectu derelinquit: Martianus uerò distinguit, ne ex hac causa utriusq; partis perderet successionem, naturalis quidem uoluntate eius circumuẽtus, adoptiui propter egestatem quã fortè habebat: & iterũ aliud uitium erat exortũ (si. p.. post patris naturalis obitũ pater adoptiuus per emancipationis modum iura adoptionis dissoluisset, nulla spes ei remanebat, neq; contra patris naturalis uolũtatem, quia mortis eius tempore in aliena fuerat familia constitutus: nec contra adoptiuũ patrem, quia per emãcipationem familiæ eius exemptus est:) ideoq; talem dubitationem & tale uitiũ decidentes, sancimus, per adoptionem quidẽ ad extraneam personam factam iura naturalis patris minimè dissolui, sed ita eũ permanere, quasi non fuisset in alienam familiam translatus. Cum.n.tanta fragilitas est adoptionis, ut possit in ipso die & filius fieri, & extraneus per emancipationem inueniri: quis patiatur iura patris naturalis, nexu diuino copulata, ludibrio defraudari: cũ in hoc casu & cõtradicendi filio eo iure ueteri detur licentia, & inuitus transire ad aliã familiam non cogatur? Omnia igitur (secũdum quod iam dispositum, cum ad extraneũ patrem filius per adoptionem transfertur) maneãt integra iura, siue ad inofficiosi querelã, siue ad alias omnes successiones, siue ab intestato, siue ex testamẽto, quæ liberis deferuntur, ut & ipse possit prodesse patri naturali, & ab eo naturalia debita percipere. Si uerò pater naturalis auo materno filij sui, uel si ipse fuerit emãcipatus, etiã auo paterno, uel proauo simili modo patre no uel materno, filiũ suũ dederit in adoptionem: in hoc casu, quia in unam personam concurrunt & naturalia & adoptionis iura, maneat ius stabile patris adoptiui, & naturali uinculo copulatũ, & legitimo adoptionis modo constrictũ: & ad eum solũ respiciat ullius, cui eum & natura aggregauit, & lex per adoptionem adsignauit: & Papiniani sententia in hac specie procedat, & ad eum tãtummodò filius adoptiuus spem totam extendat, & nõ patris naturalis successionem molestare concedatur, sed auita & proauita tãtummodò reuerentia protegatur, eiq; adquirat quę possũt adquiri & prodesse: & is ei solus pater intelligatur, quem lex fecit, & natura nõ reliquit. Neq;.n. Martiani distinctioni locũ esse in hoc casu inuenimus, ubi nullius circumuẽtionis suspicio potest sibi aliquã uindicare licentiam, auita & proauita affectione hæc omnia resecãte: sed hæc manere integra, nisi auus & proauus emancipatũ fecerint filiũ adoptiuum. tunc.n. necesse est iterum ad naturalem patrem eum reuerti, cũ emancipationis interuentu adoptio in quacũq; persona facta soluitur. Sed ne articulũ adoptionis & in extraneam personã factæ sine lege relinquamus, licentiã damus tali adoptiuo patri, id est extraneo (si uoluerit) nihil ei testamẽto suo relinquere: sed quidquid ei reliquerit, hoc liberalitatis sit, nõ legitimo uinculo adstrictũ. Cũ.n. per omnia naturæ suæ filiũ aggregarimus, manifestissimũ est, q, & adquisitiones omniũ rerũ, quæ ad filium familiãs peruenerint secundũ leges nostras, nõ adoptiuo extraneo patri, sed naturali usque ad modum ususfructus peruenĩut, & remanent in sacris patris naturalis, quasi imaginaria quadã & noua affectione adquisita, non pristinę cognationis deminutione introducta. Sed siquidẽ remaneat in tali adoptione, nulla interueniente emancipatione: in hoc tãtummodò ei prodesse uolumus adoptionem, ut nõ successione ab intestato patris extranei adoptiui defraudetur, sed habeat accessionem fortunę ex patris naturalis sibi uolũtate adquisitam. neq; enim ex uetere iure cognationis nexus naturalis patris per adoptionem filio dissoluebatur, sed accedebant iura adoptiua, certis reliquijs ex iure naturali remanentibus: & qui legitimus erat familiæ adoptiuæ, is naturalis fuerat cognatus. Quis enim materna iura possit abolere, cum uidebatur & ex antiquo iure patrem quidem habere adoptiuum, matrem autem eam quam natura cognoscit? Et ideo sancimus, etsi habeat huiusmodi filius integra iura naturæ: attamẽ si intestatus pater extraneus adoptiuus decesserit, habere eum sui hæredis ius ad eius tantummodò successionem, ut non etiam legitima iura ad familiam extrangi patris adoptiui habeat, necipla ad eum communionem aliquam habeat, sed quasi extraneus ita ad illam familiam inueniatur. Sin autem per emancipationem iura adoptiua fuerint dissoluta, tunc nullus ei penitus

tus ad adoptiuum extraneum patrem regressus, etsi moriatur intestatus, relinquatur: sed maneat tantummodò patrem naturalem cognoscens, tanquam non fuisset ab initio in adoptionem translatus. Quæ aũt de alijs adoptiuis diximus, hæc sancimus etiã de ijs, qui ex Sabiniano senatusco̅ sulto ex tribus marib. fuerant ab extraneo adoptati, nulla penitus differentia inter alios adoptiuos & eos introducenda. Quæ in filio diximus à patre in adoptionem dato, hæc & in filia, & in nepote, & nepte, & deinceps personis utriusque sexus in sacris constitutis extendimus: si tamen tempore mortis aui sui parentes eos uel eas non antecedant. Si.n. patres eos antecedant, ubi nec imponitur necessitas auo aliquid nepoti uel nepti relinquere: maneant omnia iura adoptiua ei intacta. Hæc aũt omnis sanctio de filio uel filia, de nepote uel nepte, & deinceps personis in sacris cõstitutis introducta est, ubi dubitabatur, quid statuẽdum esset, quasi duobus ei patribus positis, uno natura, & altero ex lege. Vbi aũt homo sui iuris constitutus, per adrogationem ex augusta liberalitate se dederit in adoptionẽ, tunc omnia iura patris adoptiui habeat intacta. cum enim nullum inter patres inducitur discrimen, sit suus hæres adoptiuus patri adrogatori, & familiæ eius aggregetur: & omnia quę ad filium adrogatum ueteres legumlatores induxerũt, intacta illibataq; in eorum personis obseruentur. *Hactenus d. l. 10. C. de adoptionibus. Porrò propositæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi quis non in patris potestate, sed sui iuris cõstitutus adrogetur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Hæc autem omnis sanctio, &c. *Secunda replicatio est*: *Nisi non extraneo, sed auo filius detur in adoptionem. Hæc replicatio approbatur uerbis d. l. 10. paulò superius propositis hisce*: Si uerò pater naturalis auo materno filij sui, uel si ipse fuerit emancipatus, etiam auo paterno, uel proauo simili modo paterno uel materno, filium suũ dederit in adoptionem: in hoc casu, quia in unam personam concurrunt & naturalia & adoptionis iura, maneat ius stabile patris adoptiui, & naturali uinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo constrictum, &c. *Concordat Inst. de adoptionibus. §. sed hodie. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Concordat item Inst. quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. §. sed etsi pater, his uerbis*: Si pater filium quem in potestate habet, auo uel proauo naturali secundum nostras constitutiones super his habitas in adoptionem dederit: id est, si hoc ipsum actis interuenientibus apud competentem iudicem manifestauerit, præsente eo qui adoptatur, & non contradicente, necnon eo præsente qui adoptat: soluitur quidem ius potestatis patris naturalis, transit autem in huiusmodi parentem adoptiuum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimam antea diximus. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione sint dicta. Alias exceptiones uide suprà quæst. proxim.*

II. *Regula*: *Omnia quæ adrogati fuerũt, ad adrogatorem transeunt. Quæ regula approbatur l. si paterfam. 15. in prin. ff. de adoptionibus. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 3. reg. 2. except. 5. repl. 1. Huius regulæ eædem sunt exceptiones, quæ proximè præcedentis.*

III. *Regula*: *Onera quoq; adoptati transferuntur in adoptantem. quæ regula approbatur l. onera. 45. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Onera eius qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptiuum transferuntur.

IIII. *Regula*: *Dignitas per adoptionem non minuitur, sed augetur. Hæc regula approbatur l. per adopt. 35. ff. d. tt. his uerbis*: Per adoptionem dignitas nõ minuitur, sed augetur. Vnde senator, etsi à plebeio adoptatus est, manet tñ senator. Similiter manet & senatoris filius.

V. *Regula*: *Patria & ius originis per adoptionem non mutatur. quæ regula approbatur l. in adopt. 7. C. de adoptionib. his uerbis*: In adoptionẽ quidem alienæ ciuitatis ciui rectè dato additur, nõ mutatur patria. ac propterea ius originis in honorum ac munerum obsequio per adoptionem non minui perspicis.

VI. *Regula*: *Seruus à domino adoptatus liber fit. quæ regula approbatur Instit. de adoptionibus. §. fin. his uerbis*: Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, seruos, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Vnde & nos erudiri in nostra cõstitutione etiam eum seruum, quem dominus actis interuenientibus filium suum nominauerat, liberum esse constituimus, licet hoc ad ius filij accipiendum non sufficiat. *Ait Imper.* In nostra constitutione. *Hæc habetur l. unica. §. similiq; modo. C. de Latina libertate toll. cuius uerba uide ff. lib. 19. cap. 9. causa 12.*

VII. *Regula*; *Filius adoptiuus æstimatur naturali. quæ regula approbatur Inst. d. tt. §. in plurimis, hisce uerbis*: In plurimis causis adsimilatur is qui adoptatus uel adrogatus est, ei qui ex legitimo matrimonio natus est. Et ideo si quis per Imperatorem, uel apud prætorem, uel præsidem prouinciæ nõ extraneũ adoptauerit: potest eundem in adoptionem alij dare. *Ait Imperator*: Non extraneum. *Hoc ideo, quia si filium familiãs, non nepotem suum, sed extraneum adoptauerit, patria potestas non transit in adoptantem, sed manet apud eum qui filium in adoptionem dedit. de qua re dictum §. reg. 1. except. 1.*

VIII. *Regula*: *Filius adoptiuus quorũ fiat cognatus, definitur l. qui in. 23. ff. de adoptionibus, his uerbis*:

Qui in adoptionem datur, his quibus adnascitur, cognatus fit: quibus uerò non adnascitur, nec cognatus fit. Adoptio enim non ius sanguinis, sed ius adgnationis adfert. Et ideo si filium adoptauero, uxor mea illi matris loco non est. neque enim adnascitur ei: propter quod nec cognatus eius fit. Item nec mater mea auiæ loco illi est: quoniam his qui extra familiam meam sunt, non adnascitur. Sed filiæ meæ is quem adoptaui, frater fit: quoniam in familia mea est filia, nuptijs etiam eorũ prohibitis. *Pertinct item ad propositam quæstionem l. quem. 26. ff. eod.tt. his uerbis*: Quem filius emancipatus adoptauerit, is meus nepos nõ erit. *Item pertinct huc l. si is. 44. ff. eod.tt. his uerbis*: Si is qui nepotem ex filio habet, loco nepotis aliquem adoptauit: non puto, mortuo auo iura consanguinitatis inter nepotes futura esse. Sed si ficadoptauit, ut etiam iure legis nepos suus esset, quasi ex Lucio (puta) filio suo, & ex matrefamiliâs eius natus esset: contrà puto.

IX. *Regula: In locum nepotis adoptatus, mortuo auo adoptante in filij potestatem recidit, & ob id auo suus hæres non fit. quæ regula approbatur l. si quis. 10. ff. de adoptionib. his uerbis*: Si quis nepotẽ quasi ex filio natũ, quem in potestate habet, consentiente filio adoptauerit: nõ adnascitur auo, ut suus hæres: quippe cum post mortem aui quasi in patris sui potestatem recidit. *Ait iurisconsultus*: Consentiente filio. *Ex his uerbis colligitur propositæ regulæ exceptio talis: Nisi filius non consentiat in adoptionem nepotis. Cui concordat l. si quis. 11. ff. eod.tt. his uerbis*: Si quis, cum filium haberet, in nepotis locum adoptasset, perinde atque si ex filio natus esset: & filius author factus non esset: mortuo auo, non esse nepotem in potestate filij.

X. *Regula, De cautione ab adrogatore impuberis præstanda, & de bonis adrogati intra pubertatem defuncti hæredibus eius legitimis restituendis, proponitur inst. de adoptionibus. §. cum autem. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. except. 31. Concordat l. nec ei. 17. §. fin. cum ll. sequentibus. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Satisdatio in his casibus dari solet. non aliter enim uoluntati eius qui adrogare pupillum uolet (si causam eius ob alia probabit) subscribendum erit, quàm si cauerit ser uo publico, se restituturum quæ ex bonis eius consecutus fuerit, illis ad quos res peruentura esset, si adrogatus permansisset in statu suo. His uerbis satisdationis, quæ ab adrogatore præstari debet, Ad quos ea res pertinet: & libertatibus prospectũ esse, quæ secundis tabulis datæ sunt, & multò magis substituto seruo, item legatarijs, nemo dubitat. quæ satisdatio si omissa fuerit, utilis actio in adrogatorem datur. Hæc aũt satisdatio locũ habet, si impubes decesit. Sed etsi de pupillo loquitur, tamen hoc etiã in pupilla obseruandũ est. Nam & fœminæ ex rescripto principis adrogari possunt. Si adrogator decesserit, impubere relicto filio adoptiuo, & mox impubes decedat: an hęredes adrogatoris teneãtur? Et dicendũ est, hęredes quoq; restituere bona adrogati, & prȩterea quartã partẽ. *Concordat uẽ l. 2. §. & super patrimonio. C. eod.tt. cuius uerba uide ẽ. reg. prox.*

XI. *Regula: Extraneo, non auo paterno uel materno, in adoptionem datus, à patre adoptiuo exhæredari uel prætiriri in testamento potest. quæ regula approbatur l. cum in adoptiuis. 10. §. sed ne articulum. C. de adoptionibus. cuius uerba uide ẽ. reg. 1. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi impubes, qui erat sui iuris, ab aliquo sit adrogatus. huic. n. quarta bonorum pars debetur. quæ exceptio approbatur Inst. de adoptionibus. §. sed & si decedens, his uerbis*: Si decedens pater adrogatum impuberem exhæredauerit, uel uiuus sine iusta causa emãcipauerit: iubetur quartã partem ei bonorum suorum relinquere, uidelicet præter bona quæ ad patrem adoptiuum trãstulit, & quorum commodũ ei postea adquisiuit. *Concordat l. si adrogator. 22. in prin. ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ. reg. prox. in fine. Concordat item l. ult. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis*: Constitutione diui Pij cauetur de impubere adoptando, ut ex bonis, quæ mortis tempore illius qui adoptauit, fuerunt, quarta pars ad eũ pertineat qui adoptatus est. Sed & bona eius quæ adquisijt, patri restitui iusit, si causa cognita emãcipatus fuerat, quartã perdit. Si quid itaq; in fraudẽ eius alienatũ fuerit, quasi per Caluisianam uel Fauianam actionem reuocãdum est. *Concordat item l. 2. C. de adoptionibus, his uerbis*: Impuberem, quem ad uicem naturalis sobolis adrogare desideras, si hi qui sanguinis necessitudine inngũtur, id ei expedire apud Præsidem prouinciæ cõfirmauerint, filiũ habebis: ita ut bonorũ tuorum quarta pars tam in postremo iudicio tuo, quàm si à te emãcipatus fuerit, ei præbeatur: & super patrimonio eius, idoneis fideiussoribus datis, seruo publico caueatur, ne sub copulandæ adoptionis obtentu in facultates eius, quæ ei diligenti prouisione seruãda sunt, irruas. Adrogatio etenim ex indulgentia principali facta, perinde ualet apud prætorem uel præsidem intimata, ac si per populum iure antiquo facta esset.

XII. *Regula: Pater adoptiuus adoptiuum filium alij in adoptionem dare, uel emancipare potest. quæ regula approbatur Inst. de adoptionib. §. ita plurimis. cuius uerba uide ẽ. reg. 7. Cõcordat l. adopt. 8. C. de adoptionibus, his uerbis*: Adoptatum, licet ex beneficio nostro, emancipatione solenni separare à familia sua, pater adoptiuus minimè prohibetur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filius non auo, sed extraneo in adoptionem sit datus. quæ exceptio approbatur d. §. im plurimis. de qua re uide ẽ. d. reg. 7. item reg. 1. except. 1. Altera exceptio est: Nisi impubes, qui erat sui iuris, adrogatus sit, & rursus emancipetur. quæ exceptio approbatur Inst. de adoptionibus. §. item non aliter, his uerbis*: Non aliter emancipare impuberem adrogatum potest adrogator, nisi causa cognita dignus emancipatione fuerit: & tunc sua bona ei reddat. *Planè si sine causa adrogator impuberem emancipauerit, quartam bonorum suorum partem ei cogitur relinquere. quod approbatur Inst. d. tt. §. sed etsi decedens. cuius uerba cum concordantibus uide ẽ. reg. prox.*

XIII. *Regula: Substitutio impuberi adrogato facta, uel fideicommissum ab eo relictum non ualet. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. si adrogator. 22. §. sed an impuberi. ff. de adoptionibus, his uerbis*: An impuberi adrogator substituere possit, quæritur? Et puto, non admitti substitutionẽ, nisi fortè ad quartam solam, quam ex bonis eius consequitur: & hactenus, ut ei usq; ad pubertatem substituat. Cęterùm si fidei eius committit, ut quandoque restituat, nõ oportet admitti fideicommissum: quia hoc non iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia. Hæc autem omnia dicenda sunt, siue in locum filij, siue in locum nepotis aliquis impuberem adrogauerit.

XIIII. *Regula: Si ita filius in adoptionem datus sit, ut post aliquod tempus patri rursus in adoptionem detur: ex hoc pacto non nascitur actio. quæ regula approbatur l. quæsitum. 34. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Quæsitum est, si tibi filius in adoptionem hac lege sit datus, ut (post triennium puta) eundẽ mihi in adoptionem des, an actio ulla sit? & Labeo nullam putat esse actionem: nec enim moribus nostris conuenire, filium temporalem habere.

DE EMANCIPATIONIBVS, alijsq; causis ex quibus patria potestas amittitur. Cap. IX.

PRIMO: *Ad emãcipandos se liberi parẽtes cogere non possunt. Hæc regula approbatur Inst. quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. §. fin. his uerbis*: Neque naturales liberi, neque adoptiui ullo penè modo possunt cogere parentes de potestate sua eos dimittere. *Concordat l. non potest. 31. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Non potest filius qui in potestate patris est, ullo modo compellere eum, ne sit in potestate, siue naturalis, siue adoptiuus. *Concordat item l. nec auus. 4. C. de emancipat. his uerbis*: Nec auus neptem suam liberare potestate

cogitur: nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere, moris est nostri. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi impubes adrogatus, pubes factus emancipari petat. quæ exceptio approbatur l. nonnunquam. 32. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Nonnunquam impubes qui adoptatus est, audiendus erit, si pubes factus emancipari desideret: idq; causa cognita periudicem statuendum erit. *Concordat l. & si pubes. 33. ff. eod.tt. his uerbis*: Si pubes factus, non expedire sibi in potestatem eius redigi, probauerit: equum est, emancipari eum à patre adoptiuo, atque ita pristinum ius recuperare.

II. AN EMANCIPATIO sit utilis?

Regulariter quidem emancipatio utilis est, habetq; effectus, de quibus ĩ. quæst. prox. dicetur. uerùm eius regulæ sunt aliquot exceptiones hic proponendæ.

I. *Exceptio: Nisi non solenniter emancipatio sit facta. Hæc exceptio approbatur l. non nudo. 3. C. de emancipationibus, his uerbis*: Non nudo consensu patria liberi potestate, sed actu solenni, uel casu liberantur: nec causæ, quibus motus pater emancipauit filium, sed actus solennitas quęritur. *Declaratur simul ac quodammodo mutatur exceptio proposita Inst. quib. mod. ius patr. potest. soluitur. §. præterea, his uerbis*: Emancipatione quoq; desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem uel per antiquam legis obseruationem procedebat, quæ per imaginarias uẽditiones & intercedentes manumissiones celebrabatur, uel ex Imperiali rescripto. Nostra autem prouidẽtia etiam hoc in melius per constitutionem reformauit, ut fictione pristina explosa, recta uia ad competentes iudices uel magistratus, parentes intrent, & filios suos uel filias, uel nepotes uel neptes, ac deinceps, à sua manu dimittant. Et tunc ex edicto prętoris in bonis huiusmodi filij uel filię, uel nepotis uel neptis, qui qúę ue à parẽte manumissus uel manumissa fuerit, eadem iura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. *Concordat l. cum inspexim. 6. C. de emancipationib. his uerbis*: Cum inspeximus in emancipationibus uanã obseruationem custodiri, & uenditiones in liberas personas figuratas, & circumductiones inextricabiles, & iniuriosa raphismata, quorum nullus rationabilis inuenitur exitus: iubemus, huiusmodi circuitu in posterum quiescente, licentiam esse ei qui emãcipare uult, uel ex lege Anastasiana hoc facere, uel sine sacro rescripto intrare competentis iudicis tribunal, uel eos adire magistratus, quibus hoc facere uel legibus uel ex longa consuetudine permissum est: & filios suos uel filias, nepotes uel neptes, uel deinceps progeniem in potestate sua cõsti-

tutam à sua manu dimittere,& legitima iura omnimodò habere, etsi non specialiter hæc sibi seruauerit: & peculium donare,uel alias res liberalitatis titulo in eos trásferre, & eas res, quæ adquiri indignantur, per usumfructum secundum nostræ constitutionis modum detinere,& omnia facere,uana tantummodò (secũdum quod iam dictum est) obseruatione sublata. *Ait Imp.* Vel ex lege Anastasiana. *Hæc lex habetur l.iubemus.5. C. cod.tt.his uerbis:* Iubemus licere parentibus,id est,patri,auo paterno,seu proauo,cæterisq; ulterius per masculini sexus personas continua generis serie cõiunctis:si liberos quos habét in potestate propria,id est,filium,nepotem neptemue ex filio, pronepotem seu proneptem,cæterosq; itidem per masculini sexus personas continua generis linea sibi coniunctos: per emãcipationem,uel absentes & peregrè degentes,uel in ijsdem locis seu regionibus uel ciuitatibus commorantes, in iudicio uerò non præsentes,iuris sui constituere maluerint:supplicationibus porrectis mereri super hoc diuinum oraculum, hocq; apud competẽtem iudicem, ad cuius iurisdictionem actus emancipationis pertinet, insinuare, superq; precib. à semet oblatis apud eum deponere: ut hoc subsecuto,& authoritate præcedente principali, plenissimum robur emancipatio fortiatur, & personæ in quas talis liberalitas collata est, de aliena potestate, quasi à parentibus emancipatione manumissæ, liberentur: si tamen ipsæ nihilominus sub gestorum testificatione uel apud eundem iudicem, uel alium quemliber, proposito parẽtum suam etiam uoluntatem consonare,uel ante preces oblatas & sacros apices promulgatos, uel postea deposuerint: nisi infantes sint, qui & sine consensu etiam hoc modo sui iuris efficiuntur.

II. *Exceptio: Nisi apud non competentem iudicem uel magistratum emancipatio sit facta. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt* s̃. *except.prox. Competens autem magistratus est prætor,ex l.1.ibi:nec sanè. C.de officio prætorum. cuius uerba uide* s̃. *lib.2. cap.13.quæst.3.reg.1. Item competens magistratus sunt duumuiri etiam alienigenis, si scilicet hoc illis lex municipij tribuat, ex l.1.C.de emancipationibus, his uerbis:* Si lex municipij, in quo te pater emancipauit, potestatem duumuiris dedit, ut etiam alienigenæ liberos suos emancipare possint: id quod à patre factum est, suam obtinet firmitatem.

III. *Exceptio: Nisi quis magistratus competens apud semetipsum emancipetur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit:uerum recipit replicationem in consule ex præside, l.si consul.3. ff.de adoptionibus. cuius uerba uide* s̃. *cap.prox.quæst.2.except.22. Item recipit replicationem in prætore l.2.ff.de officio prætoris. cuius uerba uide d.except.22.*

IIII. *Exceptio: Nisi quis magistratus competens apud semetipsum liberos suos emancipauerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio est in eo magistratu,apud quem est legis actio.quæ replicatio approbatur l.magistratum. 4.ff.de adoptionibus. cuius uerba uide* s̃. *cap.prox. quæst.2. except.23. Huius exemplum proponitur l.2.ff.de officio præsidis. cuius uerba uide* s̃. *d.quæst.2.except.24.*

V. *Exceptio: Nisi non pro tribundi, sed in itinere pater filium suum emancipauerit. Hæc exceptio reprobatur l.emanc.36.in prin.ff.de adopt.his uerbis:* Emãcipari filium à patre quocunque loco posse constat,ut exeat de patria potestate.

VI. *Exceptio: Nisi absens emancipetur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio hæc est:Nisi rescripto principis emancipatio fiat. Hæc replicatio approbatur l.iubemus.5.C.de emancipationibus.cuius uerba uide* s̃. *except.1.*

VII. *Exceptio:Nisi emancipatus emãcipationi non cõsentiat.Hæc exceptio approbatur d.l.5.in fine. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi insans sit emancipatus.quæ replicatio approbatur d.l.5.in fine.*

VIII. *Exceptio: Nisi scriptura emancipationi non interuenerit. Hæc exceptio reprobatur l.2.C.de emancipationibus,his uerbis:* In emancipationibus liberorum,necnon in donationibus, nõ tam scriptura quàm ueritas considerari solet.

IX. *Exceptio: Nisi filius emancipetur, retento in potestate nepote: uel contrà,retento in potestate filio, emancipetur nepos. Hæc exceptio reprobatur Instit. quibus mod.ius patr.potest.soluitur. §.admonendi, his uerbis:* Admonẽdi sumus,liberum arbitrium esse ei qui filium,& ex eo nepotem uel neptem in potestate habebit, filium quidem de potestate dimittere, nepotem uerò uel neptem retinere: & è conuerso,filium quidem in potestate retinere, nepotem uerò uel neptem manumittere, uel omnes sui iuris efficere.Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur. *Concordat iisdem uerbis l.liberum.28.ff.de adoptionibus.*

X. *Exceptio:Nisi emancipatus postea rursus sit adoptatus.Hæc exceptio approbatur in filio naturali emancipato, reprobatur uerò in filio adoptiuo, per ea quæ dicta sunt* s̃. *cap.prox.quæst.2.except.17.*

XI. *Exceptio: Nisi filius aduersus parentem emancipantem fuerit ingratus. Hæc exceptio approbatur l. unica.C.de ingratis liberis,hisce uerbis:* Filios & filias,cæterosq; liberos contumaces,qui parentes uel acerbitate conuicij,uel cuiuscunque atrocis iniuriæ dolore pulsassent,leges emancipatione rescissa damno libertatis immeritæ mulctare uoluerunt.

XII. *Exceptio: Nisi in diem,uel sub conditione emancipatio sit facta. Hæc exceptio approbatur l.actus legitimi.77.ff.de reg.iuris. cuius uerba uide* ȷ̃. *lib.48. cap.13.except.15.*

Repli-

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Exceptionum iam enumeratarum replicatio generalis prima hæc est: Nisi parens qui emancipauit,post mortem emancipati dicat eum non iure emancipatum. hoc enim casu non est audiendus.quæ replicatio approbatur l.post mort.25. in princ. ff.de adoptionibus, his uerbis: Post mortem filiæ suæ,quæ ut materfamiliâs quasi iure emancipata uixerat, & testamento scriptis hæredibus decesset: aduersus factum suum,quasi non iure eam, nec præsentibus testibus emancipauit, pater mouere controuersiam prohibetur. *Secunda replicatio generalis uidetur esse: Nisi quinquennium à morte emancipati excesserit. quæ replicatio reprobatur l.quod est.5. C.ne de statu defunctorum, his uerbis:* Quod est constitutum, post quinquennium de statu defunctorum quæstionem incipere non posse:ad speciem emancipationis, iure nécne perfecta sit, minimè pertinet.

III. EVENTVS EMANcipationis.

I. *Regula,* De præmio emancipationis. *Præmium emancipationis olim erat tertia pars bonorum filij, hodie uerò est dimidia pars ususfructus. quæ regula approbatur Instit.per quas personas cuiq; adquir.§.hoc quoq;, his uerbis:* Hoc quoque à nobis dispositum est, & in ea specie, ubi parens emancipando liberos suos,ex rebus quæ adquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere (si uoluerat) licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat, quasi pro precio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, ut filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte tertia defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quòd sui iuris effectus esset, hoc per rerum deminutionem decresceret. Ideoq; statuimus, ut parens pro tertia parte dominij,quam retinere poterat, dimidiam non dominij rerum, sed ususfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summa fruetur, pro tertia,dimidia potiturus. *Concordat l.cum oportet.6.§.cum autem Constantiniana.C.de bonis quæ liberis,hisce uerbis:* Cùm Constantiniana lege cautum erat, si filiifamiliarum ab his qui eos in potestate habent, nexu patrono per emancipationem liberentur,debere partem tertiam partem bonorum,quæ adquiri non solent, quasi remunerationis gratia à filio accipere uel retinere, & ex hac causa iterum pars non minima substantiæ liberorum adimebatur: sanciimus,huiusmodi casu interueniente, & emancipatione liberis imposita, non tertiam partem dominij rerum minimè adquisitarum,sed dimidiam ususfructus apud maiores, qui emancipationem donant,residere: exceptis & in hoc casu castrensibus, & quasi castrensibus tantummodò peculijs, quibus nihil ex hac causa deminuitur. Sic enim nec liberis cuiuscunq; sexus aliquid dominij auferetur, & patrib.amplioris patrimonij ususfructus adsignabitur. Hoc obtinente,etsi in emancipatione sibi parentes hoc minimè seruauerint: sed nisi specialiter uel in emancipatione huic præmio renunciauerint, uel donatione facta sese ab huiusmodi beneficio alienauerint,& in liberos hoc transtulerint: manere apud eos etiam tacentes ius & beneficium ususfructus retinendi,ut post obitum eorum & ususfructus in omnibus memoratis causis ad eos perueniat, quorum dominium est: scilicet (secũdum quod iam diximus) in successionibus eorum omnibus seruandis, quæ de maternis & nuptialibus bonis consultissimis legibus definita sunt. *Ait Imp.* Secundum quod iam diximus. *De hoc uide* s̃. *cap.2.quæst.4.reg.11. Concordat item l.2.in fine.C.cod.tt. cuius uerba uide* s̃. *d.cap.2.quæst.1. except.12,repl.1. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi sint bona castrensis, uel quasi castrensis peculij. quæ exceptio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Exceptis & in hoc casu castrensibus, & quasi castrensibus tantummodò peculijs, quibus nihil ex hac causa deminuitur. *Secunda exceptio est:Nisi in ipsa emancipatione propositi præmij nulla mentio sit facta. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Hoc obtinente,etsi in emancipatione sibi parentes hoc minimè seruauerint. *Concordat l.cum imperatores.6. §.& legitima. C.de emancipat. liberorum.cuius uerba uide* s̃. *quæst.prox.except.1. Tertia exceptio est:Nisi pater huic præmio renunciauerit.Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed nisi specialiter, &c. *Quarta exceptio est: Nisi filius emancipatus bona alienauerit. horum enim ususfructus pro dimidia parte non debetur. quæ exceptio approbatur l.2.ff.si à parente quis manumissus fuerit, his uerbis;* Non usqueadeò exæquandus est patrono parẽs,ut etiam Fauiana aut Calusiana actio ei detur: quia iniquum est,ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem.

II. *Regula, De eo quod parens filio emancipato libertatis causa imposuit.Hoc peti non potest.quæ regula approbatur l.nullum.10. ff.de obsequijs à liberis, hisce uerbis:* Nullum ius libertatis causa impositorum habet pater in emãcipato filio: quia nihil imponi liberis solet: nec quisquam dixerit,iureiurando obligari filium patri manumissori,ut libertum patrono.nam pietatem liberi parentibus,non operas debent.

III. *Regula: Finita patris adoptiui potestate, nullum ex pristino iure retinetur uestigium. quæ regula*

approbatur l. in omni. 13. ff. de adoptionibus, his uerbis: In omni ferè iure, finita patris adoptiui potestate, nullum ex pristino iure retinetur uestigium: denique & patria dignitas quæsita per adoptionem, finita ea deponitur. *Concordat l.sed & 14. ff.eod.tt.his uerbis*: Sed & nepos ex filio apud adoptiuum patrem conceptus & natus, per emancipationem omnia iura perdet. *Concordat item l. quinetiam. 55. §.patris. ff.de ritu nuptiar. cuius uerba uide §.lib. 24.cap.3.except.1.repl.1.*

IIII. *Regula*: *Eadem iura competunt parenti in bonis filij emancipati, quæ patrono in bonis liberti. quæ regula approbatur Inst. quib. modis ius patr.potest. soluitur. §. præterea. ibi: & tunc ex edicto. cuius uerba uide §.quæst.prox.except.1. Plura de hac re uide in loco de Bonorum possess. contra tabulas. Sed & huius regulæ exceptionem uide §. reg.1.except.4.*

V. *Regula*: *Parens impuberis emancipati tutelam nãcisci tur. quæ regula approbatur Inst.d.tt.§. & præterea, his uerbis*: Si impubes sit filius, uel filia, uel cæteri, ipse parens ex manumissione tutelam eius nãcisci tur. *Vide item ff. lib.prox. cap.3.quæst.3.reg.3.*

IIII. RELIQVAE CAVSAE, EX quibus patria potestas soluitur.

I. *Regula, De morte parentis, in cuius est potestate filius. Mortuo parente, filius liberatur patria potestate, fitq; sui iuris. quæ regula approbatur simul & distinguitur Inst. quibus modis ius patriæ potestatis soluitur, in prin. his uerbis*: Hi qui in potestate parentis sunt, mortuo eo sui iuris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. nam mortuo patre, sanè omnimodò filij filiæue sui iuris efficiũtur: mortuo uerò auo, non omnimodò nepotes neptesque sui iuris fiunt, sed ita, si post mortem aui in potestatem patris sui re casuri non sunt. Itaq; si moriente auo pater eorum uiuit, & in potestate patris sui est: tunc post obitum aui in potestate patris sui fiunt. Si uerò is, quo tempore auus moritur, aut iam mortuus est, aut per emancipationem exijt de potestate patris: tũc ij qui in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi mortuo auo, in cuius potestate nepotes erant, pater illorum adhuc uiuat. tunc enim in eius recidunt potestatem. quæ exceptio ex uerbis iam propositis constat. Concordat l. nepotes. 5. ff.de his qui sui iuris, his uerbis*: Nepotes ex filio, mortuo auo, recidere solent in filij potestatem: simili modo & pronepotes, & deinceps, uel in filij potestatem, si uiuit, & in familia mansit: uel in eius parẽtis, qui ante eos in potestate est. & hoc non tantùm in naturalibus, uerùm quoque in adoptiuis iuris est. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pater superstes tempore mortis aui in eius potestate non fuerit. quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce*: Itaque si moriente auo pater eorum uiuit, & in potestate patris sui est, &c. *Item hisce*: Si uerò is, quo tempore auus moritur, aut iam mortuus est, aut per emancipationem exijt de potestate patris, &c. *Item d.l.5. uerbis hisce*: Si uiuit, & in familia mansit, &c. *Huius replicationis duplicatio hæc est*: *Nisi pater superstes ob dignitatẽ patria potestate sit liberatus. quæ duplicatio approbatur Nouell.c.81. §. sed & illud insuper. cuius uerba uide §. reg.7.except.6. Secundæ replicatio uidetur*: *Nisi filius superstes, uel nepos, non naturalis sit, sed adoptiuus. Hæc replicatio reprobatur d.l.5. in fine, hisce uerbis*: Et hoc non tantùm in naturalibus, uerùm quoque in adoptiuis iuris est. *Tertia replicatio est*: *Nisi postquam auus filium emancipasset, uel alij eũ in adoptionem dedisset, eum rursus adoptauerit. hoc enim casu, quamuis mortis tempore in qui potestate sit, nepotes tamẽ ex eo in eius potestatem non recidunt. quæ replicatio approbatur l.si pater.41. ff.de adoptionib.his uerbis*: Si pater filiũ, ex quo nepos illi est in potestate, emancipauerit, & postea eum adoptauerit: mortuo eo, nepos in patris potestatẽ non reuertitur. Sed nec is in patris potestatem reuertitur, quem auus retinuerat, filio dato in adoptionẽ, quem denuò readoptauit. *Quarta replicatio est*: *Nisi nepos quasi ex filio contra filij consensum sit adoptatus. Hæc replicatio approbatur l.si quis.11. ff.de adoptionib. cuius uerba uide §.cap.prox.quæst.3.reg.9.*

II. *Regula, De capitis deminutione patris. Per hanc quoque patria potestas amittitur. quæ regula approbatur l.si qua.7. ff. de his qui sui iuris, hisce uerbis*: Si qua pœna pater fuerit adfectus, ut uel ciuitatem amittat, uel seruus pœnæ efficiatur: sine dubio nepos filij loco succedit. *Cõcordat Inst.quib. mod. ius patr. potest.soluitur. §. cum aũt, his uerbis*: Cum is qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, ciuitatem amittit: sequitur, ut qui eo modo ex numero ciuium Romanorũ tollitur, perinde quasi eo mortuo, desinãt liberi in potestate eius esse. *Concordat item Inst.eod.tt. §.pœnæ, his uerbis*: Pœnæ seruus effectus filios in potestate habere desinit. Serui aũt pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestijs subijciuntur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi relegatus tantùm pater sit, non deportatus. quæ exceptio approbatur Inst.d.tt. §.relegati, his uerbis*: Relegati aũt patres in insulam, in potestate liberos retinent. *Secunda exceptio est*: *Nisi pater à pœna rursus fuerit liberatus & restitutus. quæ exceptio approbatur Inst.d.tt. §.pari ratione. cuius uerba uide §. reg.5.*

III. *Regula, De captiuitate patris. Per hanc quoque patria potestas tollitur. quæ regula approbatur simul & distinguitur Inst. quib. mod. ius patriæ potest. soluitur. §.si ab hostibus, hisce uerbis*: Si ab hostibus captus fuerit parens, quamuis seruus hostium

hostium fiat, tamen pendet ius liberorum propter ius postliminij: quia hi qui ab hostib. capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiũt. Idcirco reuersus etiã liberos habebit in potestate: quia postliminium fingit eum qui captus est, in ciuitate semper fuisse. Si uerò ibi decesserit, exinde ex quo captus est patet, filius sui iuris fuisse uidetur. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi captiuus postliminio redierit. quæ exceptio ex iam propositis constat. Declaratur autem hæc exceptio ibidem, his uerbis*: Dictum est autem postliminium à Limine & Post. Vnde eum qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum rectè dicimus. Nam limina sicut in domo finem quendã faciunt, sic & Imperij finem esse limen ueteres uoluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen reuertebatur quod amiserat. Sed & qui captus uictis hostibus recuperatur, postliminio redijsse existimatur. *Plura de hac re uide ff. lib.50.cap.2.quæst.2.reg.2.& 3.*

IIII. *Regula, De furore patris. Hic patriam potestatem non tollit. quæ regula approbatur l. patre.8. ff.de his qui sui, his uerbis*: Patre furioso, liberi nihilominus in patris sui potestate sunt. Idem & in omnibus est parentibus, qui liberos habent in potestate. nam cum ius potestatis moribus sit receptum, nec possit definere quis haberi in potestate, nili exierint liberi quibus casibus solent: nequaquam dubitãdum est, remanere eos in potestate. Quare non solùm eos liberos in potestate habebit, quos ante furorem genuit: uerùm & si qui ante furorem concepti, in furore editi sunt. Sed si in furore agente eo, uxor concipiat: uidendum, an in potestate eius nascatur filius. nam furiosus, licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. Quod cum ita se habet, in potestate filium habebit. Proinde etsi furiosa sit uxor, ex ea antè conceptus in potestate nascetur: sed & in furore eius conceptus ab eo qui non furebat, sine dubio in potestate nascetur: quia retinetur matrimonium. Sed etsi ambo in furore agant, & uxor & maritus, & tunc concipiat: partus in potestate patris nascetur, quasi uolũtatis reliquijs in furiosis manentibus. Nam cum consistat matrimonium altero furente, constat & utroq;. Adeò aũt retinet ius potestatis pater furiosus, ut & adquiratur illi commodũ eius quod filius adquisiuit.

V. *Regula, De capitis deminutione filij. Per hanc patria potestas tollitur. quæ regula approbatur Inst. quib. mod. ius patriæ potest. toll. §. pari ratione, his uerbis*: Pari ratione, & si is qui in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgẽtia principis restituti fuerint, per omnia pristinum statum recipiunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi capite deminutus in pristinum statum sit restitutus. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Sed si ex indulgentia principis, &c. *Secunda exceptio est*: *Nisi relegatus tantùm sit filius. quæ exceptio approbatur Inst. d.tt. §.relegati, his uerbis*: Liberi relegati in potestate parentum remanent.

VI. *Regula, De captiuitate filij. Per hanc quoque patria potestas tollitur. Cuius regulæ exceptio hæc est: Nisi filius postliminio fuerit reuersus. quæ exceptio approbatur Inst.d.tt. §.fi ab hostibus, in fine, his uerbis*: Ipse quoq; filius neposue si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus propter ius postliminij, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse. *Plura de hac re uide ff. lib. 50. cap.2.quæst.6.reg.12.*

VII. *Regula, De dignitate filij. Per hãc patria potestas nõ soluitur. Quæ regula approbatur Inst. quib. mod. ius patr.potest. soluitur. §.filiusfamiliãs, his uerbis*: Filiusfamiliãs si militauerit, uel si senator uel consul factus fuerit, remanet in potestate patris. militia enim, uel consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi patriciatus dignitas sit. Hæc exceptio approbatur Inst. d. §.filiusfamiliãs, his uerbis*: Sed ex constitutione nostra summa patriciatus dignitas illico, Imperialibus codicillis prælatitis, filium à patria potestate liberat. quis enim patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filiũ liberare: Imperatoriam autem celsitudinem non ualere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate? *Concordat l.sancimus.5. C.de consulibus, hisce uerbis*: Sancimus, uiros excelsos patricios, quos in huiusmodi dignitatis apicem augusta maiestas retulerit, illico ab Imperialibus codicillis præstitis patresfamiliarum effici, ac potestate liberari paterna: ne uideantur, qui à nobis loco patris honorantur, alieno iuri esse subiecti. Quis enim patiatur, patrem posse quidem per emancipationis modum suis nexibus filium relaxare: Imperatoriam autem celsitudinem non ualere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate? Ne si contrarium adprobetur, per quamcunq; machinationem Imperialis maiestas minui uideatur. Et hoc quidem rarò contingere, satis certum est. nemo enim facilè respexit filiumfamiliãs in patriciatus honorem prouectum, quemadmodum in consulibus hæc res usitata est. Sed ne quid in parte temporis tale eueniat, & sine legibus inueniatur, ideo hæc nobis

nobis uisa sunt sanciẽda. *Concordat Nouell. c.81.in prin.his uerbis*: Iam antea legem de gloriosiſs. noſtris patricijs conſcripſimus, quæ datione dignitatis oſtenderet,eos patria liberatos eſſe poteſtate. Indecorum enim eſſe putauimus,ut hi ſub alterius degant poteſtate, quos in loco nos parentum ducimus. Nam ſi actus emancipationis, qui olim ſub legis actiones (ut uocant) conſtituebatur, uel cum contumelijs & alapis huiuſmodi eos uinculis liberabat: quomodo non item codicilli,qui omnibus hominibus dignitate præſtant, dari ſoliti à maieſtate Imperatoria, quæ ſummæ rerum præſidet, patriæ poteſtatis iure ipſos liberent? *Secunda propoſitæ regulæ exceptio eſt: Niſi filius conſul ſit. Tertia exceptio eſt: Niſi filius conſularibus codicillis ab Imperatore honoratus ſit. Quarta exceptio eſt: Niſi filius præfectus prætorio ſit. Quinta exceptio eſt: Niſi filius præfectus urbi ſit. Sexta exceptio eſt: Niſi filius magiſter militum ſit. Hæ quinque exceptiones approbantur d. c.81. §.nunc uerò,cum ſequentibus,his uerbis*: Nunc uerò, cum humaniorem quandam, & plus amplitudinis allaturam reipublicæ ſententiam agitemus in animo, etiam de glorioſiſs. conſulibus, qui poſt maieſtatem Imperatoriam nomen ſuum addunt tempori, neque non de his qui conſularibus tantummodò honorantur codicillis, atque magiſtratibus à nexu curiæ liberare queuntibus,hoc eſt, præfectura iuxtà & magiſterio militum (qui tamen in ipſis thronis atque actu fuerint cogniti) hoc idem ſancimus, ut omnis eiuſmodi dignitas taliſque magiſtratus nonnullis, quos ipſi nos probauerimus,adquiſitus,qui & à curia ipſos liberos reddit, is ualeat etiam iure patriæ aut auitæ eos poteſtatis liberare. Si enim lege cauimus, ut ſi ſeruus aliquis,ſciente domino, militia aut aliqua fortè dignitate à maieſtate dignatus ſit Imperatoria, protinus liberetur, & ad ipſam rapiatur ingenuitatem: quomodo non iuſtum fuerit, eum quoque qui tam amplis codicillis dignatus ſit, ab alienæ poteſtatis iure liberum fieri? Eapropter ampliſsima hac lege uſi, ſancimus, ut ordinarij conſules, ſi ſub alterius poteſtate degant, unà cum dicto quod hũc dignitatis gradum ipſis largitur, ad ſuæ poteſtatis arbitrium deferantur. Inſuper ut his quoq;, qui conſularibus codicillis à maieſtate honeſtantur Imperatoria, ſiquidem ſub manu patrum cõſtituti ſunt, codicillus emancipationis loco ſit. Porrò & ſi quem cuicunque harum adminiſtrationum, quibus glorioſiſsimi præfecti ſacrorum noſtrorum prætoriorum præſunt,præfecerimus, aut ad urbicariam præfecturam utriuſque Romæ produxerimus, magiſteriúmue aliquod militum: ut hi quoq; protinus ſuæ poteſtatis efficiantur. Nam ut is qui tot hominibus præiturus eſt imperio, totque hominibus daturus eſt mandata, ſub alterius etiamnum poteſtate maneat, neque inter patresfamiliarum cenſeatur: legibus ſimul & ſedibus noſtris indignum duximus. Sanè in genere (prout dictum eſt) ſancimus, ut quæcunque dignitas, quicunque magiſtratus, qui à curia liberandi poteſtatem habet,is & ſuæ poteſtatis ius in præmium ipſo honoratis præbeat. *Octaua exceptio eſt: Niſi epiſcopalis dignitas ſit. quæ exceptio approbatur d.c. 81. §.palàm uerò eſt,his uerbis*: Palàm eſt,neminem exiſtere qui ignoret, præ omnibus utiq; religioſiſsimis etiam epiſcopis unà cũ ordinatione ſuæ poteſtatis ius accedere. Nam qui omnium ſpirituales patres ſunt, quomodo aliorum adhuc poteſtati ſubditi ſint? Sed conuenit ipſos quoque tali honore perfrui, atq; hunc ex legislatione hac noſtra fructum percipere. *Concordat Nouell. c.123. §.poſt ordinationem,in fine,his uerbis*: Quòd ſi contingat, ut is qui ordinatur epiſcopus, ſub patris ſui poteſtate ſit: ex ipſa ordinatione ſui iuris eſto.

VIII. *Regula, De militia filij. Militia filium patria poteſtate non liberat. quæ regula approbatur inſt. quib. mod. ius patr. poteſt.ſoluitur. §.filiusfamilias. cuius uerba uide ẽ. reg.prox.in prin. Concordat l.errat.3. C. de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Errat qui tibi perſuaſit, quòd nexu paternæ poteſtatis iure ſacramenti ſolutus es. manent enim nihilominus milites in poteſtate parentum: ſed peculium caſtrenſe proprium habent, nec in eo ullum ius patris eſt.

IX. *Regula: Si pater paſſus ſit res filij per tutores adminiſtrari, patriam poteſtatem amittit. quæ regula approbatur l.1. C. de patria poteſtate, his uerbis*: Si filium tuum in poteſtate tua dicis eſſe: prouinciæ præſes æſtimabit, an te audire debeat,cum diu paſſus ſis,ut patrisfamilias rem eius agi per eos qui teſtamento matris tutores nominati fuerunt.

X. *Regula: Si pater filium ſuum alij dedit in adoptionem, ipſe ius patriæ poteſtatis amittit. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ dicta ſunt ẽ. cap. prox.quæſt.3.reg.1.except.1.*

XI. *Regula: Si pater filium uel filiam infantem expoſuit, ex hac cauſa patriam poteſtatem non amittit. quæ regula approbatur l.patrem.16. C. de nuptijs. cuius uerba uide ẽ. lib.14.cap.4.except.1.repl.10.*

Hactenus *de iure inter parentes & liberos. Sequitur nũc de iure inter tutorem & pupillum,curatorem & adultum, uel alium qui eſt ſub cura.*

DIGESTORVM LIBER DECIMVSSEPTIMVS:

DE TVTELA ET CVRA.

DE TVTELA ET CVRA, tutoribus & curatoribus in genere. Cap. I.

I. DEFINITIO TVTELÆ & tutorum.

Definitio tutelæ & tutorum proponitur inſt. de tutelis. §. eſt autem, his uerbis: Eſt autem tutela (ut Seruius definiuit) uis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum qui propter ætatem ſe defendere nequit, iure ciuili data ac permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam uim ac poteſtatem habent: exq́ ipſa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quaſi tuitores atque defenſores: ſicut æditui dicũtur, qui ædes tuentur. *Concordat l.1. in prin. ff.de tutelis, hiſce uerbis*: Tutela eſt (ut Seruius definit)uis ac poteſtas in capite libero conſtituta ad tuendum eum qui per ętatem ſua ſponte ſe defendere nequit,iure ciuili data ac permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam uim ac poteſtatem habent: exq́; re ipſa nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quaſi tuitores atque defenſores: ſicut æditui dicuntur,qui ædes tuentur.

II. QVO IVRE ET RATIONE tutela ſit introducta?

Iure ciuili permiſſa eſt,ut ex iam propoſitis definitionibus conſtat. Sed & naturali iuri conueniens eſt. quod approbatur inſt. de Atiliano tutore. §.penult. his uerbis: Impuberes in tutela eſſe,naturali iuri conueniens eſt: ut is qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur.

III. GENVS TVTELAE & curæ quod ſit.

I. *Regula*: *Tutela publicum munus eſt, non priuatum. quæ regula approbatur inſt. de excuſ. tutor. in prin. ibi: nam & tutelam, his uerbis*: Et tutelam & curam placuit publicum munus eſſe. *Contradicit l.15. §.qui accepit.ff.de excuſationibus. cuius uerba cum aliis huc pertinentib.uide ẽ.cap. 6. quæſt.1. cauſa 24.*

II. *Regula*: *Reipublicæ munus non eſt, ſed ciuile. quæ regula approbatur l.6. §.Vlpianus quoq;.ff.de excuſationib. cuius uerba uide ẽ. cap.6.quæſt.1.cauſa 25.*

III. *Regula*: *Virile officium eſt, nec hæreditarium. quæ regula approbatur l. tutela. 16. ff.de tutelis, hiſce uerbis*: Tutela plerunq; uirile officium eſt: & ſciendum eſt, nullam tutelam hæreditario iure ad alium tranſire: & licet ad liberos uirilis ſexus perfectæ ætatis deſcendũt legitimæ, cæteræ tamen non deſcendunt. *Concordat l.fœminæ.18. ff.eod.tit. cuius uerba cum cõcordantibus uide ẽ.cap.4.quæſt.2.except.21.*

IIII. DIF-

IIII. DIFFERENTIAE TVTORum & curatorum, item cognatio.

I. *Regula*: *Regulariter quidem, quod de tutoribus dicitur, idem de curatoribus quoq; est intelligendum. quæ regula approbatur l. qui neque. 8. §. 1. ff. de rebus minorum. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 6. quæst. 1. except. 7. Concordat l. 13. in prin. ibi: in paucis enim. ff. de excusationibus. cuius uerba uide ĩ. hoc libro, cap. 6. quæst. 5. reg. 1. Item concordat l. si in emptione. 34. §. fin. ff. de contrah. empt. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 7. quæst. 2. reg. 1. except. 5.* Planè *sunt huius regulæ aliquot exceptiones, & inter tutores curatores q; differentiæ, quæ infrà suis locis proponentur.*

II. *Regula, De differentia inter curatorem bonorum, uentris, adulti, furiosi & prodigi, proponitur l. inter. 47. ff. de admiſtr. tutor. his uerbis*: Inter bonorum uentrisq; curatorem, & inter curatorem furiosi, itemq́ue prodigi, pupilliue, magna est differentia: quippe cùm illis quidem planè rerum administratio, duobus autem superioribus sola custodia, & rerum quæ deteriores futuræ sunt, uenditio committatur.

V. DIVISIO, ET CAVSAE tutelæ efficientes.

Diuiduntur tutores ex causa efficiente in testamentarios, legitimos & datiuos: quia aut testamento, aut legibus, aut à magistratu dantur. de quibus singulis spe ciebus dicetur ĩ. in capitibus sequentibus. Sed & curæ uariæ species sunt, quæ enumerantur ĩ. cap. 4. quæst. 2. except. 34. Tractantur autem in generali tractatu, præter curam bonorum & uentris: quarum illa quidem tractatur ĩ. eod. lib. cap. ult. hæc uerò alibi.

VI. CAVSAE TVTELAE corrumpentes.

Causæ tutelæ corrumpentes nihil aliud sunt, quàm modi quibus finitur tutela: ut sunt excusationes à tutela, postulatio & remotio suspecti, &c. de quibus dicetur ĩ. cap. 6. cum sequentibus.

VII. FINIS *& officia tutorum & curatorum proponentur ĩ. lib. prox.*

VIII. EFFECTVS TVTELAE & administrationis tutorum.

I. *Regula: Tutor domini loco est. quæ regula approbatur l. tutor. 26. ff. de admiſtr. tutor. his uerbis*: Tutor qui tutelam gerit, quantum ad prouidentiam pupillarem, domini loco haberi debet. *Concordat l. interdum. 58. §. qui tutelam. ff. de furtis, hiſce uerbis*: Qui tutelam gerit, transigere cum fure potest: & si in potestatem suam redegerit rem furtiuam, desinit furtiua esse: quia tutor domini loco habetur. Sed & circa curatorem furiosi eadem dicẽda sunt: qui adeò personam domini sustinet, ut etiam tradendo rem furiosi alienare existimetur. Condicere etiam rem furtiuã tutor & curator furiosi eorum nomine possunt. *Huius regulæ exceptio hæc est*: Nisi *tutor quid non bona fide gesserit. quæ exceptio approbatur l. qui fundum. 7. §. si tutor. ff. pro emptore, his uerbis*: Si tutor rem pupilli subripuerit & uendiderit, usucapio non contingit, priusquam res in potestatem pupilli redeat. nam tutor in re pupilli tunc domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat.

II. *Regula: Gestum à tutore uel curatore in rebus eius, cuius tutelam uel curam gerit, ratum est habendum. Quæ regula approbatur l. cũ plures. 11. §. 1. ff. de admiſtr. tutor. his uerbis*: Quæ bona fide à tutore gesta sunt, rata habentur, etiam ex rescriptis Traiani & Hadriani. Et ideo pupillus rem à tutore legitimè distractam uindicare non potest. nam & inutile est pupillis, si administratio eorum non seruetur, nemine scilicet emente. nec interest, tutor soluendo fuerit, nec ne: cum si bona fide gesta est, seruanda sit: si mala fide, alienatio non ualeat. *Concordat item l. pignus. 11. ff. de curator. furioso, his uerbis*: Pignus à curatore furiosi datum ualet, si utilitate furiosi exigente id fecit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mala fide à tutore sint gesta. quæ exceptio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Quæ bona fide à tutore gesta sunt. *Sed & approbatur iam dictis uerbis hisce*: Si mala fide, alienatio nõ ualeat. *Concordant ea quæ dicta sunt ẽ. reg. proxim. excepti. 1. Secunda exceptio est: Nisi tutor soluendo nõ sit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis*: Nec interest, tutor soluendo fuerit, nec ne? *Tertiæ exceptio est: Nisi tutor rem pupilli saluam fore cautionem non præstiterit. Hæc exceptio approbatur exẽplo l. si tutor. 4. C. in quib. causis in integr. rest. necess. non est. cuius uerba uide ẽ. lib. 8. cap. 4. quæst. 3. reg. 1. except. 2. repl. 2. Quarta exceptio est: Nisi tutor nõ rectè sit datus. Item: Nisi tutor tanquam suspectus à tutela sit remotus, &c. De hisce & aliis huiusmodi exceptionibus dicetur ĩ. Sed & plura de regula proposita uide ĩ. lib. prox. cap. 7. quæst. 2. reg. 1.*

III. *Regula: Agnoscere nomina quæ tutor fecit, pupillus cogitur. quæ regula approbatur l. cum quær. 15. ff. de admiſtr. tutor. his uerbis*: Cum quæreretur iudicio tutelæ, quæ nomina à tutore facta agnoscere pupillus deberet: Marcellus putabat, si tutor pecuniam pupilli mutuam dedisset, & suo nomine stipulatus esset: posse dici, nomina integra pupillo salua esse, deperdita & malè contracta ad tutorem pertinere. Sed uerius esse putarim, posse tutorem eam conditionem adolescẽti deferre, utrid quod gessisset tutor in contrahendis nominibus, aut in totum agnosceret, aut à toto recederet, ita ut perinde esset, ac si tutor sibi negocium gessisset. Idem est, etsi pupilli nomine credidisset. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi nomen malè contra-*

ctum sit, uel soluendo esse desierit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce: Deperdita & malè contracta ad tutorem pertinere. *Concordat l. tutores. 24. in fine. C. de admiſtr. tutor. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. in prin. Cõcordat item Nouell. c. 72. §. quia uerò grauatè, in fine, his uerbis*: Si tutor sua sponte mutuare uoluerit, fortè acceptis pignoribus, aut alijs cautionibus, quas certas & extra cõtrouersiam positas esse putet: tunc habeto quidem singulis annis ad exigẽdum duorũ mensium inducias, id quod leges laxamentum uocant: scito autem, crediti periculum omnino ad se reuersurum. *Concordat item l. si tutor. 14. ff. de admiſtr. tutor. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 3. off. 6. reg. 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post finitam tutelam nomen desierit esse soluendo. Quæ replicatio approbatur l. cum post. 42. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Cum post mortem pupilli desinit esse nomen idoneum, tutor periculo eximitur. *Concordat l. Titium. 46. §. Lucius. ff. eod. tt. his uerbis*: Lucius Titius mutuam pecuniam à tutore accepit, & rem hereditariam pignori ei dedit. post triennium, iam puberibus his quorum tutela administrata est, fisco bona defuncti adiudicata sunt: quia mortem eius hæres non est ultus. quæritur, an id nomen pupillus recusare possit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponuntur, id nomen ad onus tutorum non pertinere. *Secunda replicatio est: Nisi pupillus pubes factus tutori petenti non etiam idonea nomina, quæ contraxit tutor, cedere uelit. quæ replicatio approbatur l. cum quæreretur. 15. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. ead. reg. in prin. Concordat l. tutor qui. 6. §. si tutor. ff. eod. tt. his uerbis*: Si tutor pecuniam pupillarem, &c. *Tertia replicatio est: Nisi pupillus pubes factus, cum cum quo tutor contraxit, procuratorem suũ fecerit. Hæc replicatio reprobatur l. Lucius. 45. in prin. ff. de admiſt. tutor. his uerbis*: Lucius Titius, curator Caij Seij, tempore curæ fundum Cornelianum locauit Sempronio, qui Sempronius reliqua traxit. pupillus ætate probata, eundem quondam colonum Sempronium fecit procuratorem. quæro, an ex eo quod ille, ut, &c. *Plures huiusmodi replicationes uide ĩ. lib. prox. cap. 3. officio 2. reg. 2.*

IIII. *Regula: Ex eo quod tutor gessit, actio pupillo datur. quæ regula approbatur l. 2. ff. quando ex facto tutoris, hiſce uerbis*: Si tutor uel curator, pecunia eius cuius negocia administrat, mutua data, ipse stipulatus fuerit, uel prædia in nomen suum emerit: utilis actio ei cuius pecunia fuit, datur ad rem uindicandam, uel mutuam pecuniam exigendam. *Concordat l. 2. C. eod. tt. his uerbis*: Etsi tutores tui, cum pecuniam pupillarem crederent, ipsi stipulati sunt, utilis actio tibi dabitur. *Concordat item l. si hi. 4. C. eod. tt. his uerbis*: Si hi quite in pupillari ætate constituta, tutores fuerint, postea in administratione perseuerantes, uel curatores constituti, tua prædia locauerunt: eos competenter conuenies, & ex eorum contractu utilis tibi quæri potuit contra successores conductoris actio. *Aliud exemplum in actione iudicati uide ẽ. lib. 8. cap. 4. quæst. 2. reg. 1. except. 4. Huic regulæ uidetur quodammodo contradicere l. ult. C. eod. tt. his uerbis*: Per tutorem pupillo actio, nisi certis ex causis, dari non potest. *Item contradicit l. solutum. 11. §. per liberam. ff. de pignoraticia actione. cuius uerba uide ĩ. lib. 21. cap. 2. reg. 9. in prin.*

V. *Regula: Ex eo quod tutor gessit, finita tutela, actio in pupillum datur. quæ regula approbatur l. cũ quædam. 26. §. inuenimus. C. de admiſtrat. tutor. his uerbis*: Inuenimus generaliter definitũ, post officium depositum omnes actiones, quas tutor uel curator ex necessitate officij subierit, in quondam pupillum uel adultum transferri. Quare tam optimo exemplo argumentati, necnon & alijs omnibus causis, quibus ueretur tutor uel curator, ne præiudicium aliquod ei fiat, timorem eius removemus. Damus igitur eis cum summa fiducia res pupillorum uel adultorum gubernare, sciturus quòd lex nostra sua eis iura immutilata reseruet, nihil ex huiusmodi authoritate uel consensu præiudicij subituris. *Concordat l. si in rem. 3. C. quando facto tutoris, hisce uerbis*: Si in rem minoris pecunia profecta sit, quæ curatori uel tutori eius nomine minoris mutuò data sit: meritò personalis actio in eundem minorem danda est. *Exemplum huius regulæ in actione iudicati uide ẽ. lib. 8. cap. 4. quæst. 3. reg. 1. Aliud exemplum proponitur l. ult. ff. quando ex facto tutoris, his uerbis*: Tutor, qui & cohæres pupillo erat, cum conueniretur fideicommissi nomine, in solidum ipse cauit. quæsitum est, an in adultum pupillum pro parte danda sit utilis actio? Scæuola respondit, dandam. *Concordat item l. si non subscripsisti. 15. C. de admiſtrat. tutor. cuius uerba uide ĩ. lib. proxim. cap. 9. except. 29. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutor suo, non pupilli nomine contraxerit. quæ exceptio approbatur l. tutor. 5. §. fin. ff. quando ex facto tutoris, hisce uerbis*: Tutor qui pecuniam soluturũ se cauit, ad quam pater pupilli condemnatus fuerat, actionem post tutelam finitam rectè recusat. Non idem in eo placuit, qui suo nomine mutuam pecuniam accepit, & iudicatum pro pupillo fecit: nisi fortè creditor ideo cõtraxit, ut in causam iudicati pecunia transiret. *Concordat l. tutores. 38. §. aduersus. ff. de admiſtrat. tutor. his uerbis*: Aduersus tutorem qui pupillum hæreditate patris abstinuit, actionem denegari non oportet cre-

ditori,qui cum ipso tutore cõtraxit,quamuis tutor pecuniam in rem pupilli uerteret. *Secunda exceptio est: Nisi ex dolo tutoris agatur. quæ exceptio approbatur l.neque.158. ff.de reg. iuris, hisce uerbis*: Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, siue soluendo est, siue non est. *Concordat l.& si.4. ff. quando ex facto tutor.bis uerbis*: Si extrinsecus aliquid tutor dolo amiserit, pupillo nihil nocere oportet. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi pupillus ex dolo tutoris locupletior sit factus: in tantum enim tenetur. quæ replicatio approbatur l.dolus.3. ff.d.tt. his uerbis*: Dolus tutorum pupillo neque nocere, neque prodesse debet. Quod autem uulgò dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere: tunc uerum est, cum ex illius fraude locupletior pupillus factus nõ est. Quare meritò Sabinus Tributoria actione pupillum conueniendum ex dolo tutoris existimauit, scilicet si per iniquam distributionem pupilli rationibus fauit. Quod in depositi quoque actione dicendum est, item in hæreditatis petitione: si modò,quod tutoris dolo desijt, pupilli rationibus illatum probetur. *Concordat l.sed & ex.15. in prin. ff.de dolo malo. Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Quòd non nisi in id,quo locupletior factus est pupillus ex dolo tutoris,conueniatur. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis. Cuius triplicatio hæc est: Nisi rem pupillus à tutore seruare posit. tunc enim, quanti actor in litem iurauerit, pupillus tenetur. quæ triplicatio approbatur l. 1. ff. cod. tt. his uerbis*: Ob dolum malum uel culpam tutoris, Aristo ait, pupillum possessorem condemnandum. Sed non puto, quanti actor in litem iuraret. Et tamen illud ita est, si rem à tutore pupillus seruare posit. *Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi ex culpa tutoris agatur. quæ exceptio approbatur exemplo l. liberto.30. §. tutoris. ff.negotiorum gestorum, his uerbis*: Tutoris hæres impubes filius ob ea quæ tutor eius in rebus pupillæ paternæ gesit, non tenetur: sed tutor proprio nomine iudicio negociorum gestorum conuenitur. *Culpa hoc loco censetur tutoris, quia immiscuit se rei ad se non pertimenti. uel intellige secundum ea quæ habentur ĩ. libro prox. capite 9. except.2. repl.2. in fine*. Planè huius exceptionis eadem replicatio est, quæ superioris, scilicet: *Nisi pupillus ex dolo tutoris locupletior sit factus. ut apparet ex uerbis paulò superius propositis hisce*: Ob dolum malum uel culpam tutoris.

VI. Regula: *Tutor ex eo quod in causis pupillaribus gessit, nullum patitur præiudicium circa res suas. quæ regula approbatur l.cum quædam.26. §. fin. C. de administrat. tutor. cuius uerba uide ĩ.reg.prox. in princ.*

VII. Regula: *Tutoris & curatoris bona pupillo & adulto tacitè pignori sunt obligata. quæ regula approbatur l. pro officio. 20. C. de administrat. tutor. his uerbis*: Pro officio administrationis tutoris uel curatoris bona,si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata minores sibimet uindicare minimè prohibentur. Idem est, & si tutor uel curator quis constitutus res minorum non administrauit. *Concordat Nouell. c. 118. §. sed si multi, in fine. cuius uerba uide infrà cap.3. quæst.3. except. generali 8. Plura de regula proposita uide ĩ. lib.8.capite 9.reg.5.*

VIII. Regula: *Quamuis bona tutoris & curatoris tacitè pignori pupillo sint obligata: tamen nihilominus ea potest alienare, & de ijs testari. quæ regula approbatur l. unica. C.rem alienam gerentibus, his uerbis*: Non est interdictum tutoribus uel curatoribus, etsi ex eo titulo iudicati debitores sunt constituti, cum sua causa res suas alienare. Potuit ergo curator tuus fundum suum cum suo onere obligare fisco nostro: nam & priuato potuisset. *Concordat l.de suc. 17. C. de administrat. tutor. his uerbis*: De successione sua tutores frustrà timent: cùm his qui tutelam administrauerunt, testamenti factio non negetur,nec de bonis suis donare aliquid prohibeantur.

IX. Regula: *Tutores uectigalia conducere non possunt. quæ regula approbatur l. unica. C. ne tutor uel curator uectigal conducat, his uerbis*: Competens iudex non ignorat,non esse admittendos ad uectigalia cõducenda eos qui pupillorum uel adolescentium tutelã uel curam administrant, uel eius administrationis rationem nondum reddiderunt. Sed quamuis contra interdictum ad conducendum uectigal accesseris: tamen quoniam ultrò me adijsti,si tam uectigali quàm pupillis satisfeceris, falsi crimine carebis. Cum autẽ fisco iam te obstrictum, postea tutorem esse dicas: periculo te excusare poteris.

X. Regula: *Nascitur item ex tutela tutelæ actio tam directa quàm contraria. de qua cum adfinibus remedijs uide ĩ. lib.prox.cap.9. cum sequentibus.*

DE TESTAMENTARIA tutela. Cap. II.

NVnc de causis tutelæ efficientibus dicendum. Dantur autem tutores(*ut & suprà dictum est*) uel testamento, uel legibus, uel à magistratu. Proinde hic de testamentaria tutela dicendum, postea de cæteris.

I. AN TESTAMENTO TVtor utiliter sit datus?

Regulariter testamento tutor dari potest,& datus tutor efficitur. quæ regula approbatur Inst. de tutelis, §.permissum, his uerbis: Permissum est parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare. Et hoc

hoc in filios filiasq; procedit omnimodò: nepotibus uerò neptibusq; ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. *Cõcordat l.1.in prin. ff.de testamentaria tutela,his uerbis*: Lege duodecim tabularum permissum est parentibus, liberis suis siue masculini, siue fœminini sexus (si modò in potestate sunt)tutores testamẽto dare. *Propositæ regulæ exceptiones plures sunt,sumptæ partim ex persona eius cui tutor in testamento datur,partim ex persona tutoris testamento dati,partim ex alijs huiusmodi circumstantijs. Primi generis exceptiones hæ sunt.*

1. *Exceptio; Nisi ei tutor testamento datus sit, qui in potestate testatoris non est. quæ exceptio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce*: Liberis impuberibus, quos in potestate habent. *Item hisce*: Si modò in potestate sunt. *Concordat l. Quintus.73. §.1. ff.de regulis iuris,hisce uerbis*: Nemo potest turorem dare cuiquam, nisi ei quem in suis hæredibus, cum moritur,habuit,habiturúsue esset,si uixisset. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posthumo, qui natus in potestate testatoris futurus esset, tutor testamento datus sit. huic enim, quamuis natus non sit, & ob id in potestate testatoris non existat, tutor tamen testamento dari potest. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Habiturúsue esset, si uixisset. *Concordat Inst.de tutelis. §. cum autem, his uerbis*; Cum autem in compluribus alijs causis posthumi pro iam natis habeantur: & in hac causa placuit non minus posthumis, quàm iam natis testamento tutores dari posse: si modò in ea causa sint, ut si uiuis parentibus nascerentur, sui hæredes & in potestate eorum fierent. *Secunda replicatio est: Nisi cum ei, qui in potestate testatoris non est, tutor in testamento datus esset, prætor dationem confirmauerit. quæ replicatio approbatur Inst.d.tt. §.fin. his uerbis*: Sed & si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento,cõfirmandus est ex sententia præsidis omni modo; id est, sine inquisitione. *De hac confirmatione uide ĩ. quæst.6. Tertia replicatio est; Nisi mater, uel auia, filio uel nepoti testamento tutorem dederit. Hæc replicatio reprobatur l, 2. ff. de confirmando tutore, his uerbis*: Mulier liberis testamẽto non rectè tutorem dat. Sed si dederit, decreto prætoris uel proconsulis ex inquisitione confirmabitur, nec satisfabit rem pupillo saluam fore. Sed & si curator à matre testamento datus sit filijs eius, decreto confirmatur ex inquisitione, *Planè admittitur replicatio proposita primùm, si tutor à matre datus, à prætore uel præside confirmetur, quæ distinctio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Sed si dederit,decreto prætoris uel proconsulis ex inquisitione confirmabitur. *Concordat l. 1. ff.cod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. 6. in prin. Item concordat l.mater,4. C.de testamentaria tutela. cuius uerba uide ĩ. distinct. prox. Item concordat l.2. C.de confirmando tutore, cuius uerba uide infrà cap.6.quæst.1. in fine, except.generali 10.repl.1. Secundò admittitur replicatio proposita,si filius à matre institutus sit hæres. quæ distinctio approbatur l. pater.4. in prin. ff.de testamentaria tutela,his uerbis*; Pater hæredi instituto filio uel exhæredato tutorem dare potest: mater autem non nisi instituto: quasi in rem potius, quàm in personam tutorem dare uideatur. *Concordat l. mater.4. C.de testamentaria tutela, his uerbis*; Mater testamento filijs tutores dare non potest, nisi eos hæredes instituerit. Quando autem eos hæredes non instituerit,solet ex uoluntate defunctæ datus tutor à præsidibus confirmari. Nullo verò ex his interueniente, si res pupillares qui dati sunt administrauerint: protutelæ actione tenentur. *Plura de hac distinctione uide ĩ.repl.5. Quarta replicatio est: Nisi patronus liberto tutorem testamento dederit. Et hæc replicatio reprobatur l,qui tutelam. 28. §.fin. ff.de testamentaria tutela, his uerbis*; Impuberi liberto patronus frustra tutorem dabit: sed uoluntatem eius,si fides inquisitionis congruet, prætor sequetur. *Concordat l.2. C, de testamentaria tutela. cuius uerba uide ĩ. lib.prox.cap.3.officio 1.reg.1.except.2. Admittitur replicatio proposita sub eadem conditione, sub qua & præcedens, hac scilicet: Nisi à prætore fuerit confirmatus. quæ distinctio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Sed uoluntatem eius,&c. *De qua re uide plura ĩ. cod.cap. quæst. 5. Quinta replicatio est: Nisi is cui tutor testamento datus est, simul etiam à testatore hæres sit institutus. tunc enim, quamuis in potestate tutoris non sit, nihilominus datio ualet. quæ replicatio approbatur l. si patr.4. ff. de confirmando tutore, his uerbis*; Si patronus uel quiuis extraneus impuberi,quem hæredem instituit, tutorem dederit, & extra ea nihil in bonis pupillus habeat: non malè diceretur,iudicium eius sequendum esse: quippe qui & personam eius quem tutorem esse uoluit, nouerit,& impuberem ita dilexerit,ut eum hæredem institueret. *Concordat l.Nesemius.32. §.similis est. ff.de excusationibus. cuius uerba uide ĩ. lib.32.cap.9. causa 16,except.2. Concordat item Nouell. const. 117. §. si imperfecta. cuius uerba uide ĩ. lib.proxim. cap.2, quæst.1. in mutatione iuris, except. 2. Concordat item suprà replic.3. distinct. 2. Sexta replicatio est: Nisi filio naturali pater tutorem dederit. Hæc replicatio reprobatur l. naturali. 7. in prin. ff. de confirmando tutore, his uerbis*; Naturali filio, cui nihil relictum est, frustra tutor à patre datur, nec sine inquisitione confirmatur. *Planè admittitur replicatio proposita, si pater filio naturali aliquid testamento reliquerit. quæ distinctio approbatur l. ult. C. de confirmando tutore,*

his uerbis: Naturalibus liberis prouidentes, damus licentiam patribus eorum, in his rebus quas quocunque modo eis dederint uel reliquerint (scilicet intra præfinitum nostris legibus modum) & tutorem eis relinquere, qui debet apud competentem iudicem confirmari, & ita res gerere pupillares. *Concordat Nouell. c. 89. §. quia uerò, his uerbis*: Quia in quibusdam antè constitutionibus dictum est, ut earum rerum quas parentes filijs uel donatione conferunt, uel testamento relinquunt, ipsis etiam curatores addant, qui tamen decreto iudicis confirmentur: facimus id quoque nunc ratum, permittentes, secundum quod iam constitutum est, ut mater etiam naturalium liberorum tutelam gerere possit. *Propositæ distinctionis duplicatio hæc est: Nisi tutor datus non confirmetur, quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Qui debet apud competétem iudicem cõfirmari. *item hisce*: Qui tamen decreto iudicis confirmẽtur. *Hæc de prima exceptione.*

II. *Exceptio*: *Nisi nepoti tutor datus sit testamento, qui post mortem aui testatoris in patris sui potestatem sit recasurus. Hæc exceptio approbatur Instit. de tutelis. §. itaque si filius, his uerbis*: Si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate tua sit, nepotes ex eo non poterunt ex testamento tuo tutores habere, quamuis in potestate tua fuerint: scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filius uiuo patre testatore mortuus sit, uel emancipatus, ut nepotes ex eo non possint post mortem aui in potestatem eius recidere. quæ replicatio approbatur l. 1. §. fin. ff. de testamentaria tutela, his uerbis*; Ignorandum non est, eum qui filium in potestate, & nepotem ex eo æquè in potestate habebit, si nepoti tutorem dederit, ita rectè dedisse uideri, si nepos post mortem eius in patris sui potestatem recasurus non sit: quod euenit, si uiuo testatore filius in potestate eius esse desierit. *Concordat Instituit. de tutelis. §. permissum. cuius uerba uide suprà eod. quæst. in princ. Item concordat l. si hæreditas. 10. §. qui filium, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide suprà except. proxim. replicatione 2. Planè si ob exhæredationem uel prætermissionem filij testamentum impugnetur, tutor datus confirmandus est à prætore. quod approbatur l. iure nostro. 26. §. fin. cum lege sequente. ff. eod. tt. his uerbis*: Propter litem inofficiosi testamenti ordinandam, exhæredato filio, quem ei tutorem pater dedit, eundem à prætore confirmari oportet. Euentus etenim iudicatæ rei declarabit, utrum ex testamento patris, an ex decreto prætoris authoritatem acceperit. Idem fiet, si intestatum decessisse patrem pupilli nomine defendatur, falsumúe testamentum nomine pupilli dicatur: & si patruus extet, legitimus tutor futurus ab intestato: quia tutorem habenti tutor dari non potest. Nam commodius ipse qui scripturra continetur, à prætore dabitur: ut sine ullo litis præiudicio, iustus tutor author pupillo ad eam litem fiat.

IIII. *Exceptio*: *Nisi incertæ personæ tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur l. tutor. 23. ff. de testamentaria tutela, his uerbis*: Tutor ita rectè non datur: Illi aut illi filijs meis, utri eorum uolet, Titius tutor esto. Quid enim dicemus, si Titius constituere nolit, utri ex filijs tutor esse uelit? Ita autem rectè tutor dabitur: Titius, si uolet, illi filio meo tutor esto.

V. *Exceptio*: *Nisi non impuberi tutor, sed adulto uel furioso curator testamento sit datus. Hæc exceptio approbatur Instituit. de curatoribus. §. datur, his uerbis*: Curator testamento non datur: datus tamen confirmatur decreto prætoris uel præsidis. *Concordat l. tutelæ. 7. in fine. C. de testamentaria tutela, his uerbis*: Curatorem inutiliter testamento dari, non ambigitur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est, quòd curator in testamento datus à magistratu sit confirmandus, & ita datio ualeat. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Datus tamen confirmatur decreto prætoris uel præsidis. *Concordat*

cordat l. 1. §. fin. ff. de confirmando tutore, his uerbis: Scire oportet, quoniam neque curator testamento à patre rectè datur, datum assue tum esse confirmari ab eo qui præest. *Concordat l. 2. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. exc. 1. repl. 3. in prin. Item concordat l. si furioso. 16. ff. de curatoribus furioso, his uerbis*: Si furioso puberi, quanquam maiori annis uigintiquinque, curatorem pater testamento dederit: eum prætor dare debet, secutus patris uoluntatem. manet enim ea datio curatoris apud prætorem, ut rescripto diui Marci continetur. His consequens est, ut si prodigo curatorem dederit pater, uoluntatem eius sequi debeat prætor, eumq; dare curatorem. Sed utrum omnimodò, an ita, si futurum esset, ut nisi pater aliquid testamento cauisset, prætor ei bonis interdicturus esset, & maximè si filios habeat iste prodigus? potuit tamen pater & aliàs prouidere nepotibus suis, si eos iussisset hæredes esse, & exhæredasset filium, eique quod sufficeret alimentorum nomine ab eis certum legasset, addita causa necessitateque iudicij sui: aut si non habuerit in potestate nepotes, quoniam emancipato iam filio nati fuissent, sub conditione eos hæredes instituisset, ut emancipentur à patre prodigo. Sed quid si nec ad hæc consensurus esset prodigus? per omnia iudicium testatoris sequendum est: ne quem pater uero consilio prodigum crediderit, eum magistratus propter aliquod forte suum uicium idoneum putauerit. *Concordat item l. cum furiosus. 7. §. etsi quidem parens. C. de curatore furiosi. cuius uerba uide infrà lib. proxim. cap. 1. quæst. 1. exceptione 1. replic. 1. duplic. 2. Item concordat l. de creationibus. 20. §. 1. C. de episcopali audientia. cuius uerba uide itidem infrà. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi testator curatori aliquid in testamento legauerit, isq; legatum illud agnouerit. tunc enim ad curam suscipiẽdam est compellendus. Hæc replicatio approbatur l. auia. 11. in prin. ff. de confirmando tutore. cuius uerba cum concordantib. uide ẽ. lib. 32. cap. 9. causa 16. except. 2.*

VI. *Exceptio*: *Nisi is qui in magistratu positus est, tutor detur. Hæc exceptio reprobatur l. tutor. 20. ff. de testament. tutela, his uerbis*: Quemlibet possumus tutorem dare, siue is prætor, siue cõsul sit: quia lex XII. Tabularũ id cõfirmat.

VII. *Exceptio*: *Nisi incertus tutor detur. Hæc exceptio approbatur Inst. de legatis. §. tutor autem, his uerbis*: Tutor nec per nostram constitutionem incertus dari debet: quia certo indicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere. *Concordat d. l. 20. ff. de testam. tutela, his uerbis*: Tutor incertus dari testamento nõ potest. *Concordat item l. duo. 30. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. reg. 2.*

VIII. *Exceptio*: *Nisi filiusfamiliãs tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur Inst. qui testam. tutor. dari poss. his uerbis*: Dari tutor potest testamento, non solùm paterfamiliãs, sed etiam filiusfamiliãs.

IX. *Exceptio*: *Nisi seruus tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur Inst. d. tt. §. seruus, his uerbis*: Seruus alienus purè inutiliter testamento datur tutor: sed ita, Cum liber erit, utiliter datur. Proprius autem seruus inutiliter eo modo tutor datur. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi sub hac conditione, Cum liber erit, tutor sit datus. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis. Concordat l. si hæreditas. 10. §. seruus. ff. de testamentaria tutela, his uerbis*: Seruus alienus ita tutor dari potest: Si liber erit, tutor esto. Quinimò etsi purè datus sit, uidetur inesse hæc cõditio: Cum liber erit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi proprius testatoris seruus ita tutor datus sit, Si liber erit. quæ duplicatio approbatur Instit. d. §. seruus, hisce uerbis*: Proprius autem seruus inutiliter eo modo tutor datur. *Secunda replicatio hæc est: Nisi seruus postea liber fiat. hoc enim casu, quamuis purè datus sit, tutor efficitur. quæ replicatio approbatur supradictis uerbis hisce*: Quinimò etsi purè datus sit, uidetur inesse hæc conditio: Cum liber erit. *Tertia replicatio est: Nisi proprius testatoris seruus, non alienus tutor sit datus. quæ replicatio approbatur Instit. qui test. tutores dari poss. in prim. his uerbis*: Seruus proprius testamento cum libertate rectè tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum tacitè libertatem directam accepisse uideri, & per hoc rectè tutorem esse. Planè si per errorem quasi liber tutor datus sit, aliud dicendum est. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi testator seruum liberum putans tutorem dederit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Planè si per errorem, &c. *Cui concordat l. si quis. 22. ff. de testamen. tutela, his uerbis*: Si quis tutorem dederit filio suo seruum, quem putabat liberum esse: is neque tutor, neque liber erit. *Secunda duplicatio est: Nisi seruus proprius sub hac conditione, Si liber erit, tutor sit datus. quæ duplicatio approbatur Inst. qui test. tutor. dari possunt. §. seruus, in fine. cuius uerba uide suprà eod. except. in prin. Tertia duplicatio est: Nisi seruo fideicommissaria libertas sit relicta. hoc enim casu, antequam ex fideicommisso manumittatur, non fit tutor. quæ duplicatio approbatur l. qui tutelam. 28. §. uerbis. ff. de testam. tutela, his uerbis*: Verbis fideicõmissi manumissus non iure tutor testamento datur. Post libertatem itaque redditam ex uoluntate testatoris ad tutelam uocatur. *Hæc de tertia replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Quartæ replicationis loco notandum, quòd si seruus alienus in testamento tutor datus sit, fideicommissaria*

saria libertas illi censeatur relicta : qua præstita, tutor efficitur. quæ replicatio approbatur l. si hæreditas.10. §.fin. ff.de testam.tutela, his uerbis: Potest autem quis & extraneo seruo defendere ex hac causa fideicommissariam libertatem. quid enim interest, suum seruum, an alienum tutorem scripserit : cùm pupilli fauore & publicæ utilitatis gratia assumpta libertas sit in persona eius, qui tutor scriptus est ? potest igitur & huic fideicommissaria libertas defendi, si uolùntas apertissimè non refragetur. *Concordat l. etsi.9. C.de fideicomm.libertatibus, his uerbis*: Etsi non adscripta libertate testator seruum suum tutorem filijs suis dederit, receptum est & libertatis & pupillorum fauore, ut per fideicommissum manumisisse eum uideatur. Etsi non suum proprium, sed alienum seruum, conditionem eius sciens, tutorem adscripserit: æque fideicommissariam libertatem datam (nisi aliud euidenter defunctum sensisse appareat) prudentibus placuit. *Concordat item l. si pupillorum.5. C.de testament.tutela, his uerbis*: Si pupillorum pater alienum seruum, de quo postulas, & tutorem esse uoluerit & liberum, antè tamen alio pupillis tutore dato: & redimi & manumitti hunc apud præsidem prouinciæ, & curatorem adiungi oportet. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est : Nisi euidens sit contraria uoluntas defuncti. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce :* Si uolūtas apertissimè non refragetur. *Item hisce*: Nisi aliud euidenter defunctum sensisse appareat. *Secunda duplicatio est : Nisi defunctus seruum liberum putans tutorem dederit. quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt suprà repl.prox.dupl.1.*

X. Exceptio : *Nisi furiosus tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. si hæreditas.10. §.si furiosus. ff. de testament. tutela, his uerbis*: Si furiosus testamento tutor detur, siquidem cum furere desierit : rectè tutorem esse datum, Proculus existimat. Quòd si datus sit purè : negat Proculus, ualere dationem. Sed est uerius, quod & Pomponius ait, rectè uideri datū, & tunc fore tutorem, cum sapere cœperit. *Concordat Institut. qui testament.tutores dari possunt. §. furiosus, his uerbis*: Furiosus uel minor uigintiquinque annis tutor testamento datus, tutor tūc erit, cum compos mentis, aut maior uigintiquinque annis fuerit factus. *Concordat item l.furiosus.11. ff.de tutelis. cuius uerba uide ⁊. cap.4.quæst.2.except.17.*

XI. Exceptio: *Nisi minor uigintiquinque annis tutor testamento sit datus. Hæc exceptio reprobatur sub conditione iam d. §.furiosus. Concordat l. quæro.32. §.fin. ff. de testam. tutela. cuius uerba uide ⁊. quæst.5.reg.2. Plura de hac re uide ⁊. cap.4. quæst.2. except.32.repl.4. Planè exceptio proposita in legitimis & datiuis tutoribus locum habet. de qua re uide ⁊.cap.4.quæst.2.except.10.*

XII. Exceptio : *Nisi fœmina uel mater pupillorum testamento tutrix sit data. Hæc exceptio approbatur l.iure.26.in prim. ff.de testamen.tutela, his uerbis*: Iure nostro tutela communium liberorum matri testamento patris frustra mandatur : nec si prouinciæ præses imperitia lapsus patris uoluntatem sequendam decreuerit, successor eius sentētiam, quam leges nostræ non admittunt, rectè sequetur.

XIII. Exceptio : *Nisi ipse hæres tutor testamento sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. tutores.7. ff. de testament. tutela, his uerbis*: Tutores non ab hærede, sed à testatore protinus proficiscuntur, & simul atque aliquis hæres extitisset : nam & ipse hæres tutor dari potest. Sed & post mortem hęredis tutor rectè dari potest.

XIIII. Exceptio : *Nisi is datus tutor sit, cum quo non est testamenti factio. Hæc exceptio approbatur l. testam.21. ff.de testament.tutela, his uerbis*: Testamento tutores hi dari possunt, cum quibus testamenti factio est.

XV. Exceptio : *Nisi alterius ciuitatis ciuis tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. quæro. 32. in prim. ff. d. tt. his uerbis*: Quæro, an non eiusdem ciuitatis ciues testamento quis tutores dare posit? Paulus respondit, posse. *Hactenus exceptiones sumptæ ex persona dati tutoris, necnon eius cui tutor testamento datus est, propositæ sunt. Sequuntur nunc aliæ, ex alijs circumstantijs desumptæ.*

XVI. Exceptio : *Nisi non personæ, sed rei uel causæ tutor testamento sit datus. Hæc exceptio approbatur Inst. qui test. tutores dari poss. §. certæ, his uerbis*: Certæ rei uel causæ tutor dari non potest : quia personæ, non causæ uel rei tutor datur. *Concordat l.certarum.12.cum duabus legibus sequentibus. ff. de testament.tutela, his uerbis*: Certarum rerum uel causarum testamento tutor dari non potest, nec deductis rebus : & si datus fuerit, tota datio nihil ualebit. Quia personæ, non rei uel causæ datur. *Huius exceptionis replicatio hæc est : Nisi rei Italicæ, uel Africanæ, uel simili tutor detur. quæ replicatio approbatur l.si tamen.15. ff.d.tt. his uerbis*: Si tamen tutor detur rei Africanæ, uel rei Syriacæ, utilis datio est. hoc enim iure utimur. *Concordat l.pupillo.27.in prim. ff.de tutoribus & curatoribus. cuius uerba uide ⁊.cap.4.quæst.2.except.33.repl.8. Plura de exceptione proposita uide ⁊.d.quæst.2.except.40.*

XVII. Exceptio : *Nisi non in testamento iusto, sed iniusto, uel in codicillis aut epistola tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur l.2. C.de confirmando tutore, his uerbis*: Neque per epistolam, neque ex imperfecto testamento tutorem rectè dari, indubitati iuris est. Sed uoluntas patris in constituendis tutoribus uel curatoribus in his casibus à iudice, ad cuius officium hæc res pertinet, seruari solet. Secundum quæ uereri non debes, ne tempus, antequam confirmateris, tibi cesserit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est, Quòd tutor in testamento iniusto uel epistola datus, decreto iudicis sit cōfirmādus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Sed uoluntas patris, &c. *Concordat l. qui à patre.3. ff.de confirmando tutore, his uerbis*: Qui à patre tutor scriptus est aut non iusto testamento, aut non ut lege præcipiebatur : confirmandus est ad tutelam gerendam, perinde ac si ex testamento tutor esset : id est, ut satisdatio ei remittatur. *Concordat item l.iure.26. §.fin. cum lege sequente. ff. de testamen.tutela. cuius uerba uide ʃ. except.3. Concordat item l. 1. ibi: aut in codicillis. ff. de confir.tutore. cuius uerba uide ⁊.quæst.6.in prin. Secunda replicatio est : Nisi in codicillis testamento confirmatis tutor sit datus. quæ replicatio approbatur l.testam.3. ff. de testam.tutela, his uerbis*: Testamento datos tutores accipere debemus etiā eos, qui cōdicillis testamento cōfirmatis scripti sunt. Sed eos demum testamento datos accipere nos oportet, qui iure dati sunt.

XVIII. Exceptio : *Nisi non iure datus testamento tutor sit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Sed eos demum testamento datos accipere nos oportet, qui iure dati sunt. *Hæc exceptio generalis recipit replicationem hanc, quòd quamuis non iure nec utiliter tutor testamento sit datus, tamen decreto iudicis sit confirmandus. de quo infrà dicetur.*

XIX. Exceptio : *Nisi ex certo tempore, uel ad certum tempus tutor testamento sit datus. Hæc exceptio reprobatur Instit. qui testam.tutor. dari possunt. §.ad certum, his uerbis*: Ad certum tempus, uel ex certo tempore, uel sub conditione, uel ante hęredis institutionem posse dari tutorem, non dubitatur. *Concordat l.tutor.8. §.tutorem. ff.de testam.tutela, his uerbis*: Tutorem in testamento & à certo tempore dare, & usque ad certum tempus licet, & sub conditione, & usque ad conditionem. *Concordat item l. tutores.7.in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ʃ.except. 13. Planè exceptio proposita admittitur in tutela datiua : de qua re uide ⁊.cap.4.quæst.2.except.41.*

XX. Exceptio : *Nisi sub conditione tutor datus sit. Et hæc exceptio reprobatur uerbis suprà exceptione proxima propositis. Plura de hac exceptione uide ⁊.d.except.41.*

XXI. Exceptio : *Nisi sub conditione, Si uolet, tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l. tutor.23. in fine. ff.de testam.tutela. cuius uerba uide ʃ.exc.4.*

XXII. Exceptio : *Nisi ante hæredis institutionem tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur Instit. qui test. tutor. dari possunt. §.ad certum. cuius uerba uide ʃ.except.19.*

XXIII. Exceptio : *Nisi conditio dationis defecerit, uel nondum sit impleta. Hæc exceptio approbatur l.tutor.8.in prim. ff.de testam.tutela, his uerbis*: Si sub conditione fuerit tutor datus, deficiente conditione tutor non erit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est : Nisi cùm sub pluribus conditionibus, disiunctim uel diuerso tempore adscriptis, una sit impleta. hoc enim casu etiam cæteris deficientibus tutor erit. Quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ⁊.lib.34.cap.5.num.3.exceptione 11. replicat.1. Eius autem duplicatio hæc est : Nisi non nouissima conditio sit impleta. Quæ duplicatio approbatur d.l.8. §.in tutoris. ff. de testam.tutela, his uerbis*: In tutoris datione utrum leuissima conditio, an nouissima spectanda est ? utputa ita : Titius, cū poterit, tutor esto : Titius, si nauis ex Asia uenerit, tutor esto. & Iulianus lib. XX. Digest. rectè scripsit, nouissimam scripturam esse spectandam. *Plura de hac re uide d. replic.1. duplic.2. Secunda replicatio est : Nisi cùm mortis testatoris tempore conditio defecisset, post aliquod tempus sit impleta. Hæc replicatio reprobatur exemplo l.tutoribus.33. ff.de testamentar. tutela, his uerbis*: Tutoribus ita datis : Lucium Titium tutorē do. Si is nō uiuit, tūc Caium Plautium tutorem do. Lucius Titius uixerat, & tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negabat ad Plautium pertinere tutelā, Labeo contrà. Proculus quod Labeo. ego Trebatij sententiā probo : quia illa uerba ad mortis tempus referuntur.

XXIIII. Exceptio : *Nisi tutor postea tutor esse uetitus sit, uel alius tutor à testatore sit datus. Hæc exceptio approbatur l. tutor.8. in princ. ff.de testament. tutela, his uerbis*: Tutor datus uetari tutor esse potest uel testamēto, uel codicillis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est : Nisi ratio, ob quam alios tutores testator dedit, in tutorib. prius datis cesset. Hæc replicatio approbatur l. ult. ff.d.tt. his uerbis*: Cùm codicillis ideo alios se tutores dare significasset, quoniam testamento datos quosdam defunctos, aut excusationem habere posse comperisset : an nihilominus qui eorum uiuerent, nec excusati essent, tutores permanerent ? Scæuola respondit, nihil proponi cur nō permanerent. *Secunda replicatio est : Nisi prætor tutores prohibitos confirmauerit. Hæc replicatio reprobatur l. utilitatem.10. in fine. ff.de confirmando tutore. cuius uerba uide ⁊. quæst.6.in prim.except.1. Tertia replicatio est : Nisi non euidenter constet, testatorem prius datos tutores reprobasse. tunc enim, quamuis postea alij sint, nihilominus & priores tutores manent. Quæ replicatio approbatur l.2. C.de testam.tutela, his uerbis*: Etsi à patre tuo testamento iure tibi tutor datus, eo tempore, quo hæres extitisti, in rebus humanis fuit : tamen codicillis alius tutor rectè datus est, & uterq; propter uoluntatem testatoris tutor erit : nisi in testamento datum pater, alium codicillis dando, re-

do,reprobauerit. tunc enim posterior solus tutor erit.

XXV. Exceptio: Nisi testamentum in quo tutor datus est,ruptum sit,uel irritum factum. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit,uerùm tutor datus decreto prætoris est confirmandus. Quæ replicatio approbatur l. iure.26. §. fin. cum lege sequente. ff.de testam.tutela. cuius uerba uide §. except.3. Concordat l.si pater.31. ff.eod.tt. his uerbis: Si pater exheredatæ tutores dederit, & testamentum eius ruptum dicatur nato posthumo: commodissimum est, eosdem tutores pupillæ dari ad petendam intestati hæreditatem.

XXVI. Exceptio: Nisi nemo ex testamento hæreditatem adierit. Hæc exceptio species est exceptionis præcedentis, approbaturq; l.si nemo.9. ff.de testamen. tutela, his uerbis: Si nemo hæreditatem adierit, nihil ualet ex his quæ testamento scripta sunt. Si uerò unus ex pluribus adierit,tutelæ statim ualent, nec expectandũ erit ut omnes hereditatem adeant. Concordat l.si hæreditas.10.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba cum cõcordantibus uide ī.cap.4.quæst.2.except.33.repl.3.

XXVII. Exceptio: Nisi Græcis uerbis tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l.tutores.8. C.de testam. tutela, his uerbis: Tutores etiam Græcis uerbis licet in testamentis relinquere,ut ita tutores dati uideantur, ac si legitimis uerbis eos testator dedisset.

XXVIII. Exceptio: Nisi quis seipsum sua manu tutorem scripserit. Hæc exceptio approbatur l.ex sent.29. ff.de testam. tutela, his uerbis: Ex sententia senatusconsulti Liboniani tutor non erit, qui se in testamento pupillo tutorem scripsit. Cum autem patris uoluntas,hoc ipsum manu sua declarantis, ambigua non esset: eum (quamuis alij tutores essent) curatorem dandum, Papinianus respondit: nec admittendam excusationem,quam iure publico habebat (quoniam promisisse ui debatur) nec ut suspectum remoueri. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi euidens sit uoluntas testatoris uolentis illum tutorem esse. Quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce: Cum autem patris uoluntas, &c. Secunda replicatio est: Nisi idoneus adprobetur à prætore. tunc enim decreto est confirmandus. Quæ replicatio approbatur l.uxori.18. ff.ad l.Corn.de falsis. cuius uerba uide §.lib.4.cap.8.quæst.1.causa 17. except.9.

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus propositæ regulæ exceptiones enumeratæ sunt. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide ī. cap.4. Planè iam enumeratarum exceptionum prima replicatio generalis talis est, quòd tutor testamento inutiliter datus à iudice sit confirmandus: quo facto,datio tutoris conualescit. de qua re uide ī.quæst.6. Secunda illarum exceptionum replicatio uidetur esse: Nisi tutor in testamẽto inutiliter datus,negocijs pupillaribus se immiscuerit. Hæc replicatio approbatur per ea quæ habentur ī.lib.proxim.cap.9.quæst.1.except.1. repl.1. Tertia replicatio est: Nisi in testamento militari inutiliter tutor sit datus. Hæc replicatio reprobatur l.impuberi.39.ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide ī.d.except.1.replic.2.

II. QVI EX TESTAMENTO tutores sint?

I. Regula: Si plures diuersis temporibus tutores dati sint,nouissima scriptura dati tutores erunt. Quæ regula approbatur l.si hæreditas.10. §.1. ff.de testam. tutela, his uerbis: In tutelis testamentarijs id sequimur, quod nouissimum est: & si sæpius tutor datus sit,nouissimam scripturam intuemur. Concordant ea quæ proposita sunt suprà quæst.prox. except.24. sed & distinguitur exceptio proposita ibidem.

II. Regula: Si Titio dato tutore, duo sint eiusdem nominis Titij,ut non appareat de quo senserit testator, uter tutor sit,definitur l.duo.30. ff.de testamentaria tutela,his uerbis: Duo sunt Titij, pater & filius, datus est tutor Titius, nec apparet de quo sensit testator. quæro,quid iuris sit? Paulus respondit: Is datus est, quem dare se testator sensit. Si id non apparet,non ius deficit, sed probatio. Igitur neuter est tutor.

III. Regula, De ijs qui satis offerunt,& ijs qui non satis offerunt, uide infrà lib. proxim. cap.3. officio 1. reg.2. except.1.

III. QVORVM TVTORES sint testamento dati?

I. Regula: Si filijs tutores dati sunt, etiam posthumis dati esse uidentur. Quæ regula approbatur Instit. qui test.tutores dari possunt. §.si quis filiabus, his uerbis: Si quis filiabus suis uel filijs tutores dederit, etiam posthumæ uel posthumo dedisse uidetur: quia filij uel filiæ appellatione & posthumus & posthuma continentur. Concordat l.si quis.5.ff.de testam.tutela,his uerbis: Si quis filiabus suis tutores dederit, etiam posthumæ uidetur dedisse: quia filiæ appellatione etiam posthuma continetur.

II. Regula: Si filijs tutores dati sunt,etiam filiabus dati esse uidentur. Quæ regula approbatur l.si quis ita.16.in prin. ff.de testam.tutela, his uerbis: Si quis ita dixerit,Filijs meis tutorem do: in ea cõditione est, ut tam filijs quàm filiabus dedisse uideatur. filiorum enim appellatione & filiæ continentur. Concordat l. Seruius. 122. ff. de uerb. significat. his uerbis: Seruius ait,si ita scriptum sit, Filio filijsque meis hosce tutores do: masculis duntaxat tutores datos: quoniam à singulari casu, hoc est, filio, ad pluralem uideretur transisse, continentem eundem sexum,quem singularis prior positus habuisset. Sed hoc facti,non iuris habet quæstionem. potest enim fieri, ut singulari in casu de filio senserit, deinde plenius omnibus liberis prospexisse in tutore dando uoluerit. Quod magis rationabile esse uidetur.

III. Regula: Si filijs tutores dati sunt, nepotibus dati esse non uidentur. Quæ regula approbatur Instit. qui testam. tutor. dari possunt. §. quòd si, his uerbis: Quòd si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendum est, ut & ipsis quoq; dati uideantur, si modò liberos dixerit. Cæterùm si filios, non continebuntur. aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. Concordat l. quid si. 6. ff.de testam.tutela, his uerbis: Quid si nepotes sint, an appellatione filiorũ & ipsis tutores dati sint,uidendũ est? & magis est,ut ipsis quoque dati uideantur, si modò liberos dixit. Cæterùm si filios,nõ continebuntur. aliter enim filij,aliter nepotes appellantur.

IIII. Regula: Si posteris tutores dati sint,tam filijs posthumis quàm cæteris liberis dati uidebuntur. Quæ regula approbatur d.l.6.in fine,his uerbis: Planè si posteris dixerit, tam filij posthumi quàm cæteri liberi continebuntur. Concordat ijsdem uerbis Inst. d.§.quòd si,in fine.

V. Regula: Si quis filio tutorem dederit, plures filios habens, omnibus dedisse uidetur. Quæ regula approbatur l. si quis ita.16. §.1. ff. de testam.tutela, his uerbis: Si quis filio tutorem dederit,& plures filios habeat: an omnibus filijs dedisse uideatur? & de hoc etiam Pomponius dubitat. Magis est autem, ut omnibus dedisse uideatur.

VI. Regula: Si quis filijs tutorem dederit, quosdam filios apud hostes habens, etiam his tutor datus uidetur. Quæ regula approbatur d.l.16. §.si quis liberis,hisce uerbis: Si quis liberis tutores dederit, uel filijs, & habeat quosdam apud hostes: etiam ipsis dedisse uidebitur, si non aliud apertè probetur testatorem sensisse.

VII. Regula: Si quis filijs tutorem dederit,ei quem ignorat filium suum esse,uel quem putat decessisse, tutor datus non uidetur. Quæ regula approbatur d.l.16. §.si quis cum, his uerbis: Si quis,cum ignoraret se Titium filium habere,filijs tutores dederit: utrum his solis dedisse uidebitur,quos in potestate scit, an ei quoq; quem ignorauit se habere? & magis est, ut huic dedisse non uideatur,licet nomen filiorum admittat & ipsum. Sed quia de ipso non sensit, dicendum est cessare in persona eius dationem. Proinde & si certior sit factus, filium decessisse qui supererat, idem erit dicendum. Nec enim uidetur ei dedisse, quem obijsse credebat.

VIII. Regula: Si posthumis tutor datus sit,biq; uiuo testatore sint nati: nihilominus ipsis tutor utiliter datus est. Quæ regula approbatur d.l.16.§.fin.his uerbis: Si posthumis dederit tutores, biq; uiuo eo nascãtur,an datio ualeat? & magis est, ut utilis datio fiat,etiamsi uiuo eo nascantur.

IIII. QVANDO TVTORES efficiantur?

Non nisi conditione, sub qua dati sunt, existente, tutores efficiuntur. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. quæst.1.except.33. Huius exceptio proponitur l.auia.75. §.pater. ff. de condit.& demonstrat. his uerbis: Pater exhæredatæ filiæ tutores dedit, eosq;,si mater eius impubere filia constituta uita decessisset,ad rem gerendam accedere iussit. cum uxori mãdatum esset,ut moriẽs filiæ communi decies quinque restitueret,non tutores uidebantur sub conditione dati: nec si quid aliud interea puella quæsisset, eius administrationem prohiberi: cautio quoque fideicommissi matri remissa uidebatur. Quocunq; enim iudicio uoluntatis cautio legatorum uel fideicommissorum remitti potest.

V. EVENTVS TVTELAE testamentariæ.

I. Regula: Tutor in testamento datus, à testatore, non ab hærede proficiscitur. Quæ regula approbatur l. tutores. 7. ff. de testament. tutela. cuius uerba uide suprà quæst.1.except.13.

II. Regula: Seruus tutor testamento datus liber efficitur. Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt §.quæst.1.except.9.repl.3.& 4. Concordat l.quæro.32. §. fin. ff.de testam. tutela, his uerbis: Lucius Titius hæredes instituit filios suos pupillaris ætatis,eisq; tutores his uerbis dedit: Filijs meis tutores sunto Caius Mæuius & Lucius Eros. cui Eroti libertatem non dedit. Fuit autem Eros intra uigintiquinque annos ætatis. Quæro,an possit libertatem sibi uindicare? Paulus respondit,quoniam placet eum qui à domino tutor est datus,libertatem quoq; meruisse uideri,eum quoque de quo quæritur, in eadem causa habendum: & liberum quidem ab adita hæreditate esse, tutela autem post legitimam ætatem onerari.

III. Regula: Tutores testamento dati satisdare non coguntur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habẽtur ī. lib.prox.cap.1.quæst.1.exc.1.

VI. DE CONFIRMANDO tutore testamentario.

I. Regula: Si tutor testamento inutiliter datus est, uel ius testamenti pendet, à iudice uel prætore est confirmandus. Quæ causa seu regula approbatur l.1.ff.de confirmando tutore, his uerbis: Vt ne de confirmandis tutoribus querentes relinquamus, pauca de his scrutemur. Quidam rectè dati sunt tutores secundum testamenta, hoc est, & à quibus oportet, & quibus oportet, & quomodo oportet, & ubi oportet. Pater enim filijs uel nepotibus, quos haber in potestate, rectè dat tutorem, sed in testamento. Si autem talis persona fuerit, quæ dare non possit; uelut mater, aut patronus, aut ex

aut extraneus quis: aut cui non potest dari, ueluti filio non existenti in potestate, aut filiæ: aut si dixerit, Precor te curam habere rerum: aut in codicillis quidem non cõfirmatis dederit tutorem aut curatorem: tũc & quod deficit, repleri à consulari potestate constitutiones concesserunt, & secundum mentem tutores confirmari. Et siquidem pater fuit qui dedit, nihil amplius inquirit qui præest, sed simpliciter eum confirmat. Si autem alius quis dederat, tunc inquirit personam, si apta sit. Amplius scire oportet, quoniam neque curator testamento à patre rectè datur, datum assuetum esse confirmari ab eo qui præest. *Species inutilis dationis & causæ propositæ præter iam propositas uide §. quæst. 2. Quoad ius testamenti pendens, approbatur regula proposita l. iure nostro. 26. §. fin. cum lege sequente. ff. de testam. tutela. cuius uerba uide §. quæst. 1. except. 3.* Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: *Nisi tutor testamẽto inutiliter datus, pupillo futurus sit inutilis, idq; testator ignoraut. Quæ exceptio approbatur l. in confirm. 8. cum legibus sequentibus, ff. de confirm. tutore, his uerbis*: In confirmando tutore hoc prætor inquirere debet, an duraverit patris uoluntas; quod in facili est, si in proximo mortis tempore tutores non iure uel curatores scripserit pater. Nam si ante annos, ut medio spacio potuerit facultatum tutoris non iure à patre dati fieri deminutio, uel morum antè celata uel ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiæ cum patre exarserint, uel cum fisco aliquem contractum damnosum miscuisset: utilitatem pupillorum prætor sequetur, non scripturam testamenti uel codicillorum. Nam patris uoluntatem prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum quæ ipse prætor de tutore comperta habet. Quid deniq;, si postea de eo, quẽ pater testamento codicillisue non iure dedit, scripserit tutorem esse nolle? nempe nõ sequetur primam uolũtatem prætor, à qua pater discesit. *Secũda propositæ regulæ exceptio est: Nisi facultates tutoris inutiliter dati, sint deminutæ. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nam si ante annos, ut medio spacio, &c. *Tertia exceptio est: Nisi morum tutoris dati improbitas emerserit, quam testator ignorauit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Vel morum antè celata uel ignorata emerserit improbitas. *Quarta exceptio est: Nisi inter testatorem & tutorem inimicitiæ exarserint. Quæ exceptio approbatur uerbis superius propositis hisce*: Aut inimicitiæ cũ patre exarserint. *Quinta exceptio est: Nisi tutor inutiliter datus cum fisco contractum damnosum inierit. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà dictis hisce*: Vel cum fisco aliquem contractum damnosum miscuisset. *Sexta exceptio est: Nisi testator uoluntatem suam de tutore mutauerit. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce*: Quid denique, si postea de eo, quem pater, &c. *Concordat l. scire oportet. 21. §. sed etsi quis. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide §. cap. 4. quæst. 2. except. 24. Septima exceptio est: Nisi magistratus alios dederit tutores. Quæ exceptio approbatur l. si (ut. 3. C. de confirmando tutore, his uerbis*: Si (ut proponis) pupillo cuius meministi, pater inutiliter testamento tutores dedit, & priusquam hi confirmarentur, alij ab eo cuius interest, dati sunt: id quidem quod iure gestum est, reuocari nõ potest. An autem, qui iudicium patris habent, curatores eidem pupillo cõstitui debeant: aditus competens iudex, prospectis utilitatibus eius, æstimabit. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide §. quæst. 1. nam eius etiam exceptio est d. quæst. 1. except. 24. item except. 12. item §. libro proxim. cap. 3. officio 1. reg. 2. except. 2.*

II. Regula: A' quo tutor inutiliter datus confirmandus? A' consule. *Quod approbatur l. 1. ibi: tunc & quod deficit. ff. de confirm. tutore. cuius uerba uide suprà reg. proxim. in princ. Item à prætore & proconsule. Quod approbatur l. 2. ff. eod. tt. cuius uerba uide suprà quæst. 1. except. 1. replic. 3.*

III. Regula: Quomodo tutor inutiliter datus, est confirmandus? Inquisitio prius facienda est à iudice, an tutor aptus sit & idoneus. *Quæ regula approbatur l. tutores. 5. §. deniq;. ff. de confirman. tut. his uerbis*: Prætor non antè decretum interponere potest, quàm per inquisitionẽ idoneis pronunciatis. *Concordat l. 1. §. etsi quidem, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. 1. in princ. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pater pupilli tutorem dederit. Quæ exceptio approbatur d. §. etsẽ quidem. Concordat l. si filio. 6. ff. eod. tt. his uerbis*: Si filio impuberi pater tutorem, aut puberi curatorem dederit: citra inquisitionem prætor eos confirmare debebit. *Concordat item Instit. de tutelis. §. fin. cuius uerba uide suprà quæst. 1. except. 1. repl. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi causa tutoris à patre dati mutata sit. Quæ replicatio approbatur l. pater. 4. ff. de test. tutela, his uerbis*: Sed & inquiri in eum, qui in matris testamento datus est tutor, oportebit: cum à patre datus, quamuis minus iure datus sit, tamen sine inquisitione confirmatur: nisi causa propter quam datus uidebatur, in eo mutata sit: ueluti si ex amico inimicus, uel ex diuite pauperior effectus sit. *Concordat l. in confirmando. 8. cum duabus legib. sequentib. ff. de confirm. tutore. cuius uerba uide §. reg. 1. Secunda replicatio est: Nisi filio naturali, cui nihil relictum est, à patre tutor sit datus. Quæ replicatio approbatur l. naturali. 7. in prin. ff. de confirm. tutore. cuius uerba uide §. quæst. 1. except. 1. replic. 6. Sed & plures propositæ exceptionis replicationes uide suprà reg. 1. Secunda propositæ regulæ exce-*

exceptio uidetur esse: Nisi mater liberis suis tutores dederit. Hæc exceptio reprobatur l. pater. 4. ff. de testam. tutela. cuius uerba uide §. except. proxim. replic. 1. Concordat l. 2. ff. de confirm. tutore. cuius uerba uide §. quæst. 1. except. 1. replic. 3. Item concordat l. credendum. 5. §. fin. ff. qui petant tutores. cuius uerba uide infrà cap. 5. quæst. 5. reg. 3. except. 1. replic. 4. Tertia exceptio est: Nisi senator tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l. in dando. 18. ff. de tutoribus, his uerbis: In dando tutore ex inquisitione & in eum inquiritur, qui senator est: & ita Seuerus rescripsit.

IIII. Regula: *Quæ in confirmando tutore inquirenda & præstanda, definitur l. naturali. 7. §. si quæratur. ff. de confirm. tutore, his uerbis*: Si quæratur, an ex inquisitione rectè datus sit tutor, quatuor hæc consideranda sunt: an & hic dederit, qui dare potuit: & ille acceperit, cui fuerat dandus: & is datus sit, cuius dandi facultas erat: & pro tribunali decretum interpositum sit. *Sed & de moribus dati inquirendum. Quod approbatur l. scire oportet. 21. §. cum reliquis. ff. de tutoribus, his uerbis*: Cum reliquis oportet magistratũ & mores creandorum inuestigare. Neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut bona electio & benigni mores.

DE LEGITIMA TVTELA. Cap. III.

I. QVO IVRE SVBSIstat legitima tutela?

SVbsistit lege XII. Tabularum. *Quæ regula approbatur Instit. de legitima agnator. tutela, in prin. his uerbis*: Quibus autem testamento tutor datus non est, his ex lege duodecim Tabularum adgnati sunt tutores, qui uocãtur legitimi. *Concordat Instit. de legitima patronorum tutela, in princip. cuius uerba uide §. quæst. 3. reg. 5. Item concordat l. 1. in prin. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis*: Legitimæ tutelæ lege XII. Tabularum adgnatis delatæ sunt, & consanguineis, item patronis: id est, his qui ad legitimam hæreditatem admitti possint. Hæc summa prouidentia, ut qui sperarent hanc successionem, ijdem tuerentur bona, ne dilapidarentur. *Concordat item l. tutela. 3. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò inferius quæst. 3. reg. 5. except. 1. Item concordat l. legitim. 5. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Legitimos tutores nemo dat, sed lex XII. Tabularum fecit tutores.

II. RATIO *legitimæ tutelæ proponitur l. 1. in prin. ff. de legitimis tutoribus. cuius uerba uide suprà quæst. prox.*

III. AN ET QVIBVS LEGItima tutela competat?

I. Regula, De *adgnatis. Adgnatis pupilli legitima tutela competit. Quæ regula approbatur l. 2. C. de legitima tutela, his uerbis*: Ad adgnatos pupilli iure legitimo sollicitudinem tutelæ pertinere, si non capitis deminutionem sustinuerint, manifestissimum est. *Concordat l. 1. in princ. ff. de legitimis tutoribus. cuius uerba uide §. quæst. 1. Item concordat l. intestato. 6. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. generali 1. Concordat item Instit. de legit. adgnator. tutela, in prin. cuius uerba uide §. quæst. 1. Declaratur autem regula proposita Inst. d. tt. §. 1. his uerbis*: Sunt autem adgnati, cognati per uirilis sexus cognationem coniũcti, quasi à patre cognati: ueluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepósue ex eo: item patruus, & patrui filius, nepósue ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, adgnati nõ sunt, sed aliàs naturali iure cognati. Itaque amitæ tuæ filius non est tibi adgnatus, sed cognatus: & inuicem tu illi eodem iure coniungeris: quia qui ex ea nascuntur, patris non matris familiam sequuntur. *Concordat l. sunt autem. 7. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis*: Sunt aũt adgnati, qui per uirilis sexus personas cognatione iuncti sunt, quasi à patre cognati: ueluti frater eodem patre natus, fratris filius, nepostie ex eo: item patruus, & patrui filius, nepostie ex eo. *Exceptiones propositæ regulæ uide §. cod. quæst. inter exceptiones generales.*

II. Regula, De *cognatis. His legitima pupilli tutela non defertur. Quæ regula approbatur l. 1. C. de legitima tutela, his uerbis*: Ad auunculos nec masculorum tutelæ ex lege XII. Tabularum deferuntur: cum solummodò patruis, si non excusauerint se, id ius tributum sit. *Declaratur hæc regula definitione cognatorum Instit. de legit. adgnat. tutela. §. at qui per fœminini. cuius uerba uide §. reg prox. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi hi sint cognati, quibus cum adgnatis hæreditas pupilli defertur. Quæ exceptio approbatur l. memininus. 15. §. quas autem personas. C. de legit. hæred. his uerbis*: Quas aũt personas ex iure cognationis in legitimas successiones transtuleximus, eas & tutelæ grauamini uicissim supponimus: scilicet si masculi sint & perfectæ ætatis, secundum nostræ constitutionis tenorem, ut non solùm lucrum sentiant, sed etiam grauamini subiugentur. *Mutatur regula proposita, ac reprobatur iure nouo, Nouell. c. 118. §. enimuerò, his uerbis*: Ex his quæ de hæreditate diximus ac disposuimus, manifesta existunt & ea quæ tutelá concernunt. Sancimus enim, ut eo quique gradu ac ordine uel soli, uel cum alijs tutelæ munus subeãt, quo & ad hereditatem uocantur, nulla neque hac parte differentia introducẽda per adgnationis & cognationis iura: sed omnibus qui impuberem uel masculino uel fœminino genere contingunt, ex æquo ad tutelam uocandis.

III. *Regula, De parentibus. Hi quoque ad tutelam liberorum ſuorum uocantur. Quæ regula approbatur inſtit. de legitima parentum tutela, his uerbis*: Exemplo patronorũ recepta eſt & alia tutela,quæ & ipſa legitima uocatur. Nam ſi quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emãcipauerit,legitimus eorum tutor erit. *Concordat l.tutela.3. §.fin. ff.de legitimis tutorib. his uerbis*: Si parens filiũ uel filiam, uel nepotem uel neptem, uel deinceps impuberes,quos in poteſtate habebat,emancipet: uicem legitimi tutoris ſuſtinet. *Concordat item Inſtit. quibus mod. ius patr. poteſt. ſoluitur. §. & præterea. cuius uerba uide ſuprà lib. prox. cap.9.quæſt.3.reg.5. Huius exceptio prima hæc eſt: Niſi filius ab aliquo hæres ſit inſtitutus ſub hac conditione: Si patris poteſtate fuerit ſolutus. Quæ exceptio approbatur l.ſcire oportet.21. §.1. ff.de tutoribus datis. cuius uerba uide §.cap.prox.except.29.* Secunda exceptio eſt: Niſi pater iteruenerit nuptias. *Hæc exceptio reprobatur l.generaliter.5. §.negocia. C.de ſecundis nuptiis. cuius uerba uide §.lib.14.cap.6.quæſt.2.reg.1. Planè admittitur exceptio propoſita in matre. de quare uide §. cap. prox. quæſt.2. except.21. repl.1. dupl.1. cum ſequentibus.*

IIII. *Regula, De fratribus pupilli à parente defuncto emancipati. Hi quoque ad tutelam uocantur. Quæ regula approbatur l.quo defuncto.4. ff.de legitimis tutor.his uerbis*: Parente,qui filium uel filiam,nepotem uel neptẽ, uel deinceps impuberes,quos in poteſtate habebat,emancipauit,defuncto,ſi liberi perfectæ ætatis exiſtant: fiduciarij tutores fratris uel ſororis efficiuntur. *Concordat Inſtit. de fiduciaria tutela,his uerbis*: Eſt & alia tutela,quæ fiduciaria appellatur. nam ſi pater filium uel filiam, nepotem, uel deinceps impuberes manumiſerit: legitimam nancſcitur eorum tutelam. Quo defuncto, ſi liberi eius uirilis ſexus exiſtant, fiduciarij tutores uel fratris uel ſororis efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi ſunt tutores: quoniam filius quidem defuncti, ſi non eſſet à uiuo patre emancipatus, poſt obitum eius ſui iuris efficeretur, nec in fratrum poteſtatem rediderat, ideoque nec in tutelam. Libertus autem, ſi ſeruus manſiſſet, utique eodem iure apud liberos domini poſt mortem eius futurus eſſet.

V. *Regula,De patrono pupilli. Hic quoque ad pupilli tutelam uocatur. Quæ regula approbatur Inſt.de legit. patron. tutela, his uerbis*: Ex eadem lege XII. Tabularum libertorum & libertarum tutela ad patronos liberoſq; eorum pertinet, quæ & ipſa legitima tutela uocatur: non quia nominatim in ea lege de hac tutela cauetur, ſed quia perinde accepta eſt per interpretationem, ac ſi uerbis legis introducta eſſet. Eo enim ipſo,quòd hæreditates libertorum libertarumque,ſi inteſtati deceſsiſſent, iuſſerat lex ad patronos liberóſue eorum pertinere,crediderũt ueteres, uoluiſſe legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & agnatos, quos ad hæreditatem lex uocat, eoſdem & tutores eſſe iuſſerit: quia plerumque, ubi ſucceſsionis eſt emolumentũ, ibi & tutelæ onus eſſe debet. Ideo autem diximus Plerunq;, quia ſi à fœmina impubes manumittatur, ipſa ad hæreditatem uocatur, cum alius ſit tutor. *Concordat l.1.in prin. ff.de legit.tutorib. cuius uerba uide §.quæſt.1. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi patronus non ſponte, ſed iure compulſus manumiſit. Hæc exceptio reprobatur l.tutela.3.in prin. ff.d.tt. his uerbis*: Tutela legitima,quæ patronis defertur lege XII. Tabularum,non quidem ſpecialiter uel nominatim delata eſt, ſed per conſequentias hæreditatum, quæ ex ipſa lege patronis datæ ſunt. Ergo manumiſſor ex lege XII. Tabularũ tutor eſt, ſiue ſpõtè, ſiue etiã compulſus ex cauſa fideicommiſſi manumiſit. Sed & ſi hac lege emit, ut manumitteret, & ex conſtitutione diui Marci ad Aufidium Victorinum peruenit ad libertatem: dicendum eſt,tutorem eſſe. *Concordat l.1. §.penult. ff.cod.tt. cuius uerba uide §. except. generali 7.replic.2. Secunda exceptio eſt: Niſi ſeruus ex Rubriano ſenatuſconſulto peruenerit ad libertatem. Hæc exceptio approbatur d.l.3. §.1.his uerbis*: Planè ſi fortè ex Rubriano ſenatuſconſulto peruenerit ad libertatem, non habebit tutorem eum qui rogatus eſt: ſed Orcinus libertus effectus, ad familiam teſtatoris pertinebit. In qua ſpecie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quæ ad patronos non pertinuit. Quod quidem in omnibus Orcinis libertis locum habet,teſtamento manumiſſis. *Tertia exceptio eſt: Niſi ſint plures patroni. Hæc exceptio reprobatur d.l.3. §.ſi duo,his uerbis*: Si duo pluresúe manumittant,omnes tutores ſunt.

VI. *Regula, De liberis patroni. His quoq; tutela libẽrti defertur. Quæ regula approbatur per ea quæ propoſita ſunt ſuprà reg.prox.in prin. Concordat Inſtit. de fiduciaria tutela. §.atqui patrono. cuiũ uerba uide ſuprà reg.4. Eius exceptio prima hæc eſt: Niſi parens patronus ſuperſit. hic.n.illis præfertur. Quæ exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio prima hæc eſt: Niſi ſit Orcinus libertus. Quæ replicatio approbatur l.tutela.3. §.1. ff.de legitimis tutoribus. cuius uerba uide ſuprà reg.prox.exceptione 2. Secunda replicatio eſt: Niſi patronus ſit apud hoſtes. Hæc replicatio reprobatur l.1. §.ſi apud. ff.d.tt. cuius uerba uide infrà except. gener.9. Secunda exceptio eſt: Niſi & alij ſuperſint eiuſdem liberti patroni. Hi enim liberis defuncti patroni præferuntur. Quæ exceptio ap-*

ceptio approbatur d.l.3. §.ſi duo. ff.de legit.tutor. his uerbis: Si duo pluresúe manumittãt, omnes tutores ſunt. Sed ſi aliquis ex patronis deceſſerit, tutela penes cæteros patronos eſt, quamuis ille filium reliquerit. Sed & ſi ab hoſtibus fuerit captus, interim ſoli compatroni tutores ſunt. Simili modo & ſi in ſeruitutem redactus ſit,apparet cæteros eſſe tutores.Sed ſi omnes patroni deceſſerint,tũc tutela ad liberos eorum incipit pertinere. *Tertia exceptio eſt: Niſi ex altero patrono ſuperſit filius. tunc enim nepos ex alio patrono non admittitur ad tutelam liberti. Quæ exceptio approbatur d.l.3. §. proinde etſi,his uerbis*:Si alter ex patronis filiũ, alter nepotem reliquerit: utrum ad ſolum filium, an uerò & ad nepotem tutela pertineat, quia & nepos in familia patris ſui proximus eſt? Hoc apparebit ex legitimis hæreditatibus. Legitima autem hæreditas ad ſolum filium pertinet. Ergo & tutela ad ſolum filium deſcendit, poſt filium tunc ad nepotem. *Quarta exceptio eſt:Niſi filius patroni à tutela remotus ſit, uel excuſatus. tunc enim nepos ex eo ad tutelam non admittitur. Quæ exceptio approbatur d.l.3.§.quæri,his uerbis*: Quæri poteſt,ſi patroni filius ſit remotus, uel excuſatus, an nepoti tutela deferatur? Et Marcellus in ea ſententia eſt, ut ſuccedi non poſſe ſcribat. Idcirco enim abierunt tutela, ut alij in locum eorum dentur, non ut ſucceſsio admittatur.

De exceptionibus præcedentium regularum generalioribus.

Propoſitæ regulæ de legitimis tutoribus recipiunt aliquot exceptiones hic enumerandas.

I. *Exceptio:Niſi parens pupilli teſtamento facto,& tutore in eo dato,deceſſerit.tunc enim tutor teſtamentarius præfertur legitimis. Quæ exceptio approbatur Inſtit.de legitima adgnat.tutela,in prin. cuius uerba uide §.quæſt.1. Concordat l.inteſtato.6.in prin.ff.de legitimis tutorib.his uerbis*: Inteſtato parente mortuo,adgnatis defertur tutela.Inteſtatus autẽ uidetur non tantùm is qui teſtamentum non fecit, ſed & is qui teſtamento liberis ſuis tutores non dedit. quantùm enim ad tutelam pertinet,inteſtatus eſt. Idem dicemus, ſi tutor teſtamento datus, adhuc filio impubere manente, deceſſerit. nam tutela eius ad adgnatum reuertitur. *Concordat item l.ſi quis.11.in prin.ibi:ſciendum eſt. ff.de teſtament.tutela.cuius uerba uide paulò inferius replic.3. Item concordat Nouell.c.118. §.hæc autem, in fine. cuius uerba uide §.except.3. Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi teſtamento facto tutores non ſint dati. tunc enim,quamuis teſtamentum factum ſit, nihilominus legitimæ tutelæ eſt locus. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce*: Inteſtatus autem uidetur non tantùm is qui teſtamentum non fecit,&c. *Concordat Inſtit.de legitima adgnat.tutela.§.quòd autem, his uerbis*: Quòd autem lex XII.Tabularum ab inteſtato uocat ad tutelam adgnatos,non hanc habẽt ſignificationem,ſi omnino non fecerit teſtamentum is qui poterat tutores dare:ſed ſi,quantum ad tutelam pertinet, inteſtatus deceſſerit. Quod tunc quoq; accidere intelligitur,cum is qui datus eſt tutor, uiuo teſtatore deceſſerit. *Secunda replicatio eſt: Niſi tutor teſtamento datus deceſſerit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce:* Quod tunc quoq; accidere intelligitur,cum is qui datus eſt tutor,uiuo teſtatore deceſſerit. *Concordat d.l.6. §.idem dicemus,ſi tutor. Concordat item l.ſi quis.11.§. quòd ſi tutor.ff.de teſtam.tutela,his uerbis*: Quòd ſi tutor teſtamento datus deceſſerit, ad legitimum tutela redit: quia hic ſenatuſconſultum ceſſat. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi pluribus tutoribus teſtamento datis,unus,non omnes deceſſerint. tunc enim ad eos qui ſuperſunt,non ad legitimum tutela pertinet. Quæ duplicatio approbatur d.l.11.§.fin.his uerbis*:Planè ſi duo pluresúe fuerint tutores teſtamẽtarij, in locum eius qui deceſsit,uel in ciuitate eſſe deſijt,poterit dari alius: cæterùm ſi nullus ſuperſit,uel in ciuitate ſit,legitima tutela ſuccedit. *Tertia replicatio uidetur eſſe: Niſi tutore ſub conditione uel ex die dato, conditto nondũ extiterit, uel dies nondum uenerit. Hæc replicatio reprobatur d.l.11.in prin. his uerbis*: Si quis ſub conditione uel ex die tutorem dederit, medio tempore alius tutor dandus eſt, quamuis legitimum tutorem pupillus habeat. Sciendum eſt enim, quamdiu teſtamentaria tutela ſperatur, legitimam ceſſare. *Quarta replicatio uidetur:Niſi teſtamẽtarius tutor excuſatus ſit,uel remotus.Et hæc replicatio reprobatur d.l.11. §.1.his uerbis*: Etſi ſemel ad teſtamentarium deuoluta ſit tutela, deinde excuſatus ſit tutor teſtamentarius: adhuc dicimus,in locũ excuſati alium dandum,non ad legitimum tutorem redire tutelam. Idem dicimus, etſi fuerit remotus. nam idcirco abijcitur,ut alius detur. *Quinta replicatio uidetur eſſe: Niſi, cùm duobus impuberibus fratribus tutor teſtamento datus eſſet, alter ſuæ ætatis ſit factus. hoc enim caſu ei tanquam legitimo tutori uidetur tutela fratris impuberis demandanda. Verùm replicatio hæc reprobatur l.ſi tut.3.C.de teſtamen.tutela,his uerbis*:Si tutores teſtamento nobis dati ſunt, quanquam unus ueſtrũm ſuæ ætatis factus ſit, id eſt, pupillarem ætatem exceſſerit: tutela tamen ueſtra ad eum non pertinet. *Plura de hac re uide §.cap.8.cauſa 6. Hæc de prima exceptione.*

II. *Exceptio:Niſi fœmina pupilla ſit.huic enim non adgnati,ſed alij tutores iure antiquo dabantur. Quod ius antiquum mutatur, & exceptio propoſita reprobatur l.conſt.3.C.de legitima tutela,his uerbis*: Conſtitutione diuæ memoriæ Conſtantini, lege

Claudia ſublata, pro antiqui iuris authoritate, ſaluo manente adgnationis iure, tam conſanguineus, id eſt frater, quàm patruus cæterique legitimi ad pupillarem fœminarum tutelam uocantur.

III. Exceptio: *Niſi fœmina cognata ſit, uel patrona. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 118. §. hæc autem, his uerbis:* Hæc dicimus, ſi mares & perfectæ ætatis ſint, & nulla lege prohibeantur ad tutelam accedere, neq; competente ſibi utantur excuſatione. Mulieribus etenim & nos tutelæ munera ſubire interdicimus, niſi mater aut auia ſit. Nam his ſolis pro ſucceſſionis hæreditariæ ordine tutelam ſubire permittimus, ſi apud acta tam ſecundis nuptijs, quàm Velleiani ſenatuſconſulti auxilio renunciauerint. Hæc enim ſi obſeruauerint, omnibus ex tranſuerſo cognatis in tutela capeſſenda præferétur: eo quòd mulieribus tantummodò tutorum munera ſubire interdictum eſt, ſi mater aut auia non ſit, ſolis teſtamentarijs tutoribus eas anteuertétibus, ſiquidem defuncti uoluntatem atq; electionem præferri uolumus. *Concordat l. tutela. 3. §. ſi duo. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis:* Si duo pluresue manumittant, omnes tutores ſunt. Sed ſi mulier ſit inter manumiſſores: dicendum eſt, ſolos maſculos fore tutores. *Concordat item Inſtit. de legitima patronorum tutela. §. fin. cuius uerba uide C. reg. 5. in princ. Plura de exceptione propoſita, eiusq; replicationibus uide I. cap. prox. quæſt. 2. except. 21.*

IIII. Exceptio: *Niſi is cui à lege tutela defertur, minor ſit uigintiquinq; annis. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 118. §. hæc autem. cuius uerba uide C. except. prox. in prin. Concordat Inſt. de fiduciaria tutela. §. fin. his uerbis:* Ita tamen hi ad tutelam uocantur, ſi perfectæ ſint ætatis: quod noſtra conſtitutio in omnibus tutelis & curationibus obſeruari generaliter præcepit. *Plura de hac exceptione uide I. cap. prox. except. 20. item except. 32. replic. 4.*

V. Exceptio: *Niſi ij, quibus à lege defertur tutela, capite ſint deminuti. Hæc exceptio approbatur l. legitimos. 5. §. fin. ff. de legitimis tutorib. his uerbis:* Si quis legitimus tutor capite minutus ſit: dicendum eſt, deſinere eum eſſe tutorẽ, & locum eſſe iudicio tutelæ, finita tutela. *Concordat l. 2. C. de legitima tutela. cuius uerba uide C. reg. 1. Concordat item Inſtit. de legitima adgnat. tutela. §. fin. his uerbis:* Sed adgnationis quidem ius omnibus modis capitis deminutione plerunq; perimitur: nam adgnatio iuris ciuilis nomẽ eſt. cognationis uerò ius non omnibus modis commutatur: quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere poteſt, naturalia uerò non utiq;. *Declaratur exceptio propoſita Inſtit. de capitis deminutione. cuius uerba alibi proponentur. Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non adgnatis, ſed cognatis deferatur legitima tutela. his enim capitis deminutio non obeſt. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Cognationis uerò ius non omnibus modis commutatur. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi maxima uel media capitis deminutio ſit. Quæ duplicatio approbatur Inſtit. de capitis deminutione. §. quod autem, his uerbis:* Quod autem dictum eſt, manere cognationis ius etiam poſt capitis deminutionem, hoc ita eſt, ſi minima capitis deminutio interueniat: manet enim cognatio. Nam ſi maxima capitis deminutio interueniat, ius quoque cognationis perit, utputa ſeruitute alicuius cognati: & ne quidem, ſi manumiſſus fuerit, recipit cognationem. Sed & ſi in inſulam quis deportatus ſit, cognatio ſoluitur. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi emancipati tantùm ſint adgnati. hæc enim capitis deminutionis ſpecies non impedit tutelam. Quæ replicatio approbatur l. frater. 4. C. de legitima tutela, his uerbis:* Frater emancipatus, qui in germani ſui uel ſororis ſucceſsione omnes inferiores ſeu prolixiores gradus non tantùm cognatorum, ſed etiam adgnatorum, antecedere à nobis pro noſtra diſpoſitione iuſſus eſt, etiam ad legitimam tutelam fratrum & ſororum, ne non liberorum fratrum, quaſi minimè patris poteſtate per ius emancipationis relaxatus, ſi non alia iuri cognita excuſatione munitus ſit, uocari: nec ſub prætextu capitis deminutionis alienum huiuſmodi onere ſemet eſſe contendere, ſancimus. *Concordat l. ne lucrum. 5. C. de curatore furioſi, his uerbis:* Ne lucrum quidem antea indebitæ ſucceſsionis emancipato uel emancipatis deputaſſe, nihil uerò de oneribus tutelæ proſpexiſſe uideamur: curatores nihilominus eos pro XII. Tabularum lege furioſis fratrib. & ſororibus, utpote legitimos exiſtere, hac legis ſanctione decernimus. *Concordat item Inſtit. quib. mod. tutela finitur. §. ſimili modo. cuius uerba uide I. cap. 8. cauſa 9. Item concordat l. ſi filiuſfam. 11. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide I. lib. prox. cap. 10. quæſt. 5. reg. 9.*

VI. Exceptio: *Niſi is cui legitima tutela defertur, inhabilis ſit. Hæc exceptio approbatur l. ſæpe. 13 ff. de curatoribus furioſo, his uerbis:* Sæpe ad alium è lege XII. Tabularum curatio furioſi aut prodigi pertinet, alij prætor adminiſtrationem dat: ſcilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem uideatur. *Huius exemplum proponitur l. agnato. 10. §. fin. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis:* Surdus & mutus nec legitimi tutores eſſe poſſunt: cum nec teſtamento, nec alio modo utiliter dari poſsint. *Huius exceptionis in exemplo propoſito replicatio hæc eſt: Niſi non in totum ſurdus ſit. Quæ replicatio approbatur l. minus. 11. ff. eod. tt. his uerbis:* Minus autem audiens poteſt.

VII. Ex-

VII. Exceptio: *Niſi is cui legitima tutela defertur, defuncto pupillo hæres non ſit extiturus. Hæc exceptio approbatur l. Quintus. 73. in prin. ff. de reg. iuris, hiſce uerbis:* Quintus Mutius Sempronio: Quò tutela redit, eò & hæreditas peruenit: niſi cũ fœminæ hæredes intercedunt. *Concordat Inſtit. de legitima patronorum tutela. §. penult. & ult. cuius uerba uide C. reg. 5. Item concordat l. 1. in prin. ff. de legitimis tutorib. cuius uerba uide C. eod. cap. quæſt. 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi fœmina intercedat. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Niſi cum fœminæ hæredes intercodunt. *Concordat Inſtit. d. §. ult. Item concordat d. l. 1. §. 1. his uerbis:* Interdum tamen alibi hæreditas eſt, alibi tutela: utputa ſi conſanguinea pupillo ſit. nam hæreditas quidem ad adgnatam pertinet, tutela autem ad adgnatum. Idem in libertinis, ſi ſit patrona, & patroni filius. Nam tutelam patroni filius, hæreditatem patrona obtinebit: tantundemque erit, & ſi ſit patroni filia, & nepos. *Concordat item d. l. 1. §. fin. his uerbis:* Idem erit, ſi filiæ adſignatus libertus ſit: tutela quidem apud fratres remanebit (ut Marcellus notat) legitima autem hæreditas ad ſororem pertinebit. *Secunda replicatio eſt: Niſi is qui manumittere debebat, latitauit. hic enim, quoad hæreditatem liberti attinet, patronus non habetur, tutelæ tamen onus ſuſtinet. Quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. penult. his uerbis:* Interdum etiam ſine hæreditate tutela defertur, interdum hæreditas ſine tutela, utputa in eo qui latitauit, cum ſeruum rogatus eſſet manumittere. Nam generaliter diuus Pius reſcripſit Aurelio Baſſo, ius patroni eum non habere, his uerbis: Planè tergiuerſatio eorum, qui ſubuertere fideicommiſſariam libertatem uoluerunt, eo modo puniatur, ne ius patroni adquirant in eo quem liberum eſſe noluerunt.

VIII. Exceptio: *Niſi plures ſint eiuſdem gradus, quibus tutela defertur. Hæc exceptio reprobatur l. ſi plures. 9. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis:* Si plures ſint adgnati, proximus tutelam nanciſcitur: & ſi in eodem gradu plures ſint, omnes tutelam nanciſcuntur. *Concordat l. ſi reliq. 8. ff. eod. tt. his uerbis:* Si reliquero filium impuberem, & fratrem, & nepotem ex alio filio: conſtat utroſq; eſſe tutores, ſi perfectæ ætatis ſint, quia eodem gradu ſunt. *Concordat Inſt. de capitis deminutione. §. fin. his uerbis:* Cum autem ad adgnatos tutela pertineat, non ſimul ad omnes pertinet, ſed ad eos tantùm, qui proximiores gradu ſunt: uel ſi plures eiuſdem gradus ſunt, ad omnes pertinet: ueluti ſi plures fratres ſunt qui unũ gradum obtinent, pariter ad tutelam uocãtur. *Item concordat Nouell. c. 118. §. ſed ſi multi, his uerbis:* Sed ſi multi eundem cognationis gradum tenentes uocentur ad tutelam: iubemus, ut communi conſilio magiſtratum, cui ea res curæ eſt, adeuntes, unum aut etiam plures ex ſe (quotcũq; ad patrimonij gubernationem ſufficiunt) deligant, & nominent qui pupilli res uel ſoli, uel cum adiunctis adminiſtrent, periculo tutelæ omnibus qui ad tutelam uocantur ex æquo imponendo, & facultatib. eorum tacitè huius adminiſtrationis nomine pupillo obligandis.

IX. Exceptio: *Niſi remotioris gradus adgnatus ſit, quem alius gradu præcedit. Hæc exceptio approbatur l. ſi plures. 9. ff. de legitimis tutorib. cuius uerba uide C. reg. prox. Concordat Inſtit. de capitis deminut. §. fin. cuius uerba uide item C. reg. prox. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi proximior adgnatus apud hoſtes ſit. Hæc replicatio approbatur l. 1. §. ſi apud. ff. de legitimis tutorib. his uerbis:* Si apud hoſtes ſit frater, inferioris gradus adgnato tutela non defertur. nam & ſi patronus apud hoſtes ſit, patroni filio tutela non defertur, ſed interim à prætore alius datur. *Secunda replicatio eſt: Niſi proximior mortuus ſit, uel capite deminutus. Hæc replicatio approbatur l. tutela. 3. §. penul. ff. de legitimis tutorib. his uerbis:* Non tantùm morte, uerùm etiam capitis deminutione ſucceſsio debet in legitima tutela admitti. Quare ſi proximior capite deminutus eſt: qui poſt eum eſt, ſuccedit in tutelæ adminiſtratione. *Huius duplicatio eſt: Niſi proximior ſit apud hoſtes. Quæ duplicatio approbatur C. repl. prox. Tertia replicatio eſt: Niſi proximior ſit excuſatus uel remotus à tutela. Hæc replicatio reprobatur d. l. 3. §. quæri poteſt. cuius uerba uide C. reg. 6. except. 4. Quarta replicatio eſt: Niſi proximior fœmina ſit. Hæc replicatio approbatur l. adgnato. 10. ff. de legitimis tutorib. his uerbis:* Adgnato propior fœmina, quo minus ſit impuberis adgnati tutor, non obijcitur: ideoq; patruus ſororem conſanguineam habentis fratris filij legitimus erit tutor. Nec amita patruo magno, uel materterа fratris filijs, ne ſint tutores, obſtat.

X. Exceptio: *Niſi legitimus tutor rem pupillo ſaluam fore cauere nolit. Hæc exceptio approbatur l. ſi impuberi. 13. §. quamuis, in fine. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide I. lib. prox. cap. 1. quæſt. 1. except. 3. repl. 3. Hactenus de duabus tutelæ ſpeciebus dictum eſt, de teſtamentaria uidelicet & legitima tutela: ſupereſt tertia ſpecies, quando ſcilicet tutor à magiſtratu datur.*

DE DANDO TVTORE ET CVratore à magiſtratu: item de adiungendo & ſubſtituendo curatore.
Cap. IIII.

I. QVO IVRE A MAGIſtratu tutores dentur?

Definitur hæc quæſtio Inſt. de Atiliano tutore. cuius uerba uide I. quæſt. prox. except. 1.

II. AN TVTOR Á MAGISTRA-
tu utiliter sit datus?

Regulariter quidem tutorem à magistratu dãdum, datumq; regulariter utiliter datum præsumi, dubium non est. uerùm huius regulæ exceptiones plures sunt, sumptæ partim ex persona dantis tutorem, partim ex persona dati tutoris, partim ex persona eius cui tutor à magistratu datus est, partim deniq; ex alijs huiusmodi circumstantijs. de quibus ordine dispiciendum, & primùm de ijs exceptionibus, quæ sumuntur ex persona dantis tutorem.

I. Exceptio: *Nisi à non competente magistratu tutor uel curator sit datus.* Hæc exceptio approbatur *l. muto. 6. §. tutoris. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Tutoris datio neq; imperij est, neq; iurisdictionis: sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit uel lex, uel senatusconsultum, uel princeps. *Concordat l. propterea. in fine. ff. de excusationib. tut. his uerbis:* Si in castris merentes non ab eo tutores dentur, qui in castris merebat: excusationem habere, Vlpianus respondit. *Pro declaratione huius exceptionis sciendum est, qui sint, uel non sint competentes magistratus tutoribus dandis? Definitur autem hoc Instit. de Atiliano tutore, his uerbis:* Si cui nullus omnino tutor fuerat, ei dabatur, in urbe quidem à prætore urbano, & maiore parte tribunorum plebis, tutor ex lege Atilia: in prouincijs uerò à præsidibus prouinciarum, ex lege Iulia & Titia. Sed ex his legibus tutores pupillis deferũt dari, posteaquam primò consules pupillis utriusq; sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde prætores ex constitutionibus. Nam supradictis legibus neq; de cautione à tutoribus exigenda rem saluam pupillis fore, neq; de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem, quidquam cauebatur. Sed hoc iure utimur, ut Romę quidem præfectus urbi uel prætor secundum suam iurisdictionem, in prouincijs autem præsides ex inquisitione tutores crearent, uel magistratus iussu præsidũ, si non sint magnæ pupilli facultates. Nos autem per constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes, nec expectata iussione præsidum disposuimus: si facultates pupilli uel adulti usq; ad quingentos solidos ualeant, defensores ciuitatum unà cum eiusdem ciuitatis religiosissimo antistite, uel alias publicas personas, id est magistratus, uel iuridicum Alexandrinæ ciuitatis, tutores uel curatores creare, legitima cautela secundum eiusdem constitutionis normam præstanda, uidelicet eorum periculo qui eam accipiunt. *Ait Imp.* Sed hoc iure utimur, ut Romæ quidem, &c. *Huic concordat l. Titius. 45. §. Romæ. ff. de excusat. tutorum, his uerbis:* Romæ datos tutores eos tantùm accipere debemus, qui uel à præfecto urbi, uel à prætore, uel in testamento Romæ concepto, uel in continentibus dati sunt. *Enumerantur item & alij, quibus tutores dandi ius est, l. 1. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Siue proconsul, siue præses, siue etiam præfectus Ægypti, siue qui proconsulatum uel moderamen prouinciæ temporis causa obtinet, proconsul scilicet uel præside defuncto, uel quia ipsi prouincia regenda commissa est: tutorem dare poterit. Legatus quoque proconsulis ex oratione diui Marci tutorẽ dare potest. *De magistratibus municipalibus etiam proponitur l. ius. 3. ff. de tutorib. datis, hisce uerbis:* Ius dandi tutores datum est omnibus magistratibus municipalibus, eoq; iure utimur: sed illum qui ab eodem municipio, uel agro eiusdem municipij est. *Concordat l. quod. 6. C. qui dare tutores, &c. his uerbis:* Quod dicis, matrem filijs tutores nolle petere, super hac re adi præsidem prouinciæ: cum si eam neglexisse prospexerit, etiam ipse magistratus dare tutores, siue nomina mittere, ut ab ipso decreto tribui possint, iubere non prohibeatur. *Concordat item l. 2. §. si mater. ff. ad S. C. Tertyllian. cuius uerba uide j. cap. 5. quæst. 5. reg. 3. excepta. 2. replic. 4. Præterea magistratus competens curatoribus datis definitur Instit. de curatoribus. §. dantur, his uerbis:* Dantur autem curatores ab eisdem magistratibus, à quibus & tutores. *Porrò illustribus atq; clarissimis qui tutores uel curatores dari possint & debeant, definitur l. 1. C. de tutorib. uel curatorib. illustrium, his uerbis:* Illustribus præfectus urbi, adhibitis decẽ uiris ex numero senatus amplissimi, & prætore clarissimo uiro, qui tutelaribus cognitionibus præsidet, tutores curatoresue ex quolibet ordine idoneos faciat retentari. Et sanè id libero iudicio expertesque damni constituent iudicantes. Et si regendis pupillaribus substantijs singuli creandorum pares esse nõ possunt, plures ad hoc secundum ueteres leges conuenit aduocari: ut quem cœtus ille administrandis negocijs pupillorum dignissimum iudicauit, sola sententia obtineat præfecturæ. super cuius nomine, solennitate seruata, postea per prætorem interponatur decretum. Itaque hoc modo remoti à metu, qui consilio adfuerint, permanebunt: & paruulis adultisq; clarissimis iusta defensio sub hac prudentium deliberatione perueniet. Quod tamen circa eorum personas censuisse nos pa làm est, quibus sanè neq; testamentarij defensores, neq; legitimi, uita, ætate, facultatibus suppetunt. Nam ubi fortè huiusmodi homines offerũtur, si nihil ad defensionem suis priuilegijs comparabunt: ut teneri possint, iure præscribimus. Cæterùm alia, quæ causis minorũ antiquis legibus cauta sunt, manere intemerata decernimus. In prouincijs au-

cijs autem curiales in nominandis tutoribus & curatoribus clarissimarum personarum exhibeant debitam cautionem, & discrimi nis sui memores, cognoscant indemnitati minorum obnoxias etiã suas deinceps esse facultates. *Concordat l. cum furiosus. 7. §. sin autem testam. ibi: sed si quidem nobilis. C. de curatore furioso. cuius uerba uide j. proximè. Postremò furiosis qui curatores dare possint & debeant, definitur Instit. de curatorib. §. furiosi, his uerbis:* Furiosi quoq; & prodigi, licet maiores uigintiquinq; annis sint, tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege XII. tabularum. Sed solent Romæ præfectus urbi uel prætores, & in prouincijs præsides ex inquisitione eis curatores dare. *Concordat d. l. 7. §. sin autem testam. C. de curatore furioso, his uerbis:* Si testamentum quidem parens furiosi non confecerit, lex autem curatorem utpote adgnatum uocauerit, uel eo cessante, aut non idoneo forsitan existente, ex iudiciali electione curatorem dare necesse fuerit: tunc secundum præfatam diuisionem in hac quidem florentissima ciuitate apud gloriosissimam urbicariam præfecturam creatio procedat. Sed siquidem nobilis sit furiosi persona, etiam florentissimo senatu conuocando, ut ex inquisitione curator optimæ atque integræ opinionis nominetur. Sin uerò non talis persona sit, etiam solo uiro gloriosissimo præfecto urbi præsidente hoc procedat. Et siquidem curator substantiam idoneam possideat, eo sufficiente ad fidem gubernationis, & sine aliqua satisdatione nominationẽ eius procedere. Sin autem non talis eius census inueniatur: & tunc fideiussio, in quãrum possibile est, ab eo exploretur, creatione omnimodò sacris scripturis propositis in omni causa celebranda. Ipso autem curatore, cuiuscunq; substantiæ uel dignitatis est, præfatum sacramentum pro utiliter rebus gerendis præstante, & inuentariũ publicè conscribente, quatenus possint undiq; res furiosi utiliter gubernari. in prouincijs etiam his omnibus obseruãdis, ut apud præsidem cuiuscunq; prouinciæ, & uirum religiosissimum episcopum ciuitatis, necnon tres primates memorata creatio procedat: eadem obseruatione & pro iureiurando, & pro inuentario, & satisdatione, & hypotheca rerum curatoris, omnibus modis adhibenda. *Concordat ad uerbum l. de creationib. 20. §. sin autem testam. C. de episcopali audientia. Hæc pro declaratione primæ exceptionis sint dicta. sed eæ eius species sunt exceptiones proximè sequentes.* Planè propositæ *exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi absit magistratus competens. tunc enim decuriones dare tutores possunt. Quæ replicatio approbatur l. ubi. 19. in prin. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide j. except. 5. Secunda replicatio est: Nisi à competẽte magistratu alij sit man datum. Hæc replicatio approbatur Instit. de Atiliano tutore. §. sed hoc iure. ibi: uel magistratus iussu præsidum. cuius uerba uide 3. ead. except. in prin. Concordat l. Lucius. 45. §. cum in testamento. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide j. lib. prox. cap. 15. quæst. 2. except. 5. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ei sit mandatum, qui iurisdictionem nullam habet. Quæ duplicatio approbatur l. nec mandante. 8. in prin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Nec mandante præside alius tutorem dare poterit.

II. Exceptio: *Nisi à magistratu alterius loci, quàm unde pupillus originem ducit, tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. unica. C. ubi petantur tutores, his uerbis:* Magistratus eius ciuitatis, unde filij tui originem per cõditionem patris ducunt, uel ubi eorum sunt facultates, tutores uel curatores his quamprimùm secundum formam perpetuam dare curabunt. Quòd si filij tui neq; possident quidquam in prouincia ubi morantur, neque inde originem ducunt: restituti apud patriam suam, & ubi patrimonium habent, morabũtur, ut ibi defensores legitimos fortiantur. *Concordat l. 1. §. fin. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide paulò inferius replic. 2. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi eo loco, à cuius magistratu tutor datus est, pupilli sint facultates. quæ replicatio ex uerbis iam dictis constat. Secunda replicatio est: Nisi pupillus ibi domicilium habeat. Quæ replicatio approbatur l. 1. §. fin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Quod permittitur tutorem dare prouinciæ præsidi, eis tantùm permittitur, qui sunt eiusdem prouinciæ, uel ibidem domicilium habent.

III. Exceptio: *Nisi is magistratus, cuius successor uenit, tutorem dederit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi ignorauerit successorem uenisse. Quæ replicatio approbatur l. si fortè. 17. ff. de officio præsidis, hisce uerbis:* Si fortè præses prouinciæ manumiserit, uel tutorem dederit, priusquã cognouerit successorem aduenisse: erunt & hæc rata.

IIII. Exceptio: *Nisi tutor à seipso sit datus. Hæc exceptio approbatur l. prætor. 4. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Prætor ipse se tutorẽ dare non potest: sicut nec pedaneus iudex, nec commissarius ex sua sententia fieri potest. *Concordat l. prætor. 4. ff. de officio prætoris, his uerbis:* Prætor nec tutorem, nec specialẽ iudicem ipse se dare potest. *Concordat item l. præses. 5. ff. de officio præsidis, hisce uerbis:* Præses prouinciæ non magis tutorem, quàm specialem iudicem ipse se dare potest.

V. Exceptio: *Nisi à pari uel eiusdem ordinis magistratu tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l. ubi. 19. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Vbi absunt hi qui tutores dare possunt, decuriones iubentur dare tutores, dũmodò maior pars conueniat.

ueniat. Vbi non eſt dubium,quin unum ex ſe dare poſsint. Magiſtratus municipalis collegam ſuum quin dare tutorem poſsit, non dubium eſt. *Concordat l.decreto.4.ff.qui petant tutores,his uerbis:* Decreto decurionum & ipſum magiſtratum curatorem dari potuiſſe,Paulus reſpondit.

VI. *Exceptio: Niſi à furioſo datus ſit tutor. Hæc exceptio approbatur l.nec mandante.8. §.1. ff.de tutoribus datis, hiſce uerbis:* Si prætor uel præſes prouinciæ in furore aut dementia conſtitutus, dederit tutorem,non puto ualere.quamuis enim prætor uel præſes ſit,nec furor ei magiſtratum abroget: attamen datio nullius erit momenti. *Hactenus primi generis exceptiones propoſitæ ſunt, eæ nimirum quæ ſumuntur ex perſona eius qui dedit tutorem. Sequuntur nunc exceptiones deſumptæ ex perſona dati tutoris.*

VII. *Exceptio: Niſi tutor ſuperioris uel inferioris ordinis ſit,quàm pupillus. Hæc exceptio reprobatur l. & qui.22. ff.de tutoribus datis, hiſce uerbis:* Et qui non ſunt conſiliarij,conſiliariorum filijs tutores creantur:ſicut & cõſiliarij his qui non ſunt ex conſiliarijs. *Concordat l.15. §.ſcire. ff.de excuſationibus tutorum, his uerbis:* Scire oportet, nulli dignitatem tribuere excuſationem. Vnde ſi quis ſenatorius fuerit, hic tutor erit & eorum qui inferioris ordinis ſunt quàm ſenatorum, quemadmodum reſcripſit diuus Marcus & Commodus. Si autem quis tutor uel curator fuerit non ſenatoris, uel aliter in dignitate poſiti, deinde poſtea fiet ſenator: continuò abſoluetur à ſollicitudine. Si autem liberi,quorum tutelam aut curam adminiſtrabat,erant ſenatoris: non abſoluetur à tutela aut cura. Similiter autem & qui inferioris ordinis eſt, non excuſabitur à tutela uel cura maiorum. *Planè admittitur exceptio propoſita,ſi ſenator ei qui in nulla dignitate poſitus eſt, tutor detur. quæ diſtinctio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Si autem quis tutor uel curator fuerit non ſenatoris, uel aliter in dignitate poſiti,&c.

VIII. *Exceptio: Niſi ingenuus libertino tutor ſit datus. Hæc exceptio reprobatur l.pupillo.27.§.fin.ff. de tutorib.datis,hiſce uerbis:* Libertino tutores libertini dandi ſunt. Sed & ſi ingenuus detur, nec ſe excuſauerit: tutor perſeuerabit. *Plura de hac re uide ff.cap.6.quæſt.1.cauſa 9.*

IX. *Exceptio: Niſi filius parenti curator ſit datus. Et hæc exceptio reprobatur l.his qui.12. in prin. ff.de tutorib.datis, hiſce uerbis:* Proconſul non dubitabit, filium quoque patri curatorem dare. Quamuis enim contrà ſit apud Celſum & apud alios pleroſq; relatum, quaſi indecorum ſit parrem à filio regi: attamen diuus Pius Iuſto Celeri, item diui fratres reſcripſerunt, filium,ſi ſobriè uiuat,patri curatorem dandum magis quàm extraneum. *Concordat l.1.§.fin.ff.de curatore furioſo,his uerbis:* Curatio eius cui bonis interdicitur,filio negabatur permittenda.Sed extat diui Pij reſcriptum, filio potius curationem permittendam in patre furioſo,ſi tam probus ſit. *Concordat item l.2.ff.eod.tt.his uerbis:* Non dubitabit proconſul, filium quoque patri curatorem dare. *Concordat item l.furioſæ.4.ff.eod.tt.his uerbis:* Furioſæ matris curatio ad filium pertinet. Pietas enim parentibus (etſi inæqualis eſt eorum poteſtas)æqualis debetur.

X. *Exceptio: Niſi maritus uxori curator ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.2. C.qui dare tutores, his uerbis:* Maritus etſi rebus uxoris ſuæ debet affectionem,tamẽ curator ei creari non poteſt. *Concordat l.uirum.14.ff.de curator.furioſo,his uerbis:* Virum uxori mente captæ curatorem dari non oportet. *Concordat item inſt.de excuſationibus tutorum,his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, maritum uxori ſuæ curatorem datum excuſare ſe poſſe,licet ſe immiſceat. *Concordat l.ampliſſ.4.C.de excuſat.tutor.his uerbis:* Ampliſsimi ordinis conſtituto, qui pupillam ſuam uxorem ducit, nuptias contrahere non intelligitur, & tamen infamis conſtituitur. Sed ſi tu Demetriæ, cum eã in matrimonio haberes, abſens & ignorans curator conſtitutus es: potes eſſe ſecurus,dum tamẽ alius ſubſtituatur.Non enim debet ignorantia maritorum ampliſsimi ordinis conſulto fraus quæri.

XI. *Exceptio:Niſi ſponſus ſponſæ tutor uel curator ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.2.§.fin.ff.de excuſat.tutor.his uerbis:* Non poteſt curator eſſe ſponſæ ſponſus,ut Senatus dicit:creatus autem talis abſoluitur.

XII. *Exceptio: Niſi ſocer nurui curator ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.licet.17.C.de excuſat.tutorum,his uerbis:* Licet orationis ſub diuo Marco habitæ uerba deficiãt: is tamen qui poſt contractas nuptias nurui ſuæ curator datur,excuſare ſe debet,ne manifeſtè ſententiam eius offendat, & labem pudoris contrahat. *Concordat l.cum proponas.3.in fine.C.de interd.matrim.inter,&c. cuius uerba uide ẽ.lib.14.cap. 3.except.13.replic.13.*

XIII. *Exceptio: Niſi tutor datus debitor uel creditor ſit pupilli. Hæc exceptio iure antiquo reprobatur l.neque.7. C.de excuſationib. tutorum, his uerbis:* Neq; à tutela,neq; à cura ideo quis excuſatur, quòd creditor ſiue debitor eius eſt, cui tutor ſiue curator datus eſt.Sed participem in munere habere debet, ut ſi res exegerit, is qui alieno auxilio eget,defendatur. *Mutatur hoc ius, approbaturq; exceptio propoſita Nouell.c.72.in prm.uſq; ad §.quia uerò grauatè, his uerbis:* Sancimus,ut ſi perſpicuè clarum ſit,eum qui curator cõſtituitur,iuribus minoris obligatum eſſe, neq; ille curator ſit,ne quãdo aut

aut calendarium ſurripiat, aut alias probationes,quæ ad manũ ſint,ſupprimat,& huius curatio illius rebus perniciem inferat. Hoc igitur ipſum inconcuſſa & immota lege reuinctum eſto, ne quis eorum qui uel defuncti res, aut ipſum minorem, aut eius res ſe obligatas habere perhibẽt, uel etiam perſpicuè ipſi minori obligati ſunt, ad eius curationem accedant,aut tale quippiam agendi habeant licentiam. Atqui omnino ſi quis,cum iam in curatione hæreat, obligationem cõtra minorem ſibi adquiſierit, delata fortè ei hæreditate alicuius, qui minorem obligatum habuit, aut alia huiuſmodi cauſa:ne amplius ei ſoli pupillorum aut minorum curatio concredatur, ſed alius tutor uel curator adiũgatur (id quod in multis legum caſibus deprehendimus)quo magis ille ipſe cuſtodiat, ne quid medio tempore contra minoris cõmoda, aut eius patrimonium, ab eo qui obligationẽ aduerſus eum paratã habet,dolo malo geratur:ſed ut tam iuramento in electione præſtito, quòd hoc cuſtodiet,quàm etiam pœnã hoc nomine,ſi minoris commoda curatori prodiderit, reueritus,diligenter hoc obſeruet.Ne uerò tutelæ aut curationis recuſationem omnibus hominibus præbeamus,ſi dicant minorum ſe res obligatas habere,aut quòd perſpicuè minorib. ipſi obligati exiſtant: ſancimus,ſi quis adſeueret, minorẽ ſe, aut res eius, aut parentes obligatos habere,ut ſimulatq; intra tempus recuſationi præſtitutum apud eum qui curatorem dedit, id oſtẽderit, abſoluatur: aut ſi obſcurũ adhuc ſit, ad ſancta Dei eloquia iuſiurandum ſubeat, quòd uera exiſtimatione ductus, minorem ſe habere obligatum,curationem recuſet. Quod ſi factum erit,ne tutelam aut curationem attingat:ſed quàm longiſsimè ab hoc ablegetur munere, ne exinde hoſtẽ potius minori quàm curatorem demus.Si uerò initio hoc tacuerit,& curator factus ſit: ſciat tota ſe actione,quam contra minorẽ habet,etſi uera ſit,caſurum, ex eo quòd dedita opera cõtra hanc legem id diſsimulauerit. Sed & ſi is qui perſpicuè minori obligatus ſit,tacuerit: ſciat ipſe quoq; hanc ſe pœnam ſubiturum, ne curationis tempore poſsit arte compoſitis fortè ſolutionibus aut alijs liberationib. debito ſe exuere. Quòd ſi quis (ut dictum eſt)curator factus,deinde curioſius res minoris perſcrutatus, actiones ſibi delegari uel per donationẽ, uel per emptionem nominis, uel quocunque alio modo effecerit: ſciat,quod ab ipſo geritur, omnino irritum futurũ,& neq; per ſe,neq; per interpoſitam perſonam tale quippiam cum effectu geri: ſed ex omni parte talia infirma futura,perinde quaſi ne initiò quidem facta aut contracta eſſent. Nemini enim dubiũ eſt, quin ſi in eam delabatur cogitationẽ, omnia deinceps ad animæ ſuæ perniciem, & earum rerum utilitatẽ,quæ eius eſſe uidentur,agat atq; gubernet. Neq; tantùm quamdiu curator fuerit, à tali eum delegatione arcemus, ſed etiam poſtea:ne quando tali conſilio in animo cõcepto,rem ad tempus ſeponat: & quod malicioſe prius in animo cõſtituerat, pòſt deinde quàm à curatione deſtitit, & dolo malo geſtum obliuioni traditum eſt, tunc fortè,cum curator amplius non eſt, actionum delegationẽ acceptet,& rem dolo malo circumueniat.Nã tunc quoq; irritum eſſe uolumus quod agitur, & ne qua actio contra eum,cuius antea curã geſsit,delegata ualeat:ſed pro non facto habeatur,& minori cedat in lucrum,licet delegatio ex ueris cauſis facta ſit:nõ quòd ad eum qui delegarit, reuertatur actio, quaſi nihil in medio contra legẽ factum eſſe uideatur:ſed ut propter legis noſtræ tranſgreſsionẽ ipſe quoq; his excidat,quæ per eam occaſionẽ pro delegata actione adquiſiuit,& minor ea lucrifaciat.Niſi enim hanc imponeremus pœnã, perfacile futurum eſſet dolo agere,& facilè eum qui delegaſſet, inſtrueret ut actionem moueret:& ipſius interuentu, quę pro delegata dediſſet actione,reciperet,fallaciter lege per improbitatem ſuam eluſa. Atq; hæc de omni curatione dicimus,in quibus omnino caſibus leges aliquib. prodigis fortè, uel furioſis,uel mente captis curationes inducunt,uel ſi quid deniq; aliud aut lex iam enumerauit, aut etiã poſtea præter opinionem natura inuenerit. *Hactenus uerba,quibus exceptio propoſita approbatur,expoſita ſunt. Eius autem replicatio hæc eſt:Niſi matres filiorum tutrices uel curatrices ſint datæ.his etenim propoſita exceptio non obſtat. quæ replicatio approbatur Nou.c.94.in prin. uſq; ad §.quia uerò,his uerbis:* Deſcripſimus nuper de curatione minorum legẽ,deprehenſis ex crebra cauſarum à nobis iudicatarum multitudine maleficijs, quæ circa ipſos admitterentur, ne quis eorũ qui uel minoribus eſſent obnoxij,uel qui ſe habere ipſos dicerent obnoxios,ad curam gerendam accederet,quo minus adminiſtratione rerum acceptа,malicioſè circa minorem aliquid delinqueret. Sed quia matribus uolentib.curam gerere,& tam ſecundũ ueteres quàm ſecundum noſtras leges ad curationem accedere petentibus,præter animi noſtri intentionem perperam lex noſtra eſt oppoſita:uolumus,ut à lege quæ iſta dicit,matrũ perſonę eximantur. Primùm enim prohibere nunc, quod pro minoribus ſemper introductum fuit,abſurdiſsimũ ducimus: deinde neutiquam

quam in eundem aliquis ordinem matrem & cæteros collocauerit. Nam matrem quidem pius ille, & à natura insitus circa liberos amor, utplurimùm suspicione liberam reddit: qui uerò nullam erga liberos necessariã habent causam, cum his maternus animus meritò conferendus non est. Vnde licentia esto matribus secundum ueterẽ obseruationem renunciantibus, & res suas piguori obligantibus (prout prius in usu fuit habitum) & filiorum tutelam suscipere, neque huiusmodi exceptionem metuũto: sed eo loco res illarum sunto, quasi de hoc ne initiò quidem lex scripta fuisset. Quapropter siue dotes, siue ante nuptias donationes exigant, siue alia debita habeant, siue matres contra minores, siue minores cõtra matres, paternarum fortè rerum occasione, uel etiam suarum (multa enim aliquis ad animi curam ista reuocans & dispiciẽs inuenerit) sunto ex utraq; parte illibata, secundum priores constitutiones & iudicãda & administranda, siue legitimorum, siue naturalium filiorum curam mater suscipiat.

XIIII. *Exceptio: Nisi is tutor sit datus, qui non est suppositus iurisdictioni ipsius dantis, & externs est. Hæc exceptio approbatur l. neq; 5. C. qui dare tutores, his uerbis:* Neq; à præside alterius prouinciæ, neq; à magistratibus municipalibus tutorem ortum ex alia ciuitate, nec domicilium ubi nominatur habentem, iure dari posse ab eo cuius iurisdictioni subiectus non est, certissimi iuris est: nec cessatio iniuncti perperam officij ad periculum eius pertinet. *Concordat l. in locum. 3. C. qui petant tutores. cuius uerba uide ĩ. except. 33. repl. 6. Item concordat l. ius dandi. 3. in fine. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide ẽ. except. 1. Concordat item l. 1. §. dicendum igitur. ibi: qui ex eodem loco sint. ff. de excusat. tutor. cuius uerba uide ĩ. cap. 6. quæst. 1. causa 9. Concordat item l. 13. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Similiter & si eum qui non est suppositus iurisdictioni, creabunt magistratus tutorem uel curatorem: neq; hic necessitatem habet obseruare constituta tempora, utputa quia neq; ciuis, neq; incola est. *Concordat d. l. 13. §. consequens, his uerbis:* Consequens est credere, quòd si aliqua specie excusationis fuerit quis usus, non aliter audietur, quàm si obseruauerit constitutum tempus: nisi fortè alterius alicuius ciuitatis est ciuis. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi eo loco ubi pupillus est, idonei tutores non inueniãtur. tunc enim aliunde possunt peti. quæ replicatio approbatur l. diuus. 24. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Diuus Marcus & Verus Cornelio Proculo. Si quando desunt in ciuitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei uideantur esse tutores: officium erit magistratuum, inquirere ex uicinis ciuitatibus honestissimum quemq;, & nomina præsidi prouinciæ mittere, non ipsos arbitrium dandi sibi uindicare. *Concordat ad uerbum l. 1. §. si quando. ff. de magistr. conueniendis. Item concordat l. etiam. 10. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Etiam non municeps tutor dari potest, dummodò municipi detur.

XV. *Exceptio: Nisi seruus tutor uel curator sit datus. Hæc exceptio approbatur l. in seruili. 7. C. qui dare tutores, his uerbis:* In seruili conditione constitutum tutorem uel curatorem à præside dari non posse, nullam habet iuris dubitationem.

XVI. *Exceptio: Nisi surdus uel mutus tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. fin. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Mutus tutor dari non potest: quoniam authoritatem præbere non potest. Surdum non posse dari tutorem, pleriq; & Pomponius lib. XVI. ad Sabinum probant: quia non tantùm loqui, sed & audire tutor debet. *Concordat l. compluria. 17. ff. eod. tt. his uerbis:* Compluria senatusconsulta facta sunt, ut in locum furiosi, & muti, & surdi tutoris, alij tutores dentur.

XVII. *Exceptio: Nisi furiosus tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* In locum furiosi, &c. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi furiosus sanæ mentis sit factus. Hæc replicatio approbatur l. furiosus. 11. ff. eod. tt. his uerbis:* Furiosus, si tutor datus fuerit, potest intelligi ita dari, cum suæ mentis esse cœperit. *Concordant ea quæ proposita sunt ẽ. capite 2. quæst. 1. except. 10.*

XVIII. *Exceptio: Nisi cæcus tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur l. luminib. 3. C. qui dare tutores, his uerbis:* Luminibus captum curatorem haberi debere, falsò tibi persuasum est.

XIX. *Exceptio: Nisi sphado tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. 15. in prin. ff. de excusat. tutorum, his uerbis:* Spadonem quoq; creabunt tutorẽ. nullam enim habet excusationem, ut constitutio ostendit Imperatorum Seueri & Antonini. *Vide item ĩ. cap. 6. quæst. 1. causa 49.*

XX. *Exceptio: Nisi minor uigintiquinq; annis tutor uel curator sit datus. Hæc exceptio approbatur l. nemo. 5. C. de legitima tutela, his uerbis:* Nemo neq; frater, neque alius legitimus in tutelam siue ingenui, siue liberti uocetur, antequam quintum & uicesimum suæ ætatis annum impleat. Immineat etenim ei pro sua tantummodò administratione periculum, nec alieno opere alius prægrauetur. Sic etenim pupillis & adultis competens gubernatio inducitur, & naturalis ordo per omnia conseruabitur. cui enim ferendum est, eundem esse tutorem, & sub cura agere? hæc certè & nominum & rerum fœda confusio est. Discretis itaque omnibus, uel datiui, uel legitimi fiant tutores hi qui talis ętatis sunt, cui suarum rerum administratio committitur, quorumq;

quorumq; res possunt plenissimo iure hypothecarum teneri: omnibus quæ de successionibus tam ingenuorum quàm libertinorum prioribus legibus disposita sunt, in suo robore duraturis, nec aliquam immi nutionem ex præsentis legis sanctione accepturis: maximè in libertorum successionibus, ne uideantur ex eo quòd ad tutelæ grauamen non ueniunt, successionis emolumentum amittere. *Concordat inst. de excusationibus tutorum. §. item maior, his uerbis:* Minores uigintiquinq; annis olim quidem excusabantur, nostra autem constitutione prohibentur ad tutelã uel curam adspirare, adeò ut nec excusatione opus sit. Qua constitutione cauetur, ut nec pupillus ad legitimã tutelam uocetur, nec adultus: cum sit inciuile, eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab alijs reguntur, aliorum tutelam uel curam subire. *Plures leges concordantes uide ẽ. cap. prox. except. 4. Planè propositæ exceptionis replicatio uidetur esse in testamentarijs tutoribus, de qua re uide ẽ. cap. 2. exc. 11.*

XXI. *Exceptio: Nisi fœmina tutrix uel curatrix sit data. Hæc exceptio approbatur l. ult. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Fœminæ tutores dari non possunt, quia id munus est masculorum: nisi à principe filiorum tutelam specialiter postulent. *Concordat l. tutela. 16. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. 1. quæst. 3. reg. 3. Item concordat l. scire. 21. in prin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Scire oportet magistratus, quòd curatrices minoribus mulieres non creabunt. *Item concordat l. 1. C. quando mulier tutelæ off. his uerbis:* Tutelam administrare uirile munus est, & ultra sexũ fœmineæ infirmitatis tale officium est. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi mater uel auia liberorum suorum tutelam gerat. Quæ replicatio approbatur Nouell. c. 118. §. hæc autem dicimus, his uerbis:* Mulieribus & nos tutelæ munera subire interdicimus, nisi mater aut auia sit. Nam his solis pro successionis hæreditariæ ordine tutelam subire permittimus, si apud acta tam secundis nuptijs, quàm Velleiani senatusconsulti auxilio renunciauerint. Hæc enim si obseruauerint, omnibus ex transuerso cognatis in tutela capessenda præferentur: eo quòd mulieribus tantummodò tutorum munera subire interdictum est, si mater aut auia non sit, solis testamentarijs tutoribus eas anteuertentibus: siquidem defuncti uoluntatem atque electionem præferri uoluimus. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi mater uel auia secundis nuptijs non renunciauerit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si apud acta tam secundis nuptijs, &c. *Concordat l. 2. C. quando mulier tutelæ officio fungatur, his uerbis:* Matres quæ amissis uiris tutelam administrandorum negociorum in liberos postulant: priusquam confirmatio officij talis in eas iure eueniat, fateantur actis sacramẽto præstito, ad alias se nuptias non uenire. Sanè in optione huiusce modi nulla cogatur, sed libera in cõditiones quas præstituimus, uoluntate descendat. nam si malunt alia optare matrimonia, tutelam administrare non debent. Sed ne sit facilis in eas post tutelam iure susceptam irruptio: bona eius primitùs, qui tutelam gerentis affecta uerit nuptias, in obligationem uenire, & teneri obnoxia rationibus paruulorum præcipimus: ne quid incuria, ne quid fraude depereat. *Concordat item l. ult. C. eod. tt. his uerbis:* Si pater secundum nostram cõstitutionem naturalibus liberis in his rebus quæ ab eo in eos profectæ sunt, tutorem non reliquerit, mater autem uoluerit eorum (siue sint masculi, siue fœminæ) subire tutelam: ad exemplum legitimæ sobolis liceat ei hoc facere, quatenus actis sub competente iudice interuenientibus, iuramentũ antea præstet, quòd ad nuptias nõ perueniat, sed pudicitiam suam intactam cõseruet, & renunciet senatusconsulti Velleiani præsidio, omniq; alij legitimo auxilio, suamque substantiam supponat: & ita filiorum suorum uel filiarum naturalium tutricem eam existere sancimus: omnibus quæ pro matribus & liberis earum ex legitimo matrimonio progenitis, diualibus constitutionibus cauta sunt, in huiusmodi matribus obseruandis. Si enim in filijs iustis, in quibus & testamẽtariæ & legitimæ sunt tutelæ, & tamen matribus, his deficientibus, ad prouidentiam filiorum suorum uenire conceditur: multò magis in his casibus, ubi legitima tutela euanescit, saltem alias eis dare, humanissimum est. *Secunda duplicatio est: Nisi non præstito iuramento mater secundis nuptijs renunciauerit. Hæc duplicatio approbatur quidem iure antiquo, ut ex iam propositis constat: mutatur autem & reprobatur iure nouo Nouell. c. 94. §. quia uerò, his uerbis:* Sancimus, ut omnis quidem illa obseruatio, quam in matribus custodimus, priore forma obtineat, & simul Velleiano senatusconsulto, omniq; alij auxilio renuncient, simul omnia agant quæ prius definita sunt. Iusiurandum uerò non præbeatur, sed sufficiat sola renũciatio, cùm de omnibus alijs, tum etiam de secundis facta nuptijs, nullo de hoc præstando iuramento. Simulatq; uerò secundis se nuptijs iunxerit, protinus à tutela depellatur, & eadẽ agantur, quę fortè etsi iurasset, semel in iudicio mentita, suæq; confessioni ac depositioni secundas præferens concupiscentias, sustineret. *Tertia duplicatio est: Nisi mater ad secundas uenerit nuptias. Hæc duplicatio approbatur uerbis iã propositis hisce:* Simul-

Simulatq; uerò ſecundis ſe nuptijs iunxerit, protinus à tutela depellatur. *Concordat Nouell.c.22.§.adhæc,uſq; ad §.placet,his uerbis:* Sancimus, ut mulieres,quæ denunciatione facta,non ſe ad ſecundas peruẽturas nuptias, mentiri decęterò auſæ fuerint,ultra iam receptas pœnas his etiam omnibus ſubdantur, quas ſuperius de mulieribus ante legitimum tempus luctus nubentibus recenſui mus, tam infamiam illis quàm omnia cætera inducentes: eandem eis pœnarum remiſsionem largientes,quam & illis,nempe ut preces principi offerant, & dimidiam bonorum ſuorum partem filijs aſsignent, ne uſu quidem fructu apud eas manente: & in ſumma, eodem illam loco propter nuptiarum deformitatem ponimus, cum ea quæ ante legitimum tempus luctus nupſit. Sed etſi naturalium liberorum tutelam gerat (dedimus etenim & hoc illi) tamen à uiro domum deducta, niſi eadem agat quæ antea diximus, ijſdem pœnis ſubiaceat. Prouideant autem per prouincias quidem gentium præſides, hic uerò glorioſiſsim. huius almæ urbis præfectus, unà cum prætore,cui ea res curæ eſt,ut ad nuptias animum adijciente tutelam gerente muliere,& tutorem pupillis conſtituant, & rationes ſuſcipiant: & quod mater adminiſtratæ tutelæ nomine debet, reſtitui faciant. *Concordat item duplicationi propoſitæ l.2. ibi: nam ſi malunt. C.quando mulier tutelæ off.ſung.cuius uerba uide paulò ſuperius dupl.1. Concordat denię d.l.2.§.fin. cuius uerba uide §.duplic.7. Quarta duplicatio eſt:Niſi mulier Senatuſconſulto Velleiano non renunciauerit.quæ duplicatio approbatur l.ult.ibi:& renunciet.C.d.tt.cuius uerba uide §.dupl.1. Concordat Nouell.c.118.§.hæc autem dicimus. cuius uerba uide §.ead.repl.in prin. Quinta duplicatio eſt: Niſi teſtamentarij ſint tutores. quæ duplicatio approbatur d.§.hæc autem dicimus,in fine. Concordat l.2.§.his illud. C.quando mulier tutelæ officio ſung. his uerbis:* His illud adiungimus, ut mulier, ſi ætate maior eſt,tunc demum petendæ tutelæ ius habeat, cum tutor uel teſtamentarius uel legitimus defuerit,uel priuilegio à tutela excuſetur, uel ſuſpecti genere ſubmoueatur, uel ne ſuis quidem pro animi aut corporis ualetudine adminiſtrãdis facultatibus idoneus inueniatur. *Concordat l.ult.§.fin.C.eod.tt. cuius uerba uide §. dupl.1. Sexta duplicatio eſt: Niſi legitimi ſuperſint tutores. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:*Vel legitimus defuerit,&c. *Concordat d.§. fin. Mutatur ac reprobatur duplicatio hæc Nouell.c. 118.§.hæc autẽ dicimus. ibi: hæc enim ſi obſeruauerint. cuius uerba uide §.ead.repl.in prin. Septima duplicatio eſt:Niſi mater tutrix eſſe nolit.quæ duplicatio approbatur d.l.2. §.fin.his uerbis:* Quòd ſi fœminæ tutelas refugerint, & præoptauerint nuptias: tunc demum uir illuſtris præfectus urbi,accito prætore,qui impertiendis tutoribus præſideat,ſiue iudices, qui in prouincijs iura reſtituunt, de alio ordine per inquiſitionem dari defenſores minoribus iubebunt. *Concordat Nouell.c.117.§.ſi imperfectæ,in fine. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.2.quæſt.1.in mutato iure,except.2. Hæc de uiceſimaprima exceptione.*

XXII. *Exceptio: Niſi miles tutor uel curator datus ſit. Hæc exceptio approbatur l.militiæ.4.C.qui dare tutores, his uerbis:* Militiæ armatæ muneribus occupatus, neq; ſi legitimus ſit, neq; ſi ex teſtamento datus fuerit, nec alio modo (etſi uoluerit) tutor uel curator fieri poteſt. Sed ſi errore ductus, res adminiſtrauerit, negociorum geſtorum actione cõuenitur. *Concordat Inſtit.de excuſat.tutor.§.idem & in milite, his uerbis:* Et in milite obſeruandum eſt, ut nec uolens ad tutelæ onus admittatur. *Planè iure antiquo miles tutor dari poterat uolens, inuitus autem excuſationem habebat.de qua re uide §.cap. 6.quæſt.1.cauſa 40.*

XXIII. *Exceptio: Niſi is qui in legatione eſt, tutor ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.ſcire oportet. 21.§.eos qui. ff.de tutoribus datis, hiſce uerbis:* Eos qui in legatione ſunt,nõ creent tutores uel curatores magiſtratus: quia per id tempus, quo in legatione ſunt,periculum ad eos nõ pertinet. Si præfectorium hominem, in legatione exiſtẽtem, Romanus princeps dederit tutorem,dimittetur.

XXIIII. *Exceptio:Niſi tutor datus à parente pupilli tutor eſſe prohibitus ſit. Hæc exceptio approbatur d.l.21.§.ſed & ſi quis,hiſce uerbis:*Sed & ſi quis à parentibus prohibitus fuerit tutor eſſe, neque creari hunc oportet: & ſi creatus ſit, nec recuſauerit, prohiberi eum eſſe tutorem,manente epitimia. *Concordat l.unica.C.ſi contra matris uoluntatem,his uerbis:*Si contra matris ultimam uoluntatem Fuſcinium filio communi tutorem datum probaueris:eum ſine damno exiſtimationis à tutela remouendum,prætor decernet:quæ reſcriptio,ſi in fraude conuictus fuerit, non ſuffragabitur. *Concordant ea quæ propoſita ſunt §.cap.2.quæſt. 6.reg.1.except.6.*

XXV. *Exceptio: Niſi is qui ſeipſum ingeſſit,tutor datus ſit. Hæc exceptio approbatur d.l.21.§.fin. ff.de tutoribus datis,hiſce uerbis:*Semper maximè hoc obſeruent magiſtratus, ne creent eos qui ſeipſos uolunt ingerere ut creentur, quiq; pecuniam dant. hos enim & pœnæ obnoxios eſſe,lege promulgatum eſt. *Huius exceptionis replicatio eſt in matre & auia pupilli, ut conſtat ex ijs quæ dicta ſunt §.excep.21.repl.1.*

XXVI. *Exceptio:* Niſi *is tutor datus ſit,ad quem periculum ex altero tutore pertinet. Hæc exceptio reprobatur l.Romanius.28. ff.d.tt. his uerbis:* Romanius Apulus à iudice appellauerat, dicens ſe non

ſe non debuiſſe dari in tutela collegam ei, quem ipſe,cum magiſtratus eſſet,nominaſſet ſuo periculo,ne in una tutela duplex periculum ſuſtineret. decreuit Imperator,poſſe quem & fideiuſſorem pro tutore eſſe, & nihilominus tutorem dari. Itaq; detentus eſt in tutela.

XXVII. *Exceptio:Niſi curialis illuſtri pupillo tutor ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.2.C.de tutoribus illuſtrium,his uerbis:* Generali lege proſpectum eſt,ne qui ad illuſtrium ſenatorum tutelam curialibus occupati neceſsitatibus nocentur.

XXVIII. *Exceptio: Niſi abſens tutor ſit datus. Hæc exceptio reprobatur l.illud.5.cum lege ſequente. ff.de tutorib.datis, hiſce uerbis:* Illud ſemper conſtitit,præſidem poſſe tutorem dare tam abſentem quàm præſentem, & tam præſenti quàm abſenti,necnon ignoranti & inuito.

XXIX. *Exceptio:* Niſi *cum pupillus à matre hæres ſcriptus eſſet ſub hac conditione, Si patris poteſtate fuerit ſolutus:emancipato pater tutor ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.ſcire oportet.21.§.1.ff.de tutorib. datis,hiſce uerbis:* Si mater ſub hac conditione ſcripſerit filios hæredes,Si ſoluti patris poteſtate fuerint:ſolutis his,& propter hoc hęredibus ipſe pater curator creari non poterit,etiamſi uoluerit:ut nõ alia uia hoc quod noluit teſtatrix,fiat. & hoc ita à diuo Seuero promulgatum eſt.

XXX. *Exceptio:Niſi plures tutores ſint dati.Hæc exceptio reprobatur l.ſimul.23.ff.de tutoribus datis,hiſce uerbis:* Simul plures tutores dari poſſunt. *Concordat l.1.§.etſi regẽdis. C.de tutoribus illuſtrium. cuius uerba uide §.except.1. Hactenus exceptiones ſecundi generis propoſitæ ſunt, deſumptæ ex perſona dati tutoris & curatoris. Sequitur tertium genus exceptionum,earum ſcilicet quæ ſumuntur ex perſona eius, cui tutor uel curator datus eſt.*

XXXI. *Exceptio: Niſi puberi tutor detur. Hæc exceptio approbatur l.Seiæ.26. ff.de tutoribus datis, hiſce uerbis:* Seiæ egreſſæ annos duodecim, decreto prætoris ex inquiſitione datus eſt tutor quaſi minori. quæro, an excuſare ſe deberet? Scæuola reſpondit, ſecundum ea quæ proponerẽtur,neq; excuſationem neceſſariam eſſe,neq; obligari quòd non gereret. *Planè curator puberibus rectè datur. quod replicationis loco notandum.quæ replicatio approbatur Inſtit.de curatoribus,in prin.his uerbis:* Maſculi quidem puberes, & fœminæ uiripotentes, uſq; ad uiceſimumquintum annum completum curatores accipiunt:quia licet puberes ſint,adhuc tamen eius ętatis ſunt, ut ſua negocia tueri non poſsint.

XXXII. *Exceptio: Niſi impuberi curator ſit datus. Hæc exceptio approbatur l.qui hab.3.in prin. ff.de tutelis, hiſce uerbis:* Qui habent tutorem,ſi furere cœperint, in ea cauſa ſunt, ut in tutela nihilominus durent. Quæ ſententia Quinti quoq; Mutij fuit, & à Iuliano probatur: eoq; iure utimur, ut ceſſet cura, ſi tutela ætas indigeat. Quare ſi tutores habent, per furorem in curam non rediguntur. Si uerò non habent, & furor eis acceſsit, nihilominus tutores accipere poterũt:quia lex XII. Tabularum ita accepta eſt, ut ad pupillos uel pupillas non pertineat. Quia autem in pupillorum perſona agnatos curatores nõ admittimus,idcirco putamus, etſi minorui gintiquinq; annis furioſus ſit,curatorem ei non ut furioſo,ſed ut adoleſcenti dari,quaſi ætatis ſit impedimentum. Et ita definiemus, ei quem ætas curæ uel tutelæ ſubijcit,non eſſe neceſſe quaſi deméti quæri curatorem: & ita Imp.Antoninus Auguſtus reſcripſit: cum magis ærati quàm dementiæ tantiſper ſit conſulendum. *Concordat l.curator.11.ff.de tutorib.datis, hiſce uerbis:* Curator pupillo uel pupillæ non datur, ſi tutor eorum adfuerit. *Propoſitæ exceptionis replicatio primæ hæc uidetur:Niſi pupillus ſit furioſus,mutus uel ſurdus. quæ replicatio in furioſo reprobatur d.l.3.in prin. reprobatur item in ſurdo l.muto.6.§.ſurdo.ff.eod.tt. his uerbis:* Surdo impuberi poterit tutor dari. *Concordat d.l.6.in prin. cuius uerba uide §.lib.prox. cap.7.quæſt.2.reg.1.excep.23. Secunda replicatio eſt: Niſi tutor impuberis non ſit idoneus. quæ replicatio approbatur Inſtit.de curatorib.§.interdum,his uerbis:* Interdum & pupilli curatores accipiunt:utputa ſi legitimus tutor nõ ſit idoneus:quoniam habenti tutorẽ tutor dari non poteſt. Item ſi teſtamento datus tutor,uel à prætore aut præſide, idoneus non ſit ad adminiſtrationem,nec tamen fraudulẽter negocia adminiſtret:ſolet ei curator adiungi. *Concordat l.ſolet.11.ff.de tutelis,hiſce uerbis:* Solet etiam curator dari aliquando tutorẽ habenti,propter aduerſam tutoris ualetudinem,uel ſenium ætatis:qui magis adminiſtrator rerũ, quàm curator eſſe intelligitur.Sed etiam actor tutelæ, quem ſolet prætor permittere tutoribus conſtituere,qui non poſſunt ſufficere adminiſtrationi tutelæ:ita tamẽ,ut ſuo periculo eum conſtituant. *Concordat item propoſitæ replicationi l.10.§.pen.ff.de excuſat. his uerbis:* Si quis etiam ita ægrotus fuerit,ut oporteat eum non omnino dimitti à tutela:in locum eius curator interim dabitur. Senatus autẽ hic rurſus recipiet tutelam.Sed & ſi quis in inſaniam inciderit,ſimilis eſt huic:& ita Vlpianus ſcribit. *Cõcordat item l.pietatis.6.ibi:quod ſi nihil.C.de ſuſpectis tutorib.cuius uerba uide §.cap.7. quæſt.2.cauſa 11. Tertia replicatio eſt: Niſi tutor furioſus ſit factus. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Sed & ſi quis in inſaniam inciderit,&c. *Concordat l.idem Vlpianus.12.in prin. ff.eod.tt,his uerbis:* Furor autem non in totum excuſat,

excusat,sed efficit ut curator interim detur. *Quarta replicatio est: Nisi minor uigintiquinq; annis tutor datus sit. Hæc replicatio approbatur l.10.§.si libertus.ff.de excusationib.his uerbis:* Si libertus impubes dabitur à patrono curator filijs suis, uel alius quicunque minor uigintiquinq; annis: donec quidem impubes fuerit, nec molestabitur:interim autem alter in locum eius creabitur curator.Similis est huic & legitimus tutor, si puberem esse contigerit. nam & in eius locum curator interim dabitur. *Quinta replicatio est: Nisi tutor solus administrationi non sufficiat. Hæc replicatio approbatur l. propter.3.C.in quibus causis tutorem habenti, his uerbis:* Propter latè diffusum,uel in diuersis locis constitutum patrimonium, uel quòd solus ad administrationem non sufficias, an tibi tutelam administranti adiungi aliquos curatores oporteat, præses prouinciæ, si te non sufficientem deprehenderit, æstimabit. *Concordat l.testam.ii.C.de excusat.tutorum, his uerbis:* Testaméto tutor datus, ut à bonis his excusareris, quæ pupilli tui in alia prouincia, quàm unde es, ubique moraris, possident, intra quinquagesimum diem postulare debuisti. Quod si facere cessasti,excusatio quidem temporis præscriptione submouetur: sed propter latè diffusum patrimonium an tibi adiungi aliquos curatores oporteat, præses prouinciæ, si te insufficientem deprehenderit, æstimabit. *Sexta replicatio est: Nisi tutor pupillo datus prouocauerit. Hæc replicatio approbatur l.cum in una.17.§.fin.ff.de appellationibus, his uerbis:* Tutor pupillo datus si prouocet, interim pupillo curator dabitur. Sed si tutoris authoritas fuerit necessaria, ueluti ad adeundam hæreditatem, tutor ei necessariò dabitur: quoniam curatoris authoritas ad hoc inutilis est. *Septima replicatio est:Nisi tutor datus,ad tempus se excuset. Hæc replicatio approbatur Inst.de curatorib.§.penult.his uerbis:* Loco tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus à tutela excusantur, solent curatores dari. *Concordat l.10. §. qui primipilum.ff.de excusationib.his uerbis:* Qui primipilum expleuit, si cum tutelam suscepisset & unius filium, rursus in militares necessitates assumptus erit, deponet sollicitudinem tutelę.Similiter in locum illius tutoris,quem postea sibi collegam adduxerit,dabitur curator, ut ait constitutio diui Seueri: quam adaptando rectè omnibus similibus capitulis, curatorem dare licet in locum eorum qui temporis uacationem recipiunt. *Concordat item Inst.de excusationibus.§.item qui reipubl.cuius uerba uide j.cap.6.quæst.1.causa 38. Octaua replicatio est: Nisi inter tutorem & pupillum lis sit. ad eam enim litem pupillo curator est dandus. quæ replicatio approbatur Inst.de author.tutor.§.fin.his uerbis:* Si inter tutorem pupillumq; iudicium agendum sit (quia ipse tutor in rem suam author esse non potest) non prætorius tutor (ut olim) constituitur, sed curator in locum eius datur: quo curatore interuenente,iudicium peragitur: & eo peracto, curator esse desinit. *Concordat l.2.C.de in litem dando tutore,his uerbis:* An tibi partis fundi paterni uindicatio competat, is cuius de ea re notio est,æstimabit. Respicere autem debes officium,in quo te esse tutorem dicis:ne ob eiusmodi petitionem euictione secuta, ultra precij quantitatem authoris hæredem pupillum tuum oneres, qui laudatus per te defendi debeat: cum aut compensationis rationem habere, aut contrario tutelæ iudicio experiri possis.Sed ne tuum ius,si quod habes,impediatur: ad eam rem defendendam, quæ aduersus te uindicantem agenda erit,curatores pupillo petantur. *Item concordat l.ult.C.eod.tt.his uerbis:* Siue ex testamento,siue ex iure legitimo,fratris tui filiorum tutelæ onus ad te pertineat:uereri non debes de his quæstionibus, quas aduersus fratrem quondam fuisse tibi dicis: cum si qua emerserit lis,procuratore dato,& illis curatore ad litem constituto, & solemnitati iuris (ubi tutor exigitur) & indemnitati utriusq; prospici possit. *Concordat item l.qui habet. 3.§.si pupillus.ff.de tutelis, hisce uerbis:* Si pupillus pupilláue cum iusto tutore litè agere uult, & curator in eam rem petitur: utrum ipsis poscentib. datur, an uerò & aduersario? & sciendum est (siue agant, siue conueniátur) dari his hunc curatorem posse, licet non aliàs, quàm si ipse petat, cui dari eum oportet. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est:Nisi alius quàm pupillus curatorem in litem petierit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Licet nō aliàs,quàm si ipse petat,cui dari eum oportet. *Concordat d.l.2.§.deniq;. cuius uerba uide j.dupl.prox. Planè pupillus petere nolens, cogitur à prætore.quod approbatur ibidem,hisce uerbis:* Cassius ait, Si pupillus curatorem poscere non uult,quo minus cum eo agatur: cogi eum à prætore debuisse. *Plura de hac re uide j. capite prox.quæst.2.reg.2. Secunda duplicatio est:Nisi absens curator in litem datus sit. Hæc duplicatio approbatur d.l.3.§.deniq;,his uerbis:* Cassius lib.v I.scribit, talem curatorem neminem dari posse, nisi præsentem:neq; cuiquam,nisi præsenti & postulanti.Itaq; infanti non potest dari. *Tertia duplicatio est: Nisi absenti uel infanti curator in litem sit datus.Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis. Planè hoc casu actor est constituendus.de qua re uide j.except.prox.in fine,duplic.generali 3. Quarta duplicatio est:Nisi non debito loco uel tempore curator in litem sit datus. Hæc duplicatio reprobatur d.l.3.§.penult.his uerbis:* Quolibet loco & tem-

& tempore hunc curatorē dari posse,Pomponius lib.XVI. ad Sabinū scripsit. *Quinta duplicatio est: Nisi alij quoq; tutores sint,quàm is cū quo pupillo lis est. Hæc duplicatio approbatur l.si plures.24.ff.de testam.tutela,his uerbis:* Si plures tutores dari sint à prætore, curatorem poscilitis causa,superuacuum est: quia altero tutore authore,cum altero agi potest. *Concordat l.2.C.de in litem dando tutore,his uerbis:* Si quas petitiones aduersus pupillos tuos habes, dirigere eas potes, adsistētibus causam quę defendentibus contutoribus tuis: cum etsi alios non haberent tutores, ad hoc genus litis defendendæ curatores accipere deberent. *Sexta duplicatio est: Nisi alius in litem curator sit datus.quæ duplicatio approbatur l.cum semel.5. ff.de tutelis,hisce uerbis:* Cum semel petitus est talis curator: quamdiu is curator manet,alius in eandem litem curator peti nō potest. *Septima duplicatio est: Nisi in diuersas lites idem curator sit datus. Hæc duplicatio reprobatur d.l.5. his uerbis:* Si Titius (uerbi gratia) aduersus Seium curator petitus sit: idem Titius & aduersus alium curator esse poterit, ut ex diuersis causis unus duorum curatorum locum obtineat. Quod quidem & aduersus eundem accidet,si in diuersas lites & diuersis temporibus idem petatur. *Concordat l.qui habent.3.§. fin.ff.d.tt.de tutelis,hisce uerbis:* Si pupillus petat talem curatorem, necaddat in quam rem:an in omnes cōtrouersias datus sit? & ait Celsus, Seruium constituisse, in omnes res datum uideri. *Concordat item l.quod dicitur.4.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Quod dicitur,si indistinctè datus sit curator,in totam litem datum uideri:fortasse eò spectat, si familiæ erciscundę,aut cōmuni diuidundo,aut finium regundorū actio esset cum tutore,& indistinctè datus esset, nō solùm eo nomine curator esset, quo ageret pupillus pupilláue: sed inuicem quoq;,quo cum his ageretur. *Concordat item d.l.4.§.fin.cuius uerba uide j.proximè. Octaua duplicatio est: Nisi unus in plurium locum curator datus sit,uel contrà. Hæc duplicatio reprobatur d.l.4.§.fin. his uerbis:* Possunt autē uel plures in plurium locum, uel unus in pluriū,uel unus unius loco,uel in unā litem,uel in plures curator peti. *Nona duplicatio est:Nisi tutor pupillo status controuersiam moueat. quæ duplicatio approbatur l.idē fiet.27.§.fin.ff.de testtutela,his uerbis:* Cum ipse patruus,quē tutorem legitimū sibi dicebat pupillus esse,subiectū filium criminaretur, & ad se legitimā hęreditatem pertinere contēderet: aliū tutorem petendum, Iulianus respondit. *Hæc de octaua replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Nona replicatio est: Nisi uentri curator detur. quæ replicatio approbatur l.uentri.20.in prin.ff.de tutoribus datis,hisce uerbis:* Ventri tutor à magistratibus populi Romani dari non potest, curator potest: nam de curatore constituendo edicto comprehensum est. *Decima replicatio est:Nisi ad augmenta curator detur. Hæc replicatio approbatur l.quoties.8.§.fin.ff.de administr. tutor. cuius uerba uide infrà lib.proxim. cap.9. quæstion.2. except.15.*

Duplicatio præcedentium replicationum generalis.

Hactenus propositæ exceptionis, qua dicitur curatorem impuberi dari non posse, replicationes enumeratæ sunt:quarum duplicatio generalis hæc est: Nisi actus solennitatem iuris desideret,& authoritas ei quod gerit pupillus,sit adhibenda. Ad hoc enim non curator, sed tutor dandus.quæ duplicatio approbatur l.curatorem.19.ff.de author.tutor. his uerbis: Curatorem etiam impuberi dari posse, Paulus ait: sed ad ea quæ solennitatem iuris desiderāt explicanda,tutore authore opus esse. *Concordat l.cum in una.17.§.fin.ff.de appellationibus. cuius uerba uide §.repl.6. Concordat item l.siue.5.in fine. C.de in litem dando tutore. cuius uerba uide §.repl.8. in prin. Plures duplicationes uide j.except.prox.in fine. Hæc de exceptione tricesimasecunda.*

XXXIII. *Exceptio:Nisi tutorem habenti tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur l.tutor.10.ff.de tutoribus datis,hisce uerbis:* Tutor si petitus fuerit habenti,& absente eo quasi nō habenti datus sit, datio nulla est. Nam & si quoquo modo in petitione tutoris erratū fuerit in facti causa, maximè post constitutionem diuorum fratrum, nō ualet tutorum datio. *Concordat Institut.de curatoribus. §.interdum. cuius uerba uide §.except.prox.repl.2. Item concordat l. idem fiet.27.in prin. ff.de testamen.tutela. cuius uerba uide §.cap.2.quæst.1.except.3.Concordat item l.cum iure.9.C.qui petant tutores. cuius uerba uide j.cap.proxim.quæst.5.reg.3.except.1. Item concordat l.si sororis.9.C.qui dare tutores, his uerbis:* Si sororis tuæ filijs,tutore legitimo patruo cōstituto, nec ullo excusato priuilegio, tutor datus es: cū habenti tutorem,alium dari iura prohibeant,necessitatem administrationis ad eum pertinere, nec te datione teneri, non ambigitur. *Item concordat l.2.§.quod tamen.C.de tutoribus illustrium.cuius uerba uide §.except.1. Item concordat Instit. de Attiliano tutore, in prin. cuius uerba uide §.d.except.1. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutor alius appellauerit.quæ replicatio approbatur l.2.ff.de tutoribus datis,hisce uerbis:* Cum quidā tutores dati appellassent, quidam autem non adessent: diuus Pius rescripsit, dandum temporarium tutorem,qui tutela fungeretur. *Concordat l.cum in una.17. §. fin. ff.de appellat. cuius uerba uide §.except.prox.replic.6. Secūda replicatio est:Nisi dies aut cōditio,sub qua alius tutor datus est,adhuc pendeat.quæ replicatio approbatur Instit. de Attiliano tutore. §. 1. his uerbis:* Sed & si in testamento tutor sub cōditione

aut ex die certo datus fuerat: quamdiu cõditio aut dies pendebat, ex lege Iulia & Titia tutor dari poterat. Item, si purè datus fuerat: quamdiu ex testamento nemo hæres existebat, tamdiu ex ijsdem legibus tutor petendus erat: qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies uenerat, aut hæres extiterat. *Concordat l. si quis. 11. in prin. ff. de testam. tutela. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. except. generali 1. replic. 3.* Tertia replicatio est: Nisi tutore alio testamẽto dato, hæreditas ex testamento nõ sit adita. *quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Item, si purè datus fuerat: quamdiu ex testamẽto nemo hæres existebat, tamdiu ex eisdem legibus tutor petendus erat, &c. *Concordat l. si hæred. 10. in prin. ff. de test. tutela, his uerbis:* Si hæreditas nondum adita sit, ex qua tutor speratur: uerius est, alium tutorem dari posse, quasi nondũ sit, nec speretur. Quarta replicatio est: Nisi *alius tutor reipubl. causa abfit. Hæc replicatio approbatur l. in omnem. 25. cum lege sequẽte. ff. de tutorib. datis, hisce uerbis:* In omnem rem tutor dandus est in eius tutoris locum, qui reipublicæ causa abfuit: nec ille desinit tutor esse. quod & in omnibus qui ad tẽpus excusantur, iuris est. Quinta replicatio est: Nisi *alius tutor ad hostes peruenerit. Hæc replicatio approbatur Inst. de Atiliano tutore. §. ab hostibus, his uerbis:* Ab hostibus quoq; tutore capto, ex lege Iulia & Titia tutor petebatur: qui desinebat esse tutor, si is qui captus erat, in ciuitatẽ reuersus fuerat. nam reuersus recipiebat tutelã iure postliminij. *Concordat l. si quis. 15. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Si quis tutor non sit captus ab hostibus, sed ad eos quasi legatus missus, aut etiam receptus ab eis, aut transfugerit: quia seruus non efficitur, tutor manet: sed interim à præsidibus alius tutor dabitur. Sexta replicatio est: Nisi *alius tutor sese excusauerit, uel remotus sit, uel decesserit, uel deniq; sit relegatus. Hæc replicatio approbatur l. licet. 4. C. in quibus causis tutorem habẽti, his uerbis:* Licet tutorem habenti tutor dari non potest: tamen ex certis causis alius idoneus substitui sententia competentis iudicis solet: scilicet in locum suspecti, qui conuictus ac remotus est, & in locum excusati, uel defuncti, uel relegati tutoris. *Concordat l. in locum. 3. C. qui petant tutores, his uerbis:* In locum tutoris defuncti, uel in perpetuum relegati, alium dari tutorem filijs tuis idoneum ex eadem prouincia, à iudice competente postula, qui secundum officium suum utilitatibus eorum prouidebit. *Concordat item l. 2. in fine. C. de suspectis tutoribus. cuius uerba uide §. cap. 7. quæst. 2. causa 6. Concordat item l. præses. 3. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. causa 6. Concordat item l. pietatis. 6. §. 1. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæstion. 2. causa 11. Item concordat l. cum furiosus. 7. §. penult. C. de curatore furiosi, his uerbis:* Si curator furiosi secundum nostram legem nomi natus decesserit, sub eodẽ modo eadem q; ordinatione alius creabitur: quemadmodum & si suspectus reperiatur, alter subrogetur. quod & ueteribus legibus placuit. *Concordat item l. nec ille. 16. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide §. repl. 4.* Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi post tempus constitutum sese excusauerit. *quæ duplicatio approbatur l. 13. §. consequens, in fine. ff. de excusationibus. cuius uerba uide §. cap. 6. quæst. 1. causa 53. except. 5.* Septima replicatio est: Nisi alius tutor pupillo status controuersiam mouerat. *quæ replicatio approbatur l. idem fiet. 27. §. fin. ff. de testamen. tutela. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 8. dupl. 9.* Octaua replicatio est: Nisi res pupilli in diuersis prouincijs sint sitæ. *Hæc replicatio approbatur l. propter. 21. §. fin. ff. de excusationib. his uerbis:* Licet datus tutor, ad uniuersum patrimonium datus est: tamen excusare se potest, ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat, nisi in eadem prouincia patrimonium pupilli sit. Et ideo illarum rerum dabunt tutores in prouincia præsides eius. Necsenatores ultra centesimum lapidem urbis tutelam gerere coguntur. Habenti ergo tutorem tutor datur, sed aliarum rerum, nõ earundem. *Concordat l. 2. C. de excusationib. tutor. his uerbis:* Si curatores dati estis generaliter, nec decreto significatum est, Italicarum tantùm rerum uobis munus iniunctum: adire debetis cõpetentem iudicem, ut uos à prouinciali administratione liberet. Quod si actum fuerit, petent sibi in prouincia curatores adolescentes. *Concordat item l. pupillo. 27. in prin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Pupillo qui tam Romę quàm in prouincia facultates habet, rerum quæ sunt Romæ prætor, prouincialium præses tutorem dare potest. Nona replicatio est: Nisi testator pupillo duos diuersis temporibus tutores dederit. *Hæc replicatio approbatur l. 12. C. de testamentaria tutela. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 1. except. 24. repl. 1. Concordat l. si nemo. 29. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 1. except. 28.* Decima replicatio est: Nisi curator detur tutorem habẽti. *Hæc replicatio admittitur in quibusdam casibus, quos enumerauimus §. except. prox.* Vndecima replicatio est: Nisi curator detur curatorem habenti. *Hæc replicatio approbatur l. uentri. 20. in fine. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Curatorem habenti, quo minus alius curator detur, regula iuris non est impedimento. Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi simpliciter, non causa cognita curator detur curatorem habenti. *quæ duplicatio approbatur l. curatorem. 10. C. qui dare tutores, his uerbis:* Curatorem habẽti nec adiungi, nisi causa cognita, nec in locum eius aliũ substitui, nisi antè priore remoto, ambigui iuris non est. Te quoq; absuturũ damni quod medio tempore

pore negocijs pupillaribus cõtigit, esse successaneum: cum actorem periculo tuo constituere debueras: nec iure magistratum in absentia tua alium creasse, certum est.

Duplicationes præcedentium replicationum generales.

Iam enumeratarum replicationum duplicatio prima hæc uidetur esse: Nisi pupillus plures habeat tutores. tunc enim uno ex ijs defuncto, remoto, relegato, uel reipublicæ causa absente, non uidetur alius in locũ eius substituendus. *Hæc duplicatio reprobatur l. 2. C. in quibus casibus tutorem habenti, his uerbis:* Potuit quidem & debuit competens iudex in locum excusati tutoris, licet pupillus alios quoque haberet tutores, curatorem dare. *Concordat l. ex sententia. 29. ff. de test. tutela. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 1. except. 28. Secunda duplicatio generalis est: Nisi causa, ob quam tutor substitutus uel adiunctus est, sit finita. Hæc duplicatio approbatur per ea quæ habentur §. cap. 8. causa 18.* Tertia duplicatio est: Nisi alius tutor *in suis negocijs absens sit, uel ob aliam aliquam causam tutelam gerere non possit, quæ excusationem non meretur. tunc enim nec tutor neque curator debet substitui, sed actor periculo tutoris dari. quæ duplicatio approbatur l. curatorem. 10. in fine. C. qui dare tutores. cuius uerba uide paulò superius replicat. 11. Concordat Institut. de curatoribus. §. fin. his uerbis:* Quòd si tutor aduersa ualetudine, aut alia necessitate impediatur, quò minus negocia pupilli administrare possit, & pupillus uel absit, uel infans sit: quem uelit actorem, periculo ipsius tutoris, prætor, uel qui prouinciæ præerit, decreto constituet. *Concordat item l. solet. 13. in fine. ff. de tutelis. cuius uerba uide §. except. proxim. replic. 2. Item concordat l. unica. C. de actore à tutore, his uerbis:* Si sui iuris constituti filij tui matri successerunt, licet tutorem eorum esse probetur: tamen non per procuratorem, sed actorem decreto constitutum à te, res eorum te absente peti conuenit. *Concordat item l. decreto. 23. ff. de administr. tutorum, his uerbis:* Decreto prætoris actor constitui periculo tutoris solet, quoties aut diffusa negocia sunt, aut dignitas, uel ætas, aut ualetudo tutoris id postulat. Si tamen nondum fari pupillus potest, ut procuratorem facere possit, aut absens sit: tunc actor necessariò constituendus est. *Hisce uerbis posterioribus aliæ causæ actoris constituendi proponuntur, absentia scilicet, & infantia pupilli: quibus duobus casibus curator ad litem pupillo constitui non potest. de qua re dictum §. exception. proxim. replic. 8. duplic. 2. & 3.*

XXXIIII. Exceptio: Nisi maiori uigintiquinq; annis curator datus sit. *Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est:* Nisi ei qui rebus suis superesse non potest, curator detur. *Hæc replicatio approbatur l. his qui. 12. in prin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* His qui in ea causa sunt, ut superesse rebus suis non possint, dare curatorem proconsulem oportebit. *Concordat l. 2. ff. de curatoribus furioso, his uerbis:* Sed & ijs dabit proconsul curatores, qui rebus suis superesse non possunt. *Concordat item Institut. de curatoribus. §. sed & mente, his uerbis:* Sed & mente captis, & surdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant (quia rebus suis superesse nõ possunt) curatores dandi sunt. *Sed & propositæ replicationis species sunt replicationes sequentes.* Secunda autem replicatio est: Nisi furioso curator sit datus. *quæ replicatio approbatur Instit. de curatorib. §. furiosi, his uerbis:* Furiosi quoque & prodigi, licet maiores uigintiquinque annis sint, tamen in curatione sunt adgnatorum, ex lege XII. tabularum. Sed solent Romæ præfectus urbi uel prætores, & in prouincijs præsides ex inquisitione eis curatores dare. *Concordat l. nec mãdante. 8. §. fin. ff. de tutorib. datis, hisce uerbis:* Furioso & furiosæ, & muto & surdo tutor uel curator à prætore uel præside dari poterit. *Concordat item l. 1. C. de curatore furiosi. cuius uerba uide §. replic. 4.* Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi furiosus in patris sui sit potestate. *Hæc replicatio approbatur l. cum furiosus. 7. in princ. C. de curatore furiosi, his uerbis:* Cum furiosus quem morbus detinet, in sacris perpetuis parentis sui constitutus est, indubitatè curatorem habere non potest: quia sufficit ei ad gubernationem rerum, quæ ex castrensi peculio, uel aliter ad eum pertinerent, & uel ante furorem adquisitæ sunt, uel in furore obuenerunt, uel in ijs quorum proprietas ei tantũmodò competit, paterna uerecundia. Quis enim talis affectus extraneus inueniatur, ut uincat paternum? uel cui alij credendum est res liberorum gubernandas, parentibus derelictis? Licet Tertullianus, iurisantiqui interpres, libro singulari, quem de castrensi peculio condidit, tali tractatu proposito uideatur obscurè eandem attingere sententiam: tamen nos hoc apertissimè introduximus. Secunda duplicatio est: Nisi sine causæ cognitione curator furioso uel simili sit datus. *quæ duplicatio approbatur l. obseruare. 6. ff. de curatoribus furioso, his uerbis:* Obseruare prætorem oportebit, ne cui temerè citra causæ cognitionem plenissimam curatorem det: quoniam plerique uel furorem, uel dementiam fingunt, quò magis curatore accepto, onera ciuilia detrectent. Tertia duplicatio est: Nisi furiosus sanæ mentis sit factus. *quæ duplicatio approbatur l. 1. §. penult. ff. d. tt. cuius uerba uide §. repl. 4. Hæc de secunda replicatione.* Tertia replicatio est: Nisi mutus, uel surdo, uel ei qui perpetuo morbo laborat, curator sit datus. *quæ replicatio approbatur*

Institut. de curatoribus. §. sed & mente. cuius uerba uide ẽ. repl. 1. Concordat l. nec mandante. 8. §. fin. ff. de tutor. datis. cuius uerba uide ẽ. replic. prox. in prin. Planè si impubes sit mutus uel surdus, non curator, sed tutor illi dandus. quod approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ. except. 12. replic. 1. Quarta replicatio est: Nisi prodigo curator sit datus. Hæc replicatio approbatur l. 1. ff. de curatoribus furioso, his uerbis: Lege XII. tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio. Quod moribus quidem ab initio introductum est. Sed solent hodie prætores uel præsides, si talem hominem inuenerint, qui neque tempus, nec finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, curatorem ei dare, exemplo furiosi: & tamdiu erunt ambo in curatione, quamdiu uel furiosus sanitatem, uel ille sanos mores receperit. Quod si euenerit, ipso iure desinunt esse in potestate curatorum. *Concordat l. his qui. 12. §. fin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Diuus Pius matris querelam de filijs prodigis admisit, ut curatorem accipiant, in hæc uerba: Non est nouum, quosdam, etsi mentis suæ uidebuntur ex sermonibus compotes esse: tamen sic tractare bona ad se pertinentia, ut nisi subueniatur his, deducantur in egestatem. Eligendus itaque erit qui eos consilio regat: nam æquum est, prospicere nos etiam eis, qui quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum. *Concordat item l. 1. C. de curator. furiosi, his uerbis:* Curatores, impleta legitima ætate, prodigis uel furiosis solent tribui. *Item concordat institut. de curatoribus. §. furiosi. cuius uerba uide ẽ. replic. 2. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi magistratus illum non iudicet esse prodigum, nec ei bonis interdicat. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius triplicatio hæc est: Nisi pater in testamento filio tanquam prodigo curatorem dederit. quæ triplicatio approbatur l. si furioso. 16. §. his consequens. ff. de curatoribus furioso. cuius uerba uide ẽ. cap. 2. quæst. 1. except. 5. replic. 1. Altera duplicatio est: Nisi prodigus ad meliorem mentem redierit. quæ duplicatio approbatur l. 1. §. penult. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò supertùs hac replic. in prin. Tertia duplicatio est: Nisi fœmina sit prodiga. Hæc duplicatio reprobatur l. & mul. 15. in prin. ff. de curatorib. furioso, his uerbis:* Et mulieri quę luxuriosè uiuit, bonis interdici potest. *Quinta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi uentri curator sit datus. Hæc replicatio approbatur l. uentri. 20. in princ. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide ẽ. except. 32. repl. 9. Concordat l. bonorum. 8. ff. de curator. furioso. cuius uerba uide ẽ. lib. proxim. cap. 1. quæst. 1. exception. 2. Sexta replicatio est: Nisi bonis absentis uel debitoris curator detur. de quare uide infrà capite 9. Hæc de tricesimaquarta exceptione.*

XXXV. Exceptio: *Nisi is qui in patris est potestate, tutor uel curator sit datus. Hæc exceptio approbatur l. cum furiosus. 7. in princ. C. de curatore furiosi, cuius uerba uide ẽ. except. prox. replic. 2. dupl. 1. Concordat Institut. de tutelis, in prin. his uerbis:* Ex his personis, quæ in potestate non sunt, quædam uel in tutela sunt, uel in curatione, quedam neutro iure tenentur. *Propositæ exceptionis replicatio prima est, quoad eas res, quæ ita ijs qui in potestate parentum sunt, relinquuntur, ne parens in ijs usumfructum, aut aliam communionem habeat. quæ replicatio approbatur Nouell. const. 117. §. si imperfecta. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. mutatione iuris, except. 2. Secũda replicatio est: Nisi pater in hostium sit potestate. Hæc replicatio reprobatur l. muto. 6. §. ei cuius ff. de tutelis, hisce uerbis:* Ei cuius pater in hostium potestate est, tutorẽ dari non posse, palàm est. Sed si datus sit, an in pendenti sit datio, quæri potest? & non puto dationem ualere. Sic enim post patris regressum recidit in potestatem, atq; si nunquam pater ab hostibus captus fuisset. Imò curator substantiæ dari debet, ne medio tempore pereat.

XXXVI. Exceptio: *Nisi ei cuius pater apud hostes est, tutor uel curator sit datus. Hæc exceptio approbatur per ea quæ iam sunt proposita.*

XXXVII. Exceptio: *Nisi seruo tutor uel curator sit datus. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi de statu suo litiget, quæ replicatio approbatur l. ei qui. 17. ff. de tutor. datis, hisce uerbis:* Ei qui de statu suo litigat, tutorem dari posse, Pomponius scribit, & uerum est: ut ita demum teneat datio, si liber est. *Concordat l. 1. C. qui dare tutores, his uerbis:* Cum tibi in eadem ætate cõstituto, ut si de statu tuo constaret, per tutores uel curatores negocia tua administrari deberent, liberatis controuersiã fieri alleges: non ideo oportuit impediri, quo magis liberali causa ordinata (quia interim pro libero haberis) curator tibi daretur, per quem defendi causa tua potest. *Secunda replicatio est: Nisi cum seruo libertas simul & hæreditas per fideicommissum relicta esset, instituto hæreditatem adire nolit. quæ replicatio approbatur l. si impub. 13. in prin. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Si impuberi libertas & hæreditas per fideicommissum data sit, & institutus adire nolit: senatus censuit, eũ (si impuberis nomine desideretur) adire cogendum: ut tamen pupillo pupillæue tutor ab eo cui ius dandi erit, detur: qui tutelam retineat, quoad restituatur hæreditas, & rem saluam fore ab hærede caueatur. Postea autem diuus Hadrianus, ut idem in eo seruetur, quod in eo cui directa libertas data fuerit, rescripsit.

XXXVIII. Exceptio: *Nisi absenti tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l. illud. 5. in fine. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide ẽ. except. 28.*

XXXIX. Ex-

XXXIX. Exceptio: *Nisi ignoranti & multo curator sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. necnon. 6. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide ẽ. d. except. 28. Planè admittitur exceptio proposita in adultis minoribus uigintiquinq; annis. quæ distinctio approbatur sub conditione inst. de curatorib. §. item multi, his uerbis:* Inuiti adolescentes curatores non accipiunt, præterquá in litem. curator enim & ad certam causam dari potest.

XL. Exceptio: *Nisi non personæ, sed rei uel causæ tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. cap. 2. quæst. 1. except. 16. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi rei Italicæ, Africanæ uel simili tutor detur. quæ replicatio approbatur d. except. 16. Secunda replicatio est: Nisi ad adeundam hæreditatem tutor sit datus. Hæc replicatio approbatur l. impub. 9. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Impuberi ad hæreditatẽ adeundam ut tutor detur, ex causa permissum est. *Concordat l. si impuberi. 13. in princ. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 37. repl. 2. Concordat l. cũ in una. 17. in fine. ff. de appellationib. cuius uerba uide ẽ. except. 32. repl. 6. Tertia replicatio est: Nisi non tutor, sed curator sit datus. quæ replicatio approbatur instit. de curatoribus. §. item multi. cuius uerba uide ẽ except. proxim. in fine. Concordat l. nõ tantùm. 7. ff. de tutor. datis, hisce uerbis:* Non tantùm ad dotem dandã nuptura curatorem dari oportet, uerùm etiam ei quæ iam nupta est. Sed & ad dotem augendam datur, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest. *Huius species est curator bonis datus. de quo uide ĩ. eod. lib. cap. ult. Hactenus tertij generis exceptiones enumeratæ sunt, desumptæ ex persona eius cui tutor uel curator est datus. sequuntur reliquæ exceptiones ex alijs huiusmodi circumstãtijs desumptæ.*

XLI. Exceptio: *Nisi ex tempore uel sub conditione tutor sit datus. Hæc exceptio approbatur l. actus. 77. ff. de reg. iuris, cuius uerba uide ĩ. lib. 48. capite 13. quæst. 5. except. 15. Concordat l. muto. 6. §. sub conditione. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Sub cõditione à præsidibus prouinciarum non posse dari tutorem, placet: & si datus sit, nullius esse momenti dationẽ. & ita Pomponius ait. Hanc autem adiectionem, quam præsides prouinciarum faciunt, Tutorem do, si satisfecerit; non conditionem in se habere, sed admonitionem, no scilicet aliter ei tutelam committi, quàm si rem pupillo saluam fore cauerit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi sub hac conditione, Si satisfecerint, tutores sint dati. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Hanc autem adiectionem, &c. *Secunda replicatio est: Nisi dies aut conditio tacitè insit, non expressè. quæ replicatio approbatur d. l. 77. §. nonnunquam tamẽ. cuius uerba uide d. except. 15. Tertia replicatio est: Nisi in testamento tutor ex die uel sub conditione sit datus. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. cap. 2 quæst. 1. except. 19.*

XLII. Exceptio: *Nisi die feriato tutor datus sit. Hæc exceptio reprobatur l. nec mandante. 8. §. pen. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Dari tutor omni die potest.

XLIII. Exceptio: *Nisi sine inquisitione & causæ cognitione tutor uel curator sit datus. quæ exceptio approbatur l. obseruare. 6. ff. de curatorib. furioso. cuius uerba uide ẽ. except. 34. repl. 2. dupl. 2. Plura de hac re uide ẽ. cap. 2. quæst. 6. reg. 3.*

XLIIII. Exceptio: *Nisi petitio tutoris ab eo à quo debet, non sit facta. De hac re dictum ĩ. cap. prox. quæst. 2. Sed & approbatur l. quod dicis. 6. C. qui dare tutores. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 2. except. 1.*

XLV. Exceptio: *Nisi in petitione tutoris sit error tum. Hæc exceptio approbatur l. tutor. 10. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide ẽ. except. 33. in prin. Hactenus exceptiones aduersus dationẽ tutoris & curatoris sunt propositæ.*

III. EVENTVS ET CONSEQVENtia tutoris dationem.

I. Regula, *De nunciando absenti quòd tutor sit datus, proponitur l. ult. ff. de tutoribus datis, hisce uerbis:* Si peregrè agant qui tutores dati sunt, utintra dies triginta norum his à magistratibus fiat, diuus Marcus rescripsit. *Concordat l. 13. §. qui autem suprà. §. ff. de excusationibus tutorum. cuius uerba uide ĩ. cap. 6. quæst. 4. reg. 1.*

II. Regula: *De excusationib. opponendis, de cautione exigenda, & similibus dicetur in sequentibus.*

DE TVTORE ET CVRATOre petendo. Cap. V.

ANtequam locũ hũc de causis tutelæ & curæ efficientib. concludamus, pauca etiam de petendo tutore & curatore nobis sunt dicẽda. Est enim petitio hæc causa, sine qua non constituitur tutor uel curator.

I. CAVSAE EX QVIBVS PETItio tutorum & curatorum competit.

Si cui omnino nullus tutor est, uel est quidem, sed ex die aut sub cõditione datus, aut reipublicæ causa abest, &c. De hisce atque huiusmodi alijs causis uide ẽ. cap. prox. except. 12. & except. 33.

II. QVIBVS PETITIO TVTORVM & curatorum competit

I. Regula, *De ipso minore cui curator est dandus. Hic sibi ipsi petet. quæ regula approbatur l. 2. §. curatores. ff. qui petant tutores, his uerbis:* Curatores minores sibi ipsis petent, siquidem adfuerint, per seipsos: si autem abfuerit aliquis eorum, petet per procuratorem. *Concordat l. 1. C. eod. tt. his uerbis:* Admone adolescentem, aduersus quem uis consistere, ut curatores sibi dari postulet, cum quibus secundũ iuris formam cõsistas. Qui si in petendis hic cessabit, potes tu competentem iudicẽ adire, ut in dandis curatoribus officio suo fungatur. *Concordat l. matris. 6. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide infrà quæst. 5. reg. 3. except. 10. Propositæ*

regulæ exceptio hæc est: Nisi impubes sit. quæ exceptio approbatur l.2.ff.de tutelis, hisce uerbis: Non est exigendum à pupillo, ut sibi tutorem petat, aut ut ad tutorem suum proficiscatur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: N si cum inter pupillum & tutorem lis esset, in eam litem curator sit petendus. quæ replicatio approbatur l.qui habent.3.§ si pupillus.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.cap.prox.except.32.replic.8.in prin.*

II. *Regula, De alio quàm minore. Alij petitio curatoris nõ competit. quæ regula approbatur l.2.§.fin. ff.qui petant tutores, hisce uerbis:* An autem alius curatorem petere posit minori, quæsitum est? & Vlpianus egregiè ita scribit, nõ decere alium ei petere, sed ipsum sibi ipsi. Et apud Paulum lib. IX. Responsorum ita relatum est, Curatorem ignorante, nec mãdante pupillo, non rectè ei à tutore petitũ uideri, periculumq; eorum quæ curator nõ iure datus gessisset, non sine ratione eum qui petijsset, cogendum agnoscere. Sed & alia parte eiusdem libri ita respõdit, Si matris iudicium princeps secutus, curatores filiæ eius dederit, periculum administrationis eorum eam respicere debere. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi minor adhuc impubes sit. tunc enim alij, puta cognati, adfines, amici, &c. ad petitionem admittuntur. quæ exceptio approbatur d.l.2.in princ. his uerbis:* Si minores non habent eos qui ex legibus defensores sint: si quidem tutoribus indigent propter ætatem, possunt eis petere tutores constitui cognati, & qui adfinitate iuncti sunt parentibus, tam masculis quàm fœminis, possunt & amici parentum, & educatores ipsorum puerorum hoc petere. Et hi quidem ex electione uel uoluntate petunt tutores. Sunt autem quidam, quibus necesse est petere tutores, puta mater & liberti. Ex his enim quidam damnum patiuntur, quidam uerò & puniuntur, si non petierint eos qui ex legibus defensores sint. Mater enim expellitur legitima filij hæreditate, quasi indigna existens accipere hæreditatem legitimam eorum quibus tutorem constituti neglexerit. Nec solùm si non petierit, sed & si quem petierit, qui prauitatis gratia dimitti poterat: deinde dimisso eo, uel etiam abiecto, rursus alium non petierit, uel studiosè malos petierit. Liberti autem ex his causis accusati apud præsidem puniuntur, ut emendentur, si appareat eos uel propter negligentiam uel malitiam non petijsse. Quæ autem de matre prædicta sunt, ostenduntur in epistola Seueri, cuius uerba subiecta sunt: Diuus Seuerus Vlpio Rufino. Omnẽ me rationem adhibere subueniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus uolo. Et ideo mater quæ uel non petierit tutores idoneos filijs suis, uel prioribus excusatis reiectisue, non confestim aliorum nomina ediderit, ius nõ habeat uindicandorum sibi bonorũ intestatorum filiorum. Sed & apud Paulum lib. VII. ita responsum est. *Quæ tam dicta sunt de matre, tractabuntur copiosius ȝ quæst 5. Concordat exceptioni propositæ l.nepotib.10. C.qui petant tutores, his uerbis:* Nepotibus fratris tui, si eorum mater in petendis tutoribus debito non fungatur officio, petere tutores solenniter potes. *Concordat item l.sancimus.28 §.ne autem tales, in fine.C.de administr.tutorum.cuius uerba uide ȝ.replic.2.dupl.1. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi fœmina petat tutorem. Hæc exceptio reprobatur exemplo matris, ut ostensum est §.cad.except.in prin. item exemplo amitæ reprobatur l.amita. 5.C.qui petant tutores, his uerbis:* Amita tutores petere filijs fratris sui non prohibetur. *Secunda replicatio est: N si extraneus tutorem pupillo petat: hoc est, nec cognatus, nec adfinis, nec amicus parentum pupilli, nec pupilli educator. Hæc replicatio approbatur simul et distinguitur l.2.§.siquidem. ff.qui petant tutores, his uerbis:* Siquidem aliquis uel fœnerator, uel legatarius, uel alius necessariam habeat aduersus pupillum persecutionem: ipse quidem non petet tutorem pupillo, sed eos qui petere possunt, rogabit petere: uel si hi neglexerint, tunc accedens ad præsidem, hoc ipsum dicet, ut constituto tutore legitimo, ea aduersus pupillum moueatur persecutio. *Concordat l.qui habent.2. §.si pupillus.ff.de tutelis.cuius uerba uide §.cap.prox. except.32.repl.8.in prin. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi quis aduersus pupillum litem habens, admoneat eos qui tutorem petere possunt, nec illi petere uelint, uel alij non sint qui petere possint. tunc enim admittuntur ad petitionem ij qui litem habent. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel si hi neglexerint, tunc accedens ad præsidem, hoc ipsum dicet, ut constituto tutore legitimo, ea aduersus pupillum moueatur persecutio. *Concordat d. §.si pupillus. Item concordat l.si filijs.4.C.qui petant tutores, his uerbis:* Si filijs debitoris tui non sunt necessarij qui tutores petant: potes & ipse curare ut accipiant, per quos legitimè defendantur. *Concordat item l.sancimus.28 §.ne autem.C.de administrat.tutor. his uerbis:* Ne tales personę sine prouisione debita relinquantur, uel contra eos agentium iura diutius protelentur: sancimus, continuò, id est, post recusationem defensionis, in casibus uidelicet, in quibus (sicut dictum est) hoc fierẽ possit, creationem aliorum tutorum uel curatorum celebrari: cognatis alijsque propinquis & adfinibus uel creditoribus, uel alijs quorum interest, adeuntibus uel admonentibus eos qui secundum leges ius habent

habent tutores uel curatores constituere. *Plura de duplicatione proposita uide ȝ.except.prox. Sed & plures propositæ replicationis duplicationes uide paulò inferius in replicatione generali: ubi proponuntur alij, qui non solùm possunt, sed etiam debent pupillis tutores petere. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi alterius interfit minorem curatorem habere, nec sint qui petant. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel creditoribus, uel alijs quorum interest, adeuntibus uel admonentibus eos qui secũdum leges ius habent tutores uel curatores constituere. *Concordat l.1. C.qui petant tutores. cuius uerba uide §.reg.prox.Concordat item l.admonc.7.C.eod.tt. his uerbis:* Admone eam quæ quondam pupilla tua fuit, cum eam non tantùm uiripotentem, sed etiam nupsisse proponas, ut sibi petat curatorem. Quòd si eum petere neglexerit: quo maturius possis rationes reddere administrationis, adito eo, cuius super ea re notio est, petere curatorem non uetaris. *Tertia exceptio est: Nisi furiosus curator sit petendus. tunc enim alij, puta filius & similes ad petitionem admittuntur. quæ exceptio approbatur l.si pater.3.C. de curatore furiosi, his uerbis:* Si pater tuus mentis cõpos nõ est, pete ei curatores, per quos si quid gestum est quod reuocari oporteat, possit causa cognita in pristinũ statum restitui. *Quartæ exceptionis loco notandum, quòd per pubertatem pupilli finita tutela, tutor teneatur admonere adolescentem, ut sibi curatorem petat. quæ exceptio approbatur l.ita autẽ.4.§.si tutor. ff.de administ. tutorum.cuius uerba uide ȝ.lib.prox.cap.8.reg.2.*

Replicatio propositarum exceptionum generalis.

Iam enumeratis exceptionibus regulariter obstat replicatio hæc: Nisi is cui petitio tutorum competit, petere nolit. hoc enim casu ad petendum inuitus cogi non potest. quæ replicatio approbatur l.2.in prin.ibi: & hi quidem ex electione. ff.qui petant tutores. cuius uerba uide §.except.1.in prin. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi mater pupillo tutorẽ non petat. quæ duplicatio approbatur d.l.2.§.sunt autem quidam. cuius uerba uide §.d.except.1.in prin. de qua re dicentur plura ȝ.quæst. Secunda duplicatio *est: Nisi libertus sit patris pupilli. quæ duplicatio approbatur d.§.sunt autem quidam, & §.liberti autem. cuius etiam uerba uide §.d.except.1. in princ. Concordat l.2.C.qui petant tutores, his uerbis:* Patroni filij si eius ætatis sunt, ut res eorũ per tutores administrari debeant, cura adire prætorem, & nomina edere, ex quibus tutores constituantur: ne si cessaueris, obsequij deserti periculũ subeas. *Tertia duplicatio est: N si cum quis inutiliter tutor datus esset, & negocijs pupillaribus se immiscuisset, postea errore comperto, à tutela se abstineat. Hæc duplicatio approbatur l.tutores.18.§.qui se negocijs.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Qui se negocijs impuberis, nõ iure tutor datus, secũdum patris uoluntatem immiscuit: errore comperto, tutorem à prætore constitui consultius petet: ne fortè, si rem cœptam deseruerit, fraudis uel culpę causa cõdemnetur. non idem seruatur, si quis ultrò negocium alienum gesserit: cum satis abundeq; sit, uel in una specie per amici laborã domino consuli. *Quarta duplicatio uidetur: Nisi tutor datus fese excusset. hic enim uidetur teneri ad alium tutorem petendum. Sed hæc duplicatio reprobatur l.qui qual. 3.ff.qui petant tutores, hisce uerbis:* Qui qualitercũq; dimissi sunt per excusationẽ à tutela, necesse non habẽt petere pupillis tutorem, ut ait Seueri & Antonini constitutio.

Triplicatio præcedentium duplicationum generalis.

Postremò sciendum est, tam dictas duplicationes approbatas, in tutore quidem petendo locum habere, non autem si curator puberi sit petendus: tum quia prædictæ leges omnes in tutore tantùm loquuntur, tum quia pubes sibi ipsi curatorem petere possit, ut ostensum §.reg.proxim. tum denique quia illud expressè cauetur de matre l.1.ff.qui petant tutores. de quo ȝ.quæst.§. reg.5.

III. APVD QVEM PETITIO tutorum & curatorum com petat?

Hæc quæstio definitur per ea quæ proposita sunt §.cap.prox.quæst.2.except.1.

IIII. QVANDO PETITIO proposita competat?

Omni die competit. quæ regula approbatur l.nec mandante.8.§.dari. ff.de tutorib.datis. cuius uerba uide §.cap.prox.quæst.2.except.4.2.

V. EVENTVS PETITIONIS tutorum.

I. *Regula: Si quis ius petendi tutoris non habens, tutorem petierit: periculum ex eo quod gestum erit, sustinet. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §.quæst.2.reg.2.in prin.*

II. *Regula: Si libertus ius petendi habens, tutorem pupillo non petierit, punitur. quæ regula approbatur l.2.§.sunt autem, & §.liberti. ff.qui petant tutores. cuius uerba uide §.d.reg.2.except.1.*

III. *Regula: Si mater filio tutorem nõ petierit, hæreditate eius priuatur. Quæ regula approbatur d.§. sunt autem, & §.quæ autẽ. cuius uerba uide d.except. 1. Concordat inst.de senatusc. Tertylliano.§.penult. his uerbis:* Quemadmodum nos matribus prospeximus, ita eas oportet suæ soboli consulere: scituris eis, quòd si tutores liberis non petierint, uel in locum remoti, uel excusati, intra annũ petere neglexerint: ab eorũ impuberum morientium successione meritò repellentur. *Concordat item l.2.§.si mater.ff.ad S.C.Tertyll.cuius uerba uide ȝ.except.2. repl.4. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filius impubes tutores habeat. quæ exceptio approbatur l.cum iure.9.C.qui petant tutores, hisce uerbis:* Cum iure

habenti tutorem tutor dari non possit: intelligis, matrem non officiũ pietatis in petẽdo tutore neglexisse, sed iure munitã, meritò filio suo tutorem non postulare. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutores quos pupillus habuit, excusati sint, uel remoti, uel mortui. Hæc replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt paulò superius ead. reg. in prin. Concordat l.2.§.nõ solum autẽ. ibi: igitur si fortè. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Si fortè excusati sint illi uel improbati, debet mater alios sine mora petere. *Concordat d.l.2.§.idoneos, in fine, his uerbis:* Sed si prioribus excusatis reiectisue, nõ confestim aliorum nomina ediderit, punitur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi nõ omnes excusati uel remoti sint. Hæc duplicatio approbatur l. credendũ.5.§.1. ff. qui petant tutores, his uerbis:* Si pluribus tutoribus idoneis datis, unus eorũ uel decessit, uel temporalem excusationẽ accepit: mater quæ propterea in locum illius alium nõ petit, quia numerus reliquorũ administrationi tutelæ sufficiebat, incidit quidẽ in uerba constitutionis, sed sententia excusatur. *Concordat l.2.§. quid ergo, si nõ fuerint. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Quid ergo, si nõ fuerint omnes excusati, uel nõ omnes reiecti: uidendum, an ei imputetur, cur in locũ excusati nõ petierit? & puto imputandũ. Quid si decesserint quidam? puto (licet uerba deficiãt) sententiam cõstitutionis locum habere. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi reliqui administrationi tutelæ non sufficiant. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quia numerus reliquorum administrationi tutelæ sufficiebat, &c. *Item hisce:* Et puto imputandum. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi non rectè tutores testamento sint dati. Hæc replicatio approbatur d.l.5. in prin. ff. qui petant tutores, his uerbis:* Credendum est & eam matrem cõstitutione contineri, quæ tutores à patre non legitimè testamento uel codicillis datos filijs impuberibus, non postulauit decreto confirmari. *Tertia replicatio est: Nisi decretũ sit, ut alius tutor adiungatur. Hæc replicatio approbatur d.l.5.§. sed si suspecto, his uerbis:* Sed si suspecto tutore pupilli accusato, decretum erit ei adiungi alios, mater eos quoq; petere debet: & si non petit, incidet in sententiã constitutionis. *Quarta replicatio est: Nisi tutor qui est, latitet uel suspectus sit. Hæc replicatio reprobatur l.2.§. sed quod diximus. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Sed quod diximus Reiecti, utrũ sic accipimus, à prætore nõ dati, an & si suspecti fuerint remoti, uel ob negligẽtiam uel ignauiam repulsi? etiam hos quis reiectos rectè dicet. Ergo & si latitent. Sed hoc longum est: nã nec hoc ei imputatur, cur suspectos non fecerit. Alioquin si latitarẽt, potuit edicto desiderare, ut eos prætor adesse iuberet: & suspectos eos remoueret, si deessent. *Concordat l. credendum.5.§. quæ autem. ff. qui petant tutores, his uerbis:* Quæ suspectum tutorem non fecit, nec uerbis nec sententia cõstitutionis in pœnam incidit: quòd eiusmodi facta dijudicare & æstimare, uirilis animi est: & potest etiam delicta ignorare mater: satisq; est eam petijsse talẽ, qui inquisitione per prætorem habita, idoneus apparuit. Et ideo nec iudicium eius sufficit ad eligẽdos tutores: sed inquisitio fit, etiã si maximè in propria bona liberis suis testamẽto tutores dederit. *Quinta replicatio est: Nisi mater non compellat tutorem, ut se tutelæ misceat. Hæc replicatio approbatur l.2.§. quid si non. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Quid si non cõpulit eos miscere se tutelæ? cum plenum officium à matre desideramus, & hæc ei curanda sunt, ne in hæreditate ei obstent. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione. Secunda exceptio est: Nisi mater filio tutores petierit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi eos petierit, qui se excusare possunt. Hæc replicatio approbatur l.2.§. non solùm. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Non solùm autem quæ non petijt, coërcetur, sed & quæ defunctoriè petijt (ut rescripto declaratur) uel priuilegio munitum, uel oneratum (puta) tribus tutelis. Sed ita demum, si data opera hoc fecit. Quid ergo, si tales petijt, & susceperũt nihilominus, uel detenti sunt? excusata erit mater. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi non data opera petierit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed ita demum, si data opera hoc fecit. *Altera duplicatio est: Nisi tutor excusatione omissa, tutelam susceperit. quæ duplicatio approbatur item uerbis iam propositis hisce:* Quid ergo, si tales petijt, &c. *Secunda replicatio est: Nisi minus habiles minúsque idoneos tutores petierit. Hæc replicatio approbatur d.§. non solùm, his uerbis:* Quid si indignos uel minus habiles ad tutelam petierit, cum sciebat prætorem eos non daturum? quid tandem, si dedit eos prætor, matris petitionem secutus? iam quidem prætoris delictum est. Sed & matris punimus consilium. Ergo siue non petierit, siue non idoneos petierit, punietur, etiamsi dati fuerint minus idonei prætore errante. *Concordat l.2.§. sunt autem. ibi: nec solùm si non. ff. qui petant tutores. cuius uerba uide s. quæstion.2. reg.2. except.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc esse uidetur: Nisi prætor tutorem petitum probauerit. quæ tamen duplicatio per iam dicta reprobatur. Secunda duplicatio est: Nisi facultatibus idonei sint, quamuis non moribus. Hæc duplicatio approbatur d.l.2.§. idoneos. ff. ad S.C. Tertyllianum, his uerbis:* Idoneos autem utrum facultatibus, an & moribus petere debeat, dubitationis esse potest. Puto autem facilè ei ignosci, si locupletes sint hi quos petijt.

Concordat l. credendum.5.§. quæ autem. ibi: satisq; est eam. ff. qui petant tutores. cuius uerba uide s. except. prox. repl.4. Tertia replicatio est: Nisi mater admonita & compulsa petijt. Hæc replicatio approbatur l.2.§. quid ergo si petijt. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis: Quid ergo si petijt, sed admonita uel à libertis, uel à cognatis: an incidat in senatusconsultum? & puto eam incidere, si compulsa fecerit: non, si cum petere nõ cunctaretur, admonita est. *Quarta replicatio est: Nisi à non competente iudice petijt. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§. si mater, his uerbis:* Si mater non petierit tutores idoneos filijs suis, uel prioribus excusatis reiectisue, non confestim aliorum nomina ediderit: ius non habet uindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum. Et quidem si non petijt, in constitutionem incidit. ait enim, Vel non petierit. Sed à quo non petierit? Loquitur quidem de prætore constitutio: sed puto & in prouincijs locum habere, etiamsi à magistratibus municipalibus non petat: quoniam & magistratibus municipalibus dandi necessitas iniungitur. *Plura de hac re uide s. cap. prox. quæst.2. except.1. Quinta replicatio est: Nisi non cõfestim, nec intra annum petierit. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§. confestim, his uerbis:* Confestim autem sic erit accipiendum, ubi primùm potuit, id est, prætoris copiam habuit huic rei se dantis: nisi fortè infirmitate impedita est, uel alia magna causa, quæ etiam mandare eam ad petendos tutores impediret: ita tamen, ut nullo modo annale tempus excederet. si enim mortalitate filij præuenta est, nihil matri imputatur. *Hæc de secunda exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Tertia exceptio est: Nisi mater ex iustis causis impedita petere non potuerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur uerbis d.§. confestim, iam propositis. Eiusq; species sunt exceptiones proximè sequentes. Quarta exceptio est: Nisi mater prætoris copiam nõ habuerit. Et hæc exceptio approbatur d.§. confestim. Cuius replicatio hæc est: Nisi alterius magistratus, qui tutores dare possit, copiam habeat. Hæc replicatio approbatur l.2.§. si mater. ff. ad S.C. Tertyll. cuius uerba uide s. except.2. replic.4. Quinta exceptio est: Nisi mater casu fortuito sit impedita. Hæc exceptio approbatur exemplo l. cum à matr.8. C. qui petant tutores, his uerbis:* Cum à matribus sedulum petendi tutoris officium exigatur, nec fortuiti casus impedimentis adscribãtur, proponasq; procuratorem, qui ad petendum pupillo tutorem à matre fuerat constitutus, à latronibus interfectum, petitionem ex necessitate demoratum esse: ab hæreditatis successione matrem repelli, cuius nullum uicium intercessisse adseris, perquàm durum est. *Sexta exceptio est: Nisi pater pupilli tutorem ei peti prohibuerit. Hæc exceptio approbatur l.2.§. penult. ff. ad S.C. Tertyll. cuius uerba uide j. except.11. Planè eius replicatio hæc est: Nisi ipsa ex uoluntate patris tutelam non legitimè administret. quæ replicatio approbatur l.2.§. quid si pater. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Quid si pater ei peti tutorem prohibuerat: quoniam per matrem rem eorũ administrari uoluit? Incidet, si nec petat, nec legitimè tutelã administret. *Septima exceptio est: Nisi mater filiorum tutelam gerat. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi non legitimè tutelam administret. quæ replicatio cõstat ex uerbis s. except. prox. propositis. Altera replicatio est: Nisi mater nuptias iterauerit. quæ replicatio approbatur l. omnẽ.6. C. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Omnẽ matri, siue ab intestato, siue iure substitutionis, si filius impubes moritur, denegãdam uolumus successionẽ, si ea legitima liberorum tutela suscepta, ad secundas contra sacramentum præstitũ adspirauerit nuptias, antequam ei tutorẽ alium fecerit ordinari, eiq;, quod debetur ex ratione tutelæ gestæ, persoluerit. *Octaua exceptio est: Nisi mater absens, ab alijs in petitione tutoris sit præuenta. Hæc exceptio approbatur l.2.§. quid si pater. ibi: sed si fortè. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Sed si fortè absens à libertis præuenta est, uel ab alijs: dicendum est, eam non excludi: nisi fortè cum frustraretur, id contigit. *Nona exceptio est: Nisi morte filij impuberis præuenta non petijt. Hæc exceptio approbatur d.l.2.§. confestim, in fine. cuius uerba uide s. except.2. repl.5. Decima exceptio est: Nisi non tutorem, sed curatorem non petierit. Hæc exceptio approbatur l.1. ff. qui petant tutores, hisce uerbis:* Matris sollicitudo in petendis filio tutoribus, non etiã curatoribus obseruatur: nisi quo casu impuberi curator petendus est. *Concordat l. matris.6. C. eod. tit. his uerbis:* Matris pietas instruere te potest, quos tutores filio tuo petere debes: sed & obseruare, ne quid secus quàm oportet, in re filij pupilli agatur. Petendi autẽ filijs curatores necessitas matribus imposita non est: cum puberes minores anno uicesimoquinto ipsi sibi curatores, si res eorum exigit, petere debeãt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi impuberi curatorem non petierit. quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Nisi quo casu impuberi curator petendus est. *Concordat l.2.§. si mater. uers. quid si curatores. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Quid si curatores non petit? uerba rescripti deficiunt. sed dicendum est, si quidem impuberibus curatores non petijt, eãdem esse rationem: si iam puberibus, cessare debere. *Secunda replicatio est: Nisi furioso nõ petierit curatorem. Hæc replicatio approbatur d.§. si mater. uers. quid si furioso. cuius uerba uide j. excep.15. Vndecima exceptio est: Nisi penitus egenis filijs, et quæ non sunt soluendo, nõ petijt tutores. Hæc exceptio approbatur*

probatur d. §. ſi mater. uerſ. quòd ſi penitus, his uerbis: Quòd ſi penitus egenis filijs non petit, ignoſcendum eſt. Concordat d.l.2.§.tractari, in fine. cuius uerba uide ĩ.except.19. Sed & concordat in l.2.§.penult. his uerbis: Si fortè quis uxorem communis filij matrem hæredẽ ſcripſerit, rogauitq; remiſſa etiam ſatiſdatione, ut filio puberi facto reſtitueret hæreditatẽ, nec mater ei petijt tutores: debet dici, ceſſare conſtitutionem, cum patris uoluntatem ſecuta ſit. & nihil habenti filio tutores non petierit. Quòd ſi remiſſa ei ſatiſdatio non fuerit, contrà erit: quoniam uel propter hoc debuit, &c. Duodecima exceptio eſt: Niſi non filijs, ſed filiabus uel nepotibus tutores non petijt. Hæc exceptio reprobatur d.§.ſi mater.uerſ.filijs autẽ, his uerbis: Filijs autem non petendo punitur: utique & filiabus. & quid ſi nepotibus? ſimiliter non petendo punitur. Decimatertia exceptio eſt: Niſi poſthumo, uel bonis eius qui in utero eſt, nõ petijt tutores. Hæc exceptio reprobatur d.§.ſi mater.uerſ.quid ſi cum, his uerbis: Quid ſi, cum prægnans eſſet, bonis non petijt curatorem? dico in ſententiam incidere. Decimaquarta exceptio eſt: Niſi impubes filius apud hoſtes ſit. Hæc exceptio reprobatur d.uerſ.quid ſi cum, his uerbis: Nã & ſi apud hoſtes habuerit impuberẽ, idem erit dicendum. Decimaquinta exceptio eſt: Niſi furioſo non petierit. Et hæc exceptio reprobatur d.§. ſi mater.uerſ.quid ſi furioſo, his uerbis: Quid ſi furioſo tutorem uel curatorem nõ petijt? magis eſt ut incidat. Decimaſexta exceptio eſt: Niſi non legitimis, ſed naturalibus filijs tutores non petierit. Hæc exceptio reprobatur l.matres.11.C. qui petant tut. his uerbis: Matres naturalibus etiam filijs, ad ſimilitudinem eorum qui ex iuſtis & legitimis nuptijs ſunt procreati, petendorum tutorum neceſsitati ſubiaceant: nulla eis ignorantia iuris ad euitanda legibus uel ſacris conſtitutionibus definita, ſi petitionem tutorum minus curauerint, profutura. Decimaſeptima exceptio uidetur eſſe: Niſi iuris ignorantia lapſa non petijt. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce: Nulla eis ignorantia iuris, &c. Decimaoctaua exceptio eſt: Niſi mater non petens ſit minor uigintiquinque annis. Hæc exceptio approbatur l.2.C.ſi aduerſus delictum ſuum, his uerbis: Licet in delictis ætate neminem excuſari conſtet: matri tamen, quæ filijs tutorem ætatis lubrico lapſu non petijt, eorũ minimè denegari ſucceſsionem conuenit: cum hoc in maioribus matribus tãtùm obtineat. Decimanona exceptio eſt: Niſi ob id non petierit tutores, quòd pupillo amplum legatum relictum erat ſub hac conditione, Si tutores non habuerit. Hæc exceptio approbatur l.2.§.tractari. ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis: Tractari poteſt, ſi pupillo amplum legatum ſub conditione ſit relictum, Si tutores non habuerit: & (puta) propterea mater ei non petierit, ne conditione deficeretur: an conſtitutio ceſſet. Et puto ceſſare, ſi damnum minus ſit cumulo legati. Quod & in magiſtratibus municipalibus tractatur apud Tertyllianum. Et putat dãdam in eos actionẽ, quatenus plus eſſet in dãno quàm in legato. niſi fortè quis putet, cõditionem hanc, quaſi utilitati publicę oppugnantem, remittẽdam, ut alias pleraſq;: aut uerba cauillatus imputauerit matri, cur curatores non petierit. Finge autem plenius conditionem conſcriptã: nónne erit matri ignoſcendum? aut hoc imputabitur matri, cur nõ deſiderauerit à principe, conditionem remitti? & puto non eſſe imputandum. Ergo etiã ſi mater ei qui ſoluendo non erit, nõ petijt tutorem, puto ignoſcendum. cõſuluit enim ei, ut minus inquietetur quaſi indefenſus. Viceſima exceptio: Niſi filius pubes deceſſerit. Hæc exceptio approbatur l.matres.3.C.ad S.C.Tertyll. his uerbis: Matres quæ puberes amiſerũt filios, licet impuberibus eis tutores non petierunt, præſcriptione nõ petiti tutoris ad excludẽdam eorũ ſucceſsionẽ minimè debere præſcribi, certum eſt. Viceſimaprima exceptio eſt: Niſi mater filio impuberi defuncto, nõ ab inteſtato, ſed ex pupillari ſubſtitutione ſuccedat. Hæc exceptio reprobatur l.omnẽ.6. C.d.tt. cuius uerba uide ĩ.except. 7. Viceſimaſecunda exceptio eſt: Niſi mater fideicõmiſſum à filio ſibi relictũ petat, non filij hæreditatẽ. hoc enim caſu exceptio nõ petiti tutoris ei non obſtat. quæ exceptio approbatur l.credendũ.5.§.hæc autem.ff.qui petãt tutores, his uerbis: Hæc autẽ mater ab omni quidem bonorũ uidicatione inteſtatorum filiorum repellitur. Si uerò maritus ei fideicommiſſum à filio reliquerit, cui mulier non petijt tutorem, ſi ſine liberis deceſſerit: uel ſub hac ipſa conditione, Si inteſtatus mortuus erit: fideicommiſsi petitio, quę ex alieno iudicio deſcendit, nõ eſt perempta. Hæc de petendo tutore & curatore, necnõ de alijs tutelæ & curæ cauſis efficientibus ſint dicta. Sequuntur nunc cauſæ tutelæ & curæ corrũpentes, ſeu eæ ex quibus tutela & cura finitur. Inter quas numeratur excuſatio à tutela, item ſuſpecti remotio. quod approbatur Inſt.quib.mod.tutela finitur.§.fin.his uerbis: Deſinunt etiam tutores eſſe, qui uel remouẽtur à tutela ob id quòd ſuſpecti uiſi ſunt, uel qui ex iuſta cauſa ſeſe excuſant, & onus adminiſtrandæ tutelæ deponunt, ſecundũ ea quæ inferius proponemus.

DE EXCVSATIONIBVS tutorum & curatorum. Cap. VI.

PRimùm igitur de excuſationibus tutorum dicetur, hinc de poſtulatione & remotione ſuſpecti, poſtremò de reliquis huiuſmodi cauſis tutelæ & curæ corrumpentibus.

I. CAV-

I. CAVSAE EX QVIBVS excuſatio competit.

I. Cauſa eſt, numerus liberorũ. Quæ cauſa approbatur Inſt. de excuſat.tutor. in prin. his uerbis: Excuſantur tutores & curatores uarijs ex cauſis: plerũq; tamẽ propter liberos, ſiue in poteſtate ſint, ſiue emancipati. Si enim tres liberos ſuperſtites Romæ quis habeat, uel in Italia quatuor, uel in prouincijs quinque: à tutela uel cura poteſt excuſari, exemplo cæterorum munerum. nam & tutelam & curã placuit publicum munus eſſe. Concordat l.2.§.remittit.ff.de excuſat.tutor. his uerbis: Remittit à tutela uel cura & multitudo liberorũ. Legitimos autem liberos eſſe oportet omnes, etſi nõ ſint in poteſtate. Concordat item l.1.C.qui numero liberorum, his uerbis: Qui ad tutelam uel curam uocantur, Romæ quidem trium incolumium liberorũ numero, quorum etiam ſtatus nõ ambigitur, in Italia uerò quatuor, in prouincijs autem quinq; habent excuſationem. Propoſitæ cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi liberi nõ ſint in poteſtate. Hæc exceptio reprobatur Inſt. dictis uerbis hiſce: Siue in poteſtate ſint, ſiue emancipati. Concordat d.§.remittit, uerbis propoſitis hiſce: Etſi non ſint in poteſtate. Secunda exceptio eſt: Niſi liberi non ſint legitimi. quæ exceptio approbatur d.§.remittit, uerbis hiſce: Legitimos autem liberos eſſe oportet omnes. Tertia exceptio eſt: Niſi adoptiui ſint liberi. Hæc exceptio approbatur Inſt.de excuſat.tutor.in prim.his uerbis: Sed adoptiui liberi nõ proſunt. Quarta exceptio eſt: Niſi liberi ſint alij in adoptionẽ dati. Hæc exceptio reprobatur Inſt. d.loco, his uerbis: In adoptionem autem dati, naturali patri proſunt. Quinta exceptio eſt: Niſi non filij, ſed filiæ uel nepotes ſint. Hæc exceptio reprobatur ſub conditione Inſt.d.tt.§.item nepotes, his uerbis: Item nepotes ex filio proſunt, ut in locum patris ſui ſuccedant: ex filia nõ proſunt. Concordat l.2.§.nõ ſolùm.ff.de excuſat.tut.his uerbis: Non ſolùm autẽ filij remiſsionẽ tutelæ tribuunt, & filiæ, ſed etiam nepotes ex filijs maſculis nati, maſculi & fœminę. Auxiliantur autem tunc, quando patre eorum mortuo, illius locũ ſupplent auo. Quotcunque autẽ nepotes fuerint auo ex uno filio, numerantur pro uno filio. Hæc autẽ ex conſtitutionibus quæ de liberis loquũtur, poſſunt colligi. nuſquam enim facile eſt inuenire, ubi de filijs loquatur cõſtitutio, ſed de liberis. Appellatio autẽ hæc & ad nepotes extenditur. Admittitur exceptio propoſita primùm, ſi nepotes non ex filio, ſed ex filia ſint nati: deinde, ſi pater nepotum adhuc uiuat: tertiò admittitur in eo, quòd duo, tres, uel quatuor nepotes ex uno filio pro uno computantur. quæ omnia ex iam propoſitis conſtant. Sed & ſecundæ diſtinctioni concordat l.2.in fine. C.qui numero liberorum, his uerbis: Neq; filia amiſſa numero prodeſt ad declinanda munĩcipalia munera, neq; nepotes numerantur, quorũ pater ſupereſt: cùm ſuo nomine patri proſint. Sexta exceptio eſt: Niſi liberi mortui ſint. hi enim ad excuſationem non proſunt. quæ exceptio approbatur Inſt.de excuſat. tutor. §. filij autem, his uerbis: Filij autem ſuperſtites tantùm ad tutelę uel curę muneris excuſationem proſunt: defuncti autem non proſunt. Concordat l.2.§.remittit.ibi: oportet autem. ff.eod.tt.his uerbis: Oportet autem liberos uiuos eſſe, quãdo tutores patres dantur. Qui enim antea deceſſerunt, his non connumerantur: neq; rurſus nocent, qui poſtea moriũtur. Et hæc ita inquit conſtitutio diui Seueri. Hoc autẽ uidetur quidem dictum eſſe de tutore dato ſecundum teſtamẽtum: conuenit autem & in omni alio. Concordat item l.2.in princ. C.quĩ numero liberorum. cuius uerba uide ĩ.except.prox.in fine. Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi poſt excuſationem propoſitam ſint mortui. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce: Neque rurſus nocent, qui poſtea moriuntur. Secunda replicatio eſt: Niſi in bello liberi ſint amiſsi. Hæc replicatio approbatur Inſtit. d.tt.§.ſed ſi in bello, his uerbis: Sed ſi in bello amiſsi ſunt, quæſitũ eſt, an proſint? & conſtat eos ſolos prodeſſe, qui in acie amittũtur. hi enim qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam uiuere intelliguntur. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi extra aciẽ liberi ſint amiſsi. quæ duplicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis. Cõcordat l.bello.18. ff.de excuſat.his uerbis: Bello amiſsi ad tutelæ excuſationẽ proſunt. Quæſitum eſt autem, qui ſint iſti: utrum hi qui in acie ſunt interempti, an uerò omnes omnino, qui per cauſam belli parentibus ſunt abrepti, in obſidione fortè? Melius igitur probabitur, eos ſolos qui in acie amittũtur, prodeſſe debere, cuiuſcunque ſexus uel ætatis ſint. hi enim pro republica ceciderunt. Septima propoſitæ cauſæ exceptio eſt: Niſi liberi tempore creationis nondum fuerint nati. Hæc exceptio approbatur l.2.§.remittit.ibi: qui autem. ff.de excuſationib. his uerbis: Qui autem in uentre eſt, etſi in multis partibus legum comparatur iam natis, tamen neque in præſenti quæſtione, neq; in reliquis ciuilibus muneribus prodeſt patri: & hoc dictum eſt in conſtitutione diui Seueri. Concordat d.l.2.§.numerum, his uerbis: Numerum autem liberorum determinatum cõſtitutionibus eſſe oportet unicuiq; tunc, cum creantur. Nam ſi poſt creationem generantur, antequam iura remiſſionis præbeãtur. qui enim poſt hoc geniti fuerint, non auxiliantur, ut conſtitutio Seueri & Antonini inquit. Octaua exceptio eſt: Niſi pater filio tutor uel curator detur. Hæc exceptio approbatur l.amiciſsimos.36.§.fin. ff.de excuſationib.

his

his uerbis: Lucius Titius ex tribus filijs incolumibus unum habet emancipatum eius ætatis, ut curatores accipere debeat. Quæro, si idem Titius pater, petēte eodem filio emancipato, curator à prætore detur, an iure publico uti possit, & nihilominus trium filiorum nomine uacationē postulare? Paulus respōdit: Præmium quidem patri, quod propter numerum liberorum ei competit, denegari non oportet. Sed cùm filio suo curator petatur, contra naturales stimulos facit, si tali excusatione utēdum sibi putauerit. *Nona exceptio est: Nisi non tutor, sed curator furioso uel muto sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. Titius. 45. §. si à prætore. ff. de excusat. his uerbis:* Si à prætore detur curator mente capto, aut muto, siue uentri: excusatur iure liberorum.

l. l. Causa, De triplici tutela. Triplex quoque tutela excusationem præstat ab alijs. quæ causa approbatur Instit. de excusat. tutor. §. item tria, his uerbis: Item tria onera tutelæ non adfectatæ, uel curæ, præstant uacationē, quamdiu administratur: ut tamen plurium pupillorū tutela uel cura eorūdem bonorum, ueluti fratrū, pro una computetur. *Concordat l. 2. §. fin. ff. de excusationib. his uerbis:* Amplius autem & qui habet tres tutelas aut tres curas, aut commixtas tres curas & tres tutelas, & adhuc manentes, hoc est, nondum excedentibus ætatem minoribus: hi excusantur ad tutelam uel ad curam uocati. Sed tamē, etsi curator quis fuerit non impuberis, sed furiosi seu prodigi, in numerum curarū & hæc computabitur cura. Quod sic se habere docet constitutio Seueri & Antonini. Dicit eadem & nobilis Vlpianus de tutelis tribus. *Concordat item l. unica. C. qui numero tutelarum, his uerbis:* Si tres tutelas uel curas eodem tēpore non defunctorie susceptas, administras: onere quartæ tutelæ seu curationis pupillorū seu adolescentium non grauaberis. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi quasdam ex tribus tutelis adfectauerit. Hæc exceptio elicitur ex Instit. d. §. item tria, ex his uerbis:* Non adfectatæ. *Concordat l. 15. §. quandoq;. ff. de excusationib. his uerbis:* Quandoq; & qui tres habet tutelas uel curas, non habet ius remissionis: puta, si quis affectauerit suscipere. Iam autē & qui modici patrimonij factus est tutor, affectasse uidetur. *Secunda exceptio est: Nisi parens liberorū suorum tutelam gerat. Hæc exceptio reprobatur d. l. 15. §. item Vlpianus, his uerbis:* Vlpianus scribit: Si quis inter tres tutelas emancipati filij sui tutelam administret: an hoc ei in numerū procedat, scio dubitatum? Inuenio tamen rescriptum, emancipatæ filiæ tutelam numerari inter onera oportere. *Tertia exceptio est: Nisi libertus patroni liberis tutor sit datus. quæ exceptio approbatur l. 14. §. fin. ff. de excusat. tutor. cuius uerba uide §. ead. quæst. in fine, except. generali 2. repl. 9. Quarta exceptio uidetur esse: Nisi non tres tutelæ sed curæ gerat. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt §. ead. causa, in prin. Quinta exceptio est: Nisi inter tres curas connumeretur etiam cura reipublicæ. Hæc exceptio approbatur l. 15. §. ratiocinatio. ff. de excusat. his uerbis:* Ratiocinatio cū uitatis neq; in numerum unius tutelæ procedit. *Sexta exceptio est: Nisi periculo tantùm alterius tutelæ sit obnoxius, uel tutor tantùm honorarius. Hæc exceptio approbatur d. l. 15. §. si ciuitatis, his uerbis:* Si ciuitatis magistratus, incidente ei creatione, obnoxius fuerit periculo tutelæ, hanc nō connumerabit alijs tutelis: quemadmodum nec fideiussores tutelę: sed neq; qui ob honorem tutores conscripti sunt. *Planè exceptionis huius replicationem uide §. except. 13. repl. 5. Septima exceptio est: Nisi eiusdem pupilli diuersa bona administret. Hæc exceptio approbatur l. iurisperitos. 30. §. cum oriundus. ff. de excusationib. his uerbis:* Cum oriundus ex prouincia Romæ domicilium haberet: eiusdem curator decreto præfidis ac prætoris constitutus, rerū administrationem utrobiq; suscepit, placuit, eum duas curationes administrare nō uideri, quòd uidelicet unius duo patrimonia non uiderentur. *Octaua exceptio est: Nisi plurium tutelam gerat, quibus unum idemq; patrimonium est. Hæc exceptio approbatur l. tria. 3. ff. de excusat. tutor. his uerbis:* Tria onera tutelarum dant excusationem. Tria autem onera sic accipienda sunt, ut nō numerus pupillorum plures tutores faciat, sed patrimoniorum separatio. Et ideo qui tribus fratribus tutor datus est, qui indiuisum patrimonium habēt, uel quibusdam tutor, quibusdam curator: unam tutelam suscepisse creditur. *Concordat Inst. eod. tt. §. item tria onera. cuius uerba uide §. ead. causa, in prin. Concordat item l. si is. 31. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 13. repl. 2. Huius exceptionis replicatio est: Nisi inter pupillos patrimonium diuidatur. tunc enim habetur pro duab. uel pluribus tutelis. quæ replicatio approbatur d. §. fin. Nona exceptio est: Nisi una tutela per appellationem sit suspensa. Hæc exceptio reprobatur l. 4. in prin. ff. de excusat. his uerbis:* Diximus tres tutelas habentes ad quartam non uocari. Quæsitum est igitur, si quis duas habens tutelas, deinde ad tutelam tertiam uocatus appellauerit, & adhuc pendēte iudicio appellationis ad quartam tutelā promoueatur: utrum à quarta se excusans, mentionem faciet & tertiæ, an omnino dimittet illam? & inuenio à diuo Seuero & Antonino constitutum, non oportere ad quartam promoueri à tertia appellantem, pendente tertiæ creationis excusatione: sed illius finem expectari, terminum futurū quartę creationis recta ratione. si enim eo or-

eo ordine quartā suscipiet quis, eueniet ut post tertiam existentem, iniusta tertiæ appellatione apparēte, quatuor oneribus grauetur extra leges. *Decima exceptio est: Nisi pupilli unius uel alterius tutelæ pubertati proximi sint. Hæc exceptio approbatur l. non tantùm. 17. in prin. ff. de excusat. his uerbis:* Non tantùm magnitudo patrimoniorum intuenda est susceptarum trium tutelarum, eiusq; quæ suscipiēda est: sed etiam ætas pupillorum consideranda est. nam si priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, ita ut tātummodò semestre tempus reliquum fuerit, aut eorum quorū susciperе tutelam cogitur: non dabitur excusatio. idq; principalibus cōstitutionibus cauetur. *Vndecima exceptio est: Nisi una aut altera tutela sit finita. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. finito. C. qui numero tut. his uerbis:* Finito autem officio pubertate pupillorum, uel ætate adolescentum: aliæ subrogari possunt, licet nondum ratio tutelæ siue curæ administratæ reddita sit. *Concordat Inst. de excus. tut. §. item tria onera. ibi: quamdiu administrantur. cuius uerba uide §. ead. causa, in prin. Concordat item l. 2. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide itidem ead. causa, in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nondum tutelæ finitæ ratio reddita sit. quæ replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Licet nondū ratio tutelæ siue curæ administratæ reddita sit. *Altera replicatio est: Nisi una ex tribus finita, duæ aliæ offerantur. tunc enim non nisi ad unam cogi potest. quæ replicatio reprobatur & declaratur per ea quæ habentur §. except. 13. repl. 1. Duodecima exceptio est: Nisi pupillum hæreditate paterna tutor abstinuerit. tūc enim eius tutela habetur pro finita. quæ exceptio approbatur l. si is. 31. §. & eum qui. ff. de excus. his uerbis:* Et eum qui pupillum bonis paternis abstinuerat, detinendum in quarta tutela existimaui, quasi depositа illa. *Decimatertia exceptio est: Nisi numerus tutelarum ternarius nō sit perfectus. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. ead. causa, in prin. Eius autem replicatio prima hæc est: Nisi duas tutelas habenti, postea aliæ duæ offerantur. tunc enim priore postea allata admissa, alteram posteriore loco oblatam suscipere non cogitur. quæ replicatio approbatur l. si duas. 6. in prin. ff. de excusat. his uerbis:* Si duas habenti tutelas aliæ duæ simul superinductæ fuerint, uel ordine tertia auxiliabitur ei ad remissionem quartæ: etsi Imperator fuerit qui quartam iniunxerit, aut tertiam, & antequam cognoscat Imperatoris mandata, promotus erit ad aliam. Si autem ordo non apparuerit, sed una die duæ creationes proponentur in diuersis chartis: non qui creatus est, sed qui creauit, eliget quam oporteat eum suscipere. *Concordat d. l. 31. in prin. usque ad §. & eum. ff. eod. tt. his uerbis:* Si is qui tres tutelas administrabat, duobus pupillis diuersis de cretis datus est, & priusquam causas excusationis allegaret, unus ex pupillis, quorum iam tutelam administrarat, decessit: ubi desijt ei competere excusatio, statim tenuit eum prius decretum, quasi in locum tertiæ tutelæ quarta subroganda. nam ipso iure tutor est, & antequam excusetur. Poterit ergo à tutela eius qui nunc quarto loco inuenitur, excusari. Sed cum non sit excusatus, necessariò subeundum est onus illius quoque tutelæ. Nec me mouet, quòd dicat aliquis, hoc non exigi, an administretur tutela. Hoc enim eò pertinet, ne sit finita administratio. Cæterùm si periculum sustineat cessationis, puto ei imputandā quoque eam tutelam. Idem euenire potest, si duobus testamentis, cum haberet tres tutelas, tutor datus est: ubi non apertarum tabularum tempus inspici debebit, si quæratur quæ prior delata sit tutela, sed aditæ hæreditatis uel conditionis existentis. Illa quoque erit differentia tutelarum, de quibus diximus, si tertia & quarta sit delata, licet in quarta prius detentus sit: quòd huius (id est quartæ) ex quo iussus est administrare: illius, ex quo datus est, periculum sustinet. *Secunda replicatio est: Nisi una uel duæ tutelæ, quas habet solas, ita diffusæ & negociosæ sint, ut uix illis sufficiat. Hæc replicatio approbatur d. l. 31. §. fin. his uerbis:* Cæterùm putarem rectè facturum prætorem, si etiam unam tutelam sufficere crediderit, si tam diffusa & negociosa sit, ut pro pluribus cedat. Neque igitur fratres & sorores plurium loco habendi sunt: sed neque fratres, si idem patrimonium habēt, & ratio administrationis pariter redigēda est: & ex diuerso, fratrum diuiso patrimonio duæ tutelæ sunt. Non enim (ut dixi) numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum & reddendarum considerанda est. *Tertia replicatio uidetur esse: Nisi unius tutelæ plures habeat pupillos. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis: de quare uide plura §. except. 8. Quarta replicatio uidetur esse: Nisi una tutela patrimonia habeat in diuersis prouincijs sita. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ dicta sunt §. except. 7. Quinta replicatio est: Nisi cum ad tutelam uocatus, haberet tantùm unam aut alteram tutelam, uel nullam, pater eius uel filius, aut frater qui in eiusdem est potestate, habeat reliquas, ita ut illis computatis suppleatur ternarius tutelarum numerus. quæ replicatio approbatur l. tria. 5. ff. de excusationibus, his uerbis:* Tria onera in domo una esse sufficit. Proinde si pater alicuius, uel filius, uel frater qui est in eiusdem potestate, tria onera sustineat, quæ ad periculū patris sui spectent: quia uoluntate eius administrant, omnibus excusatio à tutela competit. Sed si non uoluntate patris administrent: nō pro-

desse,sæpe rescriptum est. *Concordat l.4. §.si pater.ff.eod.tt.his uerbis*: Si pater in tribus fuerit muneribus, aut tutelarum, aut curarum: filius ipse non uexabitur. Et ita constitutũ est à diuo Seuero & Antonino. Hoc autem & econtrario est,quòd oportet filios remissionem tutelarum patri dare:& rursus,utriusque communes,id est,unam filij, & duas patris,aut è conuerso. Tunc autem hæc ita se habent,cum onus uni domui, non separatis obtingit. Scribit autem eadem hæc & nobilissimus Vlpianus. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi filius uel frater non sint in eiusdem potestate.quæ duplicatio cõstat ex uerbis iam propositis hisce*: Tunc autem hæc ita se habent,cum onus uni domui,non separatis obtingit. *Altera duplicatio est: Nisi filius sine uoluntate patris tutelam susceperit.quæ duplicatio approbatur d.l.5. uerbis superius propositis*: Sed si non uoluntate patris administrent:non prodesse,sæpe rescriptum est. *Sexta replicatio est:Nisi is qui unam saltem aut alteram tutelam habet,aliarũ quoq; periculum sustineat.Hæc replicatio ipso quidem iure reprobatur, per ea quæ proposita sunt ẽ.except. 6. Admittitur tamen in patre & filijs,ut iã repl.prox. est ostensum.Hæc de secunda causa.*

III. *Causa est, senectus. quæ causa approbatur Institut.de excusat.§.item maior,his uerbis*: Item maior septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare. *Concordat l.2. in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Excusantur à tutela & cura,& qui septuaginta annos compleuerunt. Excesisse autem oportet septuaginta annos tempore illo quo creantur,aut quo hæreditatẽ adijt quis,aut quo conditio quæ testamento inscripta est,completa est: non infra tempora excusationis. Aetas autem probatur aut ex natiuitatis scriptura, aut alijs legitimis demõstrationibus. *Concordat item l. unica.C. qui ætate se excusant, his uerbis*: Pater tuus,si maior est annis septuaginta,ad tutelam uel curam deuocatus, excusare se solenniter potest. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi minor sit septuaginta annis.quæ exceptio ex iam propositis constat.*

IIII. *Causa: Si minor sit uiginti quinq; annis is cui tutela desertur. Hæc causa approbatur l.non solùm. 10.§.libertus. ff. de excusationib. cuius uerba uide ẽ.c. 4.quæst.2.except.32.repl.4. Planè hodie minor uigintiquinq; annis etiam sine excusatione inutiliter tutor datur.de qua re uide ẽ. cap.4.quæst.2.except.20.*

V. *Causa: Si tutor datus,aduersa ualetudine laboret. Hæc causa approbatur Institut.de excusationibus. §.item propter,his uerbis*: Item propter aduersam ualetudinem, propter quã ne suis quidem negotijs interesse potest,excusatio locum habet. *Concordat l.unica. C.qui morbo se excusant,his uerbis*: Luminibus captus,aut surdus,aut mutus,aut furiosus,aut perpetua ualetudine tentus,tutelæ seu curationis excusationem habet. *Item concordat d.l.10.§.fin.cũ duabus legibus sequentib.ff.de excusat.his uerbis*:Aduersa quoque ualetudo excusat,sed ea quæ impedimento est, quo minus quis suis rebus superesse possit,ut Imperator noster cũ patre rescripsit. Et non tantùm ne incipiãt, sed ab accepta etiam excusari debẽt. Idem Vlpianus scribit: sed in hoc rescripto adiectũ est,solere eos uel ad tempus, uel in perpetuũ excusari,prout ualetudo est qua adficitur. *Huius causæ exceptio prima hæc est:Nisi talis sit ualetudo, in qua suis rebus superesse possit. quæ exceptio approbatur uerbis supradictis hisce*: Sed ea quæ impedimento est, quo minus quis suis rebus superesse possit. *Secunda exceptio est: Nisi ante aduersam ualetudinem tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur uerbis supradictis hisce*: Et non tantùm ne incipiant, sed ab accepta etiam excusari debent. *Concordat l.post susc. 40.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Post susceptam tutelam cæcus,aut mutus, aut surdus, aut furiosus,aut ualetudinarius, deponere tutelã potest. *Tertia exceptio est: Nisi aduersa ualetudo non sit perpetua,sed temporaria. Hæc exceptio approbatur uerbis supradictis hisce*: Sed in hoc rescripto adiectum est, solere eos uel ad tempus, uel in perpetuum excusari, prout ualetudo est qua adficitur. *Concordat d.l.10.§.penult.ff.d. tt.cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæst.2.except.32.replic.2. Huius exemplum est, si tutor furiosus sit factus:qui furor intermittit. quod proponitur in legib. ẽ.d.except. 32.repl.2.annotatis. Quarta exceptio: Nisi ob oculum tantùm amissum quis uelit excusari. Hæc exceptio approbatur l. frater.9.C.de excus.tut. his uerbis*: Frater tuus non ideo à tutela uel cura excusari debet,quòd oculum amisit.Proinde intelligis, munus susceptum eum deferre non posse.

VI. *Causa: Si literas nesciat.Hæc causa approbatur Inst.de excusat.tut.§.similiter,his uerbis*: Similiter eos qui literas nesciũt,excusandos esse, diuus Pius rescripsit:quamuis & imperiti literarum possint ad administrationem negociorum sufficere. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi expers negociorum non sit. quæ exceptio approbatur l.6.§ fin. ff.eod.tt.his uerbis*: Eius qui se negat literas scire,excusatio accipi non debet si modò expers non sit negociorum.

VII. *Causa:Si humilis uel rusticus sit.Hæc causa approbatur certo modo d.l.6.§.penult.his uerbis*: De rusticis & humilibus & illiteratis scribit Paulus ita: Mediocritas & rusticitas interdum excusationem præbent, secundum epistolas diuorum Hadriani & Antonini.

VIII. *Causa: Si pauper sit. Hæc causa approbatur Inst. de excusat.§.sed & propter,his uerbis*: Sed & propter paupertatem excusationẽ tribui, tam diui fratres, quàm per se diuus Marcus

cus rescripsit,si quis imparem se oneri iniũcto possit docere. *Concordat l.paupertas.7. ff.d. tt.his uerbis*: Paupertas sanè dat excusationẽ, si quis imparem se oneri iniũcto possit probare: idq; diuorum fratrum rescripto continetur. *Concordat item l.post susceptam.40. in fine. ff.eod.tt.his uerbis*: Paupertas quæ operi & oneri tutelæ impar est, solet tribuere uacationem.

IX. *Causa: Si ingenuus libertino tutor detur. Hæc causa approbatur l.1.§.dicendum.ff.de excusat.tutor. his uerbis*:Libertinis pupillis ingenuos tutores uel curatores præsides non dabunt, nisi omnimodò libertinorum penuria secundũ locum illum sit. Libertinis enim libertinos solos oportere dari, qui ex eodẽ loco sint, oratio diui Marci iubet. Si autem dabitur: diuus Seuerus impuberum curam habens, obligatum eum esse tutelæ, nisi iustè rationes reddiderit,rescripsit. *Concordat l.pupillo. 27.§.fin. ff.de tutorib.datis. cuius uerba uide ẽ.cap.4. quæst.2.except.8. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi sese non excusauerit. quæ exceptio ex legibus iam propositis constat. Secunda exceptio est:Nisi nõ intra legitimũ tempus excusationem proposuerit.Hæc exceptio approbatur l.excus.3.C.de excus.tut. his uerbis*: Excusationis quidem tuæ,si ingenuus libertino tutor datus es,certa causa est. Sed cùm te præses prouinciæ audiendum non putauerit propter præscriptionem, quasi tardius adires, nec à decreto prouocaueris,intelligis parendum esse sententiæ. *Plura de hac & præcedente exceptione uide ẽ. inter exceptiones generales,eod.quæst. Tertia exceptio est:Nisi pupillus libertus ius aurecorum annulorũ habeat.Hæc exceptio approbatur l.cum ex.44.in prin.ff.de excus.his uerbis*: Cum ex oratione diui Marci ingenuus libertino tutor datus,excusari debeat:eandem excusationem competere etiam ei qui ius annulorum impetrasset, Imp. noster cum diuo Seuero patre suo rescripsit. Ergo si pupillo libertino habẽti ius annulorum datus sit ingenuus tutor uel curator: consequens est, ut excusatio eius ob hanc cõditionum diuersitatẽ non debeat accipi. At sit,antequam pupillus uel pubes minor annis uigintiquinq; ius annulorum accipere,Lucius Titius ei datus, ut ingenuus excusatus fuit:post impetratum beneficiũ denuò idem tutor curatórue dari poterit,exẽplo eo,quo placuit & rescriptum est, eo qui tempore, quod intra annũ erat, ex quo reipublicæ causa abesse desierat,excusatus fuit: præterito eo, ipsum suo loco dari posse. *Quarta exceptio uidetur esse:Nisi ex liberto ingenuus factus sit,impetrato iure annulorum.Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Eandem excusationem competere etiam ei qui ius annulorum impetrasset.

X. *Causa:Si senator ei qui in nulla dignitate positus est,tutor datus fit.De hac causa uide ẽ.c.4.quæst.2.except.7.in fine.*

XI. *Causa: Si tutor datus debitor uel creditor sit pupilli. De hac causa dictũ ẽ.cap.4.quæst.2.except.13.*

XII. *Causa: Si quis tutelam alicuius gessit, à cura eius excusatur. quæ causa approbatur Inst.de excusat. tut.§.qui tutelam,his uerbis*: Qui tutelam alicuius gessit,inuitus curator eiusdem fieri non compellitur:in tantum, ut licet paterfamiliãs, qui testamento tutorem dedit,adiecerit se eundem curatorem dare:tamen inuitum eum curã suscipere non cogendum,dixerunt Seuerus & Antoninus rescripserũt.*Concordat l.curator.20.C.de excus.tut.his uerbis*: Curator adultis nominatus, quorũ tutor antea fuerat,inuitus in administratione teneri nõ potest. Proinde si dies excusationibus præfinitus nondũ excesserit,uti cõpetẽti defensione potes. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est:Nisi intra legitimũ tempus excusatio fuerit proposita. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Si dies excusationibus præfinitus nondum excesserit. *Hic dies quis sit, dicetur ẽ.quæst.4. A quo die autem incipiat currere tempus legitimum, definitur l. Caius,16.ff.de excus.tut.his uerbis*:Caius testamento suo Nigidium filio suo tutorẽ dedit,eundemq; usq; ad uicesimum quintum annum curatorem cõstituit.Quæro,cum liceat Nigidio à curatione etiam citra appellationẽ se excusare,ex qua die tempora,quæ in excusationibus obseruanda diuus Marcus cõstituit,computãda sunt:utrum ex die aperti testamenti,an ex quo ad negocia gerenda uocatur,id est,post decimum quartũ annum impletũ? Modestinus respondit,excusationem à cura tunc necessariam esse,cum decreto prætoris seu præsidis confirmatus curator fuerit. *Secunda exceptio uidetur esse: Nisi testator tutorem in testamento datum,eundem & curatorẽ esse uoluerit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis. Concordat Inst. d.§.qui tutelam. Tertia exceptio est: Nisi libertus liberorum patroni sui tutelam gesserit.hic enim à cura eorũ ob hoc non excusatur. quæ exceptio approbatur l.libertos.5. C. de excusat.tutor.his uerbis*: Libertos à tutela uel cura liberorum patroni seu patronæ nullam excusationẽ impetrare posse, amplissimus ordo,authore diuo Marco,censuit. Et ideo nec illud eis prodesse debet,quo minus curatores etiam inuiti, patroni seu patronæ liberis dentur, quòd eorundem tutelam administrauerunt. *Plura de hac exceptione uide ẽ. eod.cap.inter except.generales.*

XIII. *Causa: Si tutor datus,alia ratione eiusdẽ tutelæ periculo sit obnoxius. Hæc causa reprobatur l.penult.ff.de tutorib.datis.cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæstion.2.except.26.*

XIIII. *Causa: Si litem cum pupillo uel adulto habet.*

bet. *Hæc causa reprobatur* Instit.*de excusat.tutor.§.item propter litem, his uerbis*: Propter litem, quam cum pupillo uel adulto tutor uel curator habet, excusari non potest: nisi fortè de omnibus bonis uel hæreditate controuersia sit. *Concordat l.propter.21.in prin. ff.eod.tt.his uerbis*: Propter litem, quam quis cum pupillo habet, excusare se à tutela non potest: nisi fortè de omnibus bonis, aut plurima parte eorum controuersia sit. *Huius causæ reprobatæ exceptio prima hæc est: Nisi de omnibus bonis, aut maxima bonorum parte inter nominatum & pupillum controuersia sit. quæ exceptio ex iam propositis constat. Secunda exceptio est: Nisi de hæreditate controuersia sit. Hæc exceptio approbatur Instit.d.§.item propter, in uerbo*: Vel hæreditate. *Cui concordat l.si pupillum.20.ff.de excusationibus, his uerbis*: Si pupillum patruus contendat exhæredatum esse, & se hæredẽ scriptum: æquum est, tutorem pupillo dari, recepta patrui excusatione: uel si nolit excusationem petere, remoto eo à tutela, ita litem de hæreditate expedire. *Concordat item l.si (ut.16.C.eod.tt. his uerbis*: Si (ut allegas) tutor his datus es, cum quibus disceptationem hæreditatis tibi esse proponis, & tempora antiquitùs excusationibus præstituta, etiam nunc opitulantur: adire præsidem prouinciæ potes, formæ super ea statutorum principalium obtemperari pro sua grauitate iussurum. *Tertia exceptio est: Nisi status controuersia sit. Hæc exceptio approbatur l.6.§.amplius.ff.d.tt.his uerbis*: Absoluitur à tutela, cum quæstionem quis pupillo de statu mouet: cum uidetur hoc non calumnia facere, sed bona fide. Et hoc diuus Marcus & Verus promulgauerũt. *Hæc de iure quo causa proposita reprobatur, sint dicta. Planè iure nouo causa proposita uidetur approbari: cum nec debitor, nec creditor pupilli, etiam uolens ei tutor dari poßit, secundum ea quæ proposita sunt s̃.cap.4.quæst.2.except.13.*

XV. *Causa: Si aduersus matrem pupilli actionem habeat. Hæc causa reprobatur l.inusit.19.C.de excusat.tutor.his uerbis*: Inusitatam rem desideras, de tutela filij te dimitti postulans, quòd te posse contrario tutelæ iudicio matrem eius cõuenire, contendis.

XVI. *Causa: Si tutor datus, inimicitias capitales cum patre pupillorum exercuit. Hæc causa approbatur Instit.de excusat.tutor.§.inimicitiæ, his uerbis*: Inimicitiæ, quas quis cum patre pupillorum uel adultorum exercuit, si capitales fuerint, nec reconciliatio interuenit: à tutela uel cura solent excusare. *Concordat l.6.§.dat remißionem.ff.eod.tt.his uerbis*: Dat remissionem tutelæ & capitalis inimicitiæ contentio facta aduersus patrem pupillorum: nisi secundum testamentum apparuerit datus tutor: nisi postquam scriptum est testamentum, capitale certamẽ eis inuicem constitit: uel nisi antiquior quidem est testamento inimicitia, propter hoc autem uideatur esse datus tutor, ut supponatur debito & negocijs. & hoc ex epistola Imperatoris Seueri ostenditur. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi inimicitiæ non fuerint capitales. quæ exceptio constat ex Instit.d.§.inimicitiæ.ibi.si capitales fuerunt. item ex d.§.dat remißionem.ibi:capitalis inimicitiæ contentio. Secunda exceptio est: Nisi inimicitiæ fuerint reconciliatæ. quæ exceptio constat ex uerbis suprà propositis hisce*: Nec reconciliatio interuenit. *Tertia exceptio est: Nisi in testamento tutor datus sit. quæ exceptio approbatur uerbis d.§.dat remiß.s̃.propositis hisce*: Nisi secundũ testamentum apparuerit datus tutor. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post testamentum factum inimicitiæ interuenerint. quæ replicatio constat ex uerbis supradictis hisce*: Nisi postquam scriptum est testamentum, capitale certamen eis inuicem constitit. *Secunda replicatio est: Nisi ob inimicitias in testamento tutor datus sit. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Vel nisi antiquior quidem est testamento inimicitia, &c. *De qua re uide j.causa prox.*

XVII. *Causa: Si propter inimicitias tutor datus sit. Hæc causa approbatur dictis uerbis hisce*: Vel nisi antiquior quidem est testamẽto inimicitia, propter hoc autem uideatur esse datus tutor, ut supponatur debito & negocijs. *Concordat Inst.de excusat.tutor.§.item si propter, his uerbis*: Item si propter inimicitias aliquẽ testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum præstet ei excusationem: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserunt.

XVIII. *Causa: Si propterea tutor nominatus est, ut metu creationis, pecunia data, se redimat. Hæc causa approbatur l.seueriter.14.C.de excus.tutor. his uerbis*: Seueriter præses prouinciæ exequetur, si animaduerterit auunculum tuum propterea nominari tutorem, ut metu huiusmodi creationis à magistratibus iniuriã redimat. Quin si aliqua ei excusatio competit, & nõ alia causa nominatus est, quàm ut litigetur: quod in ea re adsumptum fuerit, is qui eũ nominauit, iuxta formam constitutionum ei reddere cõgetur.

XIX. *Causa: Si patri pupillorũ ignotus fuit. Hæc causa reprobatur Inst.de excus.tut.§.non esse, his uerbis*: Non esse aũt admittendam excusationẽ eius, qui hoc solo utitur, quòd ignotus patri pupillorum sit, diui fratres rescripserũt. *Concordat l.15.§.qui dixerit.ff.eod.tt.his uerbis*: Qui dixerit, seipsum ignotum esse patri uel matri pupilli: non propter hoc excusabitur.

XX. *Causa: Si controuersiam status à patre pupillorum passus est. Hæc causa approbatur Instit.de excus.tut.his uerbis*: Item is qui status controuersiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela.

XXI. *Causa: Si res cum pupillo communes habet. Hæc causa reprobatur l.quòd res.21. C.de excus.tut.his uerbis*: Quòd res cum uterinis fratribus tibi communes esse profiteris, ad excusationẽ tutelæ non est idoneum: cum harum diuisio curatore dato fieri posit.

XXII. *Causa: Si pupilli nomine actiones aduersus cognatos suos sint mouendæ. Hæc causa approbatur l.human.23.C.d.tt.his uerbis*: Humanitatis ac religionis ratio non permittit, ut aduersus sororem uel filios sororis actionum necessitates tutelæ occasione suscipias: cum & ipsius etiam pupilli, cui tutor datus es, aliud exigere uideatur utilitas: scilicet ut eum tutorem potius habeat, qui ad defensionem eius non inhibeatur affectu. Iuxta formam igitur, quam consulti dedimus, prætorem adiri oportet, ut & iusto tuo desiderio, & pupilli illius commodo consulatur.

XXIII. *Causa: Si pupilli bona in alio loco sita sint, quàm in quo tutor datus domicilium habet: ab illorum administratione excusatur. quæ causa approbatur l.non solùm.10.§.& qui in testamento. ff.de excusat.his uerbis*: Et qui in testamento dati sunt tutores, renuent secundum leges administrationem earum possessionum, quæ in alia sunt prouincia: quod ostendit subiecta diui Seueri constitutio. Diui Seuerus & Antoninus Augusti Valerio: Testamento tutor datus, ante præfinitum diem adire præsidem prouinciæ debuisti, & postulare, ut ab administratione earum rerum, quæ in alia prouincia erant, liberareris. *Concordat l.illud 19.ff.eod.tt.his uerbis*: Illud usitatissimum est, ut his qui in Italia domicilium habent, administratio rerum prouincialium remittatur. *Item concordat l.propter.21. §.penult. & ult. ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.cap.4. quæst.2.except.33. repl.8. Item concordat l.planè ultra.42.ff.eod.tt .cuius uerba uide j. in fine, except . generali 2.replic.2. Item concordat l.ult.§.ult. ff.eod.tt . his uerbis*: Sed & hoc genus excusationis est, si quis se dicat ibi domicilium non habere, ubi ad tutelam datus est: idq; Imp.Antoninus cum diuo patre significauit. *Concordat item l.2.C.de excus.tutor.cuius uerba uide s̃.cap.4. quæst.2.except.33. repl. 8.Item concordat l.testamento.11.C.eod.tt. cuius uerba uide s̃.d.quæst.2.except.32.replic.5. Concordat item l. idem Vlpianus.12.§.fin. ff.de excusationibus.cuius uerba uide j.except.generali 11.replic.3. Concordat deniq; l.tutores.38.§.patruus. ff.de administr.tut.his uerbis*: Patruus testamento fratris filio tutor datus, cum in Italia domicilium haberet, tam Italicarum rerum quàm prouincialium, &c. *Vide item plura de causa proposita s̃. cap.4. quæst.2.exception.14. item j.lib.proxim.cap.3 officio 17.*

XXIIII. *Causa: Si pupillus nil nisi nudam rerum proprietatem habeat, usufructu penes alium subsistente. Hæc causa reprobatur l.tutores.18.in fine.C.de excusat.tut.his uerbis*: Quòd omnium bonorum patrem pupilli usumfructũ reliquisse quondam uxori suæ proponis, ad excusandos uos à tutela non est idoneum.

XXV. *Causa: Si potestatem aliquam habeat tutor nominatus, uel in dignitate ac magistratu positus est. Hæc causa approbatur Inst.de excus.§.& qui potestatem, his uerbis*: Et qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, ut diuus Marcus rescripsit: sed susceptam tutelam deserere non possunt. *Concordat l.6.§.Vlpianus quoq;. ff. eod.tt. his uerbis*: Gentium præsidatus (puta Asiæ, Bithyniæ, Cappadociæ) tribuit immunitatem à tutela, hoc est, quoad in præsidatu sunt. Tutela enim non est reipublicę munus, nec quoad impensam, sed ciuile, nec prouinciale uidetur tutelam administrare. Remittuntur à tutela & cura magistratus ciuitatum. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi ædilis sit. hic enim non est excusatus. quæ exceptio approbatur l.non tantùm.17.§.is qui.ff.eod.tt.his uerbis*: Is qui ædilitate fungitur, potest tutor dari. nam ædilitas inter eos magistratus habetur, qui priuatis munerib. excusati sunt, secundum diui Marci rescriptum. *Secunda exceptio est: Nisi antequam magistratum iniret, tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur d.§.is qui, his uerbis*: Sanè notum est, quòd gerentibus honorem, uacationem tutelarum concedi placuit. Vacare autem eos qui tunc primùm uocentur ad suscipiendum officium tutelæ: cæterùm eos qui iam se miscuerunt administrationi, nec tempore quidem magistratus uacare. *Concordat l.propter.22.in prin.ff.eod. tt.cuius uerba uide j.except.4. Item concordat Instit. de excusat.tut.§.& qui potestatem. ibi: sed susceptam. cuius uerba uide paulò superius ead.causa, in princ. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi cum quis tutor esset pupilli in nulla dignitate positi, postea senator sit factus. quæ replicatio approbatur l.15.§.scire oportet.ibi: si autem quis. ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.cap. 4.quæst.2.except.7. Tertia exceptio est: Nisi ad tutelam uocetur eius, qui in dignitate aliqua positus est. quæ exceptio approbatur d.§.scire oportet. Quarta exceptio est: Nisi magistratus municipalis sit. Hæc exceptio approbatur l.propter.22.in prin.ff.d.tt.his uerbis*: Propter magistratum, quẽ in municipio quis erat administraturus, tutelę excusationem nõ habere, Vlpianus respondit. *Diuersum constituitur in magistratib.ciuitatũ l.6.§.Vlpianus quoq;, in fin.ff.d.tt.cuius uerba uide s̃.ead.caus.in prin.*

XXVI. *Causa: Si res principis uel fisci administret. Hæc causa approbatur l.administ.41. in prin. ff.de excusationib.his uerbis*: Administrantes res principum, ex indulgentia eorũ, licet citra codicillos, à tutela, itemq; cura tẽpore administratio-

ſtrationis delata,excuſantur. Idemq; cuſtoditur in his qui præfecturam annonæ uel uigilum gerunt. *Concordat inſt.eod.tt.§.item diuus,his uerbis*: Diuus Marcus in ſemeſtribus reſcripſit, eum qui res fiſci adminiſtrat,à tutela uel cura,quam diu adminiſtrat,excuſari poſſe. *Huius ſpecies ſequuntur.*

XXVII. *Cauſa, De eo cui princeps curam alicuius rei iniunxit,proponitur l.geometer.22. ff.de excuſ. his uerbis*: Hi quibus princeps curam alicuius rei iniunxit, excuſantur à tutela, donec curam gerunt.

XXVIII. *Cauſa, De præfectis annonæ & uigilum,proponitur d.l.41.in prin.ff.d.tt. cuius uerba uide §.cauſ.26.*

XXIX. *Cauſa, De exactoribus tributorum,proponitur l.exact.10.C.de excuſ.tutor.his uerbis*: Exactores tributorum tanto tempore, quanto rationem tributariam tractauerint, non ſolùm ab oneribus,ſed etiam à tutelis uacatio nem habere,dubitare non debuiſti.

XXX. *Cauſa, De colono patrimoniali, proponitur l.ult. C.qui dare tutores, his uerbis*: Ne magiſtratuum ulterius procedat licentia: plenius deſignamus, ne patrimonialem colonũ, ſiue alium qui priuilegio ab hac nuncupatione defenditur,tutelæ muneris adſtringat officium. *Huius cauſæ exceptio hæc eſt:Niſi non patrimonialis colonus ſit,ſed conductor rerum fiſcalium.quæ exceptio approbatur l.coloni.8.C.de excuſat.tutor.his uerbis*: Coloni,id eſt,conductores prædiorum ad fiſcum pertinẽtium, hoc nomine excuſationem à muneribus ciuilibus non habent. Ideoq; iniunctæ tutelæ munere fungi debent.

XXXI. *Cauſa,De ſilentiarijs,proponitur l.ult.C. de excuſat.tutor.his uerbis*: Viros clariſſimos ſacri noſtri palatij ſilentiarios, circa latus noſtrum militantes,de tutelis & curationibus excuſari ſancimus. *Concordat l.ult.§.ad hæc. C.de ſilentiarijs,his uerbis*: De tutelis & curationibus ſilentiarios excuſari ſancimus: ne alienarum rerum adminiſtrationem ſubire compellantur, qui propter noſtra miniſteria nec ſuis curam ſeu prouiſionem diligenter deferre poſſunt.

XXXII. *Cauſa, De conductoribus uectigalium, reprobatur l.15.§.qui uectigalia. ff. de excuſationibus, his uerbis*: Qui uectigalia conduxit à ciuitatibus,non excuſatur à cura.

XXXIII. *Cauſa, De menſoribus frumentarijs, approbatur l.menſores.26. ff.de excuſat.tutor. his uerbis*: Menſores frumentarios habere ius excuſationis, apparet ex reſcripto diuorum Marci & Commodi, quod r. ſcripſerũt præfecto annonæ.

XXXIIII. *Cauſa, De eo qui immunitatem habet ciuilium & publicorum munerum, reprobatur l. 15.§.qui accepit.ff.de excuſationibus,his uerbis*: Qui accepit uel habet immunitatem ciuilium uel publicorum munerum, hic à tutela uel cura non excuſabitur. *Concordat l.non tantum.17.§.non omnia.ff.eod.tt.his uerbis*: Non omnia corpora uel collegia uacationem tutelarum habent, quamuis muneribus municipalibus obſtricta non ſint:niſi nominatim id priuilegium eis indultum ſit. *Contradicit d.l.17.§.eos qui,his uerbis*: Eos qui in corporibus ſunt(ueluti fabrorum) quosq; immunitatem habere dicimus,etiam circa tutelarum extraneorum hominum adminiſtrationem habebunt excuſationem: niſi facultates eorum adauctæ fuerint, ut ad cætera quoque munera publica ſuſcipienda compellantur.Idq; principalibus conſtitutionibus cauetur.

XXXV. *Cauſa, De inquilinis caſtrorum,approbatur d.l.17.§.fin.his uerbis*: Inquilini caſtrorum à tutelis excuſari ſolent, niſi eorum qui & ipſi inquilini ſunt, & in eodem caſtro eademq; conditione ſunt.

XXXVI. *Cauſa, De nauicularijs, approbatur l.excuſ.24.C.de excuſat.tutorum, his uerbis*: Excuſationem nauicularijs tutelæ ſiue curæ hactenus ipſis tribuimus,ut in huiuſmodi officijs minoribus ſui tantùm corporis obligentur. *Ait Imper.* Vt in huiuſmodi officijs minoribus ſui tantùm corporis obligentur. *Hæc eſt prima propoſitæ cauſæ exceptio, de qua uide plura §. inter exceptiones generales. Secunda exceptio eſt: Niſi domini nauium,non ipſi nauicularij excuſatione uti uelint. quæ exceptio approbatur d.l.17.§.penult.ff.eod.tt.his uerbis*: Domini nauium non uidentur haberi inter priuilegiarios,ut tutelis uacent: idq; diuus Traianus reſcripſit.

XXXVII. *Cauſa, De librarijs & calculatoribus, reprobatur l.15.§.neq; librarios. ff.de excuſationibus,his uerbis*: Neque librarios,neque calculatores, quos uulgò rationarios dicimus, habere immunitatem, dicũt diuorum conſtitutiones.

XXXVIII. *Cauſa, De eo qui reipublicæ cauſa abeſt, proponitur & approbatur inſtit.de excuſat. tutor.§.item qui reipub. his uerbis*: Item qui reipublicæ cauſa abſunt, à tutela uel cura excuſantur. Sed etſi fuerint tutores uel curatores dati, deinde reipubl. cauſa abeſſe cœperint, à tutela uel cura excuſantur, quatenus reipub.cauſa abſunt: & interea curator loco eorum datur. Qui ſi reuerſi fuerint,recipiunt onus tutelæ: nam nec anni habent uacationem, ut Papinianus lib.V. Reſponſ. ſcripſit. nam hoc ſpacium habent ad nouas tutelas uocati. *Propoſitæ cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi tutor datus ſit, antequam reipub.cauſa abeſſe cœperit. quæ exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Sed etſi fuerint tutores uel curatores dati, deinde reipub.cauſa abeſſe cœperint,à tutela uel cura excuſantur. *Concordat l.1.C.ſi tutor reipub.cauſa, his uerbis*: Qui tutores uel curatores dati, reipublicæ cauſa abfuturi ſunt, ad tempus ſe excuſare debẽt à tutela, ne etiam medij temporis periculo adſtringantur. Quod quidem ſi & tu feciſti: interualli eius quo abfuiſti, periculum non debes pertimeſcere. Quòd ſi id prætermiſiſti: ut priore loco is cõueniatur,qui adminiſtrauit,de iure poſtulabis. *Secunda propoſitæ cauſæ exceptio eſt: Niſi reipublicæ cauſa abeſſe deſierit. Hæc exceptio approbatur l.1. C.in quibus caſibus tutorem habenti. cuius uerba uide §.cap.8.cauſa 18. Concordat l.cum ex orationc.44.in prin.ibi:exemplo eo quo placuit. ff.de excuſat.tutor. his uerbis*: Reſcriptum eſt,eum qui tempore quod intra annum erat,ex quo reipublicę cauſa abeſſe deſierat,excuſatus fuit: præterito eo,ipſum ſuo loco dari poſſe. *Concordat l.1.C.de profeſſ. & medicis. cuius uerba uide §.lib.13. cap.4. reg.46. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi annus ex quo reipub. cauſa abeſſe deſijt, nondum exceſſerit. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Qui tempore quod intra annum erat, ex quo reipublicæ cauſa abeſſe deſierat, excuſatus fuit. *Concordat l.2.C.ſi tutor reipub.cauſa, his uerbis*: Certum eſt, eos qui reipub. cauſa abeſſe deſierunt, omni noua tutela anno carere debere. *Concordat item l.non ſolùm.10.in prin. ff.de excuſat. his uerbis*: Non ſolùm qui ad caligatas militias & reliquas primipilarij militauerunt: ſed & qui qualitercunq; neceſſitatis publicæ populi Romani gratia abſentes fuerunt, anni habent uacationẽ poſt reuerſionem. *Declaratur hæc replicatio l.tempus.4. ff.de uacat.& excuſ.munerum, his uerbis*: Tempus uacationis,quod datur eis qui reipublicæ cauſa abfuerunt, non ex eo die numerandum eſt, quo quis abeſſe deſijt, ſed cum laxamẽto quodam itineris. neq; enim minus abeſſe reipublicæ cauſa intelligendus eſt, qui ad id negocium uel ab eo reuertitur. Si quis tamẽ plus iuſto tẽpore aut in itinere, aut in alio loco cõmoratus,conſumpſit:ita ea interpretanda erunt, ut ex eo tempore uacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuiſſet. *Concordat d.l.10.§.1.ff.de excuſ.tutor.his uerbis*: Annus autem continuorum dierum ſeruabitur, ex quo quis reuerſus eſt,rectam uiam dirigens uel dirigere debens,nõ eam quæ eſt ex circuitibus. *Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi reuerſus non ad nouam tutelam uocetur,ſed priſtinam recipiat.tunc enim anni uacationem non habet, quæ duplicatio approbatur inſt.de excuſ.tutor. §.item qui reipublicæ.ibi:nam nec anni.cuius uerba uide §.cad.cauſa,in prin. Concordat d.l.10.in prin.ff.de excuſat.tut. his uerbis*: Quas

ratores dati, deinde reipub.cauſa abeſſe cœperint,à tutela uel cura excuſantur. *Concordat l.1.C.ſi tutor reipub.cauſa, his uerbis*: Qui tutores uel curatores dati, reipublicæ cauſa abfuturi ſunt, ad tempus ſe excuſare debẽt à tutela, ne etiam medij temporis periculo adſtringantur. Quod quidem ſi & tu feciſti: interualli eius quo abfuiſti, periculum non debes pertimeſcere. Quòd ſi id prætermiſiſti: ut priore loco is cõueniatur,qui adminiſtrauit,de iure poſtulabis. *Secunda propoſitæ cauſæ exceptio eſt: Niſi reipublicæ cauſa abeſſe deſierit. Hæc exceptio approbatur l.1. C.in quibus caſibus tutorem habenti. cuius uerba uide §.cap.8.cauſa 18. Concordat l.cum ex orationc.44.in prin.ibi:exemplo eo quo placuit. ff.de excuſat.tutor. his uerbis*: Reſcriptum eſt,eum qui tempore quod intra annum erat,ex quo reipublicę cauſa abeſſe deſierat,excuſatus fuit: præterito eo,ipſum ſuo loco dari poſſe. *Concordat l.1.C.de profeſſ. & medicis. cuius uerba uide §.lib.13. cap.4. reg.46. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi annus ex quo reipub. cauſa abeſſe deſijt, nondum exceſſerit. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Qui tempore quod intra annum erat, ex quo reipublicæ cauſa abeſſe deſierat, excuſatus fuit. *Concordat l.2.C.ſi tutor reipub.cauſa, his uerbis*: Certum eſt, eos qui reipub. cauſa abeſſe deſierunt, omni noua tutela anno carere debere. *Concordat item l.non ſolùm.10.in prin. ff.de excuſat. his uerbis*: Non ſolùm qui ad caligatas militias & reliquas primipilarij militauerunt: ſed & qui qualitercunq; neceſſitatis publicæ populi Romani gratia abſentes fuerunt, anni habent uacationẽ poſt reuerſionem. *Declaratur hæc replicatio l.tempus.4. ff.de uacat.& excuſ.munerum, his uerbis*: Tempus uacationis,quod datur eis qui reipublicæ cauſa abfuerunt, non ex eo die numerandum eſt, quo quis abeſſe deſijt, ſed cum laxamẽto quodam itineris. neq; enim minus abeſſe reipublicæ cauſa intelligendus eſt, qui ad id negocium uel ab eo reuertitur. Si quis tamẽ plus iuſto tẽpore aut in itinere, aut in alio loco cõmoratus,conſumpſit:ita ea interpretanda erunt, ut ex eo tempore uacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuiſſet. *Concordat d.l.10.§.1.ff.de excuſ.tutor.his uerbis*: Annus autem continuorum dierum ſeruabitur, ex quo quis reuerſus eſt,rectam uiam dirigens uel dirigere debens,nõ eam quæ eſt ex circuitibus. *Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi reuerſus non ad nouam tutelam uocetur,ſed priſtinam recipiat.tunc enim anni uacationem non habet, quæ duplicatio approbatur inſt.de excuſ.tutor. §.item qui reipublicæ.ibi:nam nec anni.cuius uerba uide §.cad.cauſa,in prin. Concordat d.l.10.in prin.ff.de excuſat.tut. his uerbis*: Quas prius habebant tutelas, propter hoc autem depoſuerunt,quoniam publici negocij gratia abibant: has, cum reuerſi fuerint, confeſtim recipient, nihil eis auxiliante anno. annus enim ad futuras nouas datur,non ad eas quæ reſumi debent. *Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi ita in teſtamento tutor ſcriptus ſit: Titius tutor eſto: cum reipubl. cauſa abierit, tutor ne eſto: cum redierit,tutor eſto. Hoc enim caſu reuerſus ad nouam tutelam redire uidetur. quæ triplicatio approbatur, ſed & diſtinguitur l.Titius.45.in prin.uſque ad §.ſi à prætore. ff. de excuſationib. cuius uerba uide §.quæſt.4.reg.2.except.2. Secunda duplicatio uidetur eſſe:Niſi non compleuerit conſuetum tempus militiæ in publicis neceſſitatib. Hæc duplicatio reprobatur d.l.10.in prin.his uerbis*: Annus deniq; hic non ſolùm his qui compleuerunt conſuetum militiæ tempus,in reliquis publicis neceſſitatibus datur,ſed & his qui qualitercunq; quieuerunt à publica neceſſitate, & reuerſi ſunt,etſi minus eo tempore quod conſtitutum eſt,conſummauerunt. *Tertia exceptio eſt:Niſi non coactus reipub.cauſa abſit,ſed uolens. quæ exceptio approbatur l.qui libera.14.ff.de legationib.his uerbis*: Qui libera legatione abeſt, non uidetur reipub.cauſa abeſſe. hic enim non publici commodi cauſa,ſed ſui abeſt.

XXXIX. *Cauſa, De comitibus eorum qui reipub. cauſa abſunt, approbatur l.adminiſtrantes.42.§. eorum.ff.de excuſ.his uerbis*: Eorum qui reipub. cauſa abſunt comites,qui ſunt intra ſtatutũ numerũ, de tutela quæ abſentibus uel profecturis delata eſt, excuſantur: nam ſuſceptam antea non deponunt.

XL. *Cauſa, De militibus,iure antiquo approbatur l.ſed & 8.in prin.ff.de excuſat.his uerbis*: Sed & milites,qui honeſtè compleuerunt militiæ tẽpus,remiſſionem habent tutelarum aduerſus omnes priuatos: aduerſus autem filios eorũ qui eidẽ ordini cõmunicauerunt,& omniũ qui olim milites fuerunt, infra annũ quidem dimiſſionis remiſſionem habent, poſt annum autẽ non habent: coæqualitas enim honoris militiæ fortior uidetur priuilegio, quod olim inter milites habuerunt: niſi fortaſsis alias habuerit iuſtas tutelæ excuſationes:utputa numerũ annorum,uel aliquid tale,quale & priuatos aduerſus omnes excuſare cõſuetum. Hæc autem de filijs, non de nepotibus eorum qui olim milites fuerunt.nepotes enim eorum qui olim milites fuerunt,in eodem loco cũ reliquis priuatis eſſe creduntur. *Propoſitæ cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi filio militis miles tutor ſit datus. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Aduerſus autem filios eorum qui eidem ordini communicauerunt, & omnium qui olim milites fuerunt, infra annum quidẽ dimiſſionis remiſſionem habẽt, poſt annum

autem non habent,&c. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi adhuc militent, uel annus à tempore missionis nondum excesserit. tunc enim & militũ filijs tutores dati excusantur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Infra annũ quidem dimissionis remissionem habent. *Concordat l.nõ solùm.10.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.causa 38.except.2.repl.1.in prin. Secunda replicatio est: Nisi nõ filio, sed nepoti militis, miles tutor sit datus. quæ replicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* Hæc autem de filijs, non de nepotibus eorũ qui olim milites fuerunt. nepotes enim eorum qui olim milites fuerũt, in eodẽ loco cum reliquis priuatis esse creduntur. *Tertia replicatio est: Nisi tribunus in cohortibus prætorijs permilitauerit. quæ replicatio approbatur l.si tribunus.9.ff.de excus.bis uerbis:* Si tribunus in cohortibus prætorijs permilitauerit: etiã collegarũ filiorum tutela excusabitur, beneficio diui Seueri & Imperatoris nostri. *Quarta replicatio proponitur & reprobatur l. sed & 8.§.quæsitum est, in fine.ff.de excusat.bis uerbis:* Nihil differt, qualiter indigeant filij cõmilitonis tutore uel curatore, utrum emancipati, uel patre mortuo. *Plures replicationes uide ẽ.causa prox.except.1. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi milites ignominiosè sint dimissi. quæ exceptio approbatur d.l.8.§.qui uerò, bis uerbis:* Qui uerò ignominiosè dimissi sunt, similes his habentur, qui nunquam militauerunt: & propter hoc neq; ipsi habent priuilegium, neq; filij eorum. *Concordat d.l.8.§.qui autem eius uerba uide ẽ.except.3.repl.4. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi urbica tutela militi ignominiosè dimisso deferatur. quæ replicatio approbatur d.l.8.§.sed ignomina missi, bis uerbis:* Sed ignominia missi ab urbicis planè tutelis excusabũtur, quia ingredi urbẽ eis non licet. *Tertia exceptio est: Nisi amplius nõ militent. Hæc exceptio approbatur d.l.8.§.qui olim, bis uerbis:* Qui olim fuerũt milites, tutores dati obligabuntur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ueteranus sit, uel militiæ tempus consuetum impleuerit. quæ replicatio approbatur ẽ.causa prox. Secunda replicatio est: Nisi uicesimum militiæ annum excesserit. quæ replicatio approbatur d.l.8.§.quandoq;, bis uerbis:* Quãdoq; autem non complent quidam militię tempus, & tamẽ habent remissionẽ tutelarum, perinde ac hi qui compleuerunt. Qui enim uicesimũ annũ militiæ excesit, similis esse creditur ei qui cõpleuit tempus militiæ. Qui aũt infra hos annos dimissus est, nõ habet continuam tutelarũ immunitatẽ: sed ad tempus, quemadmodũ & reliquorũ ciuilium munerum, remissionẽ habet. Qui enim infra quinq; annos à militia solutus est, nullam sibi uindicabit immunitatẽ: Qui autẽ post quinq; annos, unius anni habet immunitatẽ: qui autẽ post octo, biẽnij: qui autem post duodecim, triennij: qui autem post quindecim, quadriennij: qui autẽ post uiginti, sicut suprà diximus, continuè absoluetur. *Concordat propositæ replicationi l.1.C.de excusat.ueteranorũ, bis uerbis:* Qui causaria missione sacramento post uiginti stipendia soluuntur, & integram famam retinent: ad publica priuilegia ueteranis cõcessa pertinẽt. *Tertia replicatio est, Quòd quamuis amplius non militent, & ob id perpetuam excusationẽ non habeant: tamen ad tempus excusentur. quæ replicatio approbatur simul & declaratur uerbis iam propositis. Sed & distinguitur hoc modo: Nisi infra quinq; annos dimissus fuerit. Quæ distinctio seu duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Qui enim infra quinq; annos à militia solutus est, nullã sibi uindicabit immunitatẽ. *Planè hic quoque, tanquam qui reipub.causa absuit, annũ habet. quod approbatur l.nõ solùm.10.§.annus.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.causa 38. except.2.repl.1.dupl.2. Quarta replicatio est: Nisi in cohortibus urbanis militauerint. quæ replicatio approbatur d.l.8.§.planè si quis, bis uerbis:* Planè si quis in cohortibus urbanis militauit, licet ante uiginti. annos mittitur, tamen perpetuã habet à tutelis excusationem. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi inter nocturnos custodes militauerint. quæ duplicatio approbatur d.l.8.§.qui aũt, bis uerbis:* Qui autem inter nocturnos custodes, qui sunt Romæ, militauerit, anni solius habet remissionem: ita autem, si honestè licet absolutus fuerit (sicut dictum est) uel propter ægritudinem causariam (ut uocãt) remissionem acceperit: est enim & hæc honesta. qui enim ignominiosa potitur remissione, non habet uacationem.

Duplicationes iam enumeratarum replicationum generales.

Planè iam dictarum replicationum duplicatio prima hæc est: Nisi filio militis tutor uel curator detur is, qui olim fuit miles. quæ duplicatio approbatur d.l.8.§. iam uerò & militi, bis uerbis: Iam uerò & militi impuberi curator dabitur, qui olim miles fuerit, scilicet si pater huius mortuus fuerit, siue etiam hic emancipatus fuerit. Similiter & de uniuersis his constituriones testãtur. Scribit autem & Vlpianus ita. *Plura de hac duplicatione uide ẽ.except.1. Secunda duplicatio est: Nisi non honestè militia sint dimissi. quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.except.2.*

Mutatio iuris.

Hæc de iure antiquo sunt dicta. Planè iure nouo miles nec si uelit, tutor dari potest. de qua re uide ẽ.cap.4.quæst.2.except.22.

XLI. *Causa, De ueteranis. Hi quoq; excusantur. quæ causa approbatur ipso iure: uerum eius exceptio prima hæc est: Nisi filiorum militis tutor sit datus ueteranus. quæ exceptio approbatur l.sed & 8.§.si autem ueteranus.ff.de excusation.bis uerbis:* Si autẽ ueteranus esse creditur, nõ solũ legionarius, sed & omnis qui qualitercunq; militauit, licet honestè, est & ipse absolutus: filiorũ tamen tutor creabitur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc esse videtur: Nisi filius sit eius qui inter nocturnos custodes militauit. uerùm hæc replicatio reprobatur d.§.si autem, bis uerbis:* Etenim legionarius eius qui inter nocturnos custodes militauit, filiorũ tutor fit. *Secunda replicatio est: Nisi unam tutelam uel curam ueteranus habeat. Hæc replicatio approbatur l.2.C.de excusat.ueteranorũ, bis uerbis:* Quod placuit, ueteranos tantummodò conueterani filiorũ seu militum, & quidem unam tutelam seu curã eodem tempore administrare cõpellitæ ò pertinet, ut si alijs dati fuerint, intra solennia tẽpora causas excusationis ad competentem iudicem deferãt. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi tutela uel cura quã habuit, sit finita. tũc enim ad aliam uocari potest, dummodò filij militis. quæ duplicatio approbatur l.sed ẽ.8.§.quæsitum.ff.de excusat.tutorũ, bis uerbis:* Quæsitum est, utrum unam & semel tutelam accipiant qui olim fuerunt milites, uel uno tempore non amplius quàm semel: quiescente autem prima tutela, rursus priuilegium recipiant? Sed sicuti in priuatis, qui quieuerunt, non auxiliantur his qui habuerũt, nec inter tres adnumerãtur: ita & in his qui olim fuerunt milites, non prodest creatum esse. Hoc autem & in curijs est promulgarum, ut ostendit diui Seueri & Antonini constitutio. *Plura de exceptione proposita uide ẽ. causa proxim.except.1. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi non honestè militia fit dimissus ueteranus. De hac etiam exceptione uide ẽ. causa proxim. except.2.*

XLII. *Causa, De primipilarijs. Hi quoq; à tutelis excusantur. quæ causa approbatur simul & distinguitur d.l.8.§ fin.ff.de excusat.tutor.bis uerbis:* Primipilarij ex constitutionibus Imperialibus excusationem habẽt reliquarum tutelarum: primipilarij autem filiorum tutores erunt. *Declaratur hæc causa ibidem, bis uerbis:* Primipilarij autem hi existimãtur, qui exercent primipilum. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi primipilarij filio tutor detur. Hæc exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Primipilarij autẽ filiorum tutores erunt. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi pater mortuus sit, non exercens primipilũ. quæ replicatio approbatur d.§.fin. bis uerbis:* Si quis aũt non exercens primipilũ mortuus fuerit, huius filiorum primipilarius tutor non erit. *Secunda exceptio est: Nisi primipilum expleuit, seu primipilarius esse desijt. tunc enim nõ excusatur. Cuius replicatio hæc est: Nisi postea rursus in militares necessitates sit assumptus. quæ replicatio approbatur l.non solùm.10.§.qui primipilum.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæst.2.except.32.repl.7.*

XLIII. *Causa, De Grammaticis, Rhetoribus, Medicis & Sophistis, approbatur Inst.de excusat. tutor.*

§.item Romæ, bis uerbis: Item Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intra numerũ sunt, à tutela & cura habent uacationẽm. *Concordat l.6.§.Grammatici.ff. eod.tt. bis uerbis:* Grammatici, Sophistæ, Rhetores, Medici, qui & περιόδευται uocantur, quemadmodũ à reliquis muneribus, ita & à tutela & à cura requiem habent. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi alibi quàm in patria sua dictas artes exerceat. tũc enim uacationem non habet. quæ exceptio approbatur Inst.d.uerbis hisce:* Et qui in patria sua has artes exercent. *Concordat d.l.6.§.amplius & illud, bis uerbis:* Amplius & illud scire oportet, & eum qui in patria propria docet aut medicatur, immunitatem hanc habere. Si enim existens Cumanus, in Cæsarea doceat aut medicetur apud Cumanos immunitatem non habet. Et hoc ita promulgatum est à diuo Seuero & Antonino. *Concordant item ea quæ habentur ẽ.causa prox. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi excellens sit in disciplinis. quæ replicatio approbatur d.§.amplius, bis uerbis:* Valde tamen disciplinis instructos, etsi supra numerum & in aliena patria moram faciãt, esse immunes Paulus scribit, dicens, ita diuum Pium Antoninum iussisse. *Secunda replicatio est: Nisi externus Romæ dictas artes exerceat. quæ replicatio approbatur d.§.amplius. ibi: Romæ, bis uerbis:* Romæ philosophãtem cum salario uel sine salario remissionem habere, promulgatum est à diuo Seuero & Antonino, ita ac si in propria patria doceret. Quibus promulgationibus potest quis illã rationẽ adducere: quoniam in regia urbe, quæ & habetur & est communis patria, decenter utiq; utilem seipsum præbens, non minus quàm in propria patria immunitate fruetur. *Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi extra numerum prædictas artes doceat uel exerceat. quæ exceptio approbatur Inst.d.§.item Romæ, dictis uerbis hisce:* Et intra numerum sunt. *Concordat d.l.6.§.Grammatici, bis uerbis:* Est autem & numerus Rhetorum in unaquaq; ciuitate, qui uacationem munerum habent, & hæreses quædam propositæ lege: quod manifestum est ex epistola Antonini Pij, quę scripta quidem est communitati Asiæ, uniuerso autem orbi conueniens est: cuius capitulum hic subiectum est. Minores quidem ciuitates possunt quinq; Medicos immunes habere, & tres Sophistas, & Grãmaticos totidem. Maiores autẽ ciuitates septem qui curent, quaternos qui doceant utranq; doctrinam. Maximæ autem ciuitates decem Medicos, & Rhetores quinq;, & Grammaticos totidem. Supra hũc autem numerum ne maxima quidem ciuitas immunitatem præstat. Decet autem maximo quidem numero

mero uti metropoles gentium,ſecundo autem quæ habent fora cauſarum, tertio autē reliquas. Excedere hūc numerum quidem non licet, neq; ſententia ſenatus,neq; alia qua adinuentione:minuere autē licet,quoniam pro ciuilibus muneribus hoc introductum eſſe apparet.Et utiq; nō aliter hac immunitate perfruētur, niſi dogmate ſenatus inſcripti fuerint numero conceſſo, & circa operationem ſe negligenter non habeant. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi excellentes ſint diſciplinis.quæ replicatio approbatur d.l.6.§.ampliùs.ibi:ualde tamen. cuius uerba uide ē.except.prox. repl.1.* *Tertia exceptio eſt: Niſi negligentes fuerint. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Et utiq; non aliter hac immunitate perfruentur, niſi circa operationem ſe negligēter non habeant.

XLIIII. *Cauſa, De Philoſophis. Hi quoq; à tutela & cura ſunt immunes. quæ cauſa ſeu regula approbatur l.6. §.& quidem philoſophos. ff. de excuſat. his uerbis:* Et quidem philoſophos liberari à tutelis,& Paulus ſcribit ita:Philoſophi, Oratores,Grammatici,qui publicè iuuenibus profunt,excuſantur à tutelis. Nam & Vlpianus lib.quarto de officio proconſulis ita ſcribit. *Concordat d.l.6. §. de philoſophis, hiſce uerbis:* De philoſophis autem eadem conſtitutio diui Pij ita dicit:Philoſophorum autem non eſt conſtitutus numerus:quia rari ſunt qui philoſophantur. Exiſtimo autem eos qui diuitijs abundant, uoluntariè pecuniam in utilitates patriæ contribuere debere. Si autem propriè loqueretur de ſubſtantia, iam inde manifeſtum eſſet eos non philoſophari. Eſt autem Imperatoris Commodi conſtitutionibus inſcriptum capitulum ex epiſtola Antonini Pij, in qua manifeſtatur, & philoſophos habere immunitatem tutelarum. Sunt autem hæc uerba: Conſimiliter autem his omnibus diuus pater meus,mox ingrediens principatum,conſtitutione exiſtentes honores & immunitates firmauit: ſcribens,Philoſophos,Rhetores,Grammaticos,Medicos, immunes eſſe non ſolùm à præfecturis gymnaſiorum & ſacerdotij ſolere:ſed & frumenti,uini & olei emptionis, & ius præpoſitionis: & neque iudicare,neque legatos eſſe,neque in militia numerari inuitos, neq; ad alium famulatum eos cogi. *Huius cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi extra patriam ſuam philoſophiam profiteantur. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt ē. cauſa prox.except.1.* *Secunda exceptio uidetur eſſe:Niſi extra numerum philoſophiam profiteantur. Hæc exceptio reprobatur uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Philoſophorum autem non eſt conſtitutus numerus:quia rari ſunt qui philoſophantur,&c.

XLV. *Cauſa,De Legum doctoribus & Iuriſperitis. Hi regulariter quidem non excuſantur. Cuius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi Romæ doceant. quæ exceptio cum ſua regula approbatur l.6. §.legum. ff. de excuſationib. his uerbis:* Legum uerò doctores in aliquo præſidatu docentes,remiſsionem non habebunt:Romæ autem docentes,& à tutela & cura remittuntur. *Secunda exceptio eſt:Niſi principi adſideant. quæ exceptio approbatur l.iuriſperitos.30.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Iuriſperitos, qui tutelam gerere cœperunt,in conſilium principum adſumptos, optimi maximiq; principes noſtri cōſtituerunt excuſandos: quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus ſine certi temporis actoci non haberet.

XLVI. *Cauſa, De Geometris, reprobatur l.Geom.22.ff.de excuſat.his uerbis:* Geometræ à tutelis non uacant.

XLVII. *Cauſa,De Iudæis,reprobatur l.15.§. iam autē & ff.d.tt.his uerbis:* Iam autem & Iudęi nō Iudæorum tutores erunt, ſicut & reliqua adminiſtrabunt. Conſtitutiones enim in ijs ſolis eos ſine moleſtia eſſe iubent, per quæ cultus inquinari uidetur.

XLVIII. *Cauſa,De athletis,approbatur ſub conditione l.6. §.Vlpianus. ff. de excuſationib. his uerbis:* Vlpianus libro ſingulari de officio Prętoris tutelaris ita ſcribit: Athletæ quidem habēt à tutela excuſationem,ſed ſi ſacris certaminibus coronati ſunt.

XLIX. *Cauſa, De ſpadone, reprobatur l.15. in prin. ff.de excuſation.cuius uerba uide ē.cap.4.quæſt. 2.except.19.Concordat l.1.C.eod.tt. his uerbis:* Falſa ſuaſione credis, te propterea quòd ſpado ſis,immunitatem à tutela habere.

L. *Cauſa: Si libertus ſit ſenatoris,eiuſq; negocia gerat,excuſatur à tutela. quæ cauſa ſeu regula ipſo quidē iure ſubſiſtit:uerū eius exceptio prima hæc eſt:Niſi ius annulorum impetrauerit. quæ exceptio approbatur l. cum oratione.4.4.§.fin.ff.de excuſ.his uerbis:* Quānuis libertus qui ſenatori patrono procurat, excuſationē ab aliorum tutela habeat: iſte tamen qui ius annulorum impetrauit, quia in ordinem ingenuorum tranſijt, tali excuſatione uti non poteſt. *Secunda exceptio eſt: Niſi non ſenatoris, ſed uxoris eius libertus ſit. Hæc exceptio approbatur l.15.§.liberti.ff.eod.tt.his uerbis:* Liberti uxorū ſenatorū, etſi diſponant res eorum, non abſoluuntur tamen à tutelis. hoc enim,maſculorum ſenatorū libertis ſolùm conceſſum eſt. *Tertia exceptio eſt: Niſi plures quàm unus ſenatoris libertus hac excuſatione utatur. Hæc exceptio approbatur l.ne ſenat.13. C. de excuſ.tutor.his uerbis:* Ne ſenatorū quidē liberti, nedum cęterorum,propterea quia patronorū negocia gerunt, à muneribus ciuilibus habent immunitatem. tantummodò etenim unus ſenatoris libertus,qui patroni negocia gerit,à tutela ſiue cura uacationē habet. *Quarta exceptio eſt: Niſi tutelam filiorum patroni gerat. ob hoc enim ab aliorum tutelis non excuſatur. quæ exceptio approbatur l.libertus.42. ff. d.tt. his uerbis:* Libertus ſenatoris, filiorum eius tutelā adminiſtrans, ab alijs tutelis non excuſatur.

LI. *Cauſa: Si tutor in exiliū datus ſit.Hæc cauſa approbatur l.planè.29.ff.de excuſat.his uerbis:* Si in exiliū datus ſit tutor,poteſt ſe excuſare,modò in perpetuū datus ſit. Facilius aūt exulis ignorantia, qui tutorem ſuſpectū facere nō potuit,ueniam habebit. *Huius cauſæ exceptio hæc eſt:Niſi ad tēpus,nō in perpetuū exulare iuſſus ſit. quæ exceptio approbatur l.tutor.28.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Tutorem per tempus exulare iuſſum excuſari non oportet,ſed per tempus exilij curator in locum ipſius debet dari.

LII. *Cauſa: Si pater pro filiofamiliâs tutore nominato cauere nolit. Hæc cauſa reprobatur l.15.§.fin.ff. de excuſat.tutor.his uerbis:* Si quis creabitur tutor, exiſtēs in patris poteſtate,deinde pater noluerit pro eo cauere:iuſſerunt leges & ipſum patrē creari tutorē, ut nullo modo impediatur tutelæ cautio, ut oſtendit diui Hadriani conſtitutio.Imp.Hadrianus Bitraſto Pollioni,legato Lugdunēſi: Claudius Marcus (quāuis filiusfamiliâs) ſi idoneus tutor eſſe uidebitur,pater autem eius idcirco cauere nō uult,ut filium ſuum tutela eximat, & in hoc artificio perſeuerabit: exiſtimo te huic fraudi rectè occurſurum, ut & filius & ipſe ad tutelam liberorum Clementis gerendam compellantur.

LIII. *Cauſa: Si ſemel fuerit abſolutus uel excuſatus. Hæc cauſa ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerū eius exceptio prima hæc eſt: Niſi ad aliam tutelam uocetur, quàm à qua fuit excuſatus. quæ exceptio approbatur l.15.§. qui abſolutus.ff.de excuſationib.his uerbis:* Qui abſolutus eſt à tutela uel cura,omnino non de poſitionibus apud acta ad remiſsionem alterius tutelæ uel curationis utetur,ſi ea iura remiſsionis nō exiterint. *Secunda exceptio eſt:Niſi duobus pupillis tutor datus,ab unius tutela ſe excuſauerit. tunc enim ab alterius tutela ob id nō habetur excuſatus. quæ exceptio approbatur l.duob. 25.ff.de teſtamētaria tutela,his uerbis:* Duobus pupillis tutor datus, etſi alterius tutela ſe excuſare poteſt, cum res ſeparatæ ſint: attamen alterius tutor manet. *Ait Iuriſconſultus:* Cum res ſeparatæ ſint. *Ex his uerbis colligi poteſt propoſitæ exceptionis replicatio hæc: Niſi pupilli habeant commune patrimonium. Tertia exceptio eſt:Niſi cauſa ob quam antea fuit abſolutus & excuſatus, nunc ceſſet. quæ exceptio approbatur exemplis l.cùm oratione.4.4.in prin. ff.de excuſationib.tutor.cuius uerba uide ē.cauſa 9.except.3.* *Quarta exceptio eſt:Niſi ſub conditione ſit abſolutus, quæ conditio nulla eſt uel deficit.quæ exceptio approbatur l.qui teſtamento.37.ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò inferius except.generali 13.* *Quinta exceptio eſt:Niſi poſt tempus ſtatutum ſe excuſauerit & abſolutus ſit. Hæc exceptio approbatur l.13.§.cōſequens.ff.eod.tt.bis uerbis:* Ita uerò neceſſe eſt cuſtodire conſtitutum tempus, ut etſi excuſatus fuerit dimiſſus, non liberari eum diuus Seuerus & Antoninus oſtendant in conſtitutione,iubentes non detinere eum qui in locū eius creatus ſit,quaſi non liceat alium dari in locum exiſtentis tutoris. *Sexta exceptio eſt:Niſi falſis allegationibus uſus,excuſatus ſit & abſolutus. Hæc exceptio approbatur inſt. de excuſat.tutor.§.fin.bis uerbis:* Si quis falſis allegationibus excuſationem tutelæ meruerit,non eſt liberatus onere tutelæ. *Concordat l.1.C.ſi tutor uel curator falſis allegat. bis uerbis:* Si abſentibus neceſſarijs perſonis, uel his qui ſua ſponte uos defendere uolebant, non competentibus allegationibus, qui uobis tutores aut curatores dati erant, liberati eſſe à munere uiſi ſunt: ne eis circumuenisſe iudicis religionē profit, præſes prouinciæ audiet uos, & ſi iniuſtum decretum extorſiſſe eos apparuerit, exinde ad eos periculum adminiſtrationis pertinere pronunciabit, ex quo dati ſunt. *Concordat l.2.& 3.C.eod.tt.*

LIIII. *Cauſa: Si inutiliter tutor datus eſt, excuſatur, licet intra tempora excuſationis cauſam non propoſuerit.de qua re uide ē.quæſt.4.*

LV. *Cauſa:Si tutor teſtamētum in quo datus eſt,falſum dixerit. Hæc cauſa reprobatur l.poſt legatum.5.§. ei qui tutor.ff.de his quæ ut indignis,his uerbis:* Ei qui tutor datus eſt, nō prodeſt ad excuſationē, quòd falſum dixit:ſed à legato remouetur.

LVI. *Cauſa, De collegijs piſtorum, approbatur l. ult.in prin.ff.de excuſat.tutor.bis uerbis:* Qui in collegijs piſtorum ſunt, à tutelis excuſantur: ſi modò per ſemet piſtrinū exerceant. *Huius cauſæ exceptio hæc eſt: Niſi non intra numerum ſint.quæ exceptio approbatur ibidem,his uerbis:* Sed non alios puto excuſandos,quàm qui intra numerum ſunt.

LVII. *Cauſa,De Ilienſibus,approbatur l.non tantùm.17.§.Ilienſibus.ff.eod.tt.cuius uerba uide ē.except. generali 2.*

De exceptionibus præcedentium cauſarum generalibus.

Hactenus cauſæ excuſationum ſunt enumeratæ, de quibus cum alijs ſimilib.uide quoq; ē.lib.13.cap.4.Plane ſunt quædam exceptiones generales aduerſus iſtas cauſas competentes,hic enumerandæ.

I. *Exceptio generalis: Niſi libertus liberis patroni tutor ſit datus. quæ exceptio approbatur l.libertos.5. C.de excuſ.tutor.cuius uerba uide ē.cauſa 12.except.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt:* Niſi libertus ne ſuis quidem negocijs ſupereſſe poſſit. *Hæc replicatio approbatur l.Titius.45.§.fin.ff.eod.tt.bis uerbis:* Si tanta corporis aut mentis ualetudine ab agendis rebus libertus prohibeatur,

tur,ut ne suis quidem negocijs sufficiat:necessitati erit succurrendum, ne impossibile ei iniungatur tutelæ munus, quod obiri à liberto non possit,nisi cum incommodo pupilli, & aduersus utilitatem eius. Secunda replicatio est:Nisi tales sint liberi patroni,qui iura patronatus sperare non possunt. Hæc replicatio approbatur l.libertus.14.ff.de tutorib.datis, hisce uerbis: Libertus non alijs patroni patronæúe liberis tutor esse cogitur, quàm qui iura patronatus sperare possunt. Tertia replicatio est: Nisi parens pupillorum libertum ex causa fideicōmißi manumisit.Hæc replicatio approbatur l.nequaquam. 24. ff.de excusat.tutor.his uerbis: Nequaquam credendum est,ei priuilegiū excusationis ablatum, cui fideicōmissaria libertas soluta est. nam in toto ferè iure manumissor eiusmodi nihil iuris ut patronus aduersus liberti personam cōsequitur, excepto quòd in ius uocari iniussu prætoris non debet. Quarta replicatio est:Nisi non liberis,sed libertis patroni tutor sit datus. Hæc replicatio approbatur l.iurisperitos. 30.§.fin.ff.de excusat.tutor.his uerbis:Patronus impuberi liberto quosdam ex libertis tutores aut curatores testamento dedit. quamuis eos idoneos esse constat, nihilominus iure publico poterunt excusari,ne decreto confirmentur. Quinta replicatio uidetur esse: Nisi non patroni, sed patronæ liberis tutor datus sit libertus. Hæc replicatio reprobatur l.libertum.14.in princ. ff.de excusat.tutor.his uerbis: Libertum,cum de excusatione tutorum & curatorum tractatur, scire oportet, non solùm patris pupilli, sed & matris intelligi debere. Sexta replicatio uidetur esse:Nisi non filijs,sed nepotibus patroni libertus tutor sit datus. Et hæc replicatio reprobatur d. l.14. his uerbis: Sed & cum de liberis patroni quæsierimus, scire oportet, appellationem hanc non in primo gradu consistere, hoc est, in filium & filiam : sed & in nepotes ex utroq; latere,& eos qui deinceps sunt. Septima replicatio est:Nisi libertus ius annulorum impetrauerit. Hæc replicatio reprobatur ibidem,hisce uerbis: Sed etsi ius annulorum aureorum impetrauerit, adhuc custodit libertorum ordinem,secundum hæc quæ rescripsit Marcus Antoninus. Octaua replicatio est : Nisi propria pecunia emptus & manumissus sit libertus.Hæc replicatio approbatur d.l.14. §.qui propria, his uerbis: Qui propria pecunia emptus & manumissus est,nequaquam connumeratur reliquis libertis. Nona replicatio est:Nisi plures sint liberti eiusdem patroni.tunc enim unus tantùm liberis tutor dabitur,& reliqui excusabuntur. Hæc replicatio approbatur d.l.14. §.fin. his uerbis: Si plures liberti fuerint,unus omnium liberis tutor dabitur,& à tribus tutelis non absoluetur.Hæc de prima exceptione generali.

II. Exceptio: Nisi liberis eius qui eiusdem corporis uel collegij aut ordinis est,tutor sit datus.Hæc exceptio approbatur l.administrantes.41.§.fin. ff.de excusationib.his uerbis: Qui corporis,item collegij iure excusantur, à collegarum filiorumq; eorum tutela nō excusantur:exceptis his quibus hoc specialiter tributum est. Concordat l.non tantùm.17.§.Iliensibus. ff.eod.tt.his uerbis: Iliensibus & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitùs & Senatusconsultis & constitutionibus principū plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelæ excusationem habeant, scilicet eorum pupillorum,qui Ilienses non sint. idq; diuus Pius rescripsit. Concordat item d.l.17.§.fin.cuius uerba uide s̃.causa 35. Item concordat l.excus.24.C.de excusationib.tutor. his uerbis: Excusationem nauicularijs tutelæ siue curę hactenus ipsis tribuimus,ut in huiusmodi officijs minoribus sui tantùm corporis obligentur. Sed & concordant ea quæ proposita sunt s̃. causa 40. except.1. item causa 41. except.1. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est : Nisi quibusdam hoc specialiter sit tributum. quæ replicatio approbatur d.l.41.§.fin. hisce uerbis: Exceptis his,quibus hoc specialiter tributum est. Secunda replicatio est : Nisi filij collegarum ultra centesimum miliarium ab eo loco habitent,in quo tutor datus domicilium habet. Quæ replicatio approbatur l.planè.42. ff.de excusat. tutor. his uerbis: Planè ultra centesimum miliariū ab urbe filiorum collegarum suorum tutelam suscipere non coguntur. Tertia replicatio est:Nisi urbici pistores sint.quæ replicatio approbatur l.ult.in prin.ff.d.tt. his uerbis: Vrbici pistores à collegarum quoq; filiorum tutelis excusantur. Plures huiusmodi replicationes uide s̃.causa 40.except.1.item causa 41.except.1.

III. Exceptio : Nisi pater liberis suis tutor petatur. Hæc exceptio approbatur l.amicißimos.36.§.fin. ff.de excusat.tutor.cuius uerba uide s̃.causa 1.except.8.

IIII. Exceptio : Nisi frater fratri tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur l.iurisperitos.30. §.penultim.ff.de excusat.tutor.his uerbis: Qui priuilegio subnixus est, fratris curationem suscipere non cogitur.

V. Exceptio : Nisi antea tutorem se fore promisit. Hæc exceptio approbatur Inst.de excusat.tutorum.§. item si propter,his uerbis: Non excusantur,qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant. Concordat l.15.§.1. ff. eod.tt. his uerbis: Qui patri promisit se fore tutorem liberorum, excusari ab hac tutela non potest, etsi aliter habet ius excusationis.

l.29.ff. de testament. tutel.

VI. Exceptio : Nisi antea aliam tutelam gesserit. Hæc exceptio reprobatur l.uolunt.12. C.de excusat.tutor. his uerbis: Voluntariæ tutelæ munera priuilegijs nihil derogant.

VII. Exceptio : Nisi se sua manu in testamento tutorem scripserit.Hæc exceptio approbatur l.ex sententia.29.

tia.29.in fin.ff.de testamētaria tutel.cuius uerba uide s̃.cap.2.quæst.1.except.28. Concordat l.uxori.18.in fine.ff.ad l.Cornel.de falsis. cuius uerba uide s̃.libro 4. cap.8.quæst.1.causa 17.except.9.

VIII. Exceptio: Nisi legatum sibi à patre pupillorum in testamento relictum,tutor testamento datus acceperit. Hæc exceptio approbatur l.post legatum.5.§.amittere. ibi:sed si consecutus. ff.de his quæ ut indignis, his uerbis: Amittere id quod testamento meruit,& eum placuit,qui tutor datus excusauit se à tutela : sed si consecutus fuerit,non admittetur ad excusationem.

IX. Exceptio:Nisi tutor nominatus non prouocauit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proponuntur j.quæst.5.

X. Exceptio : Nisi tutor datus excusationem intra legitimum tempus non proposuit. Hæc exceptio approbatur l.13. §.multa uerò. ff. de excusat.tutor. cuius uerba uide j.quæst.4.reg.1. Concordat item d.l.13.§. consequens. cuius uerba uide s̃.cap.4. quæst.2.except. 14. Concordat item l.excusationis.3.C.de excusat.tutor. cuius uerba uide s̃.causa 9.except.2. Concordat item l.testamēto.11.§.quod si facere.C.eod.tt.cuius uerba uide s̃.cap.4.quæst.2.except.32.repl.5. Item concordat l.curator.20. C.eod.tt.cuius uerba uide s̃. causa 12. Item concordat l.si is.31.in prin.ibi:sed cum non sit. ff. eod.tt.cuius uerba uide s̃.causa 2.except.13.repl.1.Item concordat l.pupillo.27.in fine.ff.de tutorib.datis.cuius uerba uide s̃.causa 9. Quod autem sit tempus proponendæ excusationis legitimum, definitur paulo inferius quæst.4. Planè huius exceptionis replicatio hæc est : Nisi inutiliter tutor sit datus.tunc enim etiam sine excusatione opposita, datus tutor est absoluendus. quæ replicatio approbatur l.13.§.hæc de his. ff.de excusationibus,his uerbis:Qui non iustè dati sunt tutores,hoc est, à quibus nō oportet,aut quos non oportet, aut quibus non oportet, aut quo non oportet modo: si neq; confirmentur, neq; administrauerint, sunt immunes: neque opponet quis eis, quòd constituta tempora excusationum non obseruauerint. neque enim habent excusationis necessitatem, ut ostenditur in subiectis constitutionibus, quas exempli gratia subieci: adaptantur autem utique omnibus. Diui Seuerus & Antoninus Augusti Narcisso: Ab auo materno tutor datus necesse non habuisti excusari, cùm ipso iure non tenearis. Etsi igitur administrationi te non immiscuisti,potes esse securus. Concordat d.l.13. §.fin. cuius uerba uide s̃.capite 4.quæst.2. except.14. Item concordat l.Seiæ.26.ff.de tutorib. datis. cuius uerba uide s̃.cap.4.quæst.2.except.31. Concordat item l. 1.C.de confirmando tutore,his uerbis: Testamento matris tutores dati, excusare se necesse nō habent: nisi decreto secundum uoluntatem defunctæ, & quidem inquisitione habita, dati fuerint. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est : Nisi tutor inutiliter datus, à iudice fuerit confirmatus. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce: Nisi decreto, &c. Concordat d.l.13.§.hæc de his.ibi:si neque confirmentur. Secunda duplicatio est:Nisi tutor inutiliter datus, administrationi se immiscuit. quæ duplicatio approbatur ibidem,hisce uerbis: Neq; administrauerint. Item uerbis mox sequentibus, hisce: Etsi igitur administrationi te non immiscuisti, &c. Plures propositæ replicationis species, necnon & duplicationes uide s̃.cap.2.3.& 4. Sed & plures replicationes uide j. quæstion.4.reg.1.

XI. Exceptio : Nisi causa excusationis post petitam uel susceptam tutelam acciderit. Hæc exceptio approbatur l.tutor.28.in prin. ff.de excusationibus, his uerbis: Tutor petitus ante decreti diem si aliquod priuilegium quęrit, rectè petitionem institutam excludere non poterit. Concordat l.si quis.7. ff.de iudicijs. cuius uerba cum similibus uide s̃.lib.5.cap.2.quæst.1.in fine,repl.3. Concordat item l.non tantùm.17.§.uacare. ff. de excusationibus. cuius uerba cum cōcordantibus uide s̃.causa 25.except. 2. Concordat item l.Titius.45.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide j.quæst.4.reg.2.except.2. Propositæ exceptionis replicatio prima est in eo qui post susceptam tutelam reipubl.causa abesse cœpit. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt s̃.causa 38.except. 1. Secunda replicatio est in eo, qui cùm pupillo priuato tutor datus esset, postea ipse senator sit factus. quæ replicatio approbatur l.15. §.scire oportet. ibi:si autem quis. ff.de excusationibus tutor. cuius uerba uide s̃.cap.4.quæst.2.except.7. Tertia replicatio est in eo, qui post susceptam tutelam domicilium aliò transtulit. quæ replicatio approbatur l.idem Vlpianus.12.§.fin. ff. d.tt.his uerbis: Sunt & alij, qui si iam sint tutores uel curatores,tamen continuè de reliquo absoluuntur à sollicitudine, puta quia domicilium aliò transtulerunt, ex rescripto Imperatoris,scientis quidem tutorem esse eum, transmigrare autē expreßim ei concedentis, & horum alterutrum literis significantis. Quarta replicatio est : Nisi cum quis in testamento tutor datus esset hoc modo: Titius tutor esto : cum reipub.causa abierit,tutor ne esto : cum redierit, tutor esto. reipublicæ causa abesse cœperit, posteaq; aliquas excusationes nactus reuersus fuerit.tunc enim tanquam à noua tutela excusatur. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l.Titius.45.in prin.usq; ad §.si à prætore. ff. de excusat.cuius uerba uide j.quæst.4.reg.2.excep.2.Plures huiusmodi replicationes colligere licet ex causis supradictis.

XII.Exceptio:Nisi aliquas excusationis causas,quibus usus est,non probauit. Hæc exceptio reprobatur l. propter.21.§.qui se uult.ff.de excusat.his uerbis: Qui se uult excusare,si plures habeat excusationes,& de quibusdam non probauerit: alijs uti intra tempora non prohibetur. Concordat ijsdem uerbis Inst.eod.tt.§.qui autem uult.

XIII. Exceptio: Nisi pluribus excusationis causis

prepositis,iudex tutorẽ datum,ratione eius cauſæ quæ nulla eſt,abſoluerit ſub conditione hac,Si illa cauſa uera eſſet. hoc enim caſu nec ſententia,nec reliquæ cauſæ illi proſunt. quæ exceptio approbatur l.qui teſtam.37. ff.de excuſationibus,his uerbis: Qui teſtamento tutor datus fuerat, adito prætore dixit ſe tres liberos habere:adiecit præterea,habenti patruum legitimum tutorem, ſe iniuſte tutorem datum. Prætor ita decreuit: Si legitimum tutorem habenti tutor datus es, non eſt tibi neceſſaria excuſatio. quæro,cũ nemo patruus impuberi tutor eſſet, an nihilominus tutor remanſerit? Scæuola reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur,quamuis iuſtas cauſas excuſationis haberet, non tamen eſſe excuſatum, propter uitium pronunciationis. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi ſententiæ adquieuerit, & nihil geſſerit,putans ſe iuſtè eſſe abſolutum. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Item quæro, ſi adquieuiſſet ſententiæ, an ob id quòd non geſſit tutelam, utilis actio in hunc dari debeat? Reſpondit, ſi errore potius (quòd ſe pro iure trium liberorum quod allegabat, excuſatum crediderit) quàm malicia ab adminiſtratione ceſſaſſet, utilem actionem non dandam.

XIIII. *Exceptio: Niſi cauſa excuſationũ imperfecta ſit.Hæc exceptio ipſo quidẽ iure ſubſiſtit,eiuſq; replicatio uidetur eſſe talis:Niſi plures ſint cauſæ excuſationis. tunc enim,quamuis imperfectæ ſint, tamen ipſa multitudo uidetur excuſationem mereri. uerùm replicatio hæc reprobatur l.15.§.qui iura.ff.de excuſ.his uerbis:* Qui iura multa poterit dicere,quorum unumquodq; per ſeipſum ſatis ualidũ non eſt:an poſſit excuſari,quæritum eſt?puta ſeptuaginta quis annorum non eſt, neq; tres habet tutelas,ſed neq; quinq; filios,aut aliquod aliud ius remiſſionis habet:nimirum duas tutelas,& duos filios, & ſexaginta annorum eſt, aut alia quædam talia dicit, per ſeipſa quidem perfectum auxiliũ non præbentia,quæ tamen ſi inuicem cõiuncta ſint, iuſta appareant.ſed uiſum eſt,hunc non excuſari. *Concordat l.unica.§.fin.C.qui numero tutelarum, his uerbis:* Imperfectæ diuerſæ ſpecies uacationis,licet permiſtę,ad excuſationem non proficiunt. Scire igitur debes,eum qui duos filios habet, & duas tutelas adminiſtrat, excuſationem non mereri. *Hactenus cauſæ excuſationum cum ſuis exceptionibus tam generalib.quàm ſpecialibus ſunt propoſitæ.*

II. QVIBVS EXCVSATIO A' tutela uel cura competit?

Huius loci regula proponitur ſ.cauſ.12.exc.13.repl.5.

III. A' QVA TVTELA EXcuſatio competat?

Huius loci regula proponitur d.except.13.repl.1.Alia regula proponitur l.duob.25.ff.de teſtam.tutela,cuius uerba uide ſ.cauſa 53.except.2. Sed & alia regula proponitur d.cauſa 53.except.1.

IIII. QVANDO ET QVAMdiu competit excuſatio?

I. *Regula:Intra quinquaginta dies cõtinuos,ex quo cognouerit ſe tutorem uel curatorem datum,ſe excuſare debet.quæ regula approbatur inſt.de excuſat.tut.§. qui autẽ excuſare,his uerbis:* Qui excuſare ſe uolunt,non appellant:ſed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognouerint ſe eſſe tutores uel curatores datos,ſe excuſare debent,cuiuſcũq; generis ſint,id eſt, qualitercunq; dati fuerint tutores, ſi intra centeſimum lapidem ſunt ab eo loco, ubi tutores dati ſunt. Si uerò ultra cẽteſimum lapidem habitant,dinumeratione facta uiginti milium diurnorum, & amplius triginta dierũ: qui tamen (ut Scæuola dicebat) ſic debent computari, ne minus ſint quàm quinquaginta dies. *Concordat l.ſcire oportet.13.§.multa uerò,uſq; ad finem legis.ff.eod.tt.his uerbis:* Multa obſeruare oportet, ut permittantur tutores uel curatores cauſas remiſſionis exponere. Oportet enim eos etiam cõſtituto legibus tempore ad iudicem accedere.Sunt autem conſtituta tẽpora hæc. Qui enim in ipſa ciuitate eſt ubi creatur,uel intra centeſimum miliariũ a ciuitate:infra quinquaginta dies excuſabitur. Poſtea autem nõ admittetur, ſed tenebitur ad ſollicitudinem: & ſi horũ quid nõ fecerit,erit in eadẽ cauſa,in qua eſſet,ſi uideretur proprio ipſam periculo negligere: neq; ulla ei uia relicta erit ad excuſationem. Qui autẽ ſupra cẽtum miliaria à ciuitate abeſt, uiginti miliaria habebit numerata in unamquanq; diem à qua cognouerit.Oportet autẽ ei manifeſtari à præſidibus uel in faciem, uel ad domum. Et extra hos alios triginta dies habebit ad excuſationem.Hoc autẽ conuenit & his qui in teſtamento dati ſunt,ſiue tutores fuerint,ſiue curatores, quos confirmari à magiſtratibus conſuetum eſt. Aliud etiam inuenimus in diui Marci promulgatione inquiſitione dignum. Si enim ei qui in ipſa ciuitate eſt,in qua creatus eſt, uel intra centum miliaria, quinquaginta dierũ ſpacium legislator dedit:ei uerò qui ultra centum miliaria habitat,in unamquanq; diem numerari uiginti miliaria iuſsit, & extra hos alios triginta dies adiecit ad excuſationem: unde contingit, ut ſi cuius habitatio centum ſexaginta miliaribus abſit, is octo & triginta dierum ſpacium duntaxat habeat: octo quidẽ, centum ſexaginta miliariorum nomine, in unamquãq; diem uiginti miliarijs numeratis: triginta uerò, eo quòd ad excuſationẽ faciũt. Erit igitur deteriore ordine qui longius habitat, eo qui intra centũ miliaria eſt, uel in

uel in ipſa ciuitate: ſi utiq; his quidẽ ſuper quinquaginta dies ſpacij ſunt, illis uerò pauciores.Sed etſi maximè uerba legis hũc habeãt intellectũ, tamẽ mẽs legislatoris aliud uult.Ita enim Serbidius Scęuola,& Paulus,& Domitius Vlpianus,uertices legũ prudentum ſcribunt, dicentes ita oportere hoc obſeruari,ut nunquam alicui minus dentur quinquaginta dierum ſpacio:tunc autẽ longius,cũ annumeratio dierũ qui in uiã cõpu tantur,adiectis triginta diebus,quos ad excuſationem lex dat, excedit quinquaginta dies:utputa,ſi dixerimus aliquẽ à quadringentis quadraginta miliarijs habitare. hic enim uiæ quidẽ habebit dies uiginti duos, ad excuſationẽ autem alios triginta.obſeruabunt hoc tẽporis ſpaciũ omnes,qui qualitercunq; excuſantur à tutela, uel cura,uel parte eius. *Ex his conſtat,regulariter quidẽ ad excuſationem quinquaginta dies continuos dari: ſed & conſtat prima eius regulæ exceptio hæc:Niſi tutor datus, ultra centum miliaria ab eo loco, ubi tutor datus eſt,abſit.tunc enim interdum maius tempus datur. Secunda exceptio uidetur eſſe:Niſi non à magiſtratu, ſed uel ex teſtamento,uel à legibus tutor detur. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Hoc autẽ cõuenit & his qui in teſtamẽto dati ſunt, ſiue tutores fuerint,ſiue curatores, quos cõ firmari à magiſtratibus conſuetũ eſt. *Tertia quoq; exceptio uidetur ſumẽda ex genere uel cauſa excuſationis.Sed & hæc reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Obſeruabũt hoc temporis ſpacium omnes, qui qualitercunq; excuſantur à tutela,uel cura,uel parte eius. *Quarta exceptio eſt: Niſi intra conſtitutum tempus iudicem adierit, & excuſationem propoſuerit. tunc enim, quamuis intra tempus nondũ eam probauerit, tamen poſtea eſt audiendus. quæ exceptio approbatur d.l.13.§.ſufficit, his uerbis:* Sufficit autẽ intra conſtitutum tempus excuſare ſe ſolũ.Etſi enim poſtea uolẽs defijt,non ei nocebit. *Concordat l.quinq.38.ff.eod. tt.his uerbis:* Quinquaginta dierũ ſpacium tantummodò ad cõteſtandas excuſationũ cauſas pertinet.peragẽdo enim negocio ex die nominationis continui quatuor mẽſes conſtituti ſunt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi adierit ſaltem iudicem,non autem excuſationẽ intra tempus propoſuerit.quæ replicatio approbatur d.§.ſufficit,his uerbis:* Si repræſentauerit quis ſe ſolũ, non permãſerit autẽ poſtea ut ſe excuſet, poſt conſtitutum tempus exceptione repelletur: & dicit hęc conſtitutio Impp.Seueri & Antonini. *Concordat d.l.13.§. ſcire autem,his uerbis:* Scire autem oportet,nõ ſufficere,ſi accedat ad iudicem,ſed oportere etiam de ſpecie remiſſionis teſtari: & ſi multa habeat iura,quæ ad remiſſionem faciunt,omnia nominare.Sin minus,ſimilem eſſe ei qui nequaquam acceſsit:aut acceſsit quidem,iuſtã autẽ remiſſionis cauſam non nominauit. *Secunda replicatio eſt.Niſi intra quatuor menſes cõtinuos ex die nominationis negociũ peregerit. Hæc replicatio approbatur d.l.38.uerbis iam propoſitis hiſce:* Peragendo enim negocio ex die nominationis cõtinui quatuor menſes cõſtituti ſunt. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi per aduerſariũ ſteterit, quo minus intra tẽpus negociũ peregerit. quæ duplicatio approbatur l.ſi cũ. 39.ff.eod.tt.his uerbis:* Si,cum ipſe inſtitueret ut proferret excuſationẽ, mora cõtradictionis impeditus eſt,quo minus decreto liberaretur:excuſationẽ rectè probari,Triphoninus ait. *Quinta exceptio eſt: Niſi ualetudine uel inundatione maris, aut alia ſimili cauſa ſit impeditus, quo minus intra ſtatutũ tempus ſeſe excuſauerit.Hæc exceptio approbatur l.13.§.ſufficit.ibi:ſi enim. ff. de excuſ. his uerbis:* Si quis propter ęgritudinẽ,uel propter aliam neceſsitatem (puta maris, uel hyemis, uel incurſus latronum, aut aliam quã ſimilem) conſtituto tempore non poterit uenire,ignoſcendum ei eſt. Cuius fidem tametſi ſufficit firmare ex ipſa naturali iuſticia,eſt tamen & conſtitutio Impp.Seueri & Antonini hæc dicens. *Sexta exceptio eſt:Niſi dies feriati interuenerint. Hæc exceptio reprobatur d.l.13.§.quinquaginta,his uerbis:* Quinquaginta uerò dies continui numerantur, incipiẽdo à tempore cognitionis, quo quis cognouit ſeipſum datum eſſe. *Concordãt ea quæ propoſita ſunt ſ.ead.reg.in prin.* *Septima exceptio eſt:Niſi tutor inutiliter datus ſit.Hæc exceptio approbatur per ea quæ propoſita ſunt paulò ſuperius quæſt. 1.in fine,except.generali 10.*

II. *Regula:* A' *quo die tempus excuſationis proponendæ currere incipiat?Regulariter quidẽ incipit currere ex eo tempore, quo primùm cognouit ſe tutorem datum. quæ regula approbatur l.13.§.quinquaginta.ff. de excuſat.tut. cuius uerba uide ſ.reg.prox. except.6. Concordãt ea quæ propoſita ſunt d.reg.prox.in prin. Item concordat l.quinquaginta.6.C.de excuſ.tut.cuius uerba uide paulò inferius except.4. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi cũ in teſtamento tutor ſimul & curator datus eſſet,finita tutela,à cura ſe uelit excuſare. tunc enim non ex eo tempore, quo ſe curatorem teſtamẽto datum cognouit, tempus currere incipit, ſed à tempore interpoſiti de cura decreti. quæ exceptio approbatur l.Caius.16. ff. de excuſ. cuius uerba uide ſ. quæſt.1.cauſa 12.except.1. Secunda exceptio eſt: Niſi ex die uel ſub conditione tutor in teſtamento ſit datus. tunc enim non niſi die uel conditione exiſtente,tempus currere incipit. quæ exceptio approbatur l.Titius. 45. in prin.uſq; ad §.ſi à prætore.ff.de excuſat. his uerbis:* Titius filijs meis, quoad reipublicæ cauſa non abierit,tutor eito.geſsit tutelam ex teſtamento delatam.deinde reipublicę cauſa abeſſe cœpit,& deſijt. an quaſi noua tutela nunc delata excuſari debeat, etiam ob abſentiam reipub.cauſa: an quia præceſsit te-

ſtamẽtum abſentiam ob publicam cauſam, & eſt ab eo iam adminiſtrata tutela, non oporteat eum excuſari, etſi liberos interea ſuſceperit, aut aliam excuſationem parauerit? Et magis eſt, ut hæc una tutela ſit: ideo nec excuſationem ei competere, necagi tutelæ ob prius tempus poſſe. Sed ſi ita ſcriptum in teſtamento fuit: Titius tutor eſto: cum reipublicæ cauſa abierit, tutor ne eſto: cum redierit, tutor eſto. quid de excuſatione aut ob abſentiam reipublicæ cauſa, aut aliam quæ pòſt obuenerit, dici oporteat, uideamus? Procedit autem & alia quæſtio. Teſtamento tutores ex die uel ſub conditione dati, an ſe excuſare ante diem conditionémue neceſſe habeant? & in primis, an iam dies quinquaginta eis cedant, intra quos neceſſe eſt cauſas excuſationis exercere? Sed uerum eſt, non antè eſſe tutorem, quàm dies uenerit: nam nec antequam adita ſit hæreditas. Quia igitur ex eodem teſtamento iam geſta fuit tutela: & qui excuſatus eſſet alius, abſumitur reipublicæ cauſa, reuerſus continuò cohæret tutelis antè ſuſceptis, etiam intra annum. Sed hic ex ipſo teſtamento deſierat eſſe tutor: & ideo ex ſecunda tutela excuſare ſe poteſt. *Tertia propoſitæ regulæ exceptio eſt: Niſi tutore dato in teſtamento, hæreditas nondum ſit adita. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Nam nec antequam adita ſit hæreditas. *Quarta exceptio eſt: Niſi contrà in cauſa à iudice ſit pronunciatum. Hæc exceptio approbatur l.quinq.6. C.de excuſationib.tutorum, his uerbis:* Quinquaginta dies, qui præfiniti ſunt ad profeſsionem excuſationis his qui tutores ſeu curatores dati ſunt, ex eo die cedere, ex quo decretũ prætoris, aut teſtamentum parentis notum factum fuerit ei qui ad munus uocatus fuerit, ipſa conſtitutio quę hoc induxit, ſanxit. ſed ſi quis in eius temporis computatione ab eo cuius de ea re notio fuerit, iniuriam paſſus non prouocauit, adquieſcere rebus iudicatis debet.

III. *Regula: Excuſationis negocium intra quatuor menſes continuos peragi debet. quæ regula approbatur l.qui teſtamento.38.ff.de excuſationibus. cuius uerba uide ẽ.reg.1.except.4. Diſtinguitur l.ſi cum.19.ff. eod.tt.cuius uerba uide d.except.4.repl.2.*

V. QVOMODO PROPONenda excuſatio?

I. *Regula: Non opus habet appellatione tutor nominatus ad excuſationem proponendam, ſed accedere debet iudicem à quo tutor datus eſt, & excuſationem apud eum proponere. quæ regula approbatur l. ſcire.13.in prin.ff.de excuſationibus, his uerbis:* Scire oportet, neque datos tutores, neque teſtamentarios prouocare neceſſe habere, ut oſtendit conſtitutio diui Seueri & Antonini. Hoc autem obſeruari oportet & in datis curatoribus. In paucis enim ualde diſtant curatores à tutoribus. Aduerſus deniq; ſententias auferentes eis excuſationes, licentiam habebunt appellandi. *Concordat inſtit. eod.tt.§.qui autem excuſare.cuius uerba uide ẽ quæſt. proxim.reg.1.in prin. Concordat item l.tutores.18.in prin.C.eod.tt.his uerbis:* Tutores nominatos appellationé interponere neceſſe non habere, certiſsimi iuris eſt. Quapropter licet non appellaſti, ſi quam te excuſationem habere confidis, intra tempus quod diui Marci cõſtitutione præſcriptum eſt, hac apud præſidem prouinciæ uti non prohiberis. *Item concordat l.1.§.ſi quis tutor.ff.quando appell.ſit. cuius uerba uide ẽ.lib.13.cap.6. quæſt.5. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi excuſatio propoſita, per ſententiam ſit infirmata. tunc enim opus eſt appellatione. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Aduerſus deniq; ſententias auferentes eis excuſationes, licentiam habebunt appellandi. *Concordat d.§.ſi quis tutor.*

II. *Regula: Per libellos ſe excuſare non poteſt. quæ regula approbatur l.25.ff.de excuſat.tutorũ, his uerbis:* Excuſare ſe tutor per libellos non poterit. *Contradicit l.ſcire oportet.13.§.oportet.ff.eod.tt. his uerbis:* Oporter autem unam teſtari ante tribunal, uel aliter in ſubmemorationibus. Poteſt autem & libellos dare, ut Impp. Seuerus & Antoninus aiunt.

VI. VBI ET APVD QVEM excuſatio proponenda?

I. *Regula: Apud tribunal proponenda. quæ regula approbatur d.§.oportet.*

II. *Regula: Proponẽda eſt excuſatio apud eum qui tutorem dedit, ut exſupradictis conſtat. Quibus autem tutoris dandi ius competat, uide ẽ.cap.4. quæſt.2.except.1.*

VII. EVENTVS EXCVSAtionis propoſitæ.

I. *Regula: Si lite pendente pubes factus ſit pupillus, nihilominus lis perſequenda eſt. quæ regula approbatur l.quanquam.15.C.de excuſat.tutorum, his uerbis:* Quanquam in tutela detẽtus, eo quòd excuſatio quam obijciebas, non eſt admiſſa, prouocationis auxilium flagitaueris, & in medio tempore hi quorum meminiſti, in adulta ętate agere cœperunt: tamen nõ eo minus cauſa interpoſitę prouocationis propter periculum adminiſtrationis eius temporis iudiciorum more examinanda eſt.

II. *Regula: Victus licentiam prouocandi habet. quæ regula approbatur per ea quæ propoſita ſunt ſuperius quæſt.5.reg.1.except.1.*

III. *Regula: De exceptione rei iudicatæ, quæ abſoluto competit, dictum ẽ.quæſt.1.cauſa 53.*

IIII. *Regula: Qui à tutela ſe excuſauit, legatum & aliud quod in teſtamẽto ei relictũ eſt, amittit. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita*

ſita ſunt ſ.lib.32.cap.9.cauſa 16. Hactenus de excuſationibus tutorum & curatorum.

DE POSTVLATIONE ET remotione ſuſpecti tutoris. Cap. VII.

I. QVO IVRE SVSPECTI POſtulatio ſit introducta?

LEge XII.tabul. *eſt introducta. quod approbatur inſtit. de ſuſpectis tutor.in princ. his uerbis:* Sciendum eſt, ſuſpecti crimen ex lege XII.tabul. deſcendere. *Concordat l.1.in prin. ff.eod.tt.his uerbis:* Hæc clauſula frequens & perquàm neceſſaria eſt. quotidie enim ſuſpecti tutores poſtulantur. Primùm igitur trectemus, unde deſcendat ſuſpecti crimẽ, & apud quos poſtulari quis poſsit ſuſpectus tutor uel curator: deinde quis, & à quo, & ex quibus cauſis remoueatur, deq; pœna ſuſpecti. Sciendum eſt itaq;, ſuſpecti crimẽ è lege XII.tabularum deſcendere.

II. CAVSAE EX QVIBVS SVſpecti poſtulatio competit, & tutor remouendus eſt.

I. *Cauſa: Si ſuſpectus tutor ſit, & non ex fide tutelã gerat. quæ cauſa approbatur Inſt. de ſuſpectis tutorib. §. ſuſpectus, his uerbis:* Suſpectus eſt, qui non ex fide tutelam gerit, licet ſoluendo ſit, ut Iulianus quoq; ſcripſit. *Concordat l.ſi creditores. 15.§.ſed ſuſpectus.ff.de priuilegijs creditorũ. cuius uerba uide ẽ.lib.3.cap.6.quæſt.2.cauſa 6. item concordat l. actus.18.in fine.ff.de adminiſtr.tut. cuius uerba uide ſ. cauſa 10. Huius cauſæ ſpecies ſunt cauſæ ſequentes.*

II. *Cauſa: Si tutor dolum in tutela admiſit, uel in tutela eſt graſſatus: item ſi ſordidè uel pernicioſe cum pupillo egit, uel aliquid intercepit. Hæc cauſa approbatur l.tutor.3.§.nunc uideamus.ff.de ſuſpectis tutoribus, his uerbis:* Nunc uideamus, ex quibus cauſis ſuſpecti remoueantur. Et ſciendum eſt, aut ob dolum in tutela admiſſum ſuſpectum licere poſtulare, ſi fortè graſſatus in tutela ſit: aut quòd ſordidè egerit, uel perniciosè pupillo, uel aliquid interceperit ex rebus pupillaribus iam tutor.

III. *Cauſa: Si data pecunia tutelam redemerit. Hæc cauſa approbatur inſt.de ſuſpectis tutorib.§.ſi quis tutor, in fine. cuius uerba uide ſ.cauſa 8. Concordat d.l.3. §.tutor qui, in fine.ff.eod.tt.cuius uerba uide d.cauſa 8.*

IIII. *Cauſa: Si tutor inuentarium nõ conſcripſerit, uel pecuniã neq; ad prædiorum comparationem contulerit, neq; depoſuerit. Hæc cauſa approbatur d.l.1.§.tutores, his uerbis:* Tutores qui repertorium nõ fecerunt, uel pecuniam neq; ad prędiorum comparationem conferre, neq; deponere pernicaciter perſtant: quoad emptionis occaſio inueniatur, uinculis publicis iubentur contineri, & inſuper pro ſuſpectis habẽtur. Sed ſciendum eſt, non omnes hac ſeueritate tractari debere, ſed utiq; humiliores. Cæterùm eos qui ſunt in aliqua dignitate poſiti, non opinor uinculis publicis contineri oportere. *Concordat l.uxteris.13.§.fin.C.arbitr.tutelæ. cuius uerba uide ſ.lib.prox. cap.2. quæſt.1. in prin.*

V. *Cauſa: Si tutor inconſideratè uel dolo pupillum abſtinuit hæreditate. Hæc cauſa approbatur l.tutor.3. §.pen.ff.de ſuſpectis tut.his uerbis:* Is tutor, qui inconſideratè pupillũ uel dolo abſtinuit hæreditate, ſuſpectus poſtulari poteſt.

VI. *Cauſa: Si tutor tutelam non adminiſtrat. Hæc cauſa approbatur l.2.C.de ſuſpectis tut.his uerbis:* Curatores quidem ſuo periculo, quãto tardius ad eos tutela transfertur, ceſſant. quod ſi in fraudem factum exiſtimas, ſuſpectos eos poſtula: qui ſi ſubmoueri meruerint, in locum eorum alios accipies. *Concordat l.præſes. 3.C.eod.tt.his uerbis:* Præſes prouinciæ tutores filiorum tuorum, ſtrictioribus remedijs adhibitis, omnimodò adminiſtrationis officium compellet agnoſcere. Quòd ſi in eadẽ contumacia perſeuerauerint: ſuſpectos poſtulare, ut alij in locum eorum petantur, nõ prohiberis. *Concordat l.quoniam.4.§.fin.ff.eod. tt.his uerbis:* Qui nihil geſſerunt, non poſſunt ſuſpecti poſtulari: uerùm ob ignauiam, uel negligentiam, uel dolum (ſi dolo fecerũt) poſſunt remoueri.

VII. *Cauſa: Si tutor copiam ſui non faciat, nec compareat. Hæc cauſa approbatur l.impuberib.7.§.fin.ff. de ſuſpectis tut. his uerbis:* Si quis tutor datus nõ compareat, ſolet edictis euocari: nouiſsimeq;, ſi copiam ſui non fecerit, ut ſuſpectus remoueri ob hoc ipſum, quòd copiam ſui non fecit. quod & ſæpè, & diligenti habita inquiſitione, faciendum eſt.

VIII. *Cauſa: Si per tutorem ſtet, quo minus pupillo alimenta decernantur. Hæc cauſa approbatur inſt.de ſuſpectis tutorib.§.ſi quis tut.his uerbis:* Si quis tutor copiam ſui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur: cauetur epiſtola diuorũ Seueri & Antonini, ut in poſſeſsionem bonorum eius pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura ſunt, dato curatore diſtrahi iubentur. Ergo ut ſuſpectus remoueri poterit, qui non præſtat alimenta. Sed ſi quis præſens negat propter inopiam alimenta poſſe decerni: ſi hoc per mendacium dicat, remittendum eum eſſe ad præfectum urbi puniẽdum placuit: ſicut ille remittitur, qui data pecunia miniſterium tutelæ adquiſierit uel redemerit. *Concordat l.tutor.3.§.tutor qui. ff.d.tt.his uerbis:* Tutor qui ad alimẽta pupillo præſtanda copiam ſui non faciet, ſuſpectus eſt, poteritq; remoueri. Sed ſi nõ latiteat, ſed præſens nihil poſſe decerni cõtendat quaſi inopi: ſi datis pupillo aduocatis, in mendacio reuincatur, ad præfectum urbi remittendus eſt. Neq; enim intereſt, id agere quen-

quam, ut corrupta fide inquisitionis tutor constituatur: an bona fide constitutũ, uelut prædonem bonis alienis incumbere. Hic ergo non quasi suspectus remouebitur, sed remittetur puniendus ea pœna, qua solent affici qui tutelam corruptis ministerijs prętoris redemerunt. *Concordat item l. impuberib. 7. §. præterea. ff. cod. tt. his uerbis*: Accesserunt quædã species ex epistola Imperatoris nostri & diui Seueri ad Atrium colonum. Nam aduersus eos qui, ne aliméta decernãtur, fui copiam perseuerãt nõ facere: ut suis rebus careant, præcipitur: reiq; seruandæ causa pupillus in possessionem mittitur eius, qui suspectus sententia sua factus est: quæq; mora deteriora futura sint, curatore dato distrahi iubentur. *Ait iurisconsultus*: Accesserũt quædã species. *Scilicet ijs ex quib. suspecti postulatio competit, quarum quædam in d. l. 7. erant propositæ. Concordat deniq; l. si absens. 6. ff. ubi pupillus educari. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 4. quæſt. 3. reg. 2.*

X. *Causa: Si tutor res alienari prohibitas, sine decreto distraxit. Hæc causa approbatur l. tutor. 5. §. Seuer. ff. de suspectis tut. his uerbis*: Seuerus & Antoninus rescripserunt Epicurio: Tutores qui res uectitas sine decreto distraxerunt, nihil quidem egisse: uerùm si per fraudem id fecerunt, remoueri eos oportere.

X. *Causa: Si tutor cum cõtutore suo administrationem non cõmunicet. Hæc causa approbatur l. actus. 18. ff. de administr. tut. his uerbis*: Actus sui rationem tutorem cõtutori reddere nõ esse cõpellendum: sed nisi cum eo administrationem nõ cõmunicet, aut ex fide curam gerat, suspectum postulari posse, Vlpianus scribit.

XI. *Causa: Si tutor pauper sit. Hæc causa reprobatur Inſt. de suspectis tut. §. fin. his uerbis*: Suspectũ etiam eũ putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enimuerò tutor uel curator, quamuis pauper est, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus. *Concordat l. suspectũ. 8. ff. eod. tt. his uerbis*: Suspectum etiam tutorẽ esse putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enimuerò tutor, quãuis pauper est, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus. *Concordat l. in postul. 5. C. eod. tt. his uerbis*: In postulandis suspectis tutorib. seu curatoribus nõ uires patrimoniorũ principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur, perpendi oportet. *Planè hoc casu interdum tutori curator adiungitur, qui facultatibus idoneus sit. quod approbatur l. pietatis. 6. C. eod. tt. his uerbis*: Pietatis fungeris officio, si fratris tui filios, ut necessitudo sanguinis suadet, protegere conaris. Si igitur tutores uel curatores eorũ non rectè administrant: suspectis eis postulatis atque ostensis, ut alij in locum eorum constituantur, facilè impetrabis. Quòd si nihil in fraudem egerunt, uerùm ita egeni sunt, ut in eorum administratione fratris tui filiorũ substantia periclitetur: an eis adiungendus sit curator, qui idoneus facultatibus sit, rector prouinciæ æstimabit.

XII. *Causa: Si tutor malis sit moribus, qui illum suspectum reddere possint. Hæc causa approbatur per ea quæ proposita sunt §. causa prox.*

XIII. *Causa*: *Si tutor pupillo uel eius parentibus inimicus sit. Hæc causa approbatur l. tutor. 3. §. si tutor. ff. de suspectis tutoribus, his uerbis*: Si tutor inimicus pupillo parẽtibúsue eius sit, & generaliter, si qua iusta causa prætorem mouerit, cur non debeat in ea tutela uersari: reijcere eum debebit.

XIIII. *Causa*: *Si tutor pupillum in iudicio defendere nolit. quæ causa approbatur per ea quæ habentur ſ. lib. prox. cap. 3. officio 3. reg. 1.*

XV. *Causa: Si tutor rem pupilli saluam fore non satisfecerit. quæ causa approbatur l. 2. C. de tutore qui non satisfecerit, his uerbis*: Eum tutorem qui superest, si secundum præsidis præceptum & iuris formam satis non dat, &c. *Concordat l. si impuberi. 13. §. quamuis. ff. de tutoribus datis. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 1. except. 3. repl. 5.*

XVI. *Causa: Hoc loco sciendum, quòd ex aliæ causæ sint tutores tanquam suspectos postulandi ac remouendi, ex arbitrio iudicis pendentes: ut constat ex uerbis §. causa 13. propositis hisce*: Et generaliter, si qua iusta causa prætorem mouerit, cur non debeat in ea tutela uersari, &c.

Exceptiones præcedentium causarum generales.

Habent causæ iam enumeratæ suas etiam exceptiones, partim ex persona tutoris, partim etiam ex causa, tempore & consequentibus facti, quo se suspectum fecit, desumptas, quæ ordine hic sunt proponendæ.

I. Exceptio: *Nisi tutor testamentarius sit, uel alterius generis. Hæc exceptio reprobatur Inſt. de suspectis tutoribus. §. ostendimus, his uerbis*: Possunt quidẽ omnes tutores fieri suspecti, siue sint testamentarij, siue non sint, sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? adhuc idem erit dicendum: dummodò memineri mus, famæ patroni parcendum esse, licet ut suspectus remotus fuerit. *Concordat ijsdẽ propè uerbis l. 1. §. ostendimus. ff. eod. tt. Item concordat l. etiam. 4. C. eod. tt. his uerbis*: Etiam testamento patris tutorem datum suspectum postulare potes, si fraudem tutoris argueris.

II. Exceptio: *Nisi patronus liberti tutor sit. Hæc exceptio reprobatur Inſt. d. §. ostendimus, item d. l. 1. §. ostendimus. Planè in patrono remouendo iudex non debet esse facilis, sed curatorem ei adiungi melius est, ex l. si tutor. 9. ff. de suspectis tutorib. cuius uerba uide ſ. except. 4.*

III. Exceptio: *Nisi libertus filiorum patroni tutelam gerat. Et hæc exceptio reprobatur l. 1. C. de suspectis*

tutoribus. cuius uerba uide ſ. except. 16.

IIII. Exceptio: *Nisi tutor cognatus sit, uel adfinis pupilli. Hæc exceptio approbatur l. si tutor. 9. ff. de suspectis tutoribus, his uerbis*: Si tutor aliquo uinculo necessitudinis uel adfinitatis pupillo coniunctus sit, uel si patronus pupilli liberti tutelam gerat, & quis eorum tutela remouendus uideatur: optimum factu est, curatorem ei potius adiungi, quàm eundem notata fide & existimatione remoueri. Planè hæc consilij potius quàm legis uim obtinere uidentur, cum id quod de patrono dicitur, repugnet ijs quæ proposita sunt §. except. 2.

V. Exceptio: *Nisi tutor dues sit. Hæc exceptio reprobatur inſtit. de suspectis tutorib. §. suspectus autem. cuius uerba uide §. causa 1.*

VI. Exceptio: *Nisi tutor satis offerat uel dedit, rem pupilli saluam fore. Hæc exceptio reprobatur l. suspectus. 5. cum lege sequente. ff. de suspectis tutorib. his uerbis*: Suspectus fieri is quoq; qui satisfecerit, uel etiam nũc offerat, potest. expedit enim pupillo, rem suam saluam fore, quàm tabulas cautionis habere. Nec ferendus est contutor, qui ideo collegam suum suspectum non fecit, quoniam cautum erat pupillo: quia satisdatio propositum tutoris maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re pupillari facultatem præstat. *Concordat Inſt. d. tt. §. nouissimè, his uerbis*: Sciendum est, eos qui fraudulenter tutelam administrant, etiamsi satis offerant, remouendos esse à tutela: quia satisdatio tutoris propositum maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat.

VII. Exceptio: *Nisi suspectus non tutor neq; curator sit mimoris: sed furiosi, prodigi, uętris, uel bonorum. Hæc exceptio reprobatur l. tutor. 3. §. non tantùm. ff. de suspectis tutorib. his uerbis*: Non tantùm adolescentis curator, sed etiam furiosi uel prodigi ut suspectus remoueri potest. Sed etsi quis curã uentris, bonorúmue administrat, non carebit huius criminis metu.

VIII. Exceptio: *Nisi non dolo, sed culpa factũ sit. Hæc exceptio reprobatur l. impuberib. 7. §. 1. ff. d. tt. his uerbis*: Si non fraus admissa sit, sed lata negligentia: quia ista prope fraudem accedit, remoueri & hũc quasi suspectum oportet. *Concordant ea quæ habentur ſ. quæſt. 6. reg. ult.*

IX. Exceptio: *Nisi antequam tutor esset, fecerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. quòd si quid. ff. de suspectis tutorib. his uerbis*: Quòd si quid admisit, antequam tutor esset (quamuis in bonis pupilli, uel in tutela:) non potest suspectus tutor postulari: quia delictum tutelam præcesit. Proinde si pupilli substantiam expilauit, sed antequã tutor esset, accusari debet expilatæ hæreditatis: si minus, furti.

X. Exceptio: *Nisi cũ tutor deliquisset, postea idem curator fit factus. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. quæri, his uerbis*: Quæri potest, si tutor fuerit pupilli, idemq; sit curator confirmatus adolescenti, an possit ex delictis tutelæ suspectus postulari? Et cum possit tutelæ à concuratoribus conueniri, consequens erit dicere, cessare suspecti accusationem: quia tutelæ agi possit depositio officio, uel alio sumpto. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi contutorem uel concuratorem non habeat. Hæc replicatio approbatur d. l. 3. §. item erit quærendum, in fine. cuius uerba uide ſ. except. prox.*

XI. Exceptio: *Nisi cum tutor deliquisset, tutor esse desierit, posteaq; rursus eiusdem tutor factus sit. Hæc exceptio approbatur sub cõditione d. §. item erit quærendum, his uerbis*: Erit quærendum, si proponas aliquẽ desijsse esse tutorem, & rursum cœpisse: (utputa usq; ad tempus, uel ad cõditionem erat datus: deinde iterum, uel superueniente conditione testamentaria, uel etiam à prætore postea datus) an suspectus possit postulari? Et quia duæ tutelæ sunt: si est qui eum tutelæ iudicio cõueniat, æquissimum erit dicere, cessare crimen suspecti. Si autem ipse tutor est solus: nunquid quia tutelæ cessat, remouendus sit ab hac administratione, quasi suspectus ex eo, quòd in alia malè uersatus sit? Ergo & in eo qui curator solus post finitam tutelam confirmatus est, idem dici potest. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi postea solus tutor sit. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Si autem ipse tutor est solus, &c.

XII. Exceptio: *Nisi cum quis ita tutor datus esset, Quoad in Italia esset: deliquerit, posteaq; Italia excesserit, reuersúsq; tutelam receperit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 3. §. quòd si quis, his uerbis*: Quòd si quis tutor ita datus sit, Quoad in Italia erit, tutor esto, uel quoad trans mare non ierit: an possit suspectus postulari ex eo gestu, quem administrauit, antequam trans mare abijsset? & magis est ut postulari possit, quasi una tutela sit, habens interualla.

XIII. Exceptio: *Nisi antequam reipublicæ causa abesse cœperit, admiserit. hoc enim casu uidetur, quòd postea reuersus ex eo suspectus postulari non possit. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. si quis abfutur. his uerbis*: Si quis abfuturus reipublicæ causa, desideraueric in locum suum constitui alium tutorem: an reuersus ex antegesto suspectus postulari possit? & quia potest ex priore gestu utili actione conueniri, cessabit postulatio.

XIIII. Exceptio: *Nisi cũ curator uętris bonorũq; esset, admisit, postea tutor fit factus. Hæc exceptio approbatur sub conditione d. l. 3. §. si curator, his uerbis*: Si curator uentri bonisq; datus fraudulenter uersatus sit, deinde tutor datus, an postulari suspectus propter fraudes in cura admissas possit, dubitari potest? Et siquidem

habet contutores, non poterit postulari, quia conueniri potest: si non habet, amoueri poterit.

XV. Exceptio: *Nisi tutor pendente lite decesserit. Hæc exceptio approbatur Inst. de suspectis tutorib. §. si quis autem, his uerbis:* Si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaq; tutor uel curator decesserit: extinguitur suspecti cognitio.

XVI. Exceptio: *Nisi tutela finita sit. Hæc exceptio approbatur l. post fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Post finitam tutelam cognitio suspecti tutoris, quamuis pridem cœpta, soluitur. *Concordat l. 1. C. eod. tt. his uerbis:* Libertum tuum, & tutorem filij tui, si fraudulenter res eius administrare existimas, suspectũ facere potes: modò si officium eius pubertate pupilli finitũ non est. nam si eo iure tutor esse desijt, is iudicio tutelæ conueniendus est.

III. QVIBVS SVSPECTI POstulatio competit?

Regulariter cuiuis accusare uolenti competit. quæ regula approbatur Instit. de suspectis tutorib. §. consequens, his uerbis: Consequẽs est, ut uideamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendũ est, quasi publicam esse hãc accusationem, hoc est, omnibus patere. *Concordat iisdem uerbis l. 1. §. consequens. ff. eod. tt. Concordat item l. pietatis. 6. §. fin. C. eod. tt. his uerbis:* Remouendi autẽ licentia non solùm parentibus utriusq; sexus, sed etiam cognatis, & extraneis, & adfinibus, & ipsi cuius res administrantur, si nõ impubes sit, arbitrio cognatorum bonæ opinionis constitutorum conceditur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mulier sit, quæ accusare uelit. quæ exceptio cùm ipso iure subsistat, recipit replicationem hanc: Nisi pietatis necessitudine ducta, ad accusandum procedat. quæ replicatio approbatur simul & declaratur Inst. d. §. consequens, his uerbis:* Quinimò & mulieres admittuntur ex rescripto diuorum Seueri & Antonini: sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: utputa mater, nutrix quoq;, & auia, potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quã prætor propensa pietate intellexerit, sexus uerecũdiam non egredientem, sed pietate productam, non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem. *Concordat iisdem uerbis d. l. 1. §. consequens. ff. eod. tt. & d. l. 6. §. fin. ubi: utriusq; sexus. Secunda exceptio est: Nisi minor annis accusare uelit. Hæc exceptio approbatur Inst. de suspectis tutorib. §. impuberes, hisce uerbis:* Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare: puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere. & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Concordat l. impub. 7. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Impuberibus quidẽ non permittitur suspectos facere. adolescẽtibus planè uolentibus suspectos facere curatores suos permittitur, dummodò cõsilio necessariorum id faciant. *Concordat item l. pietatis. 6. §. fin. C. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. reg. in prin. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi pubes sit minor. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis, sub hac tamen conditione, Si consilio necessariorum pubes accusset. Tertia exceptio est: Nisi tutor contutorem suum accuset. Hæc exceptio reprobatur l. tutor. 3. in prin. ff. de suspectis tutor. his uerbis:* Tutor quoq; contutorem potest suspectũ facere, siue duret adhuc tutor, siue iam desierit, ipse contutor autem maneat tutor. & ita diuus Seuerus rescripsit. Plus diuus Pius Cæcilio Potino rescripsit, posse & tutorem suspectum remotũ contutores suos suspectos facere. *Quarta exceptio est: Nisi libertus patronum suum suspectum facere uelit. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. 1. his uerbis:* Liberti quoq; pupillorum gratè faciẽt, si tutores uel curatores eorum, malè gerentes rem patronorum uel liberorum patronorum, suspectos fecerint. Sed si patronum suum ut suspectum in tutela facere uelint, melius est libertos ab accusatione repelli: ne in ipsa cognitione grauius aliquid emergat, cùm hoc omnibus alijs pateat.

IIII. VBI ET APVD QVEM postulatio suspecti competit?

1. Regula huius loci proponitur Inst. de suspectis tutorib. §. 1. his uerbis: Datum est ius remouendi tutores suspectos Romæ prætori, & in prouincijs præsidibus earum, & legato proconsulis. *Concordat l. 1. §. damus. ff. eod. tt. his uerbis:* Damus ius remouendi suspectos tutores Romæ prætoribus, in prouincijs præsidib. earum. An autem apud legatum proconsulis suspectus postulari possit, dubium fuit. Sed Imp. Antoninus cum diuo Seuero Braduæ Marico proconsuli Africæ rescripsit, posse: quia mãdata iurisdictione, totum officium iuris dicendi ad eum transit. Ergo & si prætor mandet iurisdictionem, simili modo dicendũ est, suspectum posse apud eum postulari, cui mandata est. Cum enim sit in prouincia hoc rescriptum, cõsequens erit dicere, etiam eum cui à prætore mandata est iurisdictio, posse de suspecto cognoscere. *Concordat item l. 2. §. solent. ff. de officio præfecti urbi. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 11. quæst. 2. reg. 5.*

II. Regula, De eo cui mandata est iurisdictio, proponitur uerbis iam dictis hisce: Quia mandata iurisdictione, &c.

III. Regula: Pro tribunali, non de plano competit. quæ regula approbatur l. 1. §. suspecti. ff. ad S. C. Turpill. his uerbis: Suspecti tutoris accusatio pro tribunali tantùm examinari potest, & nullus alius de huius quæstione, quàm præses, pronunciare potest.

V. QVAN-

V. QVANDO COMpetat?

Etiam antequam tutelam gerere cœperit, potest cõpetere. quæ regula approbatur Inst. de suspectis tutorib. §. suspectus, his uerbis: Et antequam incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectũ remoueri, Iulianus scripsit: & secundum eum constitutum est.

VI. ADIVNCTA ET EVENtus postulationis suspecti.

I. Regula: Reo interdicitur administratio, quoad cognitio finiatur. quæ regula approbatur Inst. de suspectis tutorib. §. si quis, hisce uerbis: Si quis suspectus postulatur, quoad cognitio finiatur, interdicitur ei administratio, ut Papiniano uisum est. *Concordat l. eum quem. 7. C. eod. tt. his uerbis:* Eum quem ut suspectum tutorẽ accusas, pendente causa cognitionis abstinere ab administratione rerum tuarum, donec causa finitur, præses prouincię iubebit. Alius tamen interea in locum eius in administratione rerum ordinandus est.

II. Regula: Etiam ex seruis minoris de fraude tutoris uel curatoris potest inquiri. quæ regula approbatur l. ult. ff. de suspectis tutor. his uerbis: Nihil proponi, Iulianus ait, cur præscribere curator possit in cognitione suspecti, quo minus religio prætoris à pupillari seruo detegente fraudes instruatur.

III. Regula: Tutor condemnatus, tutor esse desinit, quæ regula approbatur instit. quib. mod. tutela finitur. §. fin. cuius uerba uide §. cap. 5. in fine. Eius exceptio uidetur esse: *Nisi tutor à tutela non sit remotus, sed tantùm gerere tutelam prohibitus. quæ tamen exceptio reprobatur l. quoniam. 4. §. si prætor. ff. de suspectis tutoribus, his uerbis:* Si prætor sententia sua non remouerit à tutela, sed gerere prohibuit: dicendum est, magis esse ut & hic desinat tutor esse.

IIII. Regula: Suspectus remotus sit infamis. quæ regula approbatur simul & distinguitur Instit. de suspectis tutorib. §. suspectus, his uerbis: Suspectus remotus, siquidem ob dolum, famosus est: si ob culpam, non æquè. *Concordat l. ult. C. eod. tt. his uerbis:* Suspectos tutores ex dolo, non etiam eos qui ob negligentiam remoti sunt, infames fieri, manifestum est. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non ex dolo, sed ex culpa remotus sit. quæ exceptio ex iam dictis constat. Concordat l. tutor. 3. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Qui ob segnitiem, uel rusticitatem, uel inertiam, uel simplicitatẽ, uel ineptiam remotus fuit, in ea causa est, ut integra existimatione tutela uel cura abeat. *Concordat item l. 2. C. de tutore qui non satisfecit. cuius uerba uide §. quæst. 2. causa 15. Secunda exceptio est:* Nisi *non remotus sit, sed alius ei adiunctus. Hæc exceptio approbatur d. §. fin. his uerbis:* Sed & si ob fraudẽ non remouerit aliquem, sed alium ei adiũxerit, non erit famosus: quia non est abire tutela iussus. *Tertia exceptio est: Nisi iudex in suo decreto causam remotionis non inseruerit. Hæc exceptio approbatur l. quoniam. 4. in prin. ff. de suspectis tutorib. his uerbis:* Hæc causæ faciunt, ut integra existimatione tutela uel cura quis abeat. Decreto igitur debebit causa remouẽdi significari, ut appareat de existimatione. Quid ergo, si non significauerit causam remotionis decreto suo? Papinianus ait, debere dici, hũc integræ esse famæ. Et uerũ est. *Ait Iurisconsultus:* Hæ causæ. *scilicet enumeratæ l. præcedente, §. fin. §. except. 1. propositæ. Quarta exceptio est: Nisi patronus à tutela sui liberti sit remotus. Hæc exceptio approbatur Inst. de suspectis tutor. §. ostendimus, in fine. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 1.*

VII. ADFINIA REmedia.

I. Regula, De remouendo sine postulatione, si crimen apertum sit, proponitur l. tutor. 1. §. prætera. ff. de suspectis tutor. his uerbis: Videndum, an sine accusatione possit suspectus repelli? & magis est ut repelli debeat, si prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis, suspectum eum esse: quod fauore pupillorum accipiendum est.

II. Regula, De remittendo tutorem ad præsidem puniendum, proponitur l. 1. §. fin. cum lege sequente. ff. de suspectis tutorib. his uerbis: Si quis de plebeis, ob facta atrociora in tutela admissa, fuerit apud prætorem accusatus: remittitur ad præfectum urbi grauiter puniendus. Liber tus quoq;, si fraudulenter gessisse tutelam filiorum patroni probetur, ad præfectum urbi remittetur puniendus. *Concordat Inst. eod. tt. §. sed si quis. cuius uerba uide §. quæst. 2. causa 8. Item concordat Inst. d. tt. §. libertus, his uerbis:* Libertus quoq;, si fraudulenter tutelam filiorum uel nepotum patroni gessisse probetur, ad præfectum urbi remittitur puniendus. *Concordat item l. tutor. 3. §. tutor qui. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. causa 8. Item concordat l. 1. §. solent. ff. de officio præfecti urbi. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 11. quæst. 2. reg. 5.*

III. Regula, De actione tutelæ, proponitur d. l. 3. §. quæri potest, cum sequentibus. ff. de suspectis tutoribus. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 10. cum sequentib. Concordat l. 1. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 2. except. 16.

IIII. Regula, De curatore adiungendo, proponitur l. si tutor. 9. ff. de suspectis tutor. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 4. Concordat l. pietatis. 6. §. quòd si nihil. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 2. causa 11.

V. Regula, De expilatæ hæreditatis & furti actione, proponitur l. tutor. 3. §. quod si quid. ff. d. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 2. except. 9.

VI. Regula: Si quis omissa suspecti postulatione, sibi decerni tutelam postulet, non est audiendus. quæ regula approbatur l. si nõ. 8. C. de suspectis tut. his uerbis:

Sinon

Si non ſuſpectum contutorem tuum poſtulare, ac remouere ab adminiſtratione bonorum pupilli curaueris: admitti nequaquam poteſt ratio deſiderij tui, iam nũc poſtulantis tutelam tibi nomine eiuſdem pupilli reſtitui.

VII. *Regula: Si tutor non compareat, nec copiam ſui faciat: pupillus in poſſeſſionem bonorum eius mittitur. quæ regula approbatur per ea quæ propoſita ſunt* ℨ. *quæſt. 2. cauſa 8.*

DE CAVSIS SEV MODIS, quibus tutela & cura finitur. Cap. VIII.

PRæter excuſationem tutoris, & remotionem ſuſpecti, hactenus tractatas ſunt & plures aliæ cauſæ ſeu modi quibus tutela finitur, conſiſtẽtes partim in perſona pupilli uel eius qui ſub cura agit, partim in perſona tutoris ſeu curatoris, partim deniq; in cauſa propter quã, item in tempore ad quod, & conditione ſub qua tutor eſt datus. de quibus ſingulis nunc ordine diſpiciendum: & primùm de ijs quæ conſiſtunt in perſona pupilli uel adulti, qui in tutela uel cura eſt.

I. *Cauſa, De pubertate pupilli, proponitur Inſtit. quibus mod. tutela finitur, in prin. his uerbis:* Pupilli pupillæq; , cum puberes eſſe cœperint, à tutela liberantur. Pubertatem autẽ ueteres quidem non ſolùm ex annis, ſed etiam ex habitu corporis in maſculis æſtimari uolebant. Noſtra autem maieſtas dignum eſſe caſtitate noſtrorum temporum exiſtimans, bene putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum eſſe uiſum eſt, id eſt, inſpectionem habitudinis corporis, hoc etiam in maſculos extendere. Et ideo noſtra ſancta conſtitutione promulgata, pubertatem in maſculis poſt decimumquartum annũ cõpletum illico initiũ accipere diſpoſuimus: antiquitatis normam in fœminis bene poſitam, in ſuo ordine relinquẽtes, ut poſt duodecim annos completos uiripotentes eſſe credantur. *Ait tmp.* Noſtra ſancta conſtitutione. *Hæc conſtitutio habetur Lindec. 3. C. quando tutores eſſe deſinant, his uerbis:* Indecoram obſeruationẽ in examinanda mariũ pubertate reſecantes, iubemus, quemadmodum fœminæ poſt impletos duodecim annos omnimodò puberes iudicãtur, ita & mares poſt exceſſum quatuordecim annorũ puberes exiſtimentur, indagatione corporis inhoneſta ceſſante. *Concordat l. ſi impuberi. 13. §. penult. ff. de tutor. datis, hiſce uerbis:* Si puella duodecimum annum impleuerit, tutor deſinit eſſe: quoniam tum minoribus annis deſiderantibus curatores dari ſolent. *Concordat item l. à tutorib. 32. §. 1 ff. de adminiſtr. tutor. his uerbis:* Officium tutorum, curatoribus cõſtitutis, finẽ accipit. Ideoq; omnia negocia quæ inita ſunt, ad fidem curatorũ pertinent. idq; etiã diuus Marcus cum filio ſuo Commodo reſcripſit. *Huius regulæ exceptio hæc eſſe uidetur: Niſi curator impuberi ſit datus. tunc enim cura pubertate pupilli finiri non uidetur, cum etiam puberes curatores habeant. Sed exceptio hæc reprobatur l. curatorem. 25. ff. de tutorib. datis, hiſce uerbis:* Curatorem impuberi datum quacunq; ex cauſa, perſeuerare in diem pubertatis in eadẽ cura, Paulus reſpondit. Ergo poſt pubertatẽ alium curatorem ſibi petere debebit. *Concordat l. 2. in fine. C. in quibus caſib. tutorem habenti, his uerbis:* Quamuis curator cum alijs in locum tutoris ſubſtitutus ſis: tamen periculo adminiſtrationis ultra pubertatis tempora non adſtringeris. *Concordat item l. 1. C. quando tutores eſſe deſinant, his uerbis:* Si curatores tutoribus adiũcti ſunt, pubertate pupilli tam tutorum quàm curatorum adiunctorum officium finiri, ideoq; alios propter ætatis infirmitatem curatores eſſe dandos, manifeſtiſsimum eſt.

II. *Cauſa, De capitis deminutione pupilli uel adulti, proponitur Inſtit. quib. mod. tutela finitur. §. ſimili modo, in fine, his uerbis:* Pupilli & pupillæ capitis deminutio, licet minima ſit, omnes tutelas tollit. *Concordat l. 2. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis:* Legitimam tutelam capitis deminutione pupilli (etiam ea quæ ſalua ciuitate contingit) amitti, nulla dubitatio eſt. *Huius cauſæ ſpecies ſunt cauſæ proximè ſequentes.*

III. *Cauſa: Si impubes adrogatus uel deportatus ſit, aut in ſeruitutẽ redactus, uel ad hoſtes peruenerit. Hæc cauſa approbatur Inſt. quib. mod. tutela finitur. §. item finitur, his uerbis:* Item finitur tutela, ſi adrogati ſint adhuc impuberes, uel deportati: item ſi in ſeruitutẽ pupillus redigatur, uel ſi ab hoſtibus captus fuerit. *Concordat l. ſi adrog. 14. in prin. ff. de tutelis, hiſce uerbis:* Si adrogati ſint adhuc impuberes, uel pupilli deportati ſint, tutores habere deſinunt. Item, ſi in ſeruitutem pupillus redigatur, utriq; finitur tutela. Alijs quoq; modis deſinunt eſſe tutores, ſi fortè quis ab hoſtibus fuerit captus, uel pupillus, uel tutor.

IIII. *Cauſa, De morte pupilli, proponitur Inſtit. quib. mod. tutela finitur. §. ſimili modo, his uerbis:* Simili modo finitur tutela morte uel pupilli rum, uel tutorum. *Concordat l. niſi. 4. in prin. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Finitur tutela non ſolùm pubertate, ſed etiam morte tutoris uel pupilli.

V. *Cauſa: Si pupillus tutorem amplius habere nolit. Hæc cauſa reprobatur l. 2. C. quando tutores eſſe deſinant, his uerbis:* Tutoris officium ex ſola uoluntate pupilli non finiri, certiſsimum eſt.

VI. *Cauſa: Si cùm duobus fratrib. tutor datus eſſet, alter ex ijs pubes ſit factus. tunc enim pupillus in legitimã fratris tutelã recidit. Hæc cauſa approbatur l. ſi tutor. 9. §. 1. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si duobus impuberibus fratribus tutor datus ſit, & alter eorum in legitimam tutelam fratris ſui perfectę ætatis conſtituti reciderit: eum qui datus ſit, tutorem eſſe deſijſſe, Neratius ait. Quia igitur definit, tutelæ actio erit, etiam ex perſona impuberis: quãuis ſi teſtamẽto datus fuiſſet, non deſineret eſſe tutor eius qui adhuc erat impubes: quia ſemper legitima tutela teſtamentariæ cedit. *Huius cauſæ exceptio hæc eſt: Niſi in teſtamento quis duobus fratribus impuberibus tutor datus ſit. quæ exceptio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Quamuis ſi teſtamento datus fuiſſet, &c. *Cui concordat l. ſi tutores. 3. C. de teſtam. tutela. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 3. quæſt. 2. except. generali 1. repl. 5. Planè cauſa propoſita hodie mutata eſt: quoniã alter fratrum, quamuis pubes factus ſit, tamen quãdiu eſt minor uigintiquinq; annis, impuberis fratris tutor eſſe non poteſt, ſecundum ea quæ propoſita ſunt* ℨ. *cap. 4. quæſt. 2. except. 20.*

VII. *Cauſa: Si impubes furere cœperit. Hæc cauſa reprobatur l. qui habent. 3. in princ. ff. de tutelis. cuius uerba uide* ℨ. *d. quæſt. 2. except. 32. in prin.*

VIII. *Cauſa: Si furioſus uel prodigus, cui curator datus eſt, ad mentem redierit. Hæc cauſa approbatur l. 1. ibi: & tamdiu erunt ambo. ff. de curatorib. furioſo. cuius uerba uide* ℨ. *d. quæſt. 2. except. 34. repl. 4. Huius cauſæ exceptio in furioſo hæc eſt: Niſi furor per interualla redire ſoleat. quæ exceptio approbatur l. cùm alijs. 6. C. de curatore furioſi, his uerbis:* Cùm alijs quidem hominibus continuum furoris infortuniũ accidat, alios autẽ morbus nõ ſine laxamento aggrediatur, ſed in quibuſdam temporibus quędam eis intermiſsio perueniat: & in hoc ipſo multa ſit differentia, ut quibuſdam breues induciæ, alijs maiores ab huiuſmodi uitio inducantur: antiquitas diſputabat, utrũmne in medijs furoris interuallis permaneret eis curatoris interceſsio, an cum furore quieſcente finita, iterum morbo adueniente redintegraretur. Nos itaque eiuſmodi ambiguitatem decidentes, ſancimus: cum incertum eſt in huiuſmodi furioſis hominibus, quando reſipuerint, ſiue ex longo, ſiue ex propinquo ſpacio, & impoſsibile eſt & in confinio furoris & ſanitatis eum ſæpius conſtitui, & poſt longum tempus ſub eadem eſſe uarietate, ut in quibuſdã uideatur etiam penè furor eſſe remotus: curatoris creationem nõ eſſe finiẽdam, ſed manere quidem eum, donec talis furioſus uiuit: quia non eſt penè tempus, in quo huiuſmodi morbus deſperatur: ſed per interualla, quæ perfectiſsima ſunt, nihil curatorem agere, ſed ipſum poſſe furioſum, dum ſapit, & hæreditatem adire, & omnia alia facere quæ ſanis hominibus cõpetunt. Sin autem furor ſtimulis ſuis iterum eum accenderit: curatorem in contractu ſuo coniungi, ut nomen quidem curatoris in omne tempus habeat, effectum autem quoties morbus redierit: nec crebra uel quaſi ludibriоſa fiat curatoris creatio, & frequenter tam naſcatur quàm deſinere uideatur.

IX. *Cauſa, De capitis deminutione tutoris uel curatoris, proponitur Inſt. quid. mod. tutela finitur. §. ſimili, his uerbis:* Sed & capitis deminutione tutoris, per quam libertas uel ciuitas amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione tutoris, ueluti ſi ſe in adoptionem dederit, legitima tantùm tutela perit, cæteræ non pereunt. *Huius cauſæ exceptio hæc eſt: Niſi minima ſit capitis deminutio. Quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Minima autẽ capitis deminutione, &c. *Cui concordat l. tutelas. 7. in prin. ff. de capite minutis. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 50. cap. 1. quæſt. 4. except. 1. Huius replicatio eſt: Niſi legitima ſit tutela. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Legitima tantùm tutela perit. *Concordat d. l. 7. in prin. Plura de hac replicatione uide* ℨ. *cap. 2. quæſt. 3. except. 5.*

X. *Cauſa: De exilio tutoris uide* ℨ. *cap. 6. quæſt. 2. cauſa 5.*

XI. *Cauſa: Si tutor ad hoſtes peruenerit. Hæc cauſa approbatur l. ſi adrogati. 14. ibi: aliis quoq; modis. ff. de tutelis. cuius uerba uide* ℨ. *cauſa 2. Huius cauſæ exceptio eſt: Niſi non captus ab hoſtibus ſit, ſed uolens ad eos peruenerit. Hæc exceptio approbatur l. ſi quis. 15. ff. eod tt. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 4. quæſt. 2. except. 33. repl. 5.*

XII. *Cauſa: Si tutor uel curator furioſus, ſurdus, mutus, uel talis ſit factus, ut ſuis ipſius rebus ſupereſſe non poſſit. Hæc cauſa approbatur l. compluria. 17. ff. de tutelis. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 4. quæſt. 2. except. 16. Concordat l. poſt ſuſceptam. 40. in prin. ff. de excuſat. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 6. quæſt. 1. cauſa 5. except. 2.*

XIII. *Cauſa: Si tutor mortuus ſit. Hæc cauſa approbatur per ea quæ propoſita ſunt:* ℨ. *cauſa 4. Concordat in curatore bonis dato l. cuius bonis. 9. in fine. ff. de curatorib. furioſo. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 8. capite 8. quæſt. 3. reg. 1.*

XIIII. *Cauſa: Si tutor tanquam ſuſpectus remotus ſit. Hæc cauſa approbatur Inſt. quib. mod. tutela finitur. §. fin. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 5. in fine. Concordat l. ſi adrogati. 14. §. penult. ff. de tutelis, hiſce uerbis:* Præterea ſi tanquam ſuſpectus quis fuerit remotus, deſinit eſſe tutor. *Vide item* ℨ. *capite prox. quæſt. 6. reg. 3.*

XV. *Cauſa: Si mater, quæ filiorum tutelam gerit, nuptias iterauerit. De hac cauſa uide* ℨ. *cap. 4. quæſt. 2. except. 21. repl. 1. dupl. 3.*

XVI. *Cauſa: Si tutori curator ſit adiunctus. Hæc cauſa reprobatur l. cum ob. 5. C. in quib. cauſis tutorem habenti, his uerbis:* Cum ob augmentum facultatum curatores adiungi ſolent, non prius dati tutores adminiſtratione eorũ liberantur. Sanè ſi is qui adminiſtrauit, tempore finitæ

finitæ tutelæ fuit soluendo: secuti temporis periculum ad te pertinere non potuisse, manifestum est. *Sed de lege proposita uide item* ꝫ.*lib.prox.cap.9.except.15.in fine.*

XVII. *Causa: Si tutor datus excusatus sit. Hæc causa approbatur Inst.quib.mod.tutela finitur.§.fin. cuius uerba uide* s̃.*cap.5.in fine. Eius autem exceptio hæc est: Nisi ad tempus tantùm fuerit excusatus. quæ exceptio approbatur l.nec ille.16. ff. de tutorib.datis. cuius uerba uide* s̃.*cap.4.quæst.2.except.33.repl.4. Concordant ea quæ proposita sunt* s̃.*cap.6. quæst.1. causa 38. except.2.*

XVIII. *Causa: Si causa ob quam, uel tempus ad quod tutor datus est, sit finitum: uel conditio, ad quam datus est, extiterit. Hæc causa approbatur Inst.quib. mod.tutela finitur.§.penult.his uerbis:* Qui ad certum tempus testamento dantur tutores: finito eo, deponunt tutelam. *Concordat Instit. eod.tt.§.item finitur, his uerbis:* Si usq; ad certam conditionem datus sit tutor testamento: æquè euenit, ut desinat esse tutor existente conditione. *Concordat item l.si adrogati.14.§.sed etsi.ff.de tutelis, hisce uerbis:* Sed & si ad tempus fuerit quis datus: tempore finito, desinit esse tutor. *Concordat d.l.14.§.fin.his uerbis:* Sed & si ad certam cõditionem datus sit: æquè eueniet, ut desinat esse tutor existente conditione. *Concordat item l.si tutor.9.§.si testamento.ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide* ꝫ.*lib.proxim. cap.10.quæst.6.reg.1.except.3. Item concordat Inst.de authot.tut.§.fin.cuius uerba uide* s̃.*cap.4.quæst.2.except.32.repl.8. Concordat item l.1.C.in quib.causis tutorem habenti, his uerbis:* Si in locum eius tutoris ad tempus dati estis, qui reipub. causa aberat: isq; iam finito munere quod ei iniũctum est, abesse desijt: quin ad eius officiũ curamq; pertineant negocia pupillæ, ambigere non debetis. Sed consultius feceritis, si præsidem prouinciæ uirum clarissimum adieritis, ut is ad administrationem tutelæ compellatur. *Concordat huic d.l.9.in prim. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide* ꝫ. *lib.proxim. cap.10. quæst.6. reg.1. except.3. Propositæ causæ exceptio hæc est: Nisi cum in locum eius qui reipublicæ causa aberat, datus esset tutor, is in cuius locum datus est, mortuus sit. Hæc exceptio approbatur l.quæsitum.12.ff.de tutelis, hisce uerbis:* Quæsitum est, an hi qui in locum absentis reipublicę causa tutores dati sunt, mortuo illo tutores perseuerent, an alij petendi sint? Paulus respondit, eos qui in locum absentis dati sunt, nõ reuerso eo, in eadem causa perseuerare usq; ad tẽpus pubertatis.

XIX. *Causa: Si minor bene res suas gerat. Quæ causa approbatur l.1.§.fin. ff. de minor.25.annis. cuius uerba uide* s̃.*quæst.2.*

XX. *Causa: Si minor uxorem & liberos habeat. Quæ causa reprobatur l.2. ff. d.tt. cuius uerba uide d. quæst.2.*

DE CVRATORE BONORUM. Cap. IX.

Hactenus causis tutelæ & curæ tam efficientib. quàm corrumpentibus pertractatis, dicendum nunc erat de effectibus tutelæ & curæ, tutorumq; & curatorum officijs. Sed cum sint uariæ curatorum species, scilicet curator furiosi, prodigi, uentris & bonorum: deq; curatore furiosi & prodigi partim in præcedenti, partim in sequenti generali tractatu agatur, de curatore uerò uentris alio loco commodiore dicendum sit: de curatore bonorum, antequam reliqua persequamur, hic in fine huius Libri tractandum nobis est, & primùm quidem de causis, ex quibus bonis curator dandus.

I. CAVSAE EX QVIBVS curator bonis est dandus.

I. *Causa: Si incertum est hæres extiturus nécne, & si hæres institutus de adeunda hæreditate deliberat: bonis curator datur. quæ causa approbatur l.dum delib. 3.ff.de curator.furioso, his uerbis:* Dum deliberant hæredes instituti adire, bonis à prætore curator datur. *Concordat l.idem priuilegium.6.ff.de priuilegijs creditorum.cuius uerba uide* s̃.*lib.8.cap.9. reg.6.except.1. Concordat item l.si diu.8.ff.quibus ex causis in possess.eatur. cuius uerba uide* s̃.*lib.8. cap.6. quæst.2.causa 5. Huius exemplum est: Si hæres sub conditione, cui etiamsi uelit, parere nõ potest, institutus sit. nam tunc pendente conditione curator bonis constituendus. quod proponitur l.1. ff. de curatore bonis dato. cuius uerba uide* s̃. *d.quæst.2.causa 4. Concordat d.l. 8.ibi: uel conditio.*

II. *Causa: Si quis ab hostibus captus sit, bonis eius curator constituitur. quæ causa approbatur l.muto.6 §. fin. ff.de tutelis. cuius uerba uide* s̃.*cap.4. quæst.2.except.35.repl.2. Concordat l.in possessionem.6.§.fin. ff.quib.ex causis in poss.eatur.cuius uerba uide* s̃.*lib.8. cap.6.quæst.3.except.2. Concordat item l.idem priuilegium.6. ff.de priuilegijs creditorum. cuius uerba uide* s̃.*lib.8.cap.9.reg.6.except.1.*

III. *Causa: Si quis absens sit. Hæc causa approbatur d.l.6.ff.de priuilegijs creditorum.*

IIII. *Causa: Si bona alicuius clari uiri uel fœminæ sint uendẽda. Hæc causa approbatur l.curator.5. ff.de curatorib.furioso, his uerbis:* Curator ex senatuscõsulto constituitur, cùm clara persona (ueluti senatoris, uel uxoris eius) in ea causa sit, ut eius bona uenire debeant. Nam ut honestius ex bonis eius, quantum potest, creditoribus soluatur: curator constituitur distrahendorum bonorum gratia, uel à prætore, uel in prouincijs à præside.

V. *Causa: Si creditore in bona debitoris misso, actiones perituræ sint. Hæc causa approbatur l.creditore. 14.in prim.ff.de reb.iud.auth.posśid.his uerbis:* Creditore in possessionem rerũ debitoris misso, curator constitui debet, si quędam actiones perituræ sint.

II. QVI DANDI CVRATORES bonorum?

I. *Regula, De inuito. Inuitus curator bonis dari non potest. quæ regula approbatur simul & distinguitur l.2.§.quæritur. ff. de curatore bonis dando, his uerbis:* Quæritur, an inuitus curator fieri posśit? & Casśius scribit, neminem inuitum cogendum fieri bonorum curatorem: quod uerius est. Voluntarius itaq; quærendus est, nisi ex magna necesśitate & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & inuitus crearetur. nec omnimodò creditorem esse oportet eum, qui curator constituitur: sed possunt etiam non creditores.

II. *Regula, De eo qui creditor non est: an bonis debitoris curator dari posśit? Dicitur quòd posśit, uerbis iam propositis hisce:* Nec omnimodò creditorem esse oportet eum, qui curator constituitur, &c.

III. *Regula, De hærede curatoris defuncti, proponitur l.cuius bonis.9.ff.de curat.furioso. cuius uerba uide* s̃.*lib.8.quæst.3.reg.1.*

III. A' QVIBVS CVRATOR bonis dandus?

I. *Regula, De prætore & præside prouinciæ cum consensu creditorum, proponitur l.2.in prin. ff.de curatore bonis dando, his uerbis:* De curatore constituendo hoc iure utimur, ut prætor adeatur, isq; curatorem curatorésue constituat ex consensu maioris partis creditorum, uel præses prouinciæ, si bona distrahenda sunt in prouincia: quæq; per eum eósue, qui ita creatus creatíue essent, acta, facta gestáque sunt, rata habebuntur: eisq; actiones & in eos utiles competunt.

II. *Regula, De creditoribus priuato consilio curatorem eligentibus, proponitur l.si debitor.5.ff.d.tt.cuius uerba uide* ꝫ.*quæst.prox.reg.3.except.1.*

IIII. DE IVRE ET OFFICIJS curatoris bonis dati.

I. *Regula: Actiones curatoribus & in curatores cõpetunt. quæ regula approbatur l.2.in prin.ibi: eisq; actiones & in eos utiles competunt. ff.de curatore bonis dando. cuius reliqua uerba uide* s̃. *quæst.prox.reg. 1. Concordat d.l.2.§.1.his uerbis:* Si plures constituantur curatores, Celsus ait in solidũ eos & agere & conueniri, & non pro portionibus. Quòd si per regiones fuerint constituti curatores, unus fortè rei Italicæ, alius in prouincia: puto regiones eos suas conseruare debere. *Concordat item l.si plures.3.ff.eod.tt. his uerbis:* Si plures eiusdem bonorum curatores facti sunt: in quem eorum uult actor, in solidum datur ei actio, tanquam qui ius eorum in solidum ageret. *Hisce uerbis regula proposita approbatur, simul & prima eius exceptio reprobatur, quæ talis est: Nisi cum plures sint curatores, unus eorum in solidum agat uel cõueniatur. Secunda exceptio est: Nisi is ex curatoribus conueniatur, ad quem nihil peruenit, quiq; nihil tetigit. Hæc exceptio reprobatur d.l.2.§.si tres, his uerbis:* Si tres curatores fuerint, & unus ex his nihil tetigerit: an in eum qui nihil tetigit, actio danda est? & Casśius existimat, modum actori nõ debere cõstitui, posseq; eum cum quo uult experiri. & puto Casśij sententiam ueriorem. spectandum enim, quid redactum est ex bonis quibus curator datus est, nõ quare ad curatorem unum peruenerit. Et ita utimur: nisi inuitus factus est. nam si ita est: dicendum est, non eum conueniendum. *Tertia exceptio est: Nisi inuitus curator sit datus. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi inuitus factus est, &c. *Cui concordat d.l.2.§. quæritur. cuius uerba uide* s̃.*quæst.2.reg.1. Plura de regula proposita uide* ꝫ.*reg.3.*

II. *Regula, De cautione de rato & iudicatum solui ab eo, quem curator ad agendum uel defendendum mittit, præstanda, proponitur l.2.in prin.ibi: & siquidem.ff.de curatore bonis dando, his uerbis:* Siquidem curatores mittent ad agendum uel defendendum, uti ius esset: nec ab eo satis, neque de rato, neq; iudicatum solui nomine eius cuius bona ueneunt, exigetur: sed nomine ipsius curatoris, qui eum misit.

III. *Regula: Curator ad distrahenda bona datus, creditorib. ad id quod sibi debetur, ex precio redacto soluendum tenetur. quæ regula approbatur simul & distinguitur l.si mandauero.22.§.si curator.ff.mandati, his uerbis:* Si curator bonorum uenditionẽ quidem fecerit, pecuniam autem creditoribus non soluerit: Trebatius, Ofilius, Labeo responderunt, his qui præsentes fuerunt, competere aduersus eum mãdati actionẽ: his autem qui absentes fuerunt, negociorũ gestorum actionem esse. Atquin si præsentium mandatũ executus id egerit, negociorum gestorum actio absentibus non est, nisi fortè aduersus eos qui mandauerunt curatori, tanquam si negocia absentiũ gesserint. Quòd si, cũ soli creditores se esse existimarent, id mandauerint: in factum actio absentibus danda est in eos qui mandauerunt. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alij creditores agant, quàm à quibus cura mandata est curatori. quæ approbatur uerbis iam propositis hisce:* Atquin si præsentium mandatum executus id egerit, &c. *Cui concordat l.ult.ff.de curatore bonis dando, his uerbis:* Si debitor foro cesserit, & creditores priuato consilio coierint, & elegerint unũ per quem bona distrahãtur, & portio ipsis, quæ ex redacto fieret, solueretur, mox extiterit alius qui se creditorẽ dicat: nullam quidem actionem aduersus curatorem habebit, sed bona debitoris unà cum curatore uendere poterit, ita ut quæ à curatore & à creditore ex bonis contrahuntur, omnibus pro portione præstentur.

IIII. Regula: Curator bonis datus, æs alienum soluere tenetur. quæ regula approbatur l.1.in fine. ff. de curatore bonis dando, his uerbis: Si graue æs alienum sit, quod ex pœna crescat, per curatorem soluendum æs alienum, sicuti cum uenter in possessione sit, aut pupillus hæres tutorem non habeat, decerni solet.

V. Regula: Acta, facta gestaq; per curatorem rata habenda. quæ regula approbatur l.2.in prin.ibi: quæq; per eum. ff. de curatore bonis dando. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 1.

VI. Regula: Si causa possessionis dolo uel culpa curatoris deterior sit facta, perinde tenetur ac creditor. quæ regula approbatur l. prætor ait. 9. §. est præterea, in fine. ff. de rebus iud. auth. possid. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 7. act. 2. quæst. 1. except. 1.

DIGESTORVM LIBER DE-CIMVS OCTAVVS:

DE OFFICIIS TVTORVM ET CVRATORVM, necnon de actionibus occasione tutelæ & curæ competentibus.

In hoc Libro de officijs tutorum & curatorum agetur, deinde de actione tutelæ tam directa quàm contraria, eiusq; adfinibus remedijs. Officia autem tutorum alia sunt ante tutelam, alia in tutela, alia denique post tutelam finitam. Ante tutelam officium tutoris est, satisdare rem pupilli saluam fore, & inuentarium conscribere: de quibus sequitur.

DE SATISDATIONE TVTORVM, rem pupilli saluam fore. Cap. I.

I. AN TVTOR VEL CVRATOR satisdare teneatur?

REgulariter quidem tutor & curator ad satisdationem propositam præstandam tenetur. quæ regula approbatur simul & distinguitur Inst. de satisdat. tutorum, in prin. his uerbis: Ne pupillorum pupillarumue, & eorũ qui quæue in curatione sunt, negocia à tutoribus curatoribusue consumantur uel deminuantur: curet prætor, ut & tutores & curatores eo nomine satisdent. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore adprobata est. Item ex inquisitione tutores uel curatores dati, satisdatione non onerantur: quia idonei electi sunt. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutores testamento sint dati. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nam tutores testamento dati satisdare nõ coguntur, &c. *Cui concordat l. testam. 17. in princ. ff. de testam. tutela, his uerbis:* Testamento datos tutores nõ esse cogendos satisdare rem saluam fore, certo certius est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutor uel curator inutiliter testamento sit datus. quæ replicatio approbatur l. tutores. 5. in prin. ff. de confirmando tutore, his uerbis:* Tutores à patruo testamento datos iussit prætor magistratus confirmare. Hi cautionem quoque accipere debuerũt: nec uolũtas eius qui tutorem dare nõ potuit, negligentiá magistratuum excusat. *Huius replicationis prima duplicatio hæc est:* Nisi tutor uel curator ex inquisitione sit cõfirmatus. *quæ duplicatio approbatur l. 2. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. except. 1, replic. 3. item approbatur hæc duplicatio per ea quæ proponẽtur §. except. prox. Secunda duplicatio est: Nisi à patre in testamento tutor uel curator inutiliter sit datus. tunc enim etiam sine inquisitione tutor uel curator cõfirmãdus est, nec satisdat rẽ pupilli saluam fore. quæ duplicatio approbatur l. qui à patre. 3. ff. de confirmando tutore. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. except. 17. repl. 1. Concordat l. ult. in fine. ff. de confirmando tutore. cuius uerba uide §. lib. 32. cap. 9. causa 16. except. 2. Planè curator furioso in testamento patris datus, quamuis non ad satisdandum, ad iurandum tamen rem furiosi saluam fore tenetur: quod triplicationis loco notandum. quæ triplicatio approbatur l. cum furiosus. 7. §. & siquidem. C. de curatore furioso, his uerbis:* Siquidem parens curatorem furioso uel furiosæ in ultimo elogio hæredibus instituris uel exhæredatis dederit (ubi & fideiussionem cessare necesse est, paterno testimonio pro eius satisdatione sufficiente) ipse qui datus est, ad curationẽ perueniat: ita tamẽ, ut in hac florentissima ciuitate apud urbicariam præfecturam deducatur, in prouincia autẽ apud præsidẽ eius, præsente etiam tam uiro religiosissimo locorũ antistite, quàm tribus primatibus: & actis interueniẽtibus, tactis sacrosanctis Euãgelijs, edicat omnia se re-

ctè & cũ utilitate furiosi agere, & neq; prætermittere ea quæ utilia furioso esse putauerit, neq; admittere quæ inutilia existimauerit: & inuentario cũ omni subtilitate publicè scripto, res suscipiat, & eas secundũ sui opinionem disponat, sub hypotheca rerum ad eum pertinentiũ, ad similitudinẽ tutorum & curatorum adulti. *Concordat ijsdem uerbis l. de creationib. 20. in prin. C. de episcopali audientia. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi pluribus tutoribus testamento datis, alter alteri satisdationem offerat, ut uel satisdet, uel sibi soli satisdatione accepta rem gerere permittat. hoc enim casu alter, quamuis testamẽto tutor datus sit, satisdare tenetur, uel alteri administrationem rerum cedere. quæ replicatio approbatur Inst. de satisd. tut. §. sed si ex testamento. cuius uerba cum alijs similib. uide §. cap. 3. officio 1. reg. 2. except. 1. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi ex inquisitione tutores sint dati. quæ exceptio approbatur l. bonorum. 8. ff. de curatoribus furioso, his uerbis:* Bonorum uentris nomine curatorẽ dari oportet, eumq; rem saluam fore uiri boni arbitratu satisdare procõsul iubet. Sed hoc, si sine inquisitione detur: nam si ex inquisitione, cessat satisdatio. *Concordat l. impuberi. 13. §. fin. ff. de tutorib. datis, hisce uerbis:* Si curator patronus petatur, fides inquisitionis pro uinculo cautionis cedet. *Concordat item Inst. de satisdat. tutor. in prin. ibi: item ex inquisitione. cuius uerba uide §. except. prox. in prin. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi furioso curator non idoneus facultatibus detur. quæ replicatio approbatur l. cum furiosus. 7. §. sin uerò non. ibi: sin autem non talis. C. de curat. furiosi. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 1. Concordat ijsdem uerbis l. de creationib. 20. §. sin autem non talis. C. de episc. audientia. Tertia exceptio est: Nisi patronus eiusue liberi, liberto tutores sint dati. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. legitimos. 5. in princ. ff. de legitimis tutoribus, his uerbis:* Sed etiam legitimos tutores cogi satisdare, certum est: in tantum, ut etiam patronum & patroni filium, cæteróſque liberos eius cogi rem saluam fore satisdare, pleriſque uideatur. Sed hic causa cognita prætorem statuere debere, melius est: utrum debeat satisdare patronus liberiq; eius, an non. ut si persona honesta sit, remittatur ei satisdatio, & maximè si substantia modica sit. Si autẽ patroni persona uulgaris, uel minus honesta sit: ibi dicendũ est, satisdationem locum habere: ut aut modus tutelæ, aut persona, aut causa admittat satisdationem. *Concordat l. si impuberi. 13. §. quamuis. ff. de tutorib. datis. cuius uerba uide paulò inferius replic. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi causa cognita iudici aliter uideatur. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed hic causa cognita prætorem statuere debere, melius est, &c. *Secunda replicatio est: Nisi patroni persona uulgaris sit, & minus honesta. Hæc quoq; replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si autem patroni persona uulgaris, uel minus honesta sit: ibi dicendum est, satisdationẽ locum habere, &c. *Tertia replicatio est: Nisi patronus libertate priuare libertum uoluit, non adeundo hæreditatem. Hæc replicatio approbatur d. l. 13. §. quamuis. ff. de tutorib. datis, hisce uerbis:* Quamuis à patrono, rem saluam pupillo fore, non facilè cautio exigatur: tamẽ senatus pro extraneo haberi uoluit eum, qui quod in ipso fuit, etiam libertate priuauit impuberẽ. & ius quidem liberti quod habet, qui ex causa fideicommissi manumittit, non est ei ablatũ: tutela uerò sine uinculo cautionis non committitur. Quid ergo, si non caueat? Non dubiè tutela non erit apud patronum. *Quarta exceptio uidetur esse: Nisi non tutor neque curator adulto sit datus, sed furioso, prodigo, uel alijs. Hæc exceptio reprobatur l. non quæst. 4. §. fin. ff. rem pupilli saluam fore, his uerbis:* Pertinet hæc stipulatio ad omnes curatores, siue puberibus, siue impuberibus propter ætatis infirmitatẽ, siue prodigis, uel furiosis, uel quibusdam alijs (ut fieri adsolet) dati sint. *Quinta exceptio uidetur esse: Nisi non personæ, sed rei uel certæ speciei curator sit datus. Hæc exceptio reprobatur l. etsi. 8. ff. d. tt. his uerbis:* Etsi ad species curator datus sit, rẽ saluam fore stipulatio interponetur.

II. QVIBVS SATISdandum?

I. *Regula, De ipso pupillo, proponitur l. seruum. 6. ff. rem pupilli sal. fore, his uerbis:* Seruum pupilli ita stipulari necesse est, Si pupillus abest, aut fari non potest. Nam si præsens est, & fari potest, etiamsi eius ætatis erit, ut non intelligat quid agat: tamen propter utilitatem receptum est, rectè eum stipulari & agere. *Concordat l. 1. §. exigere. ff. de magistratib. conueniendis. cuius uerba uide paulò inferius. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pupillus absit. Altera exceptio est: Nisi pupillus fari non possit. quæ duæ exceptiones legibus iam allegatis approbantur: item per ea quæ proponuntur §. reg. prox.*

II. *Regula, De seruo pupilli, proponitur l. 2. cum lege sequente 3. & l. 4. in prin. ff. rem pupilli, his uerbis:* Si pupillus absens sit, uel fari non possit, seruus eius stipulabitur. Si seruum non habet, seruus ei emendus est. Sed si non sit unde ematur, aut si non sit expedita emptio: profectò dicemus, seruum publicum apud prætorem stipulari debere: aut dare aliquẽ prætor debet cui caueatur. Non quasi ipso iure pupillo adquirat (neque enim adquirit) sed ut utilis actio ex stipulatu pupillo detur. *Concordat l. 1. §. exigere. ff. de magistrat. conueniendis, hisce uerbis:* Exigere cautionem magistratus sic oportet, ut pupilli seruus, aut pupillus ipse (si fari potest, & in præsen-

tiarum est) stipuletur à tutoribus, item fideiussoribus eorum, rem saluam fore pupillo. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi pupillus præsens sit, & fari possit. quæ exceptio ex iam propositis constat.*

III. *Regula, De seruo publico, proponitur d. §. exigere, his uerbis:* At si nemo est qui stipuletur, seruus publicus stipulari debet rem saluam fore, aut certè ipse magistratus. Planè ubi seruus publicus uel ipse magistratus stipulatur, dicendum est utilem actionem pupillo dandam. *Concordat l. 2. in fine. ff. rem pupilli sal. cuius uerba uide §. reg. prox.*

IIII. *Regula, De ipso magistratu, proponitur uerbis iam propositis hisce:* Aut certè ipse magistratus, &c.

V. *Regula, De eo quem prætor dat ut ei caueatur, proponitur l. aut dare. 3. ff. rem pupilli saluam fore. cuius uerba uide §. reg. 2. Concordat l. nõ quasi. 4. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide d. reg. 2.*

VI. *Regula, De filio furiosi, proponitur l. si filius. 5. ff. d. tt. his uerbis:* Si filius qui in potestate furiosi erit, rem saluam fore stipuletur: adquirit patri obligationem.

III. QVOMODO CAuendum?

I. *Regula: Datis fideiussoribus cauendum. quæ regula approbatur l. non quasi. 4. §. 1. ff. rem pupilli sal. fore, his uerbis:* Cauetur autem pupillo hac stipulatione per satisdationem.

II. *Regula, De iureiurando præstando, proponitur Nouell. c. 72. §. pen. his uerbis:* Volumus, ut cũ decretum, quod curationem permittit illi qui ad eam accedit, fuerit interpositũ, insuper ipse sacris Dei eloquijs tactis, etiam iusiurãdum deponat, quòd per omnia ingressus diuerticula, ad utilitatem & minoris commoda contendet. Quod tamẽ à ratiocinijs ipsum & legis ordine non excipiet, sed semper uerecũdiorem ipsum circa eas propter iurisiurandi memoriam constitutum, syncriorem reddet circa rerum administrationem. *Concordant ea quæ proposita sunt §. quæst. 1. except. 1. repl. 1. dupl. 2.*

IIII. QVID, SEV DE QVAre cauendum?

I. *Regula: Rem pupillo saluam fore cauendum, ut ex prædictis constat.*

II. *Regula: Se defensionem pupilli uel adulti sine ulla dilatione suscepturum, cauebit. quæ regula approbatur l. ult. §. penult. C. de administrat. tutor. his uerbis:* Omnem dubitationem pro defensione pupillorum & adultorum, aliarumq; personarum penitus amputantes: sancimus, omnes tutores non aliâs creari, nisi prius eum alijs solennibus uerbis, quæ pro gubernatione rerum tam in gestis, quàm in cautionibus, ab his conscribuntur: & hoc speciliter expresserint, quòd omnimodò sine ulla dilatione defensionẽ pro pupillis & adultis alijsq; suprà memoratis personis subire eos necesse est.

III. *Regula: Mater filiorum tutelam suscipiens, cauere tenetur nuptias se non iteraturam. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 22. repl. 1. dupl. 1. & 2.*

V. VBI SATISdandum?

Si tutor ibi ubi datus est, satisdare non possit, in municipium mittẽdus est, ut ibi satisdet. quæ regula approbatur l. de die. 8. §. tutor. ff. qui satisdare cogantur. cuius uerba uide §. lib. 6. cap. 7. quæst. 5.

VI. EVENTVS SATISdationis?

I. *Regula: Si tutor uel curator satisdare nolit, pignoribus captis cogitur. quæ regula approbatur Instit. de satisdat. tutorum. §. penult. his uerbis:* Constitutionibus Imperialibus & illud exprimitur, ut nisi caueant tutores & curatores, pignoribus captis coerceantur. *Planè hoc casu etiam à tutela & cura remouetur, ut dictum §. lib. prox. cap. 7. quæst. 2. causa 15.*

II. *Regula: Si satisdatum est, datur hinc actio. de qua uide j. cap. 12.*

DE INVENTARIO CONscribendo. Cap. II.

PRIMO: *Alterum tutoris officium ante tutelã quidem est, ut conscribat inuentarium rerum minoris. quæ regula approbatur l. tutores. 24. C. de administrat. tutorum, his uerbis:* Tutores uel curatores mox quàm fuerint ordinati, sub præsentia publicarum personarum inuentariũ rerum omnium & instrumentorũ solenniter facere curabunt. Aurum argẽtumq;, & quidquid uetustate temporis nõ mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, in tutissima custodia collocent: ita tamẽ, ut ex mobilibus aut prædia idonea comparẽtur: aut si fortè (ut adsolet) idonea nõ potuerint inueniri, iuxta antiqui iuris formam usurarũ crescat accessio, quarum actio ad periculũ tutoris pertinet. *Concordat l. tutor qui. 6. in prin. ibi: nihil itaq;. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Nihil itaq; gerere ante inuentarium factum tutorem oportet: nisi id quod dilationẽ nec modicam expectare possit. *Concordat item l. ueteris. 13. §. illo procul. C. arbitrium tutelæ, his uerbis:* Illud obseruandum, ut non audeat tutor uel curator res pupillares uel adulti aliter attingere, uel ullam sibi communionem ad eas uindicare, nisi prius inuentario publicè facto, secundum morem solitum res ei tradantur: nisi testatores qui substantiã transmittunt, specialiter inuentarium conscribi uetuerint. Sciturus tutoribus & curatoribus, quòd si inuentarium facere neglexerint, & quasi suspecti ab officio remouebũtur,

tur, & pœnis legitimis, quæ contra eos interminatæ sunt, subiacebunt: & postea macula infamiæ notabuntur, neque ab imperiali beneficio absolutione huius notę fruituri. *Concordat item l. cũ furiosus. 7. §. & si quidẽ, in fine. C. de curatore furiosi. cuius uerba uide §. capite prox. quæst. 1. except. 1. repl. 1. dupl. 2. Concordat item d. l. 7. §. sin uerò non talis. ibi: & inuentarium. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 1. Concordat insuper ijsdem uerbis l. de creationib. 20. in prin. ibi: & inuentario. item §. fin. C. de episcopali aud. Concordat denique Nouel. const. 94. §. fin. his uerbis:* Iam inde obtineto, ut in omni pupillari substantia summa cautela adhibeatur, tum circa res minorum tuendas, tum uerò maximè circa inuentaria cum diligentia describenda, tam præsente clariss. scriba, cui talium negociorum sollicitudo commissa est, quàm etiam cæteris qui ex more interuenire solent: dandis item accuratè ipsis fideiussionibus, & omnibus agendis prouidentia clariss. prætoris, ad cuius curam hæc pars pertinet, quemadmodum nostris promulgatũ est legibus. *Planè propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi testator tutori in testamento dato necessitatem inuentarij conficiendi remiserit. quæ exceptio approbatur d. l. 13. §. illo proculdubio, dictis uerbis hisce:* Nisi testatores, qui substantiam transmittunt, specialiter inuentarium conscribi uetuerint.

II. APVD QVEM INuentarium conscribendum?

Sub præsentia publicarum personarum conscribendum. quæ regula approbatur l. tutores. 24. in prin. C. de administr. tutor. cuius uerba uide §. quæst. prox. in prin. Concordat Nouell. c. 94. §. fin. cuius uerba uide §. quæst. prox. in fine.

III. QVARVM RERVMinuentarium conscribendum?

De ijs rebus quæ post inuentarium confectum adquiruntur, proponitur l. cũ furiosus. 7. §. tali. C. de curatore furiosi. cuius uerba uide j. cap. 9. quæst. 1. excep. 15.

IIII. QVANDO INVENTArium conscribendum?

Mox quàm fuerit ordinatus tutor, antequam aliquid aliud in tutela gerat. Hæc regula approbatur l. tutores. 24. in prin. C. de administr. tutor. cuius uerba uide §. quæst. 1. in princ. Concordat l. tutor qui. 6. in prin. ibi: nihil itaq;. ff. d. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 1. in prin. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi aliud quid in hæreditate gerendũ sit, quod dilationẽ nec modicã expectare possit. hoc enim prius expediri potest. quæ exceptio approbatur d. ucrs. nihil itaq;.

V. EVENTVS INVENTArij conscribendi.

I. *Regula: Si inuentarium conscriptum à tutore non sit, tenetur pupillo in id quod interest. quæ regula approbatur simul & distinguitur d. l. 6. in prin. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Tutor qui repertorium non fecit, quod uulgò inuentarium appellatur, dolo fecisse uidetur: nisi fortè aliqua necessaria & iustissima causa allegari possit, cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inuentarium non fecerit, in ea conditione est, ut teneatur in id quod pupilli interest: quod ex iureiurando in litem æstimatur.

II. *Regula: Si inuentarium à tutore conscriptum non sit, uinculis publicis contineatur, & pro suspecto habetur. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. tutor quoq;. 3. §. tutores. ff. de suspectis tutor. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 7. quæst. 2. causa 4. Et quod dicitur de suspecto, concordat l. ueteris. 13. §. illo proculdubio. ibi: scituris. C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide §. quæst. 1. in prin.*

III. *Regula: tutor qui non conscripsit inuentarium, sit infamis. quæ regula approbatur d. uers. scituris, in fine.*

DE OFFICIIS TVTÕrum in tutela. Cap. III.

HACtenus de officijs tutorum, quæ ante tutelam requiruntur, actum est: nunc de ijs dicendum, quæ in ipsa tutela præstare debet.

I. DE GERENDA ET ADministranda tutela.

I. *Regula: Huius igitur loci primum ac generale officium est, gerere & administrare tutelam. quod approbatur l. 1. in prin. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Gerere atque administrare tutelam, extra ordinem tutor cogi solet. *Concordat d. l. 1. §. 1. his uerbis:* Ex quo scit se tutorem datum, si cesset tutor, suo periculo cessat. id enim à diuo Marco constitutum est, ut qui scit se tutorem datum, nec excusationem (si quam habet) allegat intra tẽpora præstitura: suo periculo cesset. *Concordat item l. si tibi. 6. C. de testament. tutela, his uerbis:* Si tibi pater auunculum testamento rectè tutorem dedit, nec is excusatus est: eũ & tutelæ iudicio tam de administratis, quàm de neglectis (cum administrari deberent) apud competentem iudicem conueni, secundum bonam fidem tibi satisfacere iussurum. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi excusationem habeat. Hæc exceptio ipso quidẽ iure subsistit: uerum eius replicatio hæc est: Nisi eam intra tempus statutum non proposuerit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Nec excusationẽ (si quam habet) allegat intra tẽpora præstituta, &c. *Plura de hac re uide §. lib. prox. cap. 6. Altera exceptio est: Nisi tutor non sit, qui cesset in tutela gerẽda, uel imitiliter tutor est datus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. §. fin. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis:* In protutelæ iudicio usuræ quoque ueniunt. Sed utrum solummodò in id quod gessit tenebi-

tur, an uerò in id etiam quod gerere debuit? & siquidem omnino non attigerit tutelam, non tenebitur. neq; enim attingere debuit, qui tutor non erat. Quòd si quid gessit, uidendum an etiam eorum quę non gessit, teneatur? Et hactenus tenebitur, si alius gesturus fuit. Sed & si cognito quòd tutor non fuit, abstinuit administratione: uideamus an teneatur, si necessarios pupilli non certiorauit, ut ei tutorem peterent? quod uerius est. *Concordat l.1.C.de testament.tutela, his uerbis:* Quem dicis tibi tutorem testamento patronæ datum, si administrationi se nõ immiscuit, nulla actione tibi tenetur. neq; enim iure datus fuit tutor. Quòd si administrauerit sponte res tuas: experiri aduersus eum actione negociorum gestorum potes. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi aliquid in tutela gesserit. tunc enim si postea cessauerit, tenebitur, quamuis tutor non sit. quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce:* Quòd si quid gessit, uidendum an etiam eorum quæ non gessit, teneatur? & hactenus tenebitur, si alius gesturus fuit. *Concordat l.tutores.38.§.qui se negocijs.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.5.quæst.2.reg.2.replicat.generali 1.dupl.3. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi alius gesturus non fuerit. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Et hactenus tenebitur, si alius gesturus fuit. *Concordat l.item si cum.5.§.fin.ff.negociorum gestor. cuius uerba uide j.lib.4.4.cap.6.quæst.1.causa 2. Concordat item l.tutori.20. C.eod.tt. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi errore cognito quòd tutor non fit, non certiorauit cognatos pupilli, ut tutorem ei peterent. quæ triplicatio constat ex uerbis suprà propositis hisce:* Sed & si cognito quòd tutor non fuit, abstinuit administratione: uideamus an teneatur, si necessarios pupilli non certiorauit, ut ei tutorem peterent? quod uerius est. *Secunda propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi modicum aliquod gesserit uel attigerit. Hæc duplicatio reprobatur l.ita autem.4.§.1.ff.de administrat.tutor.his uerbis:* Gessisse autem uidetur tutor, qui quid omnino pupillare attigit, etiamsi modicum: cessantq; partes eorum, qui solét cessantes cogere administrare. *Tertia duplicatio est: Nisi id gerendũ fit, quod iure gerere non potest, puta exigere debitum pupillare. Hæc duplicatio approbatur l.item si cum.5.§.fin.ff.negociorum gestorum. cuius uerba uide j.lib.4.4.cap.6.quæst.1.causa 4. & l.tutori.10.in fine.C.eod.tt. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi is qui tutor inutiliter datus est, alij tutelã gerendã mãdauerit. quæ replicatio approbatur d.§.1.his uerbis:* Quòd si quis tutelã mandauerit gerẽdam, gestaq; fuerit ab eo cui mandatũ est: locus erit tutelæ actioni. gessisse enim uidetur & qui per alium gessit. Quòd si nõ accessit is cui mandatũ est: utili actione cõuenitur. *Plura de exceptione proposita uide j.cap.9.quæst.1.except.1.& 2.*

II. *Regula: Quis ex tutoribus gerere & administrare tutelam debeat? Regulariter quidem, si plures sunt tutores, omnes ad tutelam gerendam & administrandam tenentur, nec unus solus ceteris inuitis gerere potest. quæ regula approbatur l.si plures.5.§.penult.ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide paulò inferius excepta.4.replic.1. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi unus alteri satis offerat, ut uel ille satisfacto, & solus administret, uel sibi satisfacienti soli permittat administrationem. quæ exceptio approbatur Instit. de satisdat.tutor.§.sed si ex testamento, his uerbis:* Si ex testamento uel inquisitione duo plurésue tutores dati fuerint: potest unus offerre satisdationem de indemnitate pupilli uel adolescentis, & contutori suo uel concuratori præferri, ut solus administret: uel ut contutor aut concurator satis offerens præponatur ei, ut & ipse solus administret. Itaque per se non potest petere satisdationẽ à contutore suo uel concuratore: sed offerre debet, ut electionem det concuratori uel contutori suo, utrum uelit satis accipere, an satisdare. Quòd si nemo eorum satis offerat: si quidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat: ille gerere debet. Quòd si non fuerit adscriptum: quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, ut edicto prætoris cauetur. Sin aũt ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum uel eos qui gerere debẽt: prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis comprobandum est: id est, ut maior pars eligere possit, per quem administratio fiat. *Concordat exceptioni propositæ l.testam.17.in prin.ff.de testam.tutela, his uerbis:* Testamento datos tutores non esse cogendos satisdare rẽ saluam fore, certo certius est. Sed nihilominus, cum quis offert satisdationem ut solus administret, audiendus est, ut edicto cauetur. Sed rectè prętor etiam cæteris detulit hanc cõditionem, si & ipsi uelint satisdare. nam etsi ipsi parati sint satisdare, non debent excludi alterius oblatione: sed impleta uidelicet ab omnib. satisdatione, omnes gerent: & qui contentus est magis satis accipere quàm gerere, securus erit. *Concordat item l.datiuus.7.ff.rem pupil. li saluã fore, his uerbis:* Datiuus uel testamẽtarius tutor siue curator non petet satis à collega suo: sed offerre ei poterit, utrũ satis accipere uelit, an dare. *Item concordat l.nõ omnium. 4.C.de tutore qui non satisdedit, his uerbis:* Non omnium tutorũ par similisq; causa est. Quapropter cùm exemplo testamẽtarij confirmatum à præside, uel datum ex inquisitione, non onerari satisdatione rẽ saluam fore pupillorum, manifestum sit: pluribus tamẽ datis ex inquisitione tutoribus, illum qui satis

satis secundùm formam edicti rem pupilli saluam fore dedit, in administratione præferri, iamdudum obtinuit. *Planè exceptionis propositæ replicatio prima hæc est: Nisi omnes satisdare sint parati. quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius ex l.17.ff.de testament.tutela, propositis hisce:* Sed impleta uidelicet ab omnibus satisdatione, omnes gerent. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nih alter alteri idoneor sit, uel idoneores offerat fideiussores. quæ duplicatio approbatur l.quòd si.18.ff.eod.tt.his uerbis:* Quòd si plures satisdare parati sint, tunc idoneor præferendus erit: ut & tutorum personæ inter se, & fideiussorum comparentur. *Secunda replicatio est: Nisi is qui satisdare paratus est, suspecta uel turpis sit persona. Hæc replicatio approbatur d.l.17.§.non omnimodò, his uerbis:* Non omnimodò tamen is qui satisdat, præferendus est. quid enim, si suspecta persona sit, uel turpis, cui tutela committi nec cum satisdatione debeat? uel quid, si iam multa flagitia in tutela admisit? nónne magis repelli & reijci à tutela, quàm solus administrare debeat? Nec satis non dantes temerè repelluntur: quia plerunque bene probati & idonei atque honesti tutores, etiamsi satis non dent, non debent reijci: quinimò nec iubendi sunt satisdare. Duplex igitur causæ cognitio est: una ex persona eius qui obtulit satisdationem, qui & qualis sit: alia uerò contutorum, quales sint, num fortè eius existimationis, uel eius honestatis sint, ut nõ debeant hãc contumeliam satisdationis subire. *Tertia replicatio est: Nisi is cui optio satisdandi uel accipiendi offertur, honestus sit & bonæ existimationis. Quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Nec satis non dantes temerè repelluntur: quia plerunque, &c. *Quarta replicatio est: Nisi alius quàm tutor tutoribus optionem prædictam offerat. Hæc replicatio approbatur l.si nemo.19.in princ.ff.de testam.tutela.his uerbis:* Si nemo tutorum prouocet ad satisdationem, sed existat quidam qui tutor non est, desideretque ut aut satisdent tutores, aut si non dent, parato sibi satisdare committant tutelam: non est audiendus. Neque enim aut extero tutela committenda est, aut testamento dati tutores contra ius satisdationi subijciendi sunt. *Quinta replicatio est: Nisi non testamentarij, sed datiui tutores sint. Hæc replicatio reprobatur d.l.19.§.hoc edictum, his uerbis:* Hoc edictum de satisdatione ad tutores testamentarios pertinet. Sed & si ex inquisitione dati sint tutores, Marcellus ait, ad eos pertinere hoc edictum, & id etiam oratione diuorum fratrum significari. Ideoq; & illi clausulæ sunt subiecti, Et si cui maior pars tutorũ decernat. is enim geret, quem maior pars elegerit: quamuis uerba edicti ad testamentarios pertineant. *Concordat institut.de satisdat.tutorum.§.sed si ex testamento. cuius uerba uide §.ead.except.in princ. Sexta replicatio est: Nisi legitimi sint tutores. Et hæc exceptio reprobatur l.legitimos.5.§.in legitimis.ff.de legitimis tutorib. his uerbis:* In legitimis, & in his qui à magistratibus dantur, quæritum est, an uni decerni tutela possit? Et ait Labeo, & uni rectè tutelam decerni. posse enim aliquos uel absentes, uel furiosos esse. quæ sententia utilitatis gratia admittenda est, ut uni decernatur administratio. An ergo & prouocare se inuicem secũdum superiorem clausulam possint? & magis est, ut si omnes satis non dederint, uel potuerint, & noluerint: uel si finita sit satisdatio (nonnunquam enim satisdatio ab eis non petitur) aut satis desinat esse cautum: aut magistratus municipales ab his quos dederunt, aut non potuerint, aut noluerint satis exigere: possit dici in his, & quo casu cautum non est, admittendam prouocationem. *Septima replicatio est: Nisi patrono tutori offeratur optio. Hæc replicatio approbatur d.§.in legitimis, in fine, his uerbis:* An ergo & in patronis idem sit dicendum, maximè ubi cessat satisdatio? & puto in patronis non oportere admitti prouocationem, nisi ex magna causa, ne quis spem successionis deminuat. Nam si patrono tutela non fuerit commissa, poterit per compatronum damno affici, qui solus rem pupilli malè administrat. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi testator in testamento uni tutelam decreuerit. Quæ exceptio approbatur l.si plures.3.§.1.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Si parens uel pater qui in potestate habet, destinauit in testamento, quis tutorum tutelam gerat: illum debere gerere, prætor putauit. meritoque patris statur uoluntati, qui utique filio rectè prospexit. Tantundem prætor facit & de his quos parens destinauit testamento, aut confirmauit. Vt si parens, quem uelit tutelam administrare, declarauit: ille solus administret. Cæteri igitur tutores non administrabunt: sed erunt hi, quos uulgò honorarios appellamus. Nec quisquam putet, ad hos periculum nullum redundare. Constat enim hos quoque, excusis prius facultatibus eius qui gessit, conueniri oportere. Dati sunt enim quasi obseruatores actus eius & custodes: imputabiturq; eis quandoq;, cur, si malè eũ conuersari uidebant, suspectum non fecerint? Assiduè igitur & rationem ab eo exigere eos oportet, & sollicitè curare qualiter conuersetur: & si pecunia sit quę deponi possit, curare ut deponat ad prædiorum comparationem. Blãdiuntur enim sibi, qui putant

honorarios tutores omnino non teneri: tenentur enim, secundum ea quæ suprà oſtendimus. *Concordat Inſtit. de ſatiſdat. tutor. §. quòd ſi nemo. cuius uerba uide §. except. prox. in prin.* *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi pater minus perpenſo conſilio uni tutelam decreuerit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Vel ſi contemplatione facultatum eius res ei commiſſa eſt, quibus poſtea exutus eſt. *Quarta replicatio eſt: Niſi non tutores, ſed curatores teſtamento ſint dati, & unus ex iis electus.* *Hæc replicatio reprobatur d. l. 3. §. quod in tutoribus, his uerbis:* Quod in tutoribus reſcriptum eſt, & in curatoribus erit obſeruandum, quos pater teſtamento deſtinauit à prætore confirmandos. *Quinta replicatio eſt: Niſi tutor electus ſolus gerere tutelam nolit.* *Hæc replicatio approbatur d. l. 3. §. ſi non erit. cuius uerba uide §. except. prox.* *Hæc de ſecunda exceptione. Plures propoſitæ exceptionis replicationes uide §. libro proxim. cap. 2. quæſt. 1. & 6.* *Tertia propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: Niſi tutores ipſi inter ſe unum elegerint, qui tutelam adminiſtret.* *Quæ exceptio approbatur d. l. 3. §. apparet igitur. ff. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Apparet prætori curæ fuiſſe, ne tutela per plures adminiſtretur: quippe etſi pater non deſtinauerit quis gerere debeat, attamen id agit, ut per unum adminiſtretur. Sanè enim facilius unus tutor & actiones exercet & excipit, ne per multos tutela ſpargatur. Si non erit à teſtatore electus tutor, aut gerere nolet: tunc is geret, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit. Prætor igitur iubebit eos conuocari: aut ſi non coibunt, aut coacti non decernent, cauſa cognita ipſe ſtatuet quis tutelam geret. *Concordat Inſtit. de ſatiſdat. tutor. §. quod ſi non fuerit. cuius uerba uide §. except. 2. in princ.* *Concordat item Nouell. c. 118. §. ſed ſi multi. cuius uerba uide §. l. b. 17. cap. 3. quæſt. 3. except. 8.* *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi legitimi ſint tutores, uel ex inquiſitione dati.* *Hæc replicatio reprobatur d. §. ſed ſi multi. Concordat l. legitimos. 5. §. in legitimis. ff. de legitimis tutoribus. cuius uerba uide §. except. 2. replic. 6.* *Item concordat l. ſi nemo. 19. §. hoc edictum. ff. de teſtam. tutela. cuius uerba uide §. d. except. 2. replic. 5.* *Item concordat Inſtit. de ſatiſdat. tutor. §. idem & in pluribus. cuius uerba uide §. except. 1. in princ.* *Quarta exceptio eſt: Niſi prætor uel iudex uni tutelam decreuerit.* *Quæ exceptio approbatur Inſtit. de ſatiſdat. tutor. §. ſin autem ipſi tutores. cuius uerba uide §. except. 2. in princ.* *Concordat l. ſi plures. 3. §. ſi non erit. ibi: aut ſi non coibunt. ff. de adminiſtrat. tutor. cuius uerba uide §. except. proxim.* *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi tutores in decretum prætoris non conſentiant.* *Quæ replicatio approbatur d. l. 3. §. penult. his uerbis:* Planè ſi non conſentiant tutores prætori, ſed uelint omnes gerere: quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ut ſuccedanei ſint alieni periculi: dicendum eſt, prætorem permittere eis omnibus gerere. *Secunda replicatio eſt: Niſi legitimi ſint tutores.* *Hæc replicatio reprobatur l. l. 5. §. in legitimis. ff. de legitimis tutoribus. cuius uerba uide §. except. 2. replicat. 6.* *Quinta exceptio eſt: Niſi res per plures expediri non poſſit. tunc enim unus tantum gerere poteſt.* *Quæ exceptio approbatur l. ſi plures. 3. §. apparet. ff. de adminiſtrat. tut. cuius uerba uide §. except. 3.* *Concordat l. decreto. 23. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. officio proxim. regula 2. except. 2.* *Concordant ea quæ habentur §. cap. 7. quæſt. 2. reg. 2. except. 11.*

III. *Regula, De adminiſtratione inter plures tutores diuidenda, proponitur d. l. 3. §. fin. ff. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Si diuidi inter ſe tutelam uelint tutores, audiendi ſunt, ut diſtribuatur inter eos adminiſtratio uel in partes, uel in regiones: & ita ſi diuiſa fuerit, unuſquiſque exceptione ſubmouebitur pro ea parte uel regione, quam non adminiſtrat.

IIII. *Regula: Eandem tutores tenentur præſtare diligentiam in rebus pupilli, quam bonus paterfamiliâs præſtat in ſuis rebus.* *Quæ regula approbatur l. à tutorib. 32. in princ. ff. de adminiſtrat. tutorum, his uerbis:* A' tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda eſt circa adminiſtrationem rerum pupillarium, quam paterfamiliâs rebus ſuis ex bona fide præbere debet. *Concordat l. generaliter. 9. ff. eod. tt. his uerbis:* Generaliter, quotieſcunque non fit nomine pupilli, quod quiuis paterfamiliâs idoneus

idoneus faceret, non uidetur defendi. Siue igitur ſolutionem, ſiue iudicium, ſiue ſtipulationem detrectet, defendi non uidetur. *Concordat l. 1. in princ. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide §. cap. 9. quæſt. 1. cauſa 1.* *Huius regulæ exceptio uidetur eſſe: Niſi pro tutore negocia gerat.* *Hæc exceptio reprobatur l. qui pro. 4. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis:* Qui pro tutore negocia gerit, eandem fidem & diligentiam præſtabit, quam tutor præſtaret. *Hæc de primo tutorum officio, quod generale eſt, & ſequentia ſub ſe tanquam ſpecies complectitur.*

II. DE AGENDO NOMINE pupilli, & conueniendis pupilli debitoribus.

I. *Regula:* **Tutori nomine pupilli competit actio, eamq; inſtituere debet, aut pupillo agenti ſuam accommodare authoritatem.** *Quæ regula approbatur l. 1. §. fin. ff. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Non denegari neq; tutoribus, neq; curatoribus debet, etiam debitores pupillorum uel adultorum ex perſona ſua reſpectu officij in iudiciũ uocare, uel illis hoc facientibus ſuum accommodare conſenſum. *Concordat l. tutor. 21. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. offic. 5. reg. 10.* *Item concordat l. clarum. 4. C. de auth. præſtanda. cuius uerba uide §. cap. 7. quæſt. 1. reg. 1. except. 4.* *Concordat item l. Lucius. 45. §. fin. ff. de adminiſtr. tutor. cuius uerba uide §. offic. 5. reg. 10.* *Concordat item l. interdum. 58. §. qui tutelam, in fine. ff. de furtis, his uerbis:* Condicere etiam rem furtiuam tutor & curator furioſi eorum nomine poſſunt. *Concordat item l. debitorib. 18. C. de adminiſtr. tutor. his uerbis:* Debitoribus pupillę, pro officij ratione tutorem te cõſtitutum adſeuerans, ad te nominum periculo pertinente, parere ſolutioni denuncia: qui ſi ſatis non fecerint, in uenditione pignorum uti communi iure potes. *Concordat item l. pupill. 21. C. eod. tt. his uerbis:* Pupillorum ſeu minorum defenſores, ſi per eos donationum conditio neglecta eſt, rei amiſſæ periculum præſtent. *Concordat item l. 2. C. arbitrium tutelæ, his uerbis:* Nomina paternorum debitorum, ſi idonea fuerint initio ſuſceptæ tutelæ, & per latam culpam tutoris minus idonea tempore tutelæ eſſe cœperunt: iudex qui ſuper ea re datus fuerit, diſpiciet: & ſi palàm dolo tutoris uel manifeſta negligentia ceſſatum eſt, tutelæ iudicio damnum quod ex ceſſatione accidiſſet, pupillo præſtandum eſſe, ſtatuere curabit. Ex *his conſtat, regulariter quidem actionem pupilli tutori competere.* *Cuius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi unus ex pluribus, non omnes tutores agant.* *Hæc exceptio reprobatur l. decreto. 23. §. fin. ff. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Si duobus tutela ſimul gerenda permiſſa eſt uel à parẽte, uel à cõtutoribus, uel à magiſtratibus: benignè accipiendum eſt, etiam uni agere permiſſum: quia duo ſimul agere non poſſunt. *Plura de hac exceptione uide §. cap. 7. quæſt. 2. reg. 5. except. 22.* *Secunda exceptio eſt: Niſi diuiſa inter tutores tutela, unus actionem intendat, quæ ad alterum pertinet.* *Hæc exceptio approbatur l. ſi plures. 3. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. officio prox. reg. 3.* *Concordat l. 2. C. ſi ex pluribus tutoribus, his uerbis:* Si diuiſum adminiſtrationis periculum per prouincias ſit: his tantùm omnibus inſinuari conuenit, & ab ipſis inferri litem, qui in ea prouincia tutelæ uel curæ officium ſuſtinent, ne de alijs prouincijs defenſores minorum ad iudicia perducantur. *Concordat item l. ſi duo. 50. ff. de adminiſtrat. tutor. cuius uerba uide §. capite 10. quæſt. 3. reg. 2. except. 1. replic. 9.* *Item concordat l. Titium. 46. §. tutores: ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. replic. 9. duplic. 4.* *Tertia exceptio eſt: Niſi tutor de rato non caueat.* *Hæc exceptio reprobatur l. tutores. 13. C. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Tutores debita pupillaria ſeu depoſita poſcentes, ad ſatisfdationem compelli non poſſe, manifeſtum eſt. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſi dubitetur an tutor ſit, uel tutor duret, uel an geſtus illi ſit commiſſus.* *Quæ diſtinctio approbatur l. uulgò. 12. ff. eod. tt. his uerbis:* Vulgò obſeruatur, ne tutor caueat ratam rem pupillum habiturum, cum rem in iudicium deducit. Quid tamen, ſi dubitetur an tutor ſit, uel an duret tutor, uel an geſtus illi commiſſus ſit? æquum eſt, aduerſarium non decipi. Idem & in curatore eſt, ut Iulianus ſcribit. *Quæ tamen exceptio eſt: Niſi tutor non ſit, uel inutiliter tutor ſit datus.* *Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de eo qui pro tutore, his uerbis:* Non utiliter nominatus tutor pupillorum nomine agendo, licet ex eorum perſona iniunctas impleat intentiones, exceptione (ſi tutor non eſt) ſubmouetur. *Concordant ea quæ propoſita ſunt §. officio prox. reg. 1. except. 2. replic. 1. duplic. 3.* *Quinta exceptio eſt: Niſi tutor qui agit, non ſatiſfecerit rem pupilli ſaluam fore.* *Hæc exceptio approbatur l. conſilio. 7. §. cum dementis. ff. de curatoribus furioſo, his uerbis:* Cum dementis curatorẽ (quia ſatis non dederat, & res malè adminiſtrarat) ideo proconſul remouerit à bonis, aliumq; loco eius curatorem ſubſtituerit: & hic poſterior (cum nec ipſe ſatiſfeciſſet) egerit cum remoto negociorum geſtorum: poſteaq; hæredes dementis cum eodem negociorum geſtorum agant, & is exceptione rei iudicatæ inter ſe & curatorem utatur: hæredibus replicatio danda erit, Aut ſi is qui egit, ſatiſfecerat. Sed an replicatio curatori profutura ſit, iudex æſtimabit. Nã ſi curator ſequens pecuniam, quam ex condemnatione conſecutus fuerat, in rem furioſi uertiſſet: doli replicatio obſtabit. *Plura de hac exceptione uide §. cap. 7. quæſt. 2. reg. 1. except. 17.* *Sexta exceptio eſt: Niſi exceptio ipſi pupillo obſtet.*

tunc

tunc enim eadem debet obstare tutori agenti. Quæ exceptio ipso iure subsistit, eiusq; species est exceptio compensationis. in hac autem specie uidetur replicandum hoc modo: Nisi diuisa *inter tutores tutela, eius debiti compensatio obijciatur, quod ad alium, nõ ad tutorem agentem pertineat. uerùm replicatio hæc reprobatur l. inter tut. 35. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Inter tutores diuisa tutela est. æquitas, quæ merum ius compensationis inducit, propter officium & personam agentis tutoris non differtur. nam diuisio tutelę, quę non iuris, sed iurisdictionis est, modum administrationis facit, & inter ipsos locum habet: nec experiri cum pupillo uolentibus obstare debet. *Septima exceptio est: Nisi aduersus contutorem tutor agere uelit. Quæ exceptio approbatur l. cum plures. 21. in princ. ff. de administrat. tutor. his uerbis:* Cum plures tutelam gerunt, nulli eorum in contutorem actio pupilli nomine datur. *Concordat l. actus. 18. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. causa 10. Concordat item l. sine. 31. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Tutores duo post uenditionem pupillarium rerum factam, pecuniam inter se diuiserant: post quam diuisionem alter eorum in exilium actus est, durante tutela. quærebatur, an a tore constituto, contutor eius partem pupillaris pecuniæ petere ab eo posset? Modestinus: Si hoc quæritur, an cum tutore relegato contutor eius tutelæ actionem exercere possit? respondi, non posse. *Concordat item l. 2. C. de administrat. tutor. his uerbis:* Aduersus curatorem adolescentis, cui collegæ dati estis, quam diu administratio communis durat, exerceri iudicium non potest. *Planè tutor contutorem suum tanquam suspectum postulare potest & debet: quod primæ replicationis loco notandum. Quæ replicatio approbatur d. l. 18. ff. de administrat. tutor. Concordat l. tutor. 2. in princ. ff. de suspectis tutoribus. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 7. quæst. 2. reg. 1. except. 3. Concordat item l. quoties. 8. §. constat, in fine. ff. de administrat. tutor. cuius uerba uide ĩ. cap. 9. quæst. 1. except. 16. Secunda replicatio est:* Nisi aduersus tutoris hæredem agat. *Hæc replicatio approbatur l. 2. in fine. C. de tutore qui non satisdedit, his uerbis:* Tutores autem dati ab hæredibus eorum quos decessisse dicis, rationem tutelæ deposcent. *Concordat l. tutores. 38. §. tutor qui. ff. de administrat. tutor. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. Plures huiusmodi replicationes uide ĩ. cap. 10. quæst. 6. reg. 1.*

II. *Regula: Tutore non agente, periculum, si debitor desierit esse soluendo, uel tempore liberatus sit, ad tutorem pertinet. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. reg. prox. in princ. Concordat d. §. tutor qui, his uerbis:* Tutor qui tutoris idoneũ hæredem cõuenire pupilli nomine noluit, damni uicarius substituitur, utis qui non idoneum tutelæ tempore suspectum facere supersedit. *Concordat item l. si tutor. 14. ff. de administrat. tutor. cuius uerba uide ĩ. offic. 6. reg. 1. Concordat item l. amisi. 52. §. 1. ff. de fideiussoribus, his uerbis:* Inter fideiussores actione diuisa, condemnatus si defierit esse soluendo, fraus uel segnitia tutoribus, qui iudicatum persequi potuerint, damnũ dabit. Quòd si diuisam actionem inter eos qui non erant soluendo constabit, pupilli nomine restitutionis auxilium implorabitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi antequam tutor agere potuit, soluendo esse desierit debitor. Quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Quòd si diuisam actionem, &c. *Secunda exceptio est: Nisi nomen quod soluendo esse desijt, ad alterius tutoris partem uel regionem pertineat. Quæ exceptio approbatur l. 2. C. si ex pluribus tutoribus. cuius uerba uide §. reg. proxim. except. 2. Tertia exceptio est: Nisi chirographa perdita sint. Hæc exceptio reprobatur l. chirog. 56. in princ. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Chirographis debitorum incendio exustis, cum ex inuetario tutores conuenire eos possent ad soluendam pecuniam, aut ad nouationem faciendam cogere: cum idem circa proprios debitores propter eundem casum fecissent, & id omisissent circa debitores pupillorũ: an si quid propter hanc eorum cessationem pupilli damni contraxerunt, iudicio tutelæ consequantur? Scæuola respondit, si adprobatum fuerit, eos tutores hoc per dolum uel culpam prætermisisse, præstari ab his hoc debere. *Quarta exceptio est: Nisi sine dolo uel culpa non exegerit. Quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si adprobatum fuerit, &c. *Concordat l. 2. C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide §. reg. prox. in princ. Quinta exceptio est: Nisi post finitam tutelam nomen soluendo esse desierit. Quæ exceptio approbatur l. tutores. 38. in prin. ff. de administr. tutorum, his uerbis:* Tutores qui post finem tutelæ per errorem in officio durãtes, rerum administrationem retinuerunt: nominum paternorum periculum, quæ post pubertatem adolescentis idonea fuerunt, præstare cogendi non erunt, cum actionem inferre non potuerunt. *Concordat l. cum post. 42. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 1. quæst. 8. reg. 3. except. 1. repl. 1. Concordat item d. l. 38. §. tutores. ff. d. tt. cuius uerba uide ĩ. officio prox. reg. 1. except. 1. repl. 1. dupl. 2. Sexta exceptio est: Nisi pupillus maiores usuras, quas ex nominibus nõ idoneis percepit, non restituat neq; compenset. Hæc exceptio approbatur l. Caius. 11. in fine. ff. de usuris. cuius uerba uide §. lib. 12. cap. 13. reg. 5. Huius replicatio hæc est: Nisi tutor non sua opera uel industria maiores usuras adquisierit, sed aliunde debeantur. d. l. 11. in prin. Concordat l. tutores. 38. §. periculo. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Periculo nominum, quæ pater usuris maioribus fecit, adscripto: pupilla quidem actionem calendarij præstare cogitur: exactas autem usuras tutelæ tempore citra ullam compensationem

retinet. *Septima exceptio est: Nisi finita tutela, curator qui succedit, nomen agnouit. Hæc exceptio approbatur l. si prob. 19. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si probatum est nomen debitoris à nouissimo curatore, frustra tutorẽ de eo conueniri, Vlpianus ait. *Concordat l. qui nom. 43. in prin. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Qui nominibus à curatoribus prioribus susceptis, siue tutoribus, nomina agnouerunt, periculum in se transferunt. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi curator nomina quidem susceperit, sed ut non idonea. Quæ replicatio approbatur l. tutor. 34. ff. eod. tt. his uerbis:* Tutor siue curator nomina, quæ iustè putat non esse idonea, à priore tutore uel curatore suscipere quidẽ cogitur, non tamen exactionem periculo suo facere. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide §. lib. prox. cap. 1. quæst. 8. reg. 3. except. 1. replic. 1. cum sequentibus.*

III. *Regula: Si tutor in actione instituta succubuit, ipsius periculum est, non pupilli. Quæ regula approbatur l. non est. 6. C. de administr. tutor. his uerbis:* Non est ignotum, tutores & curatores adolescẽtium, si nomine pupillorum uel adultorum scientes calumniosas instituũt actiones, eo nomine condemnari oportere: ne sub prætextu nominis eorum propter suas simultates securè lites suas exercere posse existiment. *Concordat l. qui solidum. 80. §. etiam. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. lib. 32. cap. 2. reg. 17. Concordat item l. quotics. 8. §. deniq; Imper. ff. de administrat. tutorum, his uerbis:* Imperat. Antoninus cum patre suo etiam eos honoraria imputare pupillo prohibuit, si superuacaneam litem instituissent, cum conuenirentur à uero creditore. Nec enim prohibentur tutores bonam fidem agnoscere.

III. DE EXCIPIENDIS Actionibus aduersus pupillum competentibus, & pupillo defendendo.

I. *Regula: Tutoris officium est, defendere pupillum, & iudicium eius nomine suscipere. Quæ regula approbatur l. tutoris. 29. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Tutoris præcipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat. *Concordat l. sancimus. 28. in princ. C. de administrat. tutorum, his uerbis:* Sancimus, neminem tutorem uel curatorem pupilli, uel adulti, uel furiosi, uel aliarum personarum, quibus tam ex ueteribus quàm ex nostris legibus curatores creantur, defensionẽ, quam pro lite susceperunt, recusare: sed ab initio litis omnibus modis memoratas personas defendere, & litem præparatam secundum leges instruere, scientes quòd hoc munus necessariũ est tam tutelæ quàm curationi. Et si hoc recusauerint, uel subire distulerint: non solùm utpote suspecti amoueantur, amissa eorum existimatione: sed etiam ex substantia sua omne detrimentum, quod antelatæ personę ex recusatione defensionis sustinent, resarcire cogantur. Sed & si quis ex quadam interpellatione admonitus, propter litis instructionem consuetam tutelam exposuerit: uel post litem contestatam, quam per se, non per procuratorem suscepit, uel demens, uel furiosus factus fuerit: sancimus, continuò curatorem ei in competenti iudicio ordinari, cura & prouisione tam iudicis sub quo lis uertitur, quàm cognatorum & propinquorum, & actoris, si uoluerit, ut non ab eo instituta lis diutius protrahatur: necessitatem habẽte creando curatore defensionem subire, & cætera litis adimplere: personis etiam quæ periculo proprio, uel suæ substantiæ tutores uel curatores petierunt (siue matres fortè fuerint, uel quidam alij) compellendis, eos quos ordinauerint tutores uel curatores, præparare talem subire defensionem. uel si illi noluerint hoc facere, & propter huius defensionis recusationem tutela uel cura remoueantur: necessitatem imponimus memoratis personis, alios tutores uel curatores ordinare in ipsis gestis, in quibus tutores uel curatores creantur, ex sua confessione declarantes talem subire defensionem. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutela sit finita. Quæ exceptio approbatur l. tutor. 27. in prin. ff. de administr. tutorum, his uerbis:* Tutor pro pupillo in iudicium uocatus foleniter cauit. si intra moras puer ad pubertatem peruenit: non est cogendus accipere iudicium. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi durante tutela uel cura, lis cœpta sit. Quæ replicatio approbatur l. ita autem. 4. §. post completum. ff. eod. tt. his uerbis:* Post completum uicesimum quintum annum ętatis, si nondum rationes redditæ sunt, nec ad causam pertinentia instrumenta: fidei ac uerecundię curatorum conuenit, ut consilio cœptam litem perficiant. Si igitur cessent in his quæ constituta sunt faciendis: magis puto, sufficere negociorum gestorum iudicium, etiamsi iam actum sit: si tamen huius rei ratio reddita non est. *Concordat l. negociorum. 14. §. fin. ff. de appellationibus. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 3. except. 47. replic. 5. duplic. 12. Concordat l. tutor. 27. ff. eod. tt. his uerbis:* Tutor si in negocio pupilli prouocauerit, uel curator in adulti: hæres eius, antequam reddat rationes, appellationis causam persequi debet. nam post redditas rationes neq; ipse tutor, neq; curator appellationis merita probare cogetur. *Concordat item l. 1. C. ut causæ post pubertatẽ, his uerbis:* Tutores, qui necdum administrationem ad curatores trãstulerunt, defensioni causarum pupillarium adsistere oportere,

oportere,sæpe rescriptum est. Et ideo,si(ut proponis) instrumenta quibus adseri possunt causæ prouocationis,etiamnũ hi quorum meministi,apud se detinẽr:aditus præses prouinciæ periculi sui eos admoneri præcipiet. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi ratio tutelæ reddita sit. Quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis ex d.l.27.bis uerbis:* Nam post redditas rationes neq; ipse tutor, neq; curator appellationis merita probare cogetur. *Concordat l.unica.§.fin.ff.si pendente appell. mors interuenerit. cuius uerba uide infrà proximè. Huius duplicationis triplicatio hæc est:Nisi mortẽ tutoris finiatur tutela. Quæ triplicatio approbatur d.§.fin.his uerbis:* Tutor in negocio pupilli appellatione interposita,si decesserit, hæredẽ eius causas appellationis reddere necesse est, etiamsi rationes tutelæ hæres reddiderit: quia sufficit, mortis tempore ad causas appellationis reddẽdas obligatum fuisse. Sed diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt,non cogendum tutorem post rationes redditas, causas appellationum reddere. *Secunda propositæ replicationis duplicatio est: Nisi sententia in causa lata sit,& res iudicata. Hæc duplicatio approbatur l.tutores.38. §.tutores. ff.de administr. tutor.his uerbis:* Tutores,pubere pupillo constituto, litem appellationis inchoatam iussu consulum ob noticiam rei perfecerunt. Cum iudicatum persequi non potuerunt, periculo culpæ non subijciuntur. *Tertia duplicatio est: Nisi adulti ipsi suam causam persequi uelint. Quæ duplicatio approbatur l.creditor.28.§.fin.ff. de appellat. cuius uerba uide §.lib.8.cap.3.excep.4.7. replic.5.duplic.12. Hæc de prima exceptione,cuius; replicatione & duplicationibus sint dicta. Altera propositæ regulæ exceptio est: Nisi tutor ipsi pupillo, uel curator ipsi adulto agenti uel excipienti author fieri malit. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.1.§.sufficit,cum sequentibus. ff.de administrat.tutor. his uerbis:* Sufficit tutoribus ad plenã defensionem, siue ipsi iudicium suscipiant, siue pupillus ipsis authoribus : nec cogendi sunt tutores cauere, ut defensores solent. Licentia igitur erit,utrum malint ipsi suscipere iudicium,an pupillum exhibere,ut ipsis authoribus iudicium suscipiatur : ita tamen, ut pro his qui fari non possint uel absint,ipsi tutores iudicium suscipiãt: pro his autem qui supra septimum annum ætatis sunt,& præstò erunt,authoritatem præstẽt. In causis autem adultorum licentia erit agentibus, uel ipsum adultum præsentem in iudicium uocare,ut consensu curatoris conueniatur:uel contra curatorem agere,ut ipse litem suscipiat. In absentibus autem adultis omnimodò contra curatorem agendum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pupillus minor sit septem annis. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Ita tamen, ut pro his qui fari non possunt,&c. *Secunda replicatio est: Nisi is cuius tutor uel curator est, absit. Quæ replicatio itidem uerbis iam propositis approbatur. Tertia exceptio propositæ regulæ talis est: Nisi causa ad partem tutelæ, quam unus tutorum administrat,non pertineat,sed ad partẽ alterius. Quæ exceptio approbatur l.2. C.si ex pluribus tutoribus unus. cuius uerba utde §.officio prox.reg.1. except.2. Hæc de prima regula.*

II. *Regula : Etiam ab uno tutorum pupillus defendi potest. Quæ regula approbatur l.1.C.d.tt.his uerbis:* Ab uno ex tutoribus uel curatoribus causam posse minorum defendi,cum alij tutores uel curatores eam defendere noluerint, ignorare non debes.

III. *Regula : Tutores non sunt cogendi cauere, ut cæteri defensores. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §.lib.6.cap.10.quæst.2.except.6.*

IIII. *Regula: Pœna non defendentis tutoris uel curatoris proponitur l.sancimus.28.in prin. ibi:etsi hoc. C.de administrat.tutor. cuius uerba uide suprà reg.1. in princ.*

V. *Regula : Si tutor nomine pupilli conuentus,succubuit : ipsius damnum est, quod ad litis expensas attinet. Quæ regula approbatur §.officio prox.reg.3.*

IIII. DE SOLVTIONE A' tutore facienda.

I. *Regula: Soluere creditoribus pupilli tutor debet. Quæ regula approbatur l.si tutoris.23.C.de administr. tutor.his uerbis :* Si tutoris uel curatoris culpa uel dolo,eo quòd uectigal prædio emphyteutico impositum minimè dependere noluissent,minori fuerit admissum: damnum quod ei contigit, ex substantia eorum resarciri necesse est. *Concordat l.qui solidum. 80. §.etiam, in fine. ff.de leg.2. cuius uerba uide ĩ.libro 32. cap.2.reg.17. Concordat item l.quoties.8.§.sicut. ff.de administrat.tutorum. cuius uerba uide ĩ. cap.5. reg.5. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi debitum sit incertum. Quæ exceptio approbatur d.§.sicut.ibi:nec utique necesse habet.*

II. *Regula: Videndum tutori,ne indebitum soluat. Quæ regula approbatur l.tutor.12.§.in soluendis.ff.de administrat.tutor.bis uerbis:* In soluendis legatis & fideicommissis attendere debet tutor, ne cui non debitum soluat: sed nec nuptiale munus matri pupilli uel sorori mittere debet. Aliud est, si matri fortè aut sorori pupilli tutor ea quæ ad uictum necessaria sunt, præstiterit : eum semetipsas sustinere non possent. nam ratum id habendum est. Nec enim eadẽ causa est eius quod in eam rem impenditur, & quod muneris legatorumúe nomine erogatur. *Concordat l.sine.31. §.Lucius.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.cap.14.quæst.2. causa 1.except.5. Plura de officio proposito uide ĩ.officio prox.*

V. DE

V. DE EROGANDO ET ALIEnando nomine pupilli uel adulti.

I. *Regula: In quas causas tutor pupilli nomine erogare debeat, definitur l.cum plures.11. §.cum tutor.ff. de administr.tutor.bis uerbis :* Cum tutor non rebus duntaxat,sed etiam morib.pupilli præponatur: in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, pro dignitate natalium constituet: alimenta seruis libertisq;,nonnunquam etiam extraneis (si hoc pupillo expediet) præstabit: solennia munera parentibus cognatisq; mittet. Sed non dabit dotem sorori pupilli alio patre natæ, etiãsi aliter ea nubere non potuit. nam etsi honestè, ex liberalitate tamen fit, quæ seruanda arbitrio pupilli est. *Concordat l.1.§.si pupillis.ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Si pupillis tutores pater dederit, inter quos & libertum suum,per quem uoluerit tutelam suam administrari, & tutores certam summã ei statuerint, quia aliter se exhibere non poterat: habendam eius rationem quod statutum est, Mela existimat. Ergo & si ex inquisitione propter rei noticiam fuerit datus tutor, eiq; alimenta statuerint contutores: debebit eorum ratio haberi,quia iusta causa est præstandi. Sed & si seruis cibaria præstiterit, uel libertis, scilicet rei pupilli necessarijs: dicendum est,reputaturum. Idemq; est,& si liberis hominibus: si tamen ratio præstandi iusta intercedat.Idem sumptus litis tutor reputabit,& uiatica,si ex officio necesse habuit aliquò excurrere uel proficisci.

II. *Regula, De sumptibus in matrem pupilli erogandis, proponitur l.1. §.præterea. ff.de tutelæ actione, bis uerbis :* Si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum posse. Sed est uerius, non, nisi perquàm egenti dedit,imputare eum oportere de largis facultatib. pupilli. Vtrunq; igitur concurrere oportet, ut & mater egena sit, & filius in facultatibus positus. Sed si munus nuptiale matri pupilli miserit: non eum pupillo imputaturum,Labeo scripsit. nec enim tam necessaria est muneratio ista. *Concordat l.tutor.11.§. in soluendis. ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide §.officio prox.reg.2.*

III. *Regula, De sumptibus in sororem pupilli erogandis, proponitur d.§.in soluendis. Concordat l.qui filium.4. ff.ubi pupillus educari, his uerbis :* Qui filium hæredem instituerat, filiæ dotis nomine, cum in familia nupsisset, ducenta legauerat, nec quidquam præterea, & torem ei Sempronium dedit: is à cognatis & propinquis pupillæ perductus ad magistratus, iussus est alimenta pupillæ, & mercedes ut liberalib. artibus institueretur, pupillæ nomine præceptoribus dare.pubes factus pupillus,puberi iam factæ sorori suæ ducenta legati causa soluit. quæsitum est, an tutelæ iudicio consequi possit, quod in alimenta pupillæ & mercedes à tutore ex tutela præstitum sit?Iulianus respondit:Existimo,etsi citra magistratuum decretũ tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit (cum hæc aliter ei contingere non possent) nihil eo nomine tutelæ iudicio pupillo aut substitutis pupilli præstari debere. *De dote sorori non danda proponitur l.cũ plures.11.§. eũ tutor.ff.de administr.tutor.cuius uerba uide §.reg.1.*

IIII. *Regula, De mercede præceptoribus pupilli eiusúe sororis constituenda & præstanda, proponitur d.§.cum tutor. Concordat d.l.4.*

V. *Regula: Dotem quoque & impendia ad nuptias tutor pupillæ dare debet. Quæ regula approbatur l. curator.5i.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Curator pro minore non tantùm dotem dare debet, sed etiam impendia quæ ad nuptias faciendas sint. *Concordat l.si curatores.9.C.eod.tt.his uerbis :* Si curatores habes, hiq; dotare te bonis tuis cessant: adito præside impetrabis, ut quod moderatũ est honestæ personæ,præstare cogantur.

VI. *Regula, De sumptibus præstandis. Regulariter quidem ad litis sumptus suppeditandos tutor pupillo tenetur. uerùm eius regulæ exceptio proponitur l.Impp.17. ff.de tutelæ actione,bis uerbis :* Impp.Seuerus & Antoninus rescripserũt in hæc uerba:Cum hoc ipsum quæratur,an aliquid tibi à tutoribus uel curatoribus debeatur:nõ habet rationem postulatio tua, uolentis in sumptum litis ab his tibi pecuniam submistrari.

VII. *Regula : De sumptibus in alimenta pupilli erogandis dicetur ĩ.cap.prox.quæst.1.*

VIII. *Regula: Quantum erogandum. Secundum dignitatem facultatesq; pupilli sumptus faciendi. Quæ regula approbatur exemplo l.tutor.12. in princ. ff.de administrat.tutor.bis uerbis:* Tutor secundum dignitatem facultatesq; pupilli modum seruorum æstimare debet,qui circa eum futuri sunt. *Huius exceptio proponitur l.cum plures.11. §.nimium. ff.eod.tt. his uerbis:* Nimium est tutori licere, respectu existimationis pupilli erogare ex bonis eius,quod ex suis non honestissimè fuisset erogaturus.

IX. *Regula, De quantitate sumptuum à prætore uel iudice definienda, proponitur l.2.ff.ubi pupillus educari,bis uerbis:* Officio iudicis qui tutelæ cognoscit, congruit reputationes tutoris non improbas admittere:utputa si dicat impendisse in alimenta pupilli uel disciplinas.Modus autem (siquidem prætor arbitratus est) is seruari debet, quem prætor statuit.Si uerò prætor non est aditus,pro modo facultatũ pupilli debet arbitrio iudicis æstimari.

nec enim permittendum est tutori tantum reputare, quantum dedit, si plus æquo dederit. Hoc amplius, etsi prætor modum alimentis statuit, ueruntamen ultra uires facultatum est quod decretum est, nec suggest sit prætori de statu facultatum: non debet ratio haberi alimentorum omnium: quia si suggessisset, aut deminuerentur iam decreta, aut non tanta decernerentur. Sed si pater statuit alimenta liberis quos hæredes scripsit, ea præstando tutor reputare poterit: nisi fortè ultra uires facultatum statuerit. tunc enim imputabitur ei, cur non adito prætore desiderarit alimenta minui. *Concordat l. ius alimentorum. 3. ff. eod. tt. cuius uerba cum similibus uide ȝ. cap. prox. quæst. 2. reg. 2.*

X. *Regula: Tutor ex facultatibus pupilli ius donandi non habet.* Quæ *regula approbatur l. tutor. 21. ff. de administrat. tutorum, his uerbis*: Tutor ad utilitatem pupilli & nouare, & rem in iudicium deducere potest. Donationes autem ab eo factæ, pupillo non nocent. *Concordat l. Lucius. 45. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Tutoribus concessum est, à debitoribus pupilli pecuniam exigere, ut ipso iure liberentur: non etiam donare, uel etiam deminuendi causa cum his transigere. Et ideo eum qui minus tutori soluit, à pupillo in reliquum conueniri posse. *Concordat item l. non omni. 16. C. eod. tt. his uerbis*: Non omni titulo rerum pupilli potestatem alienandi tutores habent: sed administrationis tantùm causa distrahentes, quæ uenum eis dare licet, iustam causam possidendi comparantibus præstant. Cum itaque donare nulla ratione res eorum, quorum administrant negocia, potestatem habent: uindicare dominium à possidentibus non prohiberis. *Concordat item l. i. §. i. ff. de tutelæ actione, his uerbis*: Quæritur apud Iulianum libro XXI. Digestorum, Si tutor pupillo authoritatem ad mortis causa donationem accommodauerit, an tutelæ iudicio teneatur? Et ait, teneri eum. nam sicuti testamenti factio (inquit) pupillis concessa non est: ita ne mortis quidem causa donationes permittendæ sunt. Sed & si non mortis causa donauerit tutore authore, idem Iulianus scripsit, pleroſque quidem putare non ualere donationem (quod plerunque ita est) sed nonnullos casus posse existere, quibus sine reprehensione tutor author sit pupillo ad deminuendum, decreto scilicet interueniente: ueluti si matri aut sorori, quæ aliter se tueri non possunt, tutor alimenta præstiterit. nam cum bonæ fidei iudicium sit, nemo feret (inquit) aut pupillum, aut substitutum eius, querentes quòd tam coniunctæ personæ aliæ sunt; quinimò per contrarium putat, posse cum tutore agi tutelæ, si tale officium prætermiserit. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi matri uel sorori pupilli alimenta donauerit. Quæ exceptio ex iam dictis constat. Concordant ea quæ proposita sunt paulò superius reg. 2. & 5. Secunda exceptio est: Nisi ex magna pupilli uel furiosi utilitate donetur. Quæ exceptio approbatur l. ult. ff. de curatoribus furioso, his uerbis*: Curator furiosi nullo modo libertatem præstare potest: quòd ea res ex administratione non fit. nam in tradendo ita res furiosi alienat, si ad administrationem negociorum pertineat. Et ideo nec si donandi causa alienet, traditio quidquam ualebit: nisi ex magna utilitate furiosi de cognitione iudicis faciat. *Planè iam dictarum exceptionum replicatio generalis hæc est: Nisi decretum iudicis non præcesserit. Quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: De cognitione iudicis. *Concordat d. l. u. §. 1. uerbis §. propositis hisce*: Decreto scilicet interueniente.

XI. *Regula, De rebus tempore perituris distrahendis, proponitur l. tutor. 6. §. si tutor. ff. de administr. tutor. his uerbis*: Si tutor cessauerit in distractione earum rerum quæ tempore depereunt, suum periculum facit. debuit enim confestim officio suo fungi. Quid si contutores expectauit differentes, uel etiam uolentes se excusare, an ignoscatur eis? Et non facilè ignoscetur. Debuit enim partib. suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione.

XII. *Regula: De rebus minorum sine decreto non alienandis uide ȝ. cap. 6.*

VI. DE CREDENDIS PECUNIIS PUPILLARIBUS.

I. *Regula: Tutor iure antiquo credere pecuniam pupillarem tenetur: & nisi fœnerauerit, ipse in usuras eius pecuniæ tenetur. Quæ regula approbatur l. si tutor. 14. ff. de administrat. tutor. his uerbis*: Si tutor constitutus, quos inuenit debitores, non conuenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur: uel intra sex primos menses pupillares pecunias non collocauerit: ipse in debitam pecuniam, & in usuras eius pecuniæ, quam non fœnerauit, conuenitur. *Concordat l. tutores. 24. C. de administrat. tutor. cuius uerba uide ȝ. cap. prox. quæst. 1. in princ. Concordat item l. qui negociationem. 57. §. pupillo. ff. eod. tt. his uerbis*: Pupillo hæredi instituto, filiæ exhæredatæ duo milia numorum aureorũ legauit, eosdemque tutores utrisque dedit. quæsitum est, an cum ex eo die, quo duo milia potuerunt à substãtia hæreditatis separari, in nomina collocare neglexerint, usurarum nomine pupillæ tutelę iudicio teneantur? Scæuola respõdit, teneri. *Regulariter ergo tutor, qui pecuniam pupillarẽ non fœnerauit, eam cum usuris tutelæ iudicio restituere tenetur. Cuius regulæ exceptio prima*

prima hæc est: Nisi credere pecuniam non potuit, nemine existente cui tutò credatur. Hæc exceptio approbatur l. cum plures. 11. §. fin. ff. de administrat. tutor. his uerbis: Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quòd non erat cui crederet, pupillo uacabit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi arguatur eo tempore tutor suam pecuniam credidisse. Quæ replicatio approbatur l. tutor. 12. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis*: Non est audiendus tutor, cum dicat ideo cessasse pupillarem pecuniam, quòd idonea nomina non inueniret, si arguatur eo tempore suam pecuniam bene collocasse. *Secunda exceptio est: Nisi ad sortem uel usuras restituendas tutor non sit idoneus: tunc enim extra ordinem coercebitur. Quæ exceptio approbatur l. ob fœnus. 48. ff. d. tt. his uerbis*: Ob fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercitũ, aut fundorum omissam comparationem: tutor, si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem coercebitur. *Tertia exceptio est: Nisi pecunia pupillaris ex usuris fuerit redacta. hoc enim casu uidetur, quia usurarum usuræ non præstantur: nec eius pecuniæ, quamuis eam tutor non fœnerauerit, à tutore præstandas esse. uerùm exceptio hæc reprobatur l. qui negociationem. 57. §. ex duobus. ff. de administrat. tutor. his uerbis*: Ex duobus tutoribus pupilli altero defuncto, adhuc impubere pupillo: qui supererat, ex persona pupilli sui iudice accepto, consecutus est cum usuris, quantum ex tutela ad tutorem defunctum peruenerat. quæsitum est, iudicio tutelæ, quo experitur pubes factus, utrum eius tantùm, quod ab initio ex tutelæ ratione peruenerat ad defunctum contutorem, usuræ ueniant: an etiam eius summæ, quæ exortis usuris pupillo aucta, post mortem eius ad superstitem æquè cum sorte translata sit, aut transferri debuit? Scæuola respondit, si eam pecuniam in se uertisset, omnium pecuniarum usuras præstandas. Quòd si pecunia mansisset in rationibus pupilli: præstandum quod bona fide percepisset, aut percipere potuisset, si fœnori dare (cum potuisset) non neglexisset: cum id quod ab alio debitore nomine usurarum cum sorte datur, ei qui accepit, totum sortis uice fungatur, uel fungi debeat. *Quarta exceptio est: Nisi tutor suam pecuniam in rem pupilli uerterit. hoc enim casu compensatio fit usurarum. Quæ exceptio approbatur l. quid ergo. 3. §. planè. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis*: Si fortè tutor aliquid pecuniæ debuit fœnerari, & aliquid ipse pro pupillo soluit: nec ipse usuras consequitur, nec pupillo pensabit. Quare & si in usus suos conuertit, deinde aliquid impendit in rem pupillarem: quam impendit, desinit uertisse, & exinde usuras non præstabit. Et si antè impendit in rem pupillarem, mox in usus suos uertit: nõ uidebitur uertisse quantitatem, quæ concurrit cum quantitate sibi debitã, ut eius summæ usuras præstet. *Quinta exceptio est: Nisi ad prædiorum comparationem pecuniam deponat. Hæc exceptio approbatur per ea quæ habentur ȝ. officio proxim. reg. 1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi tanta pecunia corradi non posit, ut inde prædia comparari possint. Quæ replicatio approbatur l. ita autem. 4. in princ. ff. de administrat. tutor. his uerbis*: Ita autem depositioni pecuniarum locus est, si ea summa corradi possit, ut inde ager comparari possit. Si enim tam exiguam tutelam esse probabitur, ut ex numo refecto prædiũ puero comparari non possit: depositio cesset. Quæ ergo tutelæ quantitas, &c.

Mutatio iuris.

Hactenus regula proposita approbata simul & distincta est. Planè iure nouo mutatur ac tollitur Nouell. c. 72. §. quia uerò grauatè, hisce uerbis: Quia grauatè uidemus ad curationes accedere eos, apud quos memoria aliqua Dei permanet (nam multis, qui suæ curæ commissorum bona impiè cupiunt in se conuertere, res admodum amabilis est, & accessu plausibilis) uidemus etiã in maximis uersari difficultatibus curatores, propter minorum pecuniam necessariò fœnori collocandam: sancimus, ne qua curatoribus necessitas ex lege incumbat, ut minorum pecuniam fœnerent, sed ut in tuto deponant eam, & seruent: cum multò præclarius sit, sortem in tuto collocare, quàm appetitione usurarũ, etiam de sorte decidere: & curatorem tam in periculum adduci, si non fœneret, quàm rursum si fœneret, periculum metuere propter frustrationem, & in usuris detrimentum. Si uerò ipse sua sponte mutuare uoluerit, fortè acceptis pignoribus, aut alijs cautionibus, quas certas & extra controuersiam positas esse putet: tunc habeto quidem singulis annis ad exigẽdum duorum mensium inducias, id quod leges laxamentum uocant, scito autem creditì periculum omnino ad se reuersurum. Certè si is qui sub cura agit, sufficientes reditus habeat, hos ipsos curator impendito: si maiores quàm ad tuendam uitam sufficiant, quod excurrit deponitor. Si patrimonium eius qui sub cura degit, ex mobilibus rebus consistat: tunc curator illud tantùm, quod ad gubernationem minoris rerumq; eius satis sit, fœnerare compellitor: quod supereſt, in tuto deponitor. Cæterùm si aurum quod minor habet, tam curtum sit, ut eius usuræ ad ipsum, eosúe qui circa ipsum sunt alendos, & suppeditanda ea quæ alioqui gubernationi eius necessaria sunt, ægrè sufficiant: tunc ipsa nos ratio necessitatis etiam

ad hoc inuitat,ut curatores ad Deum respicientes, tanquam in suis rebus administrationem expediant. *Hisce uerbis regula proposita reprobatur,sub hac tamen conditione: Nisi pupillus aliunde se alere non possit.*

II. *Regula: Nominum periculum, quæ tutor fecit, ad ipsum pertinet.* Quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce: Si uerò ipse sua sponte mutuare uoluerit, fortè acceptis pignoribus, aut alijs cautionibus, &c. *Concordant ea quæ proposita sunt* ¶. *lib.prox.cap.1.quæst.8.reg.3.except.1.*

VII. DE PRAEDIIS COMPArandis,& pecunia ad prædiorum comparationem deponenda.

I. *Regula: Pecunia pupillari prædia quoq; emenda sunt.* Quæ regula approbatur *l.tutores.24.C.de administrat.tutor.cuius uerba uide* ¶. *cap.2.quæst.1.in prin. Pœna, si prædia illa pecunia non comparauerit, proponitur l.tutor.3. §.tutores. ff.de suspectis tutorib. cuius uerba uide* ¶. *lib.prox.cap.7.quæst.2.causa 4. Pœna item arbitraria constituitur l.nisi.4. C.de administrat.tutor.his uerbis:* Nisi eam pecuniam,quam constiterit libertum paternum tutorem filiæ tuæ rationi eius debere, uel deposuerit, uel in prædiorum comparationem conuerterit: remittitur ad præfectum urbi, secundum ea quæ constituta sunt, arbitrio eius puniendus. *Concordat l.ob fœnus.48.ff.eodem tt. cuius uerba uide* ¶. *officio prox.reg.1. except.2. Sed & alia pœna est, quòd in usuras eius pecuniæ, quam in prædiorum comparationem non collocat tutor, teneatur.* Quæ pœna proponitur *l.tutor qui.6. §. si post. ff. d.tt.his uerbis:* Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt,incipient in usuras conueniri.quâquam enim à prætore cogi eos oportet ad comparandum: tamen si cessent,etiam usuris plecten di sunt tarditatis gratia: nisi per eos factum non est,quo minus compararent. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi per tutorem non steterit, quo minus prædia comparentur.* Quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce: Nisi per eos factum non est, quo minus compararent. *Secunda exceptio est:* Nisi tanta summa corradi non posit, ut inde prædia comparari possint. Quæ exceptio approbatur *l.ita autem.4. in prin.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide* ¶. *officio prox.reg.1. except.5.* Quantas autem usuras præstabit tutor, qui pecunia pupillari prædia non comparauerit, uel eam ad comparationem prædiorum non deposuerit,definitur *l.tutor qui.6. §. si deponi.ff.de administr.tutor.cuius uerba uide* ¶. *cap.10.quæst.5.reg.6.except.4.*

Mutatio iuris.

Planè regula proposita iure nouo mutatur, necessitatis prædiorum comparandorum ad meram facultatem transfertur, Nouell. c.72. §. quia uerò grauatè. uersi integrum præterea,*his uerbis:* Integrum præterea tutori erit, cum summa diligentia & accuratè elaborare, si certum possit forte fortuna absque frustratione inueniri reditum, ut ex redundantibus pecunijs eum minori redimat, qui & paucis tributis publicis sit obnoxius, & uenditorem habeat affluentem opibus, habeat item expeditos prouentus. Damus enim ei huius agendi facultatem: ut tamen sciat, si negligentius in aliquo horum se gesserit, quòd eius emptionis periculum ad ipsum respiciet. *Plura de regula proposita uide* ¶. *cap.10. quæst.5. reg.4. specie 3.*

II. *Regula: Periculum emptionis prædiorum ad tutorem respicit.* Quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce: Vt tamen sciat,si negligentius in aliquo horum se gesserit, quòd eius emptionis periculum ad ipsum respiciet.

VIII. DE INSTITVTIOne pupilli.

I. *Regula: Vt pupillus instituatur,etiam sumptus faciendi.* Quæ regula approbatur *l.cum plures.11. §. cum tutor.ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide* ¶. *offic.5.reg.1.*

II. *Regula: Prætoris est decernere sumptus ad institutionem pupilli.* Quæ regula approbatur *l.ius alimentorum.3.§.penult. ff.ubi pupillus educari, his uerbis:* Ad institutionem quoq; pupillorum uel adolescentum,item pupillarum, uel earum quæ infra uicesimum annum constitutæ sunt, solet decernere respectu facultatum & ætatis eorum quæ instituuntur.

III. *Regula: Quantum pro institutione pupillæ sumptuum nomine decernendum, definitur uerbis iam propositis hisce:* Respectu facultatum & ætatis eorum qui instituuntur. *Sed & definitur d. l.11.§.cum tutor.*

IX. DE TVENDO CORPOre & salute pupilli:item moribus.

I. *Regula, De tuendo corpore & salute pupilli, & eius qui est sub cura,proponitur l.consilio.7.in prin.ff. de curatorib.furioso,his uerbis:* Consilio & operæ curatoris tueri debet non solùm patrimonium,sed & corpus ac salus furiosi.

II. *Regula, De moribus pupilli curandis,proponitur l.cum plures.11.§.cum tutor. ff.de administr.tutor. cuius uerba uide* ¶. *offic.5.reg.1.*

X. DE *reficiendis ædibus pupilli proponitur l.lex*

22.§.nec domum,in fine.C.de administr.tutor. his uerbis: Nullum ædificij genus,quod integrum hæreditas dabat, collapsum tutoris fraude depereat. Sed & si parens,uel cuiuscunque hæres est minor,reliquerit deformatum ædificium: tutor testificatione operis ipsius, & multorum fide, id reficere cogatur. ita enim annui reditus plus minoribus conferent,quàm per fraudes præcia deminuta.

XI. DE

XI. DE ADEVNDA VEL REpudianda hæreditate.

I. *Regula: Si in adeunda uel repudianda hæreditate tutor pupillo autor factus non fit, tutelæ actione tenetur.* Quæ regula approbatur per ea quæ habentur ¶. *cap.7.quæst.1.reg 1.except.3.repl.3.*

II. *Regula: Si tutor malè abstinuit pupillum hæreditate delata,tutelæ iudicio tenetur.* Quæ regula approbatur *l.cum tutor.18. ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Cum tutor,negocijs impuberis administratis, pupillum paterna hæreditate abstineat: bonis patris uenditis,tractari solet,utilis actio pupillo relinqui, an creditoribus concedi debeat? & probatur, actionem inter pupillum & creditores patris esse diuidendam: scilicet,ut quod rationi bonorum per tutorem deerit, creditoribus reddatur: quod autem uel culpa tutoris in officio pupilli perperam abstenti contractum est, puero relinquatur. quæ actio sine dubio non prius competet, quàm pupillus ad pubertatem peruenerit: sed illa confestim creditoribus datur. *Concordat l.cum qui.4.C.arbitrium tutelæ, his uerbis:* Eum qui bonis paternis secundum edicti formam abstentus est,hereditarijs actionib. conueniri nulla ratio suadet: nec ad rem facit, quòd aduersus curatores uel tutores, si non consultè abstentus sit,actio ei competat: nihil quippe in ea quę ex officio gesta sunt, uel geri debuerũt, ueniet: sed culpa solummodò,quantiq; interfuit eius non fuisse abstentum, æstimatur. Cui consequens est, ut si propter eam causam transegisti cum tutoribus uel curatoribus, nulla aduersus te creditoribus patris tui petitio competat.

III. *Regula: Pertinet item ad officium tutoris, ut eum à quo fideicommissaria hæreditas pupillo relicta est, adire hæreditatem compellat. Cuius regulæ exceptio hæc est: Nisi cum alius rerum Italicarum,alius pro uincialium tutor datus esset: hæreditas fideicommissaria in Italia sit sita. hoc enim casu rerum prouincialium tutor non est onerandus officio proposito. Cuius exceptionis replicatio hæc est: Nisi is qui hæreditatem restituere rogatus est,in prouincia domicilium habeat. hoc enim casu, quamuis hæreditas in Italia sita sit, tamen prouincialis tutor ad rogatum cogendum tenetur: & nisi coegerit, eo nomine tutelæ iudicio potest conueniri. Quæ replicatio approbatur l.tutores.38.§. hæres.ff.de administr.tutor.his uerbis:* Hæres institutus, qui non habuit substitutum: priusquam hereditatem adiret, quam impuberi restituere debuit,uita decessit. Cum hæreditas in Italia esset, scriptus autem hæres in prouincia uita decessisset: tutores prouincialium rerum culpæ nomine condemnandos Papinianus existimauit, si causam testamenti non ignorantes, utilitatem impuberis deseruerunt. Nam hæreditatis in-pro-

XII. DE STIPVLANDO NOmine pupilli.

Tutor pupilli nomine stipulari & potest & debet. Quæ regula approbatur *l.quoties.8.in princ. ff.de administr.tutor. his uerbis:* Quoties tutor pecuniã pupillarem fœnori dat, stipulatio hoc ordine faciẽda est. Stipulari enim debet aut pupillus,aut seruus pupilli. Quòd si neq; pupillus eius ætatis erit ut stipulari possit, neque seruum habebit: tunc ipse tutor, quisue in eius potestate erit. Quo casu Iulianus sæpissimè scripsit,utilem actionem pupillo dandam. Sed & si absens sit pupillus,oportere tutorem suo nomine stipulari.

XIII. DE NOVANDO.

Tutor quoq; actionem pupilli potest nouare. Quæ regula approbatur *l.tutor.21.ff.de administr.tutor.cuius uerba uide* ¶. *offic.5.reg.10.*

XIIII. DE TRANSIgendo.

Regulariter tutor pupilli nomine transigere potest. Quæ regula approbatur *exemplo l.interdum.58. §.qui tutelam.ff.de furtis. cuius uerba uide* ¶. *lib.prox. cap.1. quæst.8.reg.1. Concordat item l.præses.12. C.de transactionibus. cuius uerba uide* ¶. *lib.9.cap.5.quæst. 2.except.1.repl.3. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi minor sine tutore transigat.* Quæ exceptio approbatur *l.non solùm.4.C.de prædijs minorum. cuius uerba uide* ¶. *cap.6. quæst.1. except.21. Secunda exceptio hæc est: Nisi mala fide transigat de re certa & indubitata.* Quæ exceptio approbatur *l. Lucius. 45.§.fin. ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide supra officio 5. reg.10. in princ. Concordat d.l.12. C.de transactionibus.*

XV. DE *actore tutoris periculo constituendo proponitur* ¶. *lib.proxim.cap.4.quæst.2.except.33.in fine, duplic.generali 3.*

XVI. OMNIA *negocia quæ inita sunt à tutoribus, ad curatores succedentes pertinent.* Quæ regula approbatur *l.à tutorib.32.§.1. ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide* ¶. *lib.proxim. cap.8. causa 1. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi res alterius prouinciæ sint, quàm in qua curator substitutus domicilium habet.* Quæ exceptio approbatur *l.tutores.38. §. patruus.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide* ¶. *lib. proxim.cap.6. causa 23. Secunda exceptio est: Nisi lis à tutore cœpta sit, nec pubere pupillo facto finita. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt* ¶. *officio 3.reg.1.except.1.repl.1.*

XVII. DE REBVS QVAE SVNT alterius loci,quàm in quo tutor domicilium habet.

Hæres ad officium tutoris non pertinent. Quæ regula approbatur *per ea quæ proposita sunt* ¶. *lib.proxim.cap.6.causa 23. Huius regulæ exceptio hæc est:*

Nisi tutor fortè in ijs locis, ubi res sunt, agens, illis rebus curatorem non petierit. tunc enim tutelæ iudicio tenetur. Quæ exceptio approbatur l.tutores.38.§.rerum. ff.de administr.tutor.his uerbis: Rerum prouincialium tutores in urbe causa appellationis impuberum agentes, rerum Italicarum curatores ut impuberibus constituãtur, ad officium suum reuocare debent. Alioquin si prius in prouinciam redierint, dolum aut culpam eorum in ea quoq; parte rectè iudex conueniet. *Plura de regula proposita uide j. cap.10.quæst.3.reg.2.except.1.*

DE PVPILLO ALENDO ET educando. Cap. IIII.

AD *tutoris quoque curam & officium pertinet, ut pupillus alatur & educetur. de quo in hoc Capite agendum.*

I. VBI PVPILLVS ALENdus & educandus est?

I. Regula: *De hoc prætor uel præses decernet: & apud quem prætor pupillum educari uolet, apud eum etiam inuitum est educandus. quæ regula approbatur l.1. ff.ubi pupillus educari, his uerbis:* Solet prætor frequentissimè adiri, ut constituat ubi filij uel alantur uel morentur, non tantùm in posthumis, uerùm omnino in pueris. Et solet ex persona, ex conditione, ex tempore statuere, ubi potius alendus sit: & nonnunquam à uoluntate patris recedit prætor. Denique cum quidam testamento suo cauisset, ut filius apud substitutum educaretur, Imp. Seuerus rescripsit, prætorem existimare debere præsentibus cęteris propinquis liberorum. Id enim agere prætorem oportet, ut sine ulla maligna suspicione alatur partus, & educetur. Quamuis autem prætor recusantem apud se educari, non polliceatur se coacturum: attamen quæstionis est, an debeat etiam inuitum cogere: utputa libertum, parentem, uel quem alium de adfinibus cognatisue? & magis est, ut interdum debeat id facere. Certè nõ malè dicetur, si legatarius uel hæres educationem recuset testamento sibi iniunctam: denegari ei actiones debere, exemplo tutoris testamento dati. Quod ita demum placuit, si idcirco sit relictum. Cæterum si esset relicturus, etiamsi educationem recusaturum sciret: non denegabitur ei actio. Et ita diuus Seuerus sæpissimè statuit. *Concordat regulæ propositæ l.si discept.5.ff.eod.tt. his uerbis:* Si disceptetur, ubi morari uel educari pupillum oporteat: causa cognita, id pręsidem statuere oportebit. In causæ cognitione uitandi sunt, qui pudicitię impuberis possunt insidiari. *Concordat item l.1.C.eod.tt.his uerbis:* Educatio pupillorum tutorum nulli magis quàm matri eorum, si non uitricum eis induxerit, committenda est. Quando autem inter eam & cognatos & tutorẽ super hoc orta fuerit dubitatio: aditus præses prouinciæ, inspecta personarũ & qualitate & coniunctione, perpendet ubi puer educari debeat. Sin autem æstimauerit apud quem educari debeat, is necessitatem habebit hoc facere quod præses iussit. *Concordat item l.2. C.eod.tt.his uerbis:* Vtrúmue posthumus ex filia apud te, an apud patruum suum morari debeat, ex singulorum affectione, & qui magis ad suspicionem ex spe successionis propior sit, æstimabitur.

II. Regula: *Apud matrem suam pupilli sunt educandi. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l.1.in prin. C.ubi pupilli educentur. cuius uerba uide s̃.reg. prox. Concordat* Nouell.*c.22.§.porrò & illud, his uerbis:* Et illud quod à quodam Imperatore cõstitutum inuenimus, dignum putauimus quod in partem legislationis nostræ assumeretur. ex quo enim nemo circa subleuandam filiorum necessitatem & educationẽ fidelior idoneorq; uidetur, quàm ipsa mater: permittit ei lex hoc etiam, nisi ad secundas accedat nuptias.

III. Regula, *De cognatis & adfinibus pupilli, proponitur l.1.§.quamuis autem. ff. ubi pupillus educari. cuius uerba uide s̃.reg.1.in prim.*

IIII. Regula, *De ijs qui pudicitiæ impuberis possunt insidiari, proponitur l.si disceptetur.5.in fine. ff. eod.tt.cuius uerba uide d.reg.1.*

V. Regula: *Apud eum non facilè educandus pupillus, qui proximus eius hæres futurus est. Quæ regula approbari uidetur l.1.in princ.ibi: & nonnunquam, cum sequentibus. ff. ubi pupillus educari. cuius uerba uide s̃.reg.1.in prin. Concordare uidetur l.2.in fine.C. eod.tt.cuius uerba uide d.reg.1.in fine.* Excipitur *mater, de qua s̃.reg.2.*

II. QVANTIS SVMPTIBVS pupillus alendus & educandus?

I. Regula: *Hæc quæstio definienda est decreto prætoris uel præsidis, causa cognita. Quæ regula approbatur, simul & quod sit prætoris in decernendo officium, ostenditur l.ius alim.3. ff.ubi pupillus educari, his uerbis:* Ius alimentorum decernendorũ pupillis prætori competit, ut ipse moderetur, quam summam tutores uel curatores ad alimenta pupillis uel adolescentibus præstare debeant. Modum autẽ patrimonij spectare debet, cum alimenta decernit: & debet statuere tam moderatè, ut non uniuersum reditum patrimonij in alimenta decernat: sed semper ita, ut aliquid ex reditu supersit. Ante oculos habere debet in decernendo etiam mancipia, quæ pupillis deseruiunt, & mercedes pupillorum, & uestem, & tectum pupilli: ætatem etiam contemplari, in qua constitutus est cui alimenta decernuntur.

In amplis tamen patrimonijs non cumulus patrimonij, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit. Sed si non constat, quis modus facultatum sit: inter tutorem & eum qui alimenta decerni desiderat, suscipere debet cognitionem: nec temerè alimenta decernere, ne in alterutram partem delinquat. Prius tamẽ exigere debet, ut profiteatur tutor, quæ sit penes se summa: & cõminari, grauiores se ei usuras infligere eius, quod supra professionem apud eum fuerit deprehensum. Item ad institutionem quoq; pupillorum uel adolescentum, item pupillarum, uel earum quæ infra uicesimum annum constitutæ sunt, solet decernere respectu facultatũ & ætatis eorum qui instituuntur. Sed si egeni sint pupilli, de suo eos alere tutor non compellitur. Et si fortè post decreta alimenta ad egestatem fuerit pupillus perductus, deminui debent quæ decreta sunt: quemadmodũ solent augeri, si quid patrimonio accesserit. *Concordat l.2.§.1.ff.eod.tt. his uerbis:* Modus alimentorum (siquidem prætor arbitratus est) is seruari debet, quem prætor statuit. *Regulariter ergo alimentorũ nomine non minus nec amplius insumendum est, quàm prætor statuit. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ultra uires facultatum est, quod est decretũ. quæ exceptio approbatur d.l.2.§.hoc amplius, his uerbis:* Etsi prætor modum alimentis statuit, ueruntamen ultra uires facultatum est quod decretum est, nec suggessit tutor prætori de statu facultatum, non debet ratio haberi alimentorum omnium: quia si suggessisset, aut deminuerentur iam decreta, aut nõ tanta decernerentur. *Secunda exceptio est: Nisi postea facultates pupilli auctæ sint uel deminutæ. Hæc exceptio approbatur l.qui filium.3.§.fin. ff.ubi pupillus educari. cuius uerba uide s̃.ead.reg.in prim.*

II. Regula, *De eo quod tutor expendit sine decreto prætoris. Redigitur illud ad arbitrium iudicis uel boni uiri. quæ regula approbatur l.2.§.si uerò. ff.ubi pupillus educari, his uerbis:* Si uerò prætor non est aditus, pro modo facultatum pupilli debet arbitrio iudicis æstimari. nec enim permittendum est tutori tantũ reputare, quantum dedit, si plus æquo dederit. *Concordat l.2. C.de alimentis pupillo præstandis, hisce uerbis:* Quod plerunq; postulatur, ut arbitrio prætoris alimenta pro modo facultatum pupillis uel iuuenibus constituantur: pro officio suo, qui aliena negocia gerunt, ne apud iudicem controuersiam habeant, faciunt. Cæterùm si bonus uir & innocens tutor arbitrio suo aluit pupillos (quod interdum etiam necesse est fieri, ne secreta patrimonij & suspectum æs alienum pandatur, quod melius est interim taceri, quàm cum de modo bonorum quæritur, ultrò proferri, & apud acta ius dicentis contra utilitatem pupillorum adsignari) non dubiè acceptoferri debebũt ea quę uir bonus arbitratur, meritò ad exhibitionem educationis, ministeria studiaq; erogata esse: nec ferendus est iuuenis, qui cum præsens esset, studijsq; eruditus, atque alitus esset: si ea per alium se consecutum non probet: sumptus recuset, quasi uento uixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit.

III. Regula, *De eo quantum pater pupilli decreuerit. Hoc erit præstandum & reputandum. quæ regula approbatur l.2.§.fin.ff.ubi pupillus educari, his uerbis:* Sed si pater statuit alimenta liberis, quos hæredes scripsit, ea pręstando tutor reputare poterit: nisi fortè ultra uires facultatum statuerit. tunc enim imputabitur ei, cur nõ adito prætore desiderarit alimenta minui. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pater ultra uires facultatum pupilli alimenta statuerit. quæ exceptio ex uerbis iam propositis constat. Secunda exceptio est: Nisi pater nihil certi definierit, sed arbitrio certæ personæ permiserit. tunc enim non quantum persona illa statuerit, sed arbitrio boni uiri est imputandũ. quæ exceptio approbatur l.Titium.46.§.quãtum.ff.de administr.tutor.his uerbis:* Quantum filio meo diurnum sufficiat, Mariana & Ianuaria æstimabunt: quæro, an contenti esse debent tutores arbitrio mulierum? Scæuola respondit, sumptum boni uiri arbitrio faciendum.

III. EVENTVS, SI PVPILlis alimenta non præstentur.

I. Regula: *Si tutor alimenta pupillo non præstet, præses est adeundus. quæ regula approbatur l.1.C.de alimentis pupillo præst. his uerbis:* Pupillus, si ei alimenta à tutore suo non præstantur, præsidem prouinciæ adeat, qui, &c.

II. Regula: *Si tutor alimenta pupillo non præstet, remouendus est à tutela, uel alius ei est adiungendus. quæ regula approbatur l.ult. ff. ubi pupillus educari, hisce uerbis:* Si absens sit tutor, & alimenta pupillus desideret: siquidem negligentia & nimia cessatio in administratione tutoris obijciatur, quæ etiam ex hoc arguatur, quòd per absentiã eius deserta derelictaq; sint pupilli negocia: euocatis adfinibus atque amicis tutoris, prætor edicto proposito, causa cognita, etiam absente tutore, uel remouendum eum qui dignus tali nota uidebitur, decernet, uel adiungendum curatorem: & ita qui datus erit, expediet alimẽta pupillo. Si uerò necessaria absentia tutoris & improuisa inciderit, fortè quòd subitò ad cognitionem principalem profectus, nec rei suæ prouidere, nec consulere pupillo potuerit: & speretur redire, & idoneus sit tutor, nec expediat alium adiungi, & pu-

pillus alimenta de re sua postulet, rectè constituetur ad hoc solum, ut ex re pupilli alimenta expediat. *Concordant ea quæ proposita sunt s̃.lib.prox.cap.7.quæst.2.causa 8. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi pupillus egenus sit. quæ exceptio approbatur l.ius alimentorū.3.§.fin.ff.d.tt.bis uerbis:* Sed si egeni sint pupilli, de suo eos alere tutor non compellitur.

DE OFFICIIS TVTORIS in sua causa aduersus pupillum: uel contrà, in causa pupilli aduersus tutorem competente: item de officijs eius circa contutorem.

Cap. V.

PRima regula: *Quod aduersus alios tutor præstare debet, id quoq; aduersus se præstabit. quæ regula approbatur l.quoties.8.§.& generaliter. ff.de administr.tutor.cuius uerba uide j.reg.prox.*

II. *Regula: Soluere debet tutor, quod patri pupilli debuit. quæ regula approbatur l.ita autem.4.§.debitor.ff.de administr.tutor. bis uerbis:* Debitor patris, qui tutelam administrauit filij, tutelæ iudicio tenebitur etiā ob id quod patri debuit. *Concordat l.quoties.8.§.nequaquam, usq; ad §.sicut.ff.eo d.tit.bis uerbis:* Nequaquam ambigendum est, si paterfamiliâs eum pro quo fideiussit, tutorem dederit filio suo: officio tutoris conuenire, ut cum dies pecuniæ præterijt, creditori debitum soluat. Et ideo cessante eo, si pupillus suæ tutelæ factus soluerit ex causa fideiussoria, nō solùm mandati, sed etiam tutelæ agere poterit. Hoc enim ei imputatur, cur pro se non soluerit. Quòd si in diem debitor fuit iste tutor: quibusdam uidetur, non uenire in tutelæ iudicium, si modò is dies post tutelam finitam superuenit. Quòd si dies adhuc durāte tutela uenit: putant omnimodò deuolui in tutelæ iudiciū. Ego & hoc & superius ita uerum puto, si facultatibus labi tutor cœpit. Cæterùm si idoneus tutor fuerit, nihil uenire in tutelæ iudicium. Nec quisquam putet, nullum effectū hoc habere. Nanq; si quis dixerit in tutelæ iudicium deuolui: & priuilegio locus est, & fideiussores tenebuntur, si rem saluam fore cautum est. Item si temporali actione fuit obligatus tutor, dicendum est, locum esse in tutelæ iudicio, ut perpetua actio sit. Et generaliter, quod aduersus alium præstare debuit pupillo suo, id aduersus se quoq; præstare debet, fortasis & plus. Aduersus alios enim experiri sine actione nō potuit, aduersus se potuit. Sed si sub usuris grauioribus patri pupilli pecuniā debuit, quàm sint pupillares: uidendum est, an ei aliquid imputetur. Et siquidē soluit, nihil est quod ei imputetur. Potuit enim soluere, nec onerare se usuris. Si uerò non soluit, usuras cogendus est agnoscere, quas à se exigere debuit. *Concordat regulæ propositæ l.si tutor.5.ff.de tutelæ actione, bis uerbis:* Si tutor rem sibi depositam à patre pupilli, uel commodatam non reddat: non tantùm commodati uel depositi, uerùm tutelæ quoq; tenetur. Sed si acceperit pecuniā ut reddat: plerisq; placuit, eam pecuniam depositi uel commodati actione repeti uel condici posse, quòd turpiter accepta sit. *Concordat item l.tutor.69.in prin.ff.de fideiussorib: cuius uerba uide j.lib.45. cap.4. quæst.1.except.10.repl.1. Item concordat l.nisi eam.4.C.de administr.tutor.cuius uerba uide s̃.cap.3.officio 7.reg.1.*

III. *Regula: Tutor, quod sibi à patre pupillorū debebatur, sibi soluere & potest & debet. quæ regula approbatur l.quoties.8.§.sicut. ff.de administr.tutor. bis uerbis:* Sicut soluere tutor quod debet, ita exigere à pupillo quod sibi debetur potest, si creditor fuit patris pupilli. Nā & sibi soluere potest, si modò fuerit pecunia unde soluat. Et si usuræ fuerunt grauiores, quæ ei debebantur, releuabitur eis pupillus: quia tutor se potuit liberare, sicut alijs quoq; soluere & potuit, & debuit. Nec utiq; necesse habet, si conueniatur per iudicem, semper soluere. tueri enim debet causam pupilli, si iusta est. Idcirco quoq;, si mala causa pupillaris est, denunciari uerum sibi debet. *Concordat l.creditorem.8. C.qui dare tutores, bis uerbis:* Creditorem debitoribus tutorē datum nō tantùm petitionem nō amittere, sed etiam ipsum sibi posse soluere, non ambigitur. *Concordat item l.fistulas.78.§.1.ff.de contrah.emptione, bis uerbis:* Fundum ab eo emisti, cuius filij postea tutelā administras, nec accepisti uacuam possessionem. Labeo dixit, te tradere tibi possessionem hoc modo posse, ut pupillus & familia eius decedat de fundo, tunc demum tu ingrediaris in possessionē. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi tutor cum cæteris creditoribus pupillaribus pactum fecerit de non petendo, uel debiti parte remittenda. nam ratione huius pacti nec sibi soluere debet. quæ exceptio approbatur l.cum hæred.58.ff.de administr.tutor.bis uerbis:* Cum hæreditas patris ære alieno grauaretur, & res in eo statu uideretur, ut pupilla hæreditate paterna abstineret: unus ex tutoribus cum plerisq; creditoribus ita decidit, ut certa debiti portione contenti essent, acciperentq;. Idem curatores iam uiripotenti accepti, cū plerisq; creditoribus deciderūt. Quæsitum est, an si aliquis tutorum creditor patris pupillæ solidam pecuniam expensam sibi ex re pupillæ cum usuris fecit, reuocari à curatorib. pupillæ ad portiones eas possit, quas cæteri quoq; creditores acceperunt? Scæuola respondit, eum tutorem qui cæteros ad portionem uocaret, eadem parte contentū esse debere. *Concordat l.cū in eo.44.ff.de pactis, bisce uerbis:* Cum in eo esset pupillus, ut ab hæreditate patris abstineretur, tutor cū plerisque creditoribus decidit, ut certam portionem acciperent. quæro, an & tutor idemq; creditor patris eandem portionem retinere debeat? Scæuola respondit, eum tutorē qui cæteros ad portionem uocaret, eadem parte contentum esse debere.

IIII. *Regula proponitur l.quoties.8.§.nō tantùm. ff.de administr.tutor. bis uerbis:* Non tantùm sibi soluere tutor, uerùm etiam sibi creditā pecuniam scribere (ut Marcellus lib. VIII. Digest. scripsit) seque mutua pecunia poterit obligare, sibi mutuam præscribendo.

V. *Regula: Actiones tutori contra pupillum ne deposito quidem officio delegari possunt. quæ regula approbatur Nouell.c.72. §.quod si quis. cuius uerba uide s̃. lib.prox. cap.4.quæst.2.except.11. Sublata est igitur per istam constitutionem l.non fit.12.ff.de rebus eorum qui sub tutela.cuius uerba hæc sunt:* Non fit contra senatusconsultū, si cuius tutor creditori patris pupilli exoluit, ut eius loco succedat.

VI. *Regula: Tutor non potest quid à pupillo emere, uel alio modo cum eo contrahere. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur j. cap.7.quæst.2.reg.1.except.5. Hactenus de officijs tutoris circa seipsum: sequuntur nunc officia tutoris contra contutorem.*

VII. *Regula: Tutori aduersus contutorem tutelæ actio, uel qua alia similis, qua pupillo ille obligatus est, denegatur. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt s̃.cap.3. officio 2.reg.1. except.7.*

VIII. *Regula: Tutor à contutore satisdationem rem pupilli saluam fore, petere non potest. quæ regula approbatur l.datiuus.7.ff.rem pupilli saluam fore. cuius uerba cum concordantib.uide s̃.cap.3.officio 1.reg. 2.except.1. Sed & propositæ regulæ exceptio proponitur d.except.1.*

IX. *Regula: Tutor contutorem suspectum facere & potest & debet: alioquin factum eius præstat. quæ regula approbatur l.etiam.13.ff.de administr.tutor.bis uerbis:* Etiam cōtutoris factū imputatur collegæ, si potuit & debuit suspectum facere: interdum & si debuit satis petere. Nam si idoneus subitò lapsus sit, nihil collegæ imputari potest. *Concordat l.tutores.38. §.tutor qui.ff. eod.tt.cuius uerba uide s̃.cap.3.officio 2.reg.2. Concordat item l.2.ff.de magistr.conueniendis.cuius uerba uide j.cap.13.quæst.3. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutor qui suspectum facere debuit, fuerit in exilio. quæ exceptio approbatur l.planè.29.ff.de excusation.tutor. cuius uerba uide s̃.lib.prox.cap.6.quæst. 1.causa 51. Secunda exceptio est: Nisi contutor rationes reddere uetitus sit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi quid ex tutela apud contutorem resederit, uel dolo admissum sit. eius enim nomine tutor, qui contutorē suspectum facere debuit, nihilominus tenetur. quæ replicatio approbatur l.qui plures.40.ff.administr.tutor.bis uerbis:* Qui plures tutores habuit, unum qui soluendo nō fuit, rationem actus sui uetuit reddere. Quoniā eius liberatio quod ex tutela percepit, aut dolo contraxit, non est relicta: cōtutores qui suspectum facere neglexerunt, ex culpa rectè conueniuntur. tutor enim legatarius ex culpa, quæ testamento remissa est, non tenetur. *Ait Iurisconsultus:* Quoniam eius liberatio quod ex tutela percepit, aut dolo cōtraxit, non est relicta. *De hac re uide j. lib.34.cap.13.quæst.4.regula 7.& reg.8. Plura de regula proposita uide j.c.10.quæst.3.reg.2.except.1.*

DE REBVS MINORVM sine decreto non alienandis.

Cap. VI.

INter officia tutorum & curatorum numeratur & hoc: Ne res minorum sine decreto prætoris alienent. de quo nunc agendum. Sit autem huius loci prima propositio hæc.

I. ALIENATIO *rei pupillaris, uel eius qui est sub cura sine decreto facta, inutilis est, resq; alienata potest uindicari. Hæc regula approbatur l.1.in prin.usq; ad §. si defunctus.ff.de reb.eorum qui sub tutela, bis uerbis:* Imperatoris Seueri oratione prohibiti sunt tutores & curatores prędia rustica uel suburbana distrahere. Quæ oratio in senatu recitata est, Tertyllo & Clemente cōsulibus, Idibus Iunijs. & sunt uerba eius huiusmodi: Pręterea, patres cōscripti, interdicā tutoribus & curatoribus, ne prædia rustica uel suburbana distrahāt: nisi ut id fieret, parētes testamento uel codicillis cauerint. Quòd si fortè æs alienum tātum erit, ut ex rebus cęteris non possit exolui: tunc prætor urbanus, uir clarissimus, adeatur, qui pro sua religione existimet quæ possint alienari, obligariue debeant: manente pupillo actione, si postea potuerit probari obreptū esse prætori. Si communis res erit, & socius ad diuisionem prouocet, aut creditor qui pignori agrum à parente pupilli accepit, ius exequatur: nihil nouandum censeo. *Hactenus uerba Senatusconsulti, quo regula proposita approbatur. Habet autem regula ista plures exceptiones, nunc ordine proponendas.*

I. *Exceptio: Nisi parētes pupilli alienationem permiserint. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis bisce:* Nisi ut id fieret, parentes testamento uel codicillis cauerint. *Concordat l.1.C.quādo decreto opus non est, bis uerbis:* Si probare potes, patrem pupilli, cuius tutores conuenisti, consensisse, ut reddito tibi prædio precium reciperet: id quod conuenit, seruabitur. Neq; enim in ea re authoritas præsidis necessaria est, ut tutorum sollicitudini consulatur, si uoluntati defuncti pareant. Concordat

V l. 4. § Papi... ff. de admin. tu...

cordat item l.prædium.3.C.eod.tt.his uerbis: Prædium rusticum uel suburbanum à minore uigintiquinq; annis alienari sine decreto prę fidis (nisi parentis uoluntas, seu testatoris, ex cuius bonis ad minorem peruenit, super alienando eo aliquid mandasse deprehendatur) nulla ratione potest. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi contra formã in testamento datam sit alienatum, quæ replicatio approbatur l.tutelam.7. C.de administr.tutor. his uerbis:* Tutelam pupillorum tuorum sic administrare debes, ne ædificium quod his relictũ est, contra formam alienandi testamento datam uendas. *Secunda replicatio uidetur: Nisi testamentum, in quo alienatio permissa est, irritum sit. Hæc replicatio reprobatur l.ult. ff.de rebus mioorum, his uerbis:* Paulus respondit, etsi testamentum patris postea irritum esse apparuerit: tamen tutores pupilli, siue curatores filij, nihil contra orationem diuorum principum fecisse uideri, si secundum uoluntatem defuncti testamento scriptam prædium rusticum pupillare uendiderunt.

II. *Exceptio: Nisi parens pupilli, dum uixit, uenale prædium habuit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.si defunctus.ff.de rebus minorum, his uerbis:* Si defunctus, dum uiueret, res uenales habuerit, testamento tamen non caueritut distraherẽtur: abstinendum erit uenditione. Non enim utiq;, qui ipse uoluerit uendere, idem etiam postea distrahendum putauit.

III. *Exceptio: Nisi decretum à magistratu sit interpositum, ut liceat alienare. Hæc exceptio approbatur uerbis ẽ.cod.reg.in prin.propositis hisce*: Quòd si fortè æs alienum tantum erit, &c. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi sine causæ cognitione prætor alienari permiserit, uel non omnibus quæ illum decent peractis. Hæc replicatio approbatur l.si prædia.11.ff.de rebus minorum, his uerbis:* Si prędia minoris uigintiquinque annis distrahi desiderentur: causa cognita, præses prouinciæ debet id permittere. Idem seruari oportet, & si furiosi, uel prodigi, uel cuiuscunq; alterius prędia curatores uelint distrahere. *Concordat l.minorũ.6.C.de prædijs minorum, his uerbis*: Minorum possessionis uenditio, per procuratorem delato ad prętorem uel præsidem prouinciæ libello, fieri non potuit: cùm ea res confici rectè aliter non possit, nisi apud acta causis probatis, quæ uenditionis necessitatem inferant, decretum solenniter interponatur. *Concordat item l.si minores. 8.C.eod.tt. his uerbis:* Si minores uel ex patris nomine, uel ex suo, debitis duntaxat fiscalibus urgentibus, uel ex priuatis cõtractibus reperiantur obnoxij: decreti interpositio à Constantiniano prętore celebrãda est, probatis examinatisque causis: ut patefacta rerum fide, firma uenditio perseueret. *Declaratur replicatio proposita officijs prætoris in decernendo expositis l.magis puto.5.§.non passim, usque ad §. illud quæri. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Non passim tutoribus sub obtentu æris alieni permitti debuit uenditio. neque enim est eis uia distractionis tributa. Et ideo prætori arbitrium huius rei senatus dedit: cuius officio in primis hoc conuenit excutere, an aliunde possit pecunia ad extenuandum æs alienum expediri. Quærere ergo debet, an pecuniam pupillus habeat, uel in numerato, uel in nominibus quæ conueniri possunt, uel in fructibus conditis, uel etiam in redituum spe atque obuentionum. Item requirat, num aliæ res sint præter prędia, quæ distrahi possint, ex quorum precio æri alieno satisfieri possit. Si igitur deprehẽderit, nõ posse aliunde exolui, quàm ex prædiorum distractione: tunc permittet distrahi, si modò urgeat creditor, aut usurarum modus carendum ære alieno suadeat. Item prætor æstimare debebit, utrum uendere potius, an obligare permittat: nec non illud uigilanter obseruare, ne plus accipiatur sub obligatione prædiorum fœnoris, quàm opus sit ad soluendum æs alienum. Aut si distrahendum arbitrabitur, ne propter æs alienũ modicum possessio magna distrahatur. Sed si sit alia possessio minor, uel minus utilis pupillo: magis eam iubeat distrahi, quàm maiorem & utiliorem. In primis igitur, quoties desideratur ab eo ut permittat distrahi, requirere debet qui se instruat de fortunis pupilli, nec nimium tutoribus uel curatoribus credere: qui nonnunquam lucri sui gratia adseuerare prætori solent, necesse esse distrahi possessionem, uel obligari. Requirat ergo necessarios pupilli, uel parentes, uel libertos aliquos fideles, uel quem alium, qui noticiam rerum pupillarium habeat: aut si nemo inuenitur, aut suspecti sunt qui inueniuntur, iubere debet edi rationes. Itemq; (si opus sit) pupillarium bonorum aduocatum pupillo dare, qui instruere possit prætoris religionẽ, an adsentire uẽditioni uel obligationi debeat. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi obreptum sit prætori. Hæc replicatio approbatur uerbis ẽ.cod reg.in princ. propositis hisce*: Manente pupillo actione, si postea potuerit probari obreptũ esse prætori. *Concordat l.magis puto.5. §.penult. ff. eod.tt. his uerbis*: Manet actio pupillo, si postea poterit probari obreptum esse prætori. *Concordat item l.etsi.5.C.de prædijs minorũ, his uerbis*: Etsi prędes decreuerit alienãdum uel obligandum pupilli suburbanum uel rusticum prędium: tamen actionem pupillo, si falsis allegationibus circumuentam religionem eius probare

bare possit, se natus reseruauit: quam exercere tu quoq; non uetaris. *Tertia replicatio est: Nisi nullo ære alieno urgente, prætor decreuerit. Hæc replicatio approbatur d.l.5.§.si æs alienum. ff.de rebus minorum, his uerbis*: Si æs alienum non interueniat, tutores tamen allegent expediri hæc prædia uendi, & alia comparari, uel certè istis carere: uidendum est, an prætor eis debeat permittere? & magis est, ne possit. Prætori enim non liberum arbitrium datum est distrahendi res pupillares: sed ita demum, si æs alienum imminеat. Proinde etsi permiserit, ęre alieno non allegato: consequenter dicemus, nullam esse uenditionem, nullumq; decretum. non enim passim distrahi iubere prætori tributũ est: sed ita demum, si urgeat æs alienum. *Concordat l.ob æs.12.C.eod.tt.his uerbis*: Ob æs alienum tantùm causa cognita, præsidali decreto prędium rusticũ minoris prouinciale distrahi permittitur. *Huius replicationis duplicatio proponitur ĩ.repl.5. Quarta replicatio est: Nisi non solenniter apud acta decretum sit interpositum. Hæc replicatio approbatur l.minorum.6. C.de rebus minorum. cuius uerba uide ẽ.repl.1. Quinta replicatio est: Nisi prætor donari decreto suo permiserit. Hæc replicatio approbatur l.si quando.3. §.fin. C.si maior factus uẽditionem. cuius uerba uide ĩ.except.38. Huius replicationis duplicatio est: Nisi propter nuptias donari permiserit. quæ duplicatio approbatur d.§.fin. ibi: excepta propter nuptias donatione. Sexta replicatio est: Nisi prætor urbanus prouincialem possessionem alienandam decreuerit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerum eius duplicatio hæc est: Nisi tutela in urbe agatur, tutoresq; rerum Italicarũ etiam prouincialium rerum administrationẽ sustineant. quæ duplicatio approbatur l.magis puto.5.§.illud quæri.ff. de rebus minorum, his uerbis*: Illud queri potest, si prætor aditus permiserit distrahi possessionem prouincialem: an ualeat quod fecit? & putem ualere, si modò tutela Romæ agebatur, & hi tutores eam quoq; administrationem subierant. *Septima replicatio est: Nisi prætor post decretum non curauerit, ut pecunia creditoribus soluatur. Hæc replicatio approbatur d.l.5.§.ne tamen, his uerbis*: Ne tamen titulo tenus tutores, ære alieno allegato, pecunia abutantur, quam mutuam acceperunt: oportebit prætorem curare, ut pecunia accepta creditoribus soluatur, & de hoc decernere: daréque uiatorem qui ei renunciet, pecuniam illam ad hoc conuersam, propter quod desiderata est alienatio uel obligatio. *Octaua replicatio est: Nisi uili precio res sit distracta. Hæc replicatio approbatur l.siquidem.11. C.de prædijs minorum, his uerbis*: Siquidem sine decreto minor annis patronus tuus rusticum prædium uenundedit: superuacuum est de uili precio tractare, cum senatusconsulti authoritas retento dominio alienandi uiam obstruxerit. Si uerò iure interposito decreto, uenditionem uili precio eius possessionis, cuius uires ignorabat, fecit: iuxta perpetui edicti authoritatem in integrum restitutio, causa tamen cognita, præbetur. *Nona replicatio est: Nisi cum prætor uẽdere permisisset, tutor obligauerit, uel contrà. Hæc replicatio approbatur l.si pupillorum.7.§.si prætor. ff.de rebus minorum, his uerbis*: Si prætor tutoribus permiserit uendere, illi obligauerint, uel contrà: an ualeat quod actum est? Et mea fert opinio, eum qui aliud fecit, quàm quod à prætore decretum est, nihil egisse. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi prætor utrunq; alternatiuè permiserit, uendere uel obligare. Hæc duplicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Quid ergo, si prætor ita decreuerit: Vendere obligaréue permitto. an possit liberum arbitrium habere quid faciat? Et magis est, ut possit: dummodò sciamus, prætorem non rectè partibus suis functum. debuit enim ipse statuere & eligere, utrum magis obligare, an uendere permittat. *Decima replicatio est: Nisi decreto interposito, tutor sibi emerit rem minoris. Hæc replicatio approbatur l.quamuis.9. ff. de rebus minorum, his uerbis*: Quamuis antecessor præsidis decreuisset ea prædia uenundari, quæ tutor pupilli subiecto nomine alterius emptoris, ipse sibi comparabat: tamen si fraudem & dolum contra senatusconsulti authoritatem, & fidem tutoris, commissam deprehendisset successor eius, æstimaturum, quatenus tam callidum commentum etiam in exemplum coerceri debeat. *Vndecima replicatio est: Nisi nõ tutor, sed is qui pro tutore negocia gerit, rẽ minoris uendat. Hæc replicatio approbatur l.qui neq;.8.in prin. ff.de rebus minorum, his uerbis*: Qui neq; tutores sunt ipso iure, neq; curatores, sed pro tutore negocia gerunt, uel pro curatore, eos non posse distrahere res pupillorum uel adolescentum, nulla dubitatio est. *Concordat l.cum rep.4.C.de curatore furiosi, his uerbis*: Cùm repudiante furiosa sui iuris constituta maritum, qui solus repudiare potuit, quædam matrem furiosę marito quondam eius instrumenta confeciſse significas: intelligis, nihil eam contra furiosam disponere potuisse, cum eius ad eam iure non pertinuerit defensio. *Vide item ĩ.cap.prox.quæst.2.reg.1.except.15. Hæc de tertia exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Plures huiusmodi replicationes uide ĩ.cap.7.quæst.2.reg.1.*

IIII. *Exceptio: Nisi princeps alienationi consensit. Hæc exceptio approbatur l.2.C.quando decreto opus non est, his uerbis*: Illud requirendum est, an adito principe Saturninus uir clarissimus specialiter ius uenditionis acceperit? Adinstar enim præsidalis decreti consensio principalis accedit. *Concordat l.2.in fine.ff.de rebus minorum.*

minorum.cuius uerba uide ǰ.*except.29.*

V. Exceptio: *Nisi iussu magistratus res minoris pignori capiatur & distrahatur,uel alius in possessionem eius mittatur.* *Hæc exceptio approbatur l.sed si.3.§.1. ff.de rebus minorum,his uerbis:* Pignori tamẽ capi iussu magistratus,uel præsidis,uel alterius potestatis, & distrahi fundus pupillaris potest. Sed & in possessionem mitti rerum pupillarium à prætore quis potest: & ius pignoris contrahitur, siue legatorum seruandorum causa, siue damni infecti: & ut procedat,iuberi & etiam possideri poterit. Hæ enim obligationes siue alienationes locum habent, quando non ex tutoris uel curatoris uoluntate id fit,sed ex magistratuum authoritate.

VI. Exceptio: *Nisi parens tutor rem pupilli uendat.* *Hæc exceptio reprobatur l.si pupillorum.7.§.si pater.ff.d.tt.his uerbis:* Si pater uel parens tutor sit alicui ex liberis, an prætor adeundus sit, si obligare uelit? Et magis est, ut debeat. Pronior tamen esse debet prętor ad consentiendũ patri. *Concordat l.cum emanc.3.C.de prædijs minorum,his uerbis:* Cùm emancipatis uobis prædium adquisitum foret,alienari à patre eodemq; curatore sine præsidis authoritate non potuit: maximè,si tanquam suum esset,non tanquam pupillare uendiderit: illibataq; uobis persecutio eius manet.

VII. Exceptio: *Nisi non tutor uel curator minoris, sed furiosi uel prodigi res uendat.* *Hæc exceptio reprobatur l.qui neq;.8.§.sed si curator.ff.de rebus minorum,his uerbis:* Si curator sit furiosi,uel cuius alterius,non adolescentis: uidendum est,utrum iure uetere ualebit uenditio, an hanc orationẽ admittemus? Et puto,quia de pupillis princeps loquitur,& coniunctim tutoribus curatores accipiũtur,pertinere. Et de cæteris puto ex sententia orationis idem esse dicendum. *Concordat l.si prædia.11. ff.eod.tt. cuius uerba uide* s̃.*except.3.repl.1.* *Item concordat l.2.C.de curatore furiosi, his uerbis:* Orationis diui Seueri beneficium, quo possessiones rusticas sine decreto præsidis pupillorũ uel adolescẽtium distrahi uel obligari prohibitum est, non iniuria etiam ad adgnatos furiosi porrigitur. Si igitur citra decretum præsidis fundus mẽte capti etiam ab adgnato eius tibi pignori nexus est, uinculum pignoris in eo non consistit. Vtiles tamen aduersus eum personales actiones,si ob eius utilitatem pecunia mutua accepta est, poteris habere.

VIII. Exceptio: *Nisi creditor rem pupilli pignoris iure acceptam uendat.* *Hæc exceptio approbatur uerbis* s̃.*ead.reg.in prin.propositis hisce:* Aut creditor, qui pignori agrum à parente pupilli accepit,ius exequatur: nihil nouandum cẽseo. *Concordat l.si pupillorum.7.§.si pupillus. ff.de rebus minorum,his uerbis:* Si pupillus dedit res pignori permissu prætoris: nonnulla erit dubitatio,an alienatio possit impediri? Sed dicendum est,posse creditorem ius suum exequi. Tutius tamen fecerit, si prius prætorẽ adierit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ratione ætatis contra istam uẽditionem in integrum restitutio petatur.quæ replicatio approbatur l.1. C.de prædijs minorum, his uerbis:* Venditio quidem prædij, quod iure pignoris uel in causa iudicati captum & distractum est, ad senatusconsultum, quod de non alienandis prædijs pupillorum uel adolescentum, nisi authore prætore uel præside prouinciæ,factum est,non pertinet. Sed si etiamnum in ea ætate es,cui subueniri solet: aditus competens iudex,'an in integrum restituere debeat, præsente diuersa parte causa cognita dispiciet. *Secunda replicatio est: Nisi non creditor,sed tutor rem pupilli pignori nexam uẽdat.* *Hæc replicatio approbatur l.2.C.d.tt.his uerbis:* Non est uobis necessaria in integrum restitutio,si tutores uel curatores uestri possessionem, licet pignori nexam,uendiderunt sine decreto. *Tertia replicatio est: Nisi dolo facta sit pignoris uenditio. quæ replicatio approbatur d.l.2. his uerbis:* Quòd si creditores id fecerunt, ita demum iuxta formam edicti beneficiũ tibi impertietur, si fraudulenta uenditione, participante consilio emptoris, damnum tibi inflictum esse doceatur.

IX. Exceptio: *Nisi minor qui ueniam ætatis impetrauit,res suas alienauit.* *Hæc exceptio reprobatur l.eos qui.3.C.de his qui ueniam ætatis, hisce uerbis:* Eos qui ueniam ætatis impetrauerunt uel impetrauerint, non solùm alienationem, sed etiam hypothecam minimè posse sine decreti interpositione rerum suarum immobilium facere,iubemus: in quarum alienatione uel hypotheca decretum illis necessariũ est,qui necdum ueniam ætatis meruerunt: ut similis sit in ea parte conditio minorum omnium,siue petita,siue non petita sit ætatis uenia.

X. Exceptio: *Nisi minor qui res suas uendit, iuramento præstito se maiorem dicat.* *Hæc exceptio approbatur l.si alterius.3.in fine.C.si minor se maiorem. cuius uerba uide* ǰ.*lib.49. cap.4. quæst.4. exception.6. replic.1.*

XI. Exceptio: *Nisi non dominium, sed ius aliquod, puta emphyteuticum,uel usufructus alienetur.* *Hæc exceptio reprobatur l.sed si.3.§.si ius, cum sequentibus, usque ad l.5.§.1. ff.de rebus minorum, his uerbis:* Si ius ἐμφυτευτικὸν habeat pupillus: uideamus, an distrahi hoc à tutoribus possit? Et magis est,non posse, quamuis ius prædij potius sit. Nec usufructus alienari potest, etsi solus fuit usufructus pupilli. An ergo nec hic non utendo amittatur, si tutor causam præbuerit huius rei? Et manifestũ est,restaurari debere. Sed si proprietatẽ habeat pupillus, non potest usumfructum uel usum alienare, quamuis oratio nihil de usufructu loquatur. Simili modo dici potest,nec seruitutem imponi posse fundo pupilli uel adolescentis, nec seruitutem remitti: quod & in fundo dotali placuit. Si lapidicinas uel aliqua metalla pupillus habuerit stypteriæ, uel cuius alterius materiæ: uel si cretæ,argentifodinas, uel quid aliud huic simile,quod tamẽ priuatis liceat possidere: magis puto ex sententia orationis impediri alienationem. Sed & si salinas habeat pupillus: idem erit dicendum.

XII. Exceptio: *Nisi uectigale uel quod simile prædium alienetur.* *Hæc exceptio reprobatur l.etiam.13. C.de prædijs minorum, his uerbis:* Etiam uectigale uel patrimoniale siue emphyteuticum prædium sine decreto prę̨sidis distrahi non licet.

XIII. Exceptio: *Nisi fundus alienus, qui pupilli non est,uenditus sit.* *Hæc exceptio approbatur l.magis puto.5.§.si pupillo.ff.de rebus minorum, his uerbis:* Si pupillo fundus pignoratus sit,an uendere tutores possint? Et puto.hunc enim quasi debitoris,hoc est alienum uendunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi impetratum sit, ut pupillo eiusue patri fundum alienum iure dominij possidere liceat. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Si tamen impetrauerat pupillus uel pater eius, ut iure dominij possideat: consequens erit dicere, non posse distrahi,quasi prædium pupillare. Idemq; est, & si fuerit ex causa damni infecti iussus possidere. *Secunda replicatio est: Nisi fundus alienus à pupillo bona fide sit possessus. quæ replicatio approbatur d.l.5.§.1.his uerbis:* Si pupillus alienũ fundum bona fide emptum possideat: dicendum puto,nec hunc alienare tutores posse. etenim si quasi pupillaris distractus est, uenditio non ualet.

l 2 § fin ff de manumiss vindicta

XIIII. Exceptio: *Nisi prædium pupillo cum alio commune sit alienatum.* *Hæc exceptio reprobatur l.qui neq;.8.§.an obligari.ff.de rebus minorũ,his uerbis:* An obligari communia possint, quæritur? Sed non puto sine decreto obliganda. Nam quod excipit oratio, ad hoc tantùm pertinet,ut perimatur communio,non ut augeatur difficultas communionis. *Concordat l.inter.17.C.eod.tt.his uerbis:* Inter omnes minores nec commune prædium sine decreto præsidis, sententia senatusconsulti distrahi patitur. Nam ad diuisionis causam prouocante maiore socio, eius alienationem & sine decreto fieri,iampridem obtinuit. *Ait Iurisconsultus:* Nam quod excipit oratio. *De hac exceptione uide* ǰ.*except.22.*

XV. Exceptio: *Nisi fundus alienatus sterilis sit,uel saxosus,aut pestilens.* *Hæc exceptio reprobatur l.si fundus.13.in prin.ff.de rebus minorum,his uerbis:* Si fundus sit sterilis,uel saxosus, uel pestilens: uidendum est,an alienare eum non possit? Et Imper. Antoninus & diuus pater eius in hæc uerba rescripserunt: Quod allegastis, infructuosum esse fundum, quem uendere uultis, mouere nos non potest, cum utique pro fructuum modo precium inuenturus sit.

XVI. Exceptio: *Nisi domus pupilli uendatur.* *Et hæc exceptio reprobatur l.lex.22.§.nec domum. C.de administrat. tutor. his uerbis:* Nec domum uerò uendere liceat, in qua defecit pater, minor creuit: in qua maiorum imagines aut non uidere fixas,aut reuulsas uidere, satis est lugubre. Ergo & domus, & cætera omnia immobilia in patrimonio minorum permaneant.

XVII. Exceptio: *Nisi res mobilis pupilli uendatur.* *Et hæc exceptio reprobatur d.l.22.in prin.his uerbis:* Lex quę tutores curatoresq; necessitate adstrinxit,ut aurum,argentum,gemmas,uestes,cæteraq; mobilia preciosa, urbana etiã mancipia,domos,balnea, horrea, & omnia quę intra ciuitatẽ sunt,uenderent,omniaq; ad numos redigerent,præter prædia & mãcipia rustica,multum minorum utilitati aduersa est. Præcipimus itaq;, ut hæc omnia nulli tutorum curatorúmue liceat uẽdere: nisi hac fortè necessitate & lege, qua rusticum prædium atq; mancipiũ uendere, uel pignorare, uel in dotẽ dare in præteritum licebat: scilicet per inquisitionẽ iudicis, probationem causæ, & interpositionem decreti,ut fraudi locus non sit. Ante omnia igitur urbana mancipia, quæ totius supellectilis noticiam gerunt, semper in hæreditate & in domo retineantur. nam boni serui fraudem fieri prohibebunt: mali,si res exegerit, sub quæstione positi, poterunt prodere ueritatem. atq; ita omnia obseruabunt,ut nec inuentaria minuere, nec mutare, uel subtrahere aliquid tutor ualeat. Quod & in ueste,margaritis,gemmis, & in uasculis, cæterisq; supellectilibus necessarium est. & tolerabilius est (si ita contigerit) seruos mori suis dominis,quàm seruire extraneis: quorum fuga potius tutori adscribitur, siue negligentia dissolutam esse patiatur disciplinam,siue duricia, uel inedia atque uerberibus eos adficiat. nec enim dominos execrantur, sed magis diligunt: ita ut hæc lex per hoc quoque melior antiqua sit. Tunc enim remota seruorum custodia, etiam uita minorum sæpius prodebatur. Serui etiã, qui aliqua arte sunt præditi,operas suas cõmodo minoris inferẽt: & reliqui minores, qui in usu domini esse non poterint, qui-

buśq; ars nulla eſt, partim labore ſuo, partim alimoniarum taxatione paſcantur. Lex enim non ſolùm contra tutores, ſed etiam cõtra fœminas immoderatas atq; intemperantes proſpexit minoribus: quæ plerunq; nouis maritis non ſolùm res filioru, ſed etiam uitam addicunt. Huic accedit, quòd ipſius pecuniæ (in qua robur omne patrimoniorum ueteres poſuerunt) fœnerádi uſus uix diuturnus, uix continuus & ſtabilis eſt: quo ſubſecuto, intercidẽte ſępe pecunia, ad nihilum minorum patrimonia deducũtur. Iam ergo uẽditio tutoris nulla ſit, niſi interpoſitione decreti: exceptis ueſtibus, quæ detritæ uſu, aut corruptæ ſeruando, ſeruari nõ potuerint. Animalia quoq; ſuperuacua minorum quin ueneant, non uetamus.

XVIII. Exceptio: *Niſi ueſtes detritæ, uel animalia ſuperuacua uendantur. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Exceptis ueſtibus, quæ detritæ uſu, &c. *Concordat l. & ſine. 4. C. quando decreto opus non eſt, his uerbis:* Et ſine interpoſitione decreti, tutores uel curatores quarumcunque perſonarum ueſtes detritas & ſuperuacua animalia uendere permittimus.

XIX. Exceptio: *Niſi res tempore peritura diſtraxerint. Hæc exceptio approbatur l. tutor. 6. §. ſi tutor. ff. de adminiſtrat. tutor. cuius uerba uide ſ. cap. 3. officio 5. reg. 11.*

XX. Exceptio: *Niſi fructus uendantur. Hæc exceptio approbatur l. ſancimus. 28. §. fin. C. de adminiſtrat. tutor. his uerbis:* Sancimus, tutoribus & omnibus curatoribus licere fructus, ſiue qui ex reditibus prędiorum colliguntur, ſiue in ſubſtãtia perſonarum; quarum gubernationem habent, inuenti fuerint, id eſt, uinum, & oleum, & frumentum, uel cuiuſcũq; ſpeciei ſunt, ſine decreto diſtrahere iuſto precio, quod in his locis, in quibus uenditio celebratur, tunc temporis dignoſcitur obtinere: & quæ ex uenditione eorundem fructuum colliguntur pecuniæ, cum alia pupillorum uel adultorum aliarumq; perſonarum ſubſtantia adminiſtrentur.

XXI. Exceptio, *ſumpta ex genere alienationis, quo res pupillaris eſt alienata, reprobatur l. non ſolùm. 4. C. de prædijs minorum, his uerbis:* Non ſolùm per uenditionem ruſtica prædia uel ſuburbana pupilli uel adoleſcentes alienare prohibentur: ſed neque tranſactione, neq; permutatione, & multò magis donatione, nec alio quoquo modo ea transferre à dominio ſuo poſſunt. Igitur & ſi tu fratribus tuis per tranſactionem fundum dediſti, uindicare eum potes. Sed & ſi quid inuicem abeis ex eodem pacto conſecutus es, id mutuò reſtituere debebis. *Quod hic dicitur de tranſactione, intellige ſecundum id quod dictum ſ. cap. 3. officio 14. Planè exceptio propoſita admittitur in quibuſdam ſpeciebus, quæ proponuntur in exceptionibus proximè ſequentibus.*

XXII. Exceptio: *Niſi cùm ſocio pupilli prouocante, res communis cum illo diuiſa ſit, & ſic per diuiſionem alienata. Hæc exceptio approbatur uerbis ſ. ead. reg. in prin. propoſitis hiſce:* Si communis res erit, & ſocius ad diuiſionem prouocet: nihil nouandum cenſeo. *Concordat l. qui neq;. 8. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 14. Concordat l. inter. 17. in fine. C. de prædijs minorum. cuius uerba uide ſ. d. except. 14. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi res pro diuiſo, non pro indiuiſo ſit communis. quæ exceptio approbatur l. magis puto. 5. §. fin. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Communia prędia accipere debemus, ſi pro indiuiſo cõmunia ſint. Cæterùm ſi pro diuiſo communia ſint: ceſſante oratione, decreto locus erit. *Secunda replicatio eſt: Niſi alius proprietatem, alius uſumfructum in eadem re habeat. quæ replicatio approbatur l. ſed & ſi. 6. ff. d. tt. his uerbis:* Sed ſi fortè alius proprietatem fundi habeat, alius uſumfructum: magis eſt, ut ceſſet hæc pars orationis, quæ de diuiſione loquitur. nulla enim communio eſt. *Tertia replicatio eſt: Niſi inter duos pupillos res communis ſit, interq; eos diuiſio ſit facta. quæ replicatio approbatur l. ſi pupill. 7. in princ. ff. d. tt. his uerbis:* Si pupillorum ſint communia prædia, qui diuerſos tutores habent: uideamus, an alienatio locum habere poſsit? Et cum prouocatio neceſſaria ſit, puto alienationem impediri. Neuter enim poterit prouocare, ſed ambo pronocationem expectant. Item, ſi eoſdem tutores habent, multò magis quis impeditam alienationem dicet. *Huius duplicatio eſt: Niſi æqualiter diuiſerint. Quæ duplicatio approbatur l. Lucius. 38. ff. familiæ erciſcundæ. cuius uerba uide ſ. lib. 44. cap. 10. quæſt. 1. except. 12. replic. 4.*

XXIII. Exceptio: *Niſi permutatum ſit, uel tranſactum. Hæc exceptio reprobatur l. non ſolùm. 4. C. de prædijs minorum. cuius uerba uide ſ. except. 21.*

XXIIII. Exceptio: *Niſi prædium minoris in ſolutum ſit datum. Hæc exceptio approbatur l. magis puto. 5. §. ſi pupillus. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Si pupillus ſtipulanti ſpoponderit: an ſoluere poſsit ſine prætoris authoritate? Et magis eſt, ne poſsit. Alioquin inuenta erit alienandi ratio. Sed ſi pater ſtipulanti fundum ſpoponderit, ſucceſſeritque pupillus in ſtipulatum: fortius dicetur, ſine prætoris authoritate poſſe eum reddere. Idémque & ſi iure hæreditario alij ſucceſſerit, qui erat obligatus. Eadem ratione, & ſi parens fundum uendiderit, uel quis alius cui pupillus ſucceſſerit: poteſt dici, pupillum cætera uenditionis in conſulto prætore poſſe perficere. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt:* Niſi non ex contractu hæreditario, ſed

ſed pupillari res ſoluatur. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce: Si pupillus ſtipulanti ſponderit, an ſoluere poſsit, &c. *Secunda replicatio eſt:* Niſi aliud quàm quod ſoluit, debuit. *quæ replicatio approbatur l. ſi minor. 15. C. de prædijs minorum, his uerbis:* Si minor uiginti quinque annis prædium ruſticum, cum aliud deberes, ſine decreto in ſolutum dediſti: dominium à te diſcedere non permiſit ſenatuſconſulti authoritas. *Tertia replicatio eſt:* Niſi fundus ipſius pupilli ab eo hærede inſtituto legatus ſoluatur. *quæ replicatio approbatur l. magis puto. 5. §. ſi fundus. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Si fundus legatus, uel per fideicommiſſum fuerit relictus Seio à pupillo hærede inſtituto: an tutores reſtituere hũc fundum poſſint ſine authoritate prætoris? Et putem, ſiquidem rem ſuam legauit, ceſſare orationem. Sin uerò de re pupilli: dicendum erit, locum eſſe orationi, nec inconſulto prætore poſſe alienari.

XXV. Exceptio: *Niſi ex cauſa iudicati prædium reſtituatur. Hæc exceptio approbatur l. ſed ſi. 2. §. item quæri poteſt, in fine. ff. de rebus minorum. cuius uerba uide ſ. except. prox. Concordat l. 1. C. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 8. replic. 1.*

XXVI. Exceptio: *Niſi cum tutor fundum pupillarem peteret, litis æſtimationẽ pro eo accepit. quæ exceptio approbatur d. §. item quæri, hiſce uerbis:* Quæri poteſt, ſi fundus à tutore pupillaris petitus ſit, nec reſtituatur: an litis æſtimatio oblata alienationem pariat? Et magis eſt, ut pariat. Hæc enim alienatio non ſponte tutorum fit. Idemq; erit dicendum, & ſi fundus petitus ſit, qui pupilli fuit, & contra pupillũ pronunciatum, tutoresq; reſtituerunt. Nam & hic ualebit alienatio, propter rei iudicatę authoritatem.

XXVII. Exceptio: *Niſi ex cauſa damni infecti, uel legatorum ſeruandorum, aut alia ſimili cauſa quis in poſſeſſionem rerum pupillarium miſſus ſit. Hæc exceptio approbatur l. ſed ſi. 3. §. 1. ff. de rebus minorũ. cuius uerba uide ſ. except. 5.*

XXVIII. Exceptio: *Niſi rem alij obligatam, alij obligauerit, ut eam à priore creditore luat. Hæc exceptio approbatur l. ſi pupillorum. 7. §. fin. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Si obligauerit rem tutor ſine decreto: quamuis obligatio non ualeat, eſt tamen exceptioni doli mali locus: ſed tunc demum, cum tutor acceptam mutuã pecuniam ei ſoluerit, qui ſub pignore erat creditor. Item uidendum eſt, an & obligare ei rẽ poſsit? Et dicendũ eſt, ſi eandem fortem acceperit, nec grauioribus uſuris, ualere obligationem, ut ius prioris creditoris ad ſequentem tranſeat. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi tutor ius alterius creditoris in ſe transferat. quæ replicatio reprobatur quidem l. nõ ſit. 12. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. cap. prox. reg. 5. approbatur uerò per ea quæ habentur ſ. d. reg. §.*

XXIX. Exceptio: *Niſi in emptione prædij conuenerit, ut res empta uenditori pignori ſit obligata, dõnec precium à pupillo ſoluatur. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. fin. cum lege ſequente. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Si minor uiginti quinquẽ annis emerit prædia, ut quoad precium ſoluerẽtur, eſſent pignori obligata uenditori: non puto pignus ualere. nam ubi dominiũ quæſitum eſt minori, cœpit non poſſe obligari. Paulus: Sed hic uideturillud mouere, quòd cum dominio pignus quæſitum eſt, & ab initio obligatio inhæſit. Quod ſi à fiſco emerit, nec dubitatio eſt, quin ius pignoris ſaluum ſit. Si igitur talis ſpecies in priuato uenditore inciderit, imperiali beneficio opus eſt, ut reſcripto pignus confirmetur.

XXX. Exceptio: *Niſi propter nuptias res minoris donata, uel in dotem data ſit. Hæc exceptio reprobatur l. prædia. 8. C. de prædijs minorum, his uerbis:* Prædia ruſtica, quæ contra ſenatuſconſultum data eſſe ante nuptias ſponſaliorum nomine precum tuarum confeſsio oſtendit: cum proprietas ad te propter iuris interdictum tranſire nõ potuerit, in dominio mariti permanſiſſe palàm eſt. *Admittitur exceptio hæc ſub cõditione generali, ſcilicet, Si decretum prætoris interuenerit. quæ diſtinctio approbatur l. ſi quando. 3. §. fin. ibi: excepta. C. ſi mator factus uenditionem. cuius uerba uide ſ. except. 38.*

XXXI. Exceptio: *Niſi ob æs alienum alienatio prædij pupillaris ſit facta. Hæc exceptio approbatur l. ob æs. 12. C. de prædijs minorum. cuius uerba uide ſ. except. 3. replic. 3. Concordat l. ſi minores. 18. C. eod. tt. cuius uerba uide d. except. 9. repl. 1. Concordat l. magis puto. 5. §. ſi æs alienum. ff. de rebus minorum. cuius uerba uide d. repl. 3. Concordat l. ult. in prin. C. ſi aduerſus fiſcum. cuius uerba uide ſ. lib. 49. cap. 4. quæſt. 4. except. 12. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi ſine decreti interpoſitione ob æs alienum uenditio ſit facta. Hæc replicatio approbatur d. l. 5. §. nõ paßim. ff. de rebus minorum. cuius uerba uide ſ. d. except. 3. repl. 2. Concordat l. 1. in prin. ibi: quod ſi fortè. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. ead. reg. in prin.*

XXXII. Exceptio: *Niſi tutor ſeruum pupillarem uel pupillus manumiſit. Hæc exceptio reprobatur l. ult. in prin. ff. de curatoribus furioſo. cuius uerba uide ſ. cap. 3. officio 5. reg. 10. except. 2.*

XXXIII. Exceptio: *Niſi legatum repudiauit. Et hæc exceptio reprobatur l. magis puto. 5. §. fundum. ff. de rebus minorum, his uerbis:* Fundum legatum repudiare pupillus ſine prætoris authoritate non poteſt. Eſſe enim & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat.

XXXIIII. Exceptio: *Niſi pupillus eiúsue tutor actionem pupillo competentem remiſerit. Et hæc exceptio reprobatur exemplo l. ſi ad. 7. C. de prædijs minorum,*

norum, his uerbis: Si ad resoluendam donationem, quam in emancipatum te pater contulerat, minor annis cautionem ei remisisti: cum huiusmodi scriptura contra senatusconsulti authoritatē data sit, non oberit iuri tuo.

XXXV. Exceptio: *Nisi seruitutem prædio pupillari imposuit uel remisit. Et hæc exceptio reprobatur l.sed si.3.§.penult.ff.de rebus minorum. cuius uerba uide s̃.except.11.*

XXXVI. Exceptio: *Nisi usumfructum pupillarem non utendo amiserit. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.si ius. ibi: an ergo nec hic. cuius uerba uide d. except.11.*

XXXVII. Exceptio: *Nisi minor maior factus, alienationem rei suæ ratam habuerit. Hæc exceptio approbatur l.2. C.si maior factus uendit. his uerbis:* Si sine decreto præsidis prædia tua à tutore tuo alienata sunt, nec speciali confirmatione: uel (si bona fide possessor fuisset) statuti temporis excursu id quod perperam est factum, fuerat stabilitum: præses prouinciæ possessionem in ius tuum retrahet. *Ait Imperat.* Nec speciali cōfirmatione, quod perperam est factum, fuerat stabilitum. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, cuius replicatio hæc est: Nisi errore lapsus, alienationem ratam habuerit. quæ replicatio approbatur l.1.C.d.tt.his uerbis:* Cum proponas, curatorem patris tui sine interposito præsidis decreto prædium rusticum hæredi creditoris seu curatoris eius destinasse uenundare, eámque uenditionem deceptum patrem tuum ratam habuisse: si minore precio distractum est prædium, & inconsulto errore lapsum patrem tuum, perperam uenditioni consensum dedisse constiterit: non ab re erit, superfluum precij in compensationem deduci. Quod præsidis prouisione fieri conuenit, cuius solertiæ congruum est, si diuersa pars bonam fidem non amplectatur, in arbitrio eius ponere, an uelit possessionem cum fructibus restituere, ita ut fœnebris pecunia cum competentibus usuris restituatur.

XXXVIII. Exceptio: *Nisi minor maior factus, per quinq; annos alienationem non impugnarit. Hæc exceptio approbatur l.si quando.3. C.si maior factus uendit. his uerbis:* Si quando sine decreto, minorum, uel adhuc sub curatoribus constitutorum, uel per ueniam ætatis eorum curam excedentium, res alienantur uel supponuntur, & ad perfectam ætatem ijdem minores prouecti, longo silentio querelam huiusmodi tradiderint: ut inutilis alienatio uel suppositio diuturno silentio roboretur, certum tempus ad talem confirmationem præfinitum esse censemus. Ideoque præcipimus, si per quinque continuos annos post impletam minorum ætatem, id est uigintiquinque annos connumerandos, nihil conquestus est super tali alienatione uel suppositione is qui eam fecit, uel hæres eius, minimè retractari eam occasione prætermissionis decreti: sed sic tenere, quasi ab initio legitimo decreto fuisset alienata res uel supposita. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi res minoris titulo lucratiuo sit alienata. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.3. his uerbis:* Cum autem donationes à minoribus nec cum decreto celebrari possint, si minor uel post ueniam ætatis rem immobilem donationis titulo in alium (excepta propter nuptias donatione) transcripserit: non aliter hoc firmitatem habebit, nisi post uigintiquinque annos impletos, inter præsentes quidem decennium, inter absentes autem uicennium donatore adquiescente effluxerit: ut tamen in hæredis persona illud tantummodò tempus accedat, quod post eiusdem hæredis minoris ætatem silentio transactum sit. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi propter nuptias res minoris sit donata. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Excepta propter nuptias donatione. *Altera duplicatio est: Nisi post completam minoris ætatem decem anni inter præsentes, uel uiginti inter absentes excesserint. quæ duplicatio approbatur itidem uerbis iam propositis hisce:* Nisi post uigintiquinque annos impletos, inter præsentes, &c. *Concordat l.quoniam.4.C.si quis ignorans rem minoris, hisce uerbis:* Quoniam aduersus emptorem, ad quem ex persona eius, cui contra senatusconsultum donata res est, iusto titulo interueniente, ea res de qua lis est, transitum fecit: requirere oportebit, an præsente priore domino, & maiore effecto, sine controuersia bona fide decennio, uel absente uiginti annis, qui quæstionem patitur, possessor fuisse monstretur. Quod si apud grauitatem tuam manifestè constiterit: sine ulla cunctatione, habita longi temporis præscriptione, petitorem oportebit excludi. *Altera replicatio est: Nisi non à minore nec eius tutore, sed ab alio res pupillaris sit uēdita. quæ replicatio approbatur l.1.C.si quis ignorans rem minoris, hisce uerbis:* Si ea quæ in iura tutoris hæreditario uel honorario titulo successit, possessionem tuam uendiderit: si ut pupillarem distraxit, emptor qui sciens à tutoris hærede mercatus est, cum officium morte finiatur, alienam rem comparando, de temporis interuallo nullam potuit adquirere defensionem. Si uerò ut suam distraxit, ignoransq; rem alienā emptor comparauit: neq; statim per traditionem possessionis dominus effectus est,

sed tantummodò aduersus te statuti temporis (cùm te legitimæ ætatis esse non diffitearis) potest uti præscriptione. *Tertia replicatio est: Nisi nō ut pupillaris, sed alterius res uendita sit. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi re bona fide empta, decem uel uiginti anni post completam legitimam ætatem excesserint. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si uerò ut suā distraxit, ignoransq; rem alienam emptor comparauit: neq; statim per traditionem, &c.

XXXIX. Exceptio: *Nisi res minoris alienata, usucapta sit. Hæc exceptio præcedente exceptione antiquior est, approbaturq; l.possess.3.C.si quis ignorans rem minoris, hisce uerbis:* Possessiones tuæ rusticæ uel suburbanæ, sine causæ cognitione & interpositione decreti contra senatusconsultum alienatæ, nec à secūdo emptore rectè tenentur, nisi statutum temporis spacium intercessit. *Concordat l.2.ibi: uel si bona. C.si maior factus. cuius uerba uide s̃. except.37. in princ. Ait Imperat.* Nisi statutum temporis spacium intercessit. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur. Est autem statutum temporis spacium, inter præsentes quidem decennium, inter absentes uerò uicennium. de quo j.lib.22.cap.1.in prin. est actum. Hodie autem iure nouo illud tempus in alienatione rerum minoris coarctatum est in quinquennium, ut ex superiore proxima exceptione constat. Sed & hodie casus qui ab ista exceptione excipiuntur, ad propositam exceptionem pertinent, ut ostensum s̃.d.except.proxim. repl.1.dupl.2. item repl.3. dupl.1. Huius autem exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi is qui rem minoris comparauit, malæ fidei sit possessor. quæ replicatio approbatur l.1.in prin. C.si quis ignorans. cuius uerba uide s̃.except.prox.repl.2. Concordat d.l.2.ibi: si bona fide possessor fuisset. Plura de replicatione proposita, sed & plures propositæ exceptionis replicationes uide d.lib.22.cap.2.cum sequentibus.*

XL. Exceptio: *Nisi minor pecunia uel re, quam ex alienatione suæ rei accepit, locupletior factus, eam non restituat. Hæc exceptio approbatur l.si fundus.13. §.quanquam. ff.de reb.minorum, his uerbis:* Quanquam neque distrahere, neque obligare tutor pupillare prædium possit: si tamen (ut Papinianus lib. V. Responsorum ait) errore lapsus uendiderit, & precium acceptum creditoribus paternis pueri soluerit: quandoque prædium domino cum fructibus uindicanti doli exceptio non inutiliter opponitur, precium ac medij temporis usuras, quæ creditoribus debentur, non offerenti: si ex cæteris facultatibus eius æs alienum solui non potuerit. Ego autem notaui, etsi solui potuit, si tamen illæ res saluæ erunt, ex quarum precio æri alieno satisfieri potuerat: dicendum esse, adhuc doli exceptionem obstare, si lucrum captet pupillus ex damno alieno. *Concordat l.si pupillorū.7.§.si obligauerit.ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.except.28. Concordat item l.consilio.7.§.1.ibi: quod si precio. ff.de curatoribus furioso. cuius uerba uide j.cap.prox. quæst.2.reg.1. except.17. Concordat item l.nō solum.4. in fine. C.de prædijs minorum. cuius uerba uide s̃.except.21. Item concordat l.utere.14.C.eod.tt.his uerbis:* Vtere uiri prudentissimi Papiniani responso, cæterorúmque, quorum precibus fecisti mentionem, sententijs: ac doli mali exceptionem oppone, precium ob eorum debitum solutum probans, si sortem cum usuris quæ fisco deberentur, pupilli non offerētes, fundos prouinciales citra decretum præsidis uenundatos cùm fructibus petant. *Concordat item l.si prædium.16.C.eod.tt.his uerbis:* Si prædium rusticum uel suburbanum (quod ab urbanis non loco, sed qualitate secernitur) in pupillari ætate constituta, tutore authore, uel adulta sine decreto præsidis prouinciæ, in qua situm est, uendidisti: secundum sententiam senatusconsulti dominium eius siue ius à te discedere non potuit: sed uindicationem eius, & fructuum, uel ijs non existentibus, condictionem competere constitit. Emptor autem, si probare potuerit, ex cæteris facultatibus obedire te muneribus siue oneribus non potuisse, ad utilitates præterea tuas cessisse pecuniam, quam precij nomine sumpseras: doli exceptionis auxilio precium cum usuris quas præstitura esses, & sumptus meliorati prædij seruare tantummodò potest. *Concordat item l.1.in fine.C.si maior factus uenditionem, &c. cuius uerba uide s̃.except.37. replic.1. Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi minor re uel pecunia accepta locupletior factus non sit. Hæc replicatio approbatur l.prædiorum.10. C.de prædijs minorum, his uerbis:* Prædiorum quæ sine decreto alienata sunt, dominium tibi persequenti præses opem feret: apud quem si illuxerit, non uniuersa precia, quæ curatori tuo data sunt, in patrimonium tuum processisse: pro ea duntaxat pecuniæ parte conuenire te permittet, quam in facultates tuas erogatam esse constiterit.

XLI. Exceptio: *Nisi meliorato prædio, minor sumptus meliorationis non restituat. Hæc exceptio approbatur l.si prædium.16.in fine. C.de prædijs minorum: cuius uerba uide s̃.except.prox.*

XLII. Exceptio: *Nisi tutelæ uel alia actione minor æstimationem prædij sit consecutus. Hæc exceptio approbatur l.illicitè.10. ff.de rebus minorum, his uerbis:* Illicitè post senatusconsultum pupilli uel adolescentis prædio uenundato, si eo nomine apud iudicem tutelæ uel utilis actionis æstimatio facta est, eaq; soluta: uindicatio prædij ex æquitate inhibebitur.

Mulier e.° integram [illegible] quantitatem ex bonis mariti consequuta non potest vindicare res male alienatas [illegible]

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus propositæ regulæ exceptiones sunt enumeratæ, quarum replicatio generalis prima hæc est: Nisi magnum ex alienatione damnum minor sentiat. tunc enim in integrum restitutionem petere minor potest. quæ replicatio approbatur l. si res. 49. ff. de minoribus uiginti quinq; annis, his uerbis: Si res pupillaris uel adolescentis distracta fuerit, quam lex distrahi non prohibet, uéditio quidem ualet: ueruntamen si grande damnum pupilli uel adolescentis uersatur (etiamsi collusio non interceſsit) distractio per in integrum restitutionem reuocatur. *Concordat l. 1. C. de prædijs minorum. cuius uerba uide §. except. 8. replic. 1. Concordat item l. 2. C. eod. tt. cuius uerba uide suprà d. except. 8. repl. 2. & 3. Item cõcordat l. siquidẽ. 11. C. eod. tt. cuius uerba uide suprà except. 3. repl. 3. Secunda replicatio generalis est: Nisi pupillus sine tutoris authoritate rem suam distraxerit. quæ replicatio approbatur per ea quæ proponentur ĩ. cap. prox. Sed & plures huiusmodi replicationes generales uide ĩ. d. cap. prox.*

II. QVAE EX INVTILI ALIENATIONE rerum minoris competat actio?

Actio tam in personam quàm in rem, seu rei uendicatio minori competit, quæ regula approbatur l. magis puto. 5. §. penult. ff. de rebus minorum, his uerbis: Videndum est, utrum in rem, an in personam dabimus minori actionem? Et magis est, ut & in rem detur, non tantùm in personam aduersus tutores siue curatores. *Concordat l. cũ emancipatis. 3. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 6. Cõcordat item l. possessiones. 3. C. si quis ignorans rem minoris. cuius uerba uide §. except. 19. Concordat item l. 2. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. proxim. Competit etiam in integrum restitutio. de qua re uide paulò superius repl. generali 1.*

III. QVID VENIAT IN hac actione?

Etiam fructus ueniunt. quæ regula approbatur d. l. 2. his uerbis: Si contra amplissimi ordinis decretum possessiones tuæ distractæ sunt, conueni earum possessorem, ut (si ita probaueris gestum) & possessio retrahatur, & fructus uniuersi reuocentur: si non bona fide emptorem fuisse qui emit, constiterit.

IIII. EVENTVS HVIVS actionis.

I. Regula, De restituendo ab actore quatenus locupletior est factus. De hac re dictum §. except. 40.

II. Regula, de actione cuictionis contra tutorem eiusq; res, proponitur l. etsi is. 9. C. de prædijs minorum. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst. 2.

reg. 1. except. 1.

DE AVTHORITATE EI quod gerit pupillus, à tutore accommodanda. Cap. VII.

INter officia tutoris numeratur & hoc, ut ei quod gerit pupillus, author fiat; quæ non facto, uel nõ recte facto, tutelæ actione tenetur, & nihil ualet quod actum est. de qua re hoc loco est dicendum: & primùm quidem de eo, si tutor pupillo author factus non fit: deinde de eo, si author sit factus.

I. SI TVTOR EI QVOD à pupillo gestum est, author factus non sit, quid iuris?

I. Regula: Si tutor pupillo author factus non sit, id quod à pupillo gestum est, nullius est momenti. quæ regula approbatur exemplo l. 2. C. de author. præstanda, his uerbis: Nec actiones sine tutoris authoritate in pupillari ætate constituta remittendo quidquam amittere potes. *Leges concordantes uide passim in contractibus, & alijs negocijs de pupillo. Huius regulæ exceptiones hæ sunt.*

I. Exceptio, sumpta ex genere contractus, quẽ celebrauit pupillus: & alio quod gerit pupillus, quo quid alienat, reprobatur l. obligari. 9. in prin. ff. de author. his uerbis: Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris authoritate non potest.

II. Exceptio: Nisi manumittat pupillus. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 9. §. ex hoc, his uerbis: Ex hoc quòd pupillus nullam rem sine tutoris authoritate alienare potest, apparet, nec manumittere eum sine tutoris authoritate posse. *Plura de hac re uide ĩ. lib. prox. cap. 5. except. 4.*

III. Exceptio: Nisi adquirat sibi pupillus, conditionemq; suam faciat meliorem. Hæc exceptio approbatur inst. de authoritate tutor. in prin. his uerbis: Authoritas tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria. ut ecce, si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris authoritas: quòd si alijs promittant pupilli, necessaria est tutoris authoritas. Namq; placuit, meliorem quidem conditionem licere eis facere etiã sine tutoris authoritate, deteriorem uerò non aliter quàm cum tutoris authoritate. Vnde in his causis, ex quibus obligationes mutuę nascuntur, ut in emptionibus, uenditionibus, locationibus, conductionibus, mãdatis, depositis, si tutoris authoritas non interueniat, ipsi quidem qui cum his contrahunt, obligantur: at inuicem pupilli nõ obligantur. *Concordat l. obligari. 9. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Adquirere autem sibi stipulando, & per traditionem accipiendo, pupillus etiam sine tuoris authoritate potest. *Concordat inst. quibus alienare licet. §. at ex contrario, his uerbis:* At ex contrario omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris authoritate rectè dari possunt. *Concordat item l. pupillus. 11. ff. de adquir. rer. dom. cuius uerba uide ĩ. lib. 21. cap. 4. causa 1. exc. 3.*

Concor-

Concordat item l. 1. C. de author. præstanda, his uerbis: Neq; tutoris, neq; curatoris absentia quidquam stipulationi pro pupillo habitæ noceat. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi credat pupillus. nam hoc casu ne ad certi quidem condictionem adquirendam ualet, quod agitur. quæ replicatio approbatur d. l. 9. in prin. ff. de author. tutor. his uerbis:* Sed credendo pupillus obligare sibi non potest: quia sine tutoris authoritate nihil alienare potest. *Concordat l. non omnis. 19. §. si pupillus. ff. si certum petatur. cuius uerba uide ĩ. lib. 39. cap. 2. quæst. 1. in fine. Secunda replicatio est: Nisi creditori suo soluat pupillus. nam nec hoc casu ad exceptionem adquirendam solutio ualet. quæ replicatio approbatur d. l. 9. §. pupillus, his uerbis:* Pupillus ex omnibus causis soluẽdo sine tutoris authoritate, nihil agit: quia nullum dominium transferre potest. Si tamen creditor bona fide pecuniam pupilli cõsumpserit, liberabitur. *Concordat l. quod si. 14. §. fin. ff. de solutionib. his uerbis:* Pupillum sine tutoris authoritate nec soluere posse, palàm est: sed si dederit nummos, non fient accipientis, uindicariq; poterunt. Planè si fuerint consumpti nummi, statim liberabitur. *Concordat item inst. quibus alienare licet. §. fin. cuius uerba uide ĩ. lib. 21. cap. 4. causa 1. except. 3. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi nummi à pupillo in solutum dati, à creditore bona fide sint consumpti. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si tamen creditor bona fide pecuniam pupilli consumpserit, liberabitur. *Item uerbis hisce:* Planè si fuerint consumpti nummi, statim liberabitur. *Concordat item l. non omnis. 19. §. si pupillus. ff. si certum petatur. cuius uerba uide ĩ. lib. 39. cap. 2. quæst. 1. in fine. Tertia replicatio est: Nisi pupillus hæreditatem adierit, uel ex fideicommisso susceperit. quæ replicatio approbatur inst. de author. tutor. §. neque tamen, his uerbis:* Neq; tamen hæreditatem adire, neq; bonorum possessionem petere, neq; hæreditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris authoritate (quamuis illis lucrosa sit) ne ullum damnum habeãt. *Concordat l. obligari. 9. §. pupillus. ff. eod. tt. his uerbis:* Pupillus hæreditatem adire sine tutoris authoritate non potest, quamuis lucrosa sit, ne ullum habeat damnum. Sed nec ex senatusconsulto Trebelliano hæreditate recipere sine tutoris authoritate potest. *Concordat item l. si adu. ff. eod. tt. his uerbis:* Si ad pupillum aut furiosum bonorum possessio pertineat, expediẽdarum rerũ gratia & in agnoscenda, & in repudianda bonorũ possessione uolũtate tutoris curatorisq; spectari debere placuit: quia si quid contrà modũ pupilli furiosiúe fecerint, tutelæ curationisúe iudicio tenebuntur. *Concordat itẽ l. cum furiosus. 7. §. fin uerò perpetuò. C. de curatore furioſi, his uerbis:* Si perpetuò furiosus sui iuris sit: tunc in paterna quidem hæreditate, quę quasi debita ad posteritatem suam deuoluitur, nulla est iuri ueterum dubitatio: cũ illico appareat, & suus hæres existat suis parentibus. Sin autem ex alia quacũq; causa hæreditas ad eũ uel successio perueniat: tũc magna & inextricabilis uetustissimo iuri dubitatio exorta est, siue adire hæreditate, uel bonorũ possessionẽ petere furiosus possit, siue non: & si curator eius ad bonorum possessionẽ petendã admitti debeat. Et iuris authores ex utroq; latere magnum habuere certamen. Nos itaq; utranq; authorũ aciem certo fœdere cõpescentes, sancimus, furiosum quidem nullo modo posse uel hæreditate adire, uel bonorum possessionem agnoscere. Curatori aũt eius licentiã damus, imò magis necessitatẽ imponimus, si utilẽ esse successionem existimauerit, eam bonorũ possessionem agnoscere, quæ antè ex decreto dabatur, & ad similitudinem bonorũ possessionis habere: cum petitio bonorũ possessionis Constantiniana lege sublata sit, & ab ea introducta obseruatio, quæ pro antiqua sufficit petitione. *Hæc de tertia exceptione.*

IIII. Exceptio: Nisi minor uiginti quinq; annis in criminali causa accuset, uel conueniatur. Hæc exceptio reprobatur l. clarum. 4. C. de authoritate præstan. his uerbis: Clarum posteritati facientes, sancimus, omnimodò debere & agentibus, & pulsatis in criminalibus causis minoribus uiginti quinq; annis adesse tutores uel curatores, in quibus calibus adultos & pupillos leges accusari concedunt: cum cautius & melius sit cum tuitione perfectissima & responsa facere minores, liteméque inferre, ne ex sua imperitia, uel inuenili calore aliquid uel dicant, uel taceant: quod si fuisset prolatum, uel non expressum, prodesse eis poterat, & à deteriore calculo eos eripere.

V. Exceptio: Nisi pupillus suæ ætatis factus ratum habuerit id quod actum est. Hæc exceptio approbatur l. pupillus. 5. §. item ipse. ibi: sanè si suæ, hisce uerbis: Si suæ ætatis factus pupillus comprobauerit emptionem, contractus ualet.

VI. Exceptio: Nisi locupletior factus sit pupillus ex eo quod gessit. quæ exceptio approbatur d. l. 5. §. naturaliter, his uerbis: Naturaliter tamen obligabitur pupillus, in quantum locupletior factus est. nam in pupillum non tantùm tutori, uerùm & cuiuis alij actionem, in quantum locupletior factus est, dandam, diuus Pius rescripsit. *Concordat d. l. 5. §. pupillus, hisce uerbis:* Pupillus uendẽdo sine tutoris authoritate nõ obligatur, sed nec emẽdo, nisi in quantum locupletior factus est.

VII. Exceptio: Nisi res à pupillo comparata, usucapta sit uel præscripta. Hæc exceptio reprobatur l. eum qui. 3. C. de author. præstanda, his uerbis: Eum

qui à pupillo sine tutoris authoritate distra
hente comparauit, longi temporis spacium
non defendit. Hæc de prima regula.

¶ I I. Regula: *Si tutor pupillo author factus non fit, tutelæ actione tenetur. quæ regula approbatur l. si tutor. 17. in fine. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. reg. prox.* Concordat *l. si ad. 11. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 3. repl. 3. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi ob ualetudinem, absentiam, uel aliam similem causam tutor author fieri non potuit. quæ exceptio approbatur l. tutor. 10. ff. d. tt. his uerbis:* Tutor qui per ualetudinem, uel absentiam, uel aliam iustam causam author fieri nō potuit, non tenetur.

I I I. Regula: *Tutor ut author fiat, cogi non potest. quæ regula approbatur d. l. 17. ff. de author. tut. his uerbis:* Si tutor pupillo nolit author fieri, non debet eum prætor cogere: primùm, quia iniquum est, si non expedit pupillo, authoritatem eum præstare: deinde, etsi expedit, tutelæ iudicio pupillus hanc iactaram consequitur.

II. SI TVTOR EI QVOD gesserit pupillus, author factus fit, quid iuris?

1. Regula: *Gestum à pupillo ratum est. quæ regula ipso quidem iure approbatur: declaratur etiam l. etiam. 5. in fine. ff. de author. præstanda. cuius uerba uide §. except. 24. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pupillus tutore authore rem suam sine decreto prætoris alienauerit. quæ exceptio approbatur l. etsi. 9. C. de prædijs minorum, his uerbis:* Etsi is quem prædiū rusticum minoris distraxisse adfirmas, curatoris officio functus id fecit: uenditio tamen contra diui Seueri orationē facta, præsidis sententia non immeritò rescissa est. Pignora sanè quæ ob euictionis periculum idem curator ex rebus proprijs tibi obligauit, non prohiberis persequi. *Plura de exceptione proposita, eiusq; replicationibus uide §. capite prox. Secunda exceptio est: Nisi tutore autore pupillus manumiserit, apud consilium causa non probata. quæ exceptio approbatur l. obligari. 9. §. 1. ff. de author. tutorum, his uerbis:* Licet tutoris authoritate manumittat pupillus, debet ex lege Ælia Sentia apud consilium causam probare. *Tertia exceptio est: Nisi tutore authore donet pupillus. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. 2. §. 1. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 5. reg. 10. Concordat l. ab adgnato. 12. ff. de curatorib. furioso, his uerbis:* Ab adgnato, uel alio curatore furiosi, rem furiosi dedicari non posse, cōstat. Adgnato enim furiosi non usquequaque competit rerum eius alienatio, sed quatenus negociorū exigit administratio. *Plura de hac exceptione uide §. d. reg. 10. Quarta exceptio est: Nisi pupillus tutore authore debitorem suum alij delegauerit. Hæc exceptio reprobatur l. potest. 18. in princ. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. except. prox. Quinta exceptio est: Nisi inter tutorem & pupillum gestum sit. Hæc exceptio approbatur l. pupillus. 5. in prin. ff. de author. tutor. his uerbis:* Pupillus obligari tutori eo authore non potest. *Concordat d. l. 5. §. item ipse, his uerbis:* Ipse tutor & emptoris & uenditoris officio fungi non potest. Sedenim si contutorem habeat, cuius authoritas sufficit: proculdubio emere potest. Sed si mala fide emptio intercesserit, nullius erit momenti: ideoq; nec usucapere poterit. *Concordat item l. potest. 18. ff. eod. tt. his uerbis:* Potest pupillus tutore authore debitorem suum Titio delegare. Sed cum tutor debet pupillo: dicendum est, neque delegari eum, neq; procuratorem aduersus tutorē dari ipso tutore authore posse: quia futurum sit, ut authoritate sua liberetur. *Item concordat l. si in emptione. 34. §. fin. ff. de contrab. empt. his uerbis:* Tutor rem pupilli emere non potest. Idemq; porrigendum est ad similia: id est, ad curatores, procuratores, & qui negocia aliena gerunt. *Concordat item Inst. de author. tutor. §. fin. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 32. repl. 8. Planè propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum plures essent tutores, pupillus altero tutore autore cum altero contraxerit. quæ replicatio approbatur l. pupillus. 5. in prin. ff. de author. tutor. his uerbis:* Planè si plures sint tutores, quorum unius authoritas sufficiat: dicendum est, alio authore pupillum ei posse obligari, siue mutuam pecuniam ei det, siue stipuletur ab eo. *Concordat d. l. 5. §. item ipse. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi cum pater & filius eiusdem tutores essent, alter eius quod cum altero eorum gestum est, author sit factus. quæ duplicatio approbatur l. quod dicitur. 7. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Si & pater & filius qui in potestate eius fuit, tutores fuerunt, & pater est stipulatus filio authore: nullius momenti erit stipulatio, idcirco quia in rem patris author esse filius non potest. *Secunda duplicatio est: Nisi unius authoritas ad id quod agitur, non sufficiat. quæ duplicatio elicitur ex uerbis l. 5. in prin. ff. de author. tutor. paulo superius propositis hisce:* Quorum unius authoritas sufficiat. *De qua re uide plura §. except. 11. Tertia duplicatio est: Nisi mala fide alter alteri author sit factus. l. pupillus. 5. §. item ipse. uers. sed si mala. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Secunda replicatio est: Nisi non principaliter, sed per consequentias tutoris negocium geratur. quæ replicatio approbatur d. l. 7. in prin. his uerbis:* Quod dicimus, in rem suam authoritatem accommodare tutorem non posse, toties uerum est, quoties per semetipsum uel subiectas sibi personas adquiritur ei stipulatio: cæterùm negocium ei per consequētias geri (ut dictum est) nihil prohibet. *Huius exemplum proponitur l. 1. in princ. ff. eod. tt. his uerbis:* Quanquam

quam regula est iuris ciuilis, in rem suā authorem tutorem fieri non posse: tamen potest tutor proprij sui debitoris hereditatem adeunti pupillo authoritatem accommodare, quamuis per hoc debitor eius efficiatur. prima enim ratio authoritatis ea est, ut hæres fiat: per consequentias contingit, ut debitum subeat. Se tamen authore ab eo stipulari non potest. *Huius replicationis duplicationes uide §. in exceptionibus sequentibus. Tertia replicatio est: Nisi inter tutorem, cui administratio decreta non est, & pupillum gestum sit. Hæc replicatio approbatur l. tutores. 6. ff. de author. tutor. his uerbis:* Tutores quibus administratio decreta non est, tanquam extraneos rectè à pupillo emere, placet. *Quarta replicatio est: Nisi pupillus ex eo contractu locupletior sit factus. quæ replicatio approbatur l. pupillus. 5. §. 1. ff. de author. tutor. his uerbis:* Cum solus tutor mutuam pecuniam pupillo dederit, uel ab eo stipuletur: non erit obligatus tutori. Naturaliter tamen obligabitur, in quantū locupletior factus est. nam in pupillum non tantùm tutori, uerùm & cuiuis alij actionem, in quātum locupletior factus est, dandam, diuus Pius rescripsit. *Concordat ea quæ habentur §. quæst. prox. reg. 1. excep. 6. Quinta replicatio est: Nisi palàm & bona fide tutor cum pupillo contrahat. Hæc replicatio approbatur l. eum ipse. 5. C. de contraben. empt. his uerbis:* Cum ipse tutor nihil ex bonis pupilli, quæ distrahi possunt, cōparare palàm & bona fide prohibetur: multò magis uxor eius hoc facere potest. *Concordat l. non existimo. 53. in fine. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Multum refert, palàm aperteq; debitorem se, ut extraneū & quemlibet, faceret pupillo: an sub administratione tutelæ, pupilliq; utilitate, latenter sua cō moda pecunia pupilli iuuaret. *Concordat l. pupillus. 5. §. sed si per. ibi: sanè siquidem. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. except. prox. replic. 1. Sexta replicatio est: Nisi inter creditorem pupilli & tutorem geratur. Hæc replicatio approbatur d. l. 5. §. penult. ff. de author. tutor. his uerbis:* Si creditor pupilli distrahat, emere bona fide tutor poterit. *Concordat aliud exemplum l. non sit. 12. ff. de rebus minorum. cuius uerba uide §. cap. 5. reg. 5. Sed hoc posterius exemplum mutatur d. reg. 5. Septima replicatio est: Nisi rebus pupilli quæ uendi possunt, per tutorem uenditis, & emptore precium non soluente, tutor precium rationibus pupilli intulerit, sibiq; rem uenditam retinuerit. Hæc replicatio species est supradictæ quintæ replicationis, & approbatur l. tutor. 55. ff. de administrat. tutor. his uerbis:* Tutor rerum & animaliū pupilli uenditionē fecit: sed quædam animalia, emptorib. precium non soluentibus, retinuit, & apud se habuit. preciū idem rationib. pupilli accepto tulit. ex his aliquot nata sunt. Defuncto tutore, hæres eandem tutelam administrauit, & animalia annis plurib. possedit. Quæsitum est, an cum is cuius tutela administrata est, annis quatuordecim esset, iure animalia uindicaret? Scæuola respondit, secundū ea quæ proponerentur, pupillum ea uindicare non posse. *Octaua replicatio est: Nisi tutor id quod sibi à pupillo debetur, sibi soluat. Hæc replicatio approbatur per ea quæ habentur §. capite 5. reg. 3. Hæc de quinta exceptione. Sexta exceptio est: Nisi per interpositam personam tutori adquiratur ex eo quod à pupillo geritur. Hæc exceptio approbatur l. pupillus. 5. §. sed si per. ff. de auth. tutor. his uerbis:* Si per interpositam personam rem pupilli emerit tutor: in ea causa est, ut emptio nullius momenti sit: quia non bona fide uidetur gessisse rem: & ita est rescriptum à diuo Seuero & Antonino. *Concordat l. quod dicimus. 7. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. prox. replic. 2. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi tutor palàm sibi emat, alia persona uerecundè instrumento inserta. quæ replicatio approbatur d. §. sed si per, his uerbis:* Sanè siquidem emit ipse palàm, dedit autem nomen non mala fide, sed simpliciter (ut solēt honestiores non pati nomina sua instrumentis inscribi) ualet emptio. Quod si callidè, idem erit atque si per interpositam personam emisset. *Septima exceptio est: Nisi inter pupillum & tutoris filium uel seruum geratur. Hæc exceptio approbatur d. l. 7. in prin. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. except. 5. repl. 2. Concordat l. pupillus. 5. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si uerò filius tutoris, uel quæ alia persona iuri eius subiecta, emerit: idem erit, ac si ipse emisset. *Concordat item l. 1. §. & cum quidam. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum quidam authoritatem accommodaret pupillę suæ, ut seruo suo stipulanti sponderet: diuus Antoninus Pius rescripsit, iure pupillam non teneri: sed in quantum locupletior facta esset, dandam actionem. Sed si author fiat, ut filio suo quid tradatur: nulla erit authoritas. euidenter enim sua authoritate rem adquirit. *Ait iurisconsultus:* Sed in quantum locupletior facta esset, dandam actionem. *In hisce uerbis continetur replicatio prima propositæ exceptionis, de qua dictum §. except. 5. repl. 4. Altera replicatio est: Nisi seruus, cum quo pupillus gessit, tutori cum alio communis sit. quæ replicatio approbatur l. si quid. 12. ff. eod. tt. his uerbis:* Si seruus communis tuus & Titij à pupilla tua te authore aliquam rem per traditionem acceperit, tota ad Titium pertinebit. Marcellus notat: Nam quodcunq; ad omnes dominos non potest pertinere, id pro solido ad eum, cui adquiri potest, pertinere, ueteres comprobauerunt. *Octaua exceptio est: Nisi inter pupillū & tutoris patrem gestum sit. Hæc exceptio approbatur l. quod dicimus. 7. §. fin. ff. de author. tutor. cuius uerba uide §. except. 5. repl. 1. dupl. 1. Nona exceptio est: Nisi id agatur à pupillo, quo tutorem liberaturus est. Hæc exceptio approbatur l. si quid,*

Hæc exceptio approbatur Instit.de author.tutor. §.tutor.his uerbis: Tutor autem statim in ipso negocio præsens debet author fieri, si hoc pupillo prodesse existimauerit: post tempus uerò uel per epistolam interposita authoritas nihil agit. *Concordat ijsdem uerbis l.obligari.9. §.tutor. ff.eod.tt. Vicesimasexta exceptio est*: *Nisi non statim,sed ex interuallo author fiat tutor. Hæc exceptio approbatur Instit.d.§.tutor. item d.l.9.§.tutor. Vicesimaseptima exceptio est*:*Nisi tutor perperam uel per uim coactus,author fiat.Hæc exceptio approbatur l.1.§.fin.cum lege sequente.ff.de author.tutor. his uerbis*:Tutor si inuitus retentus sit per uim,non nalet quod agitur:sicuti neq; præsentia corporis sufficit ad authoritatem: ut si somno aut morbo comitiali occupatus tacuisset. Nulla enim differentia est, non interueniat authoritas tutoris, an perperá adhibeatur. *Concordat l.si tutor.17. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. quæst.prox.reg.2. Vicesimaoctaua exceptio est*:*Nisi tutor præsens quidem fuerit,sed tacuerit.quæ exceptio uerbis iam propositis approbatur. Vicesimanona exceptio est*:*Nisi tutor præsens ignorauerit quid sit actũ. Hæc exceptio approbatur l.non multum.14. ff.de author.tutor.his uerbis*: Non multum interest, nõ adfuerit tutor, cum negociũ cõtraheretur: an præsens ignorauerit, quale esset quod contraheretur. *Tricesima exceptio est*: *Nisi tutor sub conditione author sit factus. Hæc exceptio approbatur l.etsi.8.ff.d.tt.his uerbis*: Etsi conditionalis contractus cum pupillo fiat, tutor debet purè author fieri. nam authoritas non conditionaliter, sed purè interponenda est, ut conditionalis contractus confirmetur. *Tricesimaprima exceptio est*:*Nisi mala fide gestũ sit. Hæc exceptio approbatur l.pupillus.9. §.item ipse.ff.de author.tutor. cuius uerba uide ẽ.except.5.in prin. Concordant itẽ ea quæ habentur ẽ.lib.prox.cap.1.quæst.8. reg.2.except.1. Tricesimasecunda exceptio est*: *Nisi tutor instrumento contractus non subscripserit, nec illud signauerit. Hæc exceptio reprobatur l.inter.20.ff. de author.tutor.his uerbis*: Inter pupillos paternæ hæreditatis diuisio facta est, præsente tutore,sed non adsignante instrumento diuisionis.quæsitum est,an ei stari oporteat:Scæuola respondit, Si tutor author fuisset, non idcirco minus stãdum esse diuisioni, quòd non adsignasset. *Tricesimatertia exceptio est*: *Nisi is qui cum pupillo contrahit,tutoris authoritatem non exaudiat. Hæc exceptio reprobatur l.obligari.9. §.fin.ff.de author.tutor.his uerbis*: Etiãsi non exaudiat tutoris authoritatem is qui cum pupillo cõtrahit, scriptis tamen hoc adprobetur: rectè negocium geritur.ueluti si absenti pupillo per epistolam uendam aliquid, aut locem, & is tutoris authoritate consentiat. *Tricesimaquarta exceptio uidetur esse*: *Nisi duobus actibus una authoritas interponatur. Hæc exceptio reprobatur l.accipientis.25.ff.d.tt.his uerbis*:Accipientis & edentis iudicium, idem tutor author utrinq; fit.Sed utrum ita est,si bis author factus est: an & una authoritas sufficiat eo animo,ut ad utrunq; pertineat:Dubitat quidem Pomponius: sed fortiter defenditur, sufficere unam authoritatem.

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus propositæ regulæ exceptiones sunt enumeratæ, quarum replicatio generalis prima hæc est: *Nisi pupillus illud, in quo locupletior factus est,non restituat.quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.except.5.replic.4.item except.17.replic.1. Aliarum replicationũ loco hic possunt repeti exceptiones,quæ propositæ sunt ẽ.quæst.prox.reg.1. Hæc ergo de prima propositæ quæstionis regula,cuiusq; exceptionibus sint dicta.*

¶ II. Regula: *Si tutor perperam authoritatẽ suam interposuerit,tutelæ iudicio tenetur. Quæ regula approbatur exẽplo l.1 §.1.ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide ẽ.cap.3. officio 5.reg.10. Concordat l.si ad.11. ff.de author.tutor. cuius uerba uide ẽ.quæst. proxim. reg.1.except.3.repl.3. Concordat item l.chirographis. 56.§.fin.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide ẽ.cap. 9.quæst.1.causa 5.*

III. Regula: *Si cum quis tutor non esset,tutorem se esse responderit, eoq; responso in aliquam captionem minorem induxerit: in factum actione tenetur. Quæ regula approbatur l.ult. ff.quod falso tutore authore, his uerbis*: Ex eo quòd interrogatus tutorem se esse respondisset,nulla eum actione teneri,Vlpianus ait.Si tamen,cum tutor non esset,respõso suo in aliquam captionem adolescentem induxisset: utilem actionem aduersus eum dandam. *Hæ sunt actiones & exceptiones,quæ pupillo ex eo quod tutore authore perperam gestum est,competunt. Sequuntur nunc actiones, quæ ei qui cum pupillo contraxit,contra authoritatem interpositam competunt.*

IIII. Regula: *Si qui cum pupillo falso tutore authore contraxit, uel aliquid aliud gessit, in integrum restitutio competit.quæ regula approbatur edicto prætoris, quod mutilatum proponitur l.1. §.1. & §.fin. ff. quod falso tutore authore, his uerbis*: Verba edicti hæc sunt, Quod eo authore, qui tutor non fuit: si id actor ignorauit,dabo in integrum restitutionem. *Ratio huius edicti proponitur d.l.1. in prin.his uerbis*: Huius edicti æquitas nõ est ambigua,ne contrahẽtes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. *Exemplum huius proponitur l.si cum.10. ff.eod.tt. his uerbis* : Si cum falso tutore authore actum sit, & interea dies actionis exierit, aut res usucapta sit: omnia incommoda perinde sustinere debet, ac si illo tempore uero tutore authore egisset. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi actor sciuit falsum tutorem esse. quæ exceptio constat ex uerbis edicti iam propositis hisce*: Si id actor ignorauit. *Concordat d.l.1.§.fin,his uerbis* : Scienti non subuenit,

uenit,meritò:quoniam ipse se decepit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi actor, cum ei indicaretur, bona fide non crediderit. quæ replicatio approbatur l.2. ff.quod falso tutore authore, his uerbis*: Si id (inquit) actor ignorauit. Labeo: Etsi dictum sit ei, & ex bona fide non crediderit. *Secunda replicatio est*: *Nisi is qui scisset,minor sit uigintiquinque annis. quæ replicatio approbatur l.planè.3. ff.eod.tt. his uerbis*: Planè si is sit, qui auxilio non indiget, scientia ei non nocet: utputà,si pupillus cum pupillo egit. nam cum nihil actum sit, scientia ei non nocet. *Concordat l.minori.5. ff.eod.tt. his uerbis* : Minori uigintiquinque annis succurritur, etiamsi scierit. *Huius replicationis duplicatio hæc est*: *Nisi tutor uel curator quoq; minoris sciuerit. quæ duplicatio reprobatur l.pupilli.6. ff.eod.tt. his uerbis*: Pupilli scientia computanda non est, tutoris eius computanda est:utiq; si pupillo cautum sit. Melius tamen dicetur, rem suam restitui pupillo debere,quàm incertum cautionis euentum expectari: quod & Iulianus (si aliàs circumuentus sit pupillus) respondit. *Tertia replicatio est*: *Nisi sciens compulsus sit ad gerendum cum pupillo. quæ replicatio approbatur l.interdum.4.ff.d.tt.his uerbis*: Interdum tamen, etsi scientia nocet, tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est ad iudicium accipiendum. *Hæc de prima exceptione. Secunda exceptio est*: *Nisi uerus tutor fuit, quo authore gestum est. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit*: *uerum eius replicatio hæc est*: *Nisi tutor author fieri non potuit. Quæ replicatio approbatur l.1. §.uerbis. ff. quod falso tutore authore, his uerbis*: Verbis edicti multa desunt. Quid enim, si fuerit tutor:is tamen fuit,qui authoritatem accommodare non potuit: puta furiosus, uel ad aliam regionem datus? *Tertia exceptio est*:*Nisi uerus tutor simul cum falso tutore author factus sit. quæ exceptio approbatur ibidem,hisce uerbis*:Sed Pomponius libro XXX.scripsit,Interdum, quamuis à non tutore gestum est, non pertinere ad hanc partem edicti. quid enim, si duo tutores, alter falsus, alter uerus,authoritatem accommodauerint: nónne ualebit quod gestum est? *Quarta exceptio uidetur esse*: *Nisi plures falsi tutores quàm unus interuenerint. quæ exceptio reprobatur d.l.1. §.item hoc, his uerbis*: Item hoc edictum, licet singulariter scriptum sit:si tamen plures interuenerint, qui tutores non erant: locum habere debere, Pomponius libro XXX. scribit. *Quinta exceptio uidetur esse*: *Nisi non tutor pro tutore negocia gesserit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.1. §.idem Pomponius, hisce uerbis*: Idem Pomponius scribit, etiamsi pro tutore negocia gerens authoritatem accommodauerit, nihilominus hoc edictum locum habere: nisi fortè prætor decreuit, ratum se habiturum id quod his authoribus gestum est. tunc enim ualebit per prætoris tuitionem, non ipso iure. *Sexta exceptio est*: *Nisi prætor id quod à non tutore gestum est, approbauerit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi fortè prætor, &c. *Hæc de in integrum restitutione.*

De in factum actione aduersus falsum tutorem.

V. Regula: *Sed & ei qui falso tutore authore cum pupillo quid gessit, in ipsum falsum tutorem datur actio. quæ actio approbatur l.nouissimè.7. in princ. ff. quod falso tutore authore, his uerbis* : Nouissimè Prætor ait:In eum qui,cum tutor non esset, dolo malo author factus esse dicetur, iudicium dabo, ut quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur. *Concordat l.falsus.11. in princ. ff.eod.tt.his uerbis*: Falsus tutor, qui in contrahendo author minori duodecim uel quatuordecim annis fuerit,tenebitur in factum actione propter dolum malum, cuius cunq; conditionis fuerit,uel sui iuris, uel alieni. Qui enim dolo malo authoritatẽ accommodauerit, tenebitur hoc edicto. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi sine dolo malo falsus tutor author sit factus. Quæ exceptio approbatur d.l.7.in prin.uers.dolo malo. Concordat d.l.7.§.1. his uerbis*: Non semper tutor conuenitur:nec sufficit, si sciens author fuit: uerùm ita demum,si dolo malo author fuit. Quid enim, si compulsus, aut metuens ne compelleretur, authoritatem accommodauerit? nónne debebit esse excusatus? *Concordat d.l.11.in prin. Huius exceptionis exemplum est ẽ.except.prox. Secunda exceptio est*: *Nisi pater filiũ suum minorem duodecim annis nuptum collocauerit. quæ exceptio approbatur d.l.11. §.Iulianus, his uerbis*: Iulianus tractat libro XXI.Digestor.an etiam in patrem debeat dari hæc actio, qui filiam minorem duodecim annis nuptum dedit? Et magis probat, patri ignoscendum esse,si filiam suam maturius in familiam spõsi perducere uoluerit. Affectu enim propensiore magis quàm dolo id uideri fecisse. Quod si intra duodecimum annum hæc decesserit, cum haberet dotem :putat Iulianus, si dolo malo conuersatus sit is, ad quem dos pertinet, posse maritum doli mali exceptione condicẽtem submouere in casibus, in quibus dotem uel in totum, uel in partem, si constaret matrimonium, fuerat lucraturus. *Tertia exceptio est*: *Nisi filiæfamiliãs uel ancillæ tanquam pupillæ suæ author sit factus. Hæc exceptio reprobatur d.l.11. §.sed & si quis, hisce uerbis*: Sed & si quis filiæfamiliãs author factus sit ad contrahendum, tenetur. Idemque iuris est, si ancillæ quis tutore authore crediderit. Nam omnibus istis modis propter tutorem decipitur is qui contraxit:

Hæc exceptio approbatur Instit.de author.tutor. §.tutor.his uerbis: Tutor autem statim in ipso negocio præsens debet author fieri, si hoc pupillo prodesse existimauerit: post tempus uerò uel per epistolam interposita authoritas nihil agit. *Concordat ijsdem uerbis l.obligari.9. §.tutor. ff.eod.tt. Vicesimasexta exceptio est: Nisi non statim,sed ex interuallo author fiat tutor. Hæc exceptio approbatur Instit.d.§.tutor. item d.l.9.§.tutor. Vicesimaseptima exceptio est:Nisi tutor perperam uel per uim coactus,author fiat.Hæc exceptio approbatur l.1.§.fin.cum lege sequente.ff.de author.tutor. his uerbis:* Tutor si inuitus retentus sit per uim,non ualet quod agitur:sicuti neq; præsentia corporis sufficit ad authoritatem: ut si somno aut morbo comitiali occupatus tacuisset. Nulla enim differentia est, non interueniat authoritas tutoris, an perperā adhibeatur. *Concordat l.si tutor.17. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.prox.reg.2. Vicesimaoctaua exceptio est:Nisi tutor præsens quidem fuerit,sed tacuerit,quæ exceptio uerbis iam propositis approbatur. Vicesimanona exceptio est:Nisi tutor præsens ignorauerit quid sit actū. Hæc exceptio approbatur l.non multum.14. ff.de author.tutor.his uerbis:* Non multum interest, nō adfuerit tutor, cum negociū cōtraheretur: an præsens ignorauerit, quale esset quod contraheretur. *Tricesima exceptio est: Nisi tutor sub conditione author sit factus. Hæc exceptio approbatur l.etsi.8.ff.d.tt.his uerbis:* Etsi conditionalis contractus cum pupillo fiat, tutor debet purè author fieri. nam authoritas non conditionaliter, sed purè interponenda est, ut conditionalis contractus confirmetur. *Tricesimaprima exceptio est:Nisi mala fide gestū sit. Hæc exceptio approbatur l.pupillus.5. §.item ipse.ff.de author.tutor. cuius uerba uide §.except.5.in prin. Concordant itē ea quæ habentur §.lib.prox.cap.1.quæst.8. reg.2.except.1. Tricesimasecunda exceptio est: Nisi tutor instrumento contractus non subscripserit, nec illud signauerit. Hæc exceptio reprobatur l.inter.20.ff. de author.tutor.his uerbis:* Inter pupillos paternæ hæreditatis diuisio facta est, præsente tutore,sed non adsignante instrumento diuisionis.quæsitum est,an ei stari oporteat:Scæuola respondit, Si tutor author fuisset, non idcirco minus stādum esse diuisioni, quòd non adsignasset. *Tricesimatertia exceptio est: Nisi is qui cum pupillo contrahit,tutoris authoritatem non exaudiat. Hæc exceptio reprobatur l.obligari.9. §.fin.ff.de author.tutor.his uerbis:* Etiāsi non exaudiat tutoris authoritatem is qui cum pupillo cōtrahit, scriptis tamen hoc adprobetur: rectè negocium geritur.ueluti si absenti pupillo per epistolam uendam aliquid, aut locem, & is tutoris authoritate consentiat. *Tricesimaquarta exceptio uidetur esse: Nisi duobus adhibus una authoritas interponatur. Hæc exceptio reprobatur l.accipientis.15.ff.d.tt.his uerbis:* Accipientis & edentis iudicium, idem tutor author utrinq; fit.Sed utrum ita est,si bis author factus est: an & una authoritas sufficiat eo animo,ut ad utrunq; pertineat? Dubitat quidem Pomponius: sed fortiter defenditur, sufficere unam authoritatem.

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus propositæ regulæ exceptiones sunt enumeratæ, quarum replicatio generalis prima hæc est: Nisi pupillus illud, in quo locupletior factus est,non restituat.quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §.except.5.replic.4.item except.17.replic.1. Aliarum replicationū loco hic possunt repeti exceptiones,quæ propositæ sunt §.quæst.prox.reg.1. Hæc ergo de prima propositæ quæstionis regula,eiusq; exceptionibus sint dicta.

¶ II. *Regula: Si tutor perperam authoritatē suam interposuerit,tutelæ iudicio tenetur. Quæ regula approbatur exēplo l.1 §.1.ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide §.cap.3. officio 5.reg.10. Concordat l.si ad.11. ff.de author.tutor. cuius uerba uide §.quæst. proxim. reg.1.except.3.repl.3. Concordat item l.chirographis. 56.§.fin.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide §.cap. 9.quæst.1.causa 5.*

III. *Regula: Si cum quis tutor non esset,tutorem se esse responderit, eoq; responso in aliquam captionem minorem induxerit: in factum actione tenetur. Quæ regula approbatur l.ult. ff.quod falso tutore authore, his uerbis:* Ex eo quòd interrogatus tutorem se esse respondisset,nulla eum actione teneri, Vlpianus ait.Si tamen, cum tutor non esset,respōso suo in aliquam captionem adolescentem induxisset: utilem actionem aduersus eum dandam. *Hæ sunt actiones & exceptiones,quæ pupillo ex eo quod tutore authore perperam gestum est,competunt. Sequuntur nunc actiones, quæ ei qui cum pupillo contraxit,contra authoritatem interpositam competunt.*

IIII. *Regula: Ei qui cum pupillo falso tutore authore contraxit, uel aliquid aliud gessit, in integrum restitutio competit.quæ regula approbatur edicto prætoris, quod mutilatum proponitur l.1. §.1. & §.fin. ff. quod falso tutore authore, his uerbis:* Verba edicti hæc sunt, Quod eo authore, qui tutor non fuit: si id actor ignorauit,dabo in integrum restitutionem. *Ratio huius edicti proponitur d.l.1. in prin.his uerbis:* Huius edicti æquitas nō est ambigua,ne contrahētes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. *Exemplum huius proponitur l.si cum.10. ff.eod.tt. his uerbis:* Si cum falso tutore authore actum sit, & interea dies actionis exierit, aut res usucapta sit: omnia incommoda perinde sustinere debet, ac si illo tempore uero tutore authore egisset. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi actor sciuit falsum tutorem esse. quæ exceptio constat ex uerbis edicti iam propositis hisce:* Si id actor ignorauit. *Concordat d.l.1.§.fin,his uerbis:* Scienti non subuenit,

uenit,meritò:quoniam ipse se decepit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi actor, cum ei indicaretur, bona fide non crediderit. quæ replicatio approbatur l.2. ff.quod falso tutore authore, his uerbis:* Si id (inquit) actor ignorauit. Labeo: Etsi dictum sit ei, & ex bona fide non crediderit. *Secunda replicatio est: Nisi is qui sciuit,minor sit uigintiquinque annis. quæ replicatio approbatur l.planè.3. ff.eod.tt. his uerbis:* Planè si is sit, qui auxilio non indiget, scientia ei non nocet: utputa,si pupillus cum pupillo egit. nam cum nihil actum sit, scientia ei non nocet. *Concordat l.minori.5. ff.eod.tt. his uerbis:* Minori uigintiquinque annis succurritur, etiamsi scierit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi tutor uel curator quoq; minoris sciuerit. quæ duplicatio reprobatur l.pupilli.6. ff.eod.tt. his uerbis:* Pupilli scientia computanda non est, tutoris eius computanda est:utiq; si pupillo cautum sit. Melius tamen dicetur, rem suam restitui pupillo debere,quàm incertum cautionis euentum expectari: quod & Iulianus (si aliàs circumuentus sit pupillus) respondit. *Tertia replicatio est: Nisi sciens compulsus sit ad gerendum cum pupillo. quæ replicatio approbatur l.interdum.4.ff.d.tt.his uerbis:* Interdum tamen, etsi scientia nocet, tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est ad iudicium accipiendum. *Hæc de prima exceptione. Secunda exceptio est: Nisi uerus tutor fuit, quo authore gestum est. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi tutor author fieri non potuit. Quæ replicatio approbatur l.1. §.uerbis. ff. quod falso tutore authore, his uerbis:* Verbis edicti multa desunt. Quid enim, si fuerit tutor:is tamen fuit,qui authoritatem accommodare non potuit: puta furiosus, uel ad aliam regionem datus? *Tertia exceptio est:Nisi uerus tutor simul cum falso tutore author factus sit. quæ exceptio approbatur ibidem,hisce uerbis:* Sed Pomponius libro XXX.scripsit,Interdum, quamuis à non tutore gestum est, non pertinere ad hanc partem edicti. quid enim, si duo tutores, alter falsus, alter uerus,authoritatem accommodauerint: nónne ualebit quod gestum est? *Quarta exceptio uidetur esse: Nisi plures falsi tutores quàm unus interuenerint. quæ exceptio reprobatur d.l.1. §.item hoc, his uerbis:* Item hoc edictum, licet singulariter scriptum sit:si tamen plures interuenerint, qui tutores non erant: locum habere debere, Pomponius libro XXX. scribit. *Quinta exceptio uidetur esse: Nisi non tutor pro tutore negocia gesserit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.1. §.idem Pomponius, hisce uerbis:* Idem Pomponius scribit, etiamsi pro tutore negocia gerens authoritatem accommodauerit, nihilominus hoc edictum locum habere: nisi fortè prætor decreuit, ratum se habiturum id quod his authoribus gestum est. tunc enim ualebit per prætoris tuitionem, non ipso iure. *Sexta exceptio est: Nisi prætor id quod à non tutore gestum est, approbauerit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi fortè prætor, &c. *Hæc de in integrum restitutione.*

De in factum actione aduersus falsum tutorem.

V. *Regula: Sed & ei qui falso tutore authore cuiꝰ pupillo quid gessit, in ipsum falsum tutorem datur actio. quæ actio approbatur l.nouissimè.7. in princ. ff. quod falso tutore authore, his uerbis:* Nouissimè Prætor ait:In eum qui,cum tutor non esset, dolo malo author factus esse dicetur, iudicium dabo, ut quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur. *Concordat l.falsus.11. in princ. ff.eod.tt.his uerbis:* Falsus tutor, qui in contrahendo author minori duodecim uel quatuordecim annis fuerit,tenebitur in factum actione propter dolum malum, cuiuscunq; conditionis fuerit,uel sui iuris, uel alieni. Qui enim dolo malo authoritatē accommodauerit, tenebitur hoc edicto. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi sine dolo malo falsus tutor author sit factus. Quæ exceptio approbatur d.l.7.in prin.uers.dolo malo. Concordat d.l.7.§.1. his uerbis:* Non semper tutor conuenitur:nec sufficit, si sciens author fuit: uerùm ita demum,si dolo malo author fuit. Quid enim, si compulsus, aut metuens ne compelleretur, authoritatem accommodauerit? nónne debebit esse excusatus? *Concordat d.l.11.in prin. Huius exceptionis exemplum est §.except.prox. Secunda exceptio est: Nisi pater filiæ suam minorem duodecim annis nuptum collocauerit. quæ exceptio approbatur d.l.11. §.Iulianus, his uerbis:* Iulianus tractat libro XXI.Digestor.an etiam in patrem debeat dari hæc actio, qui filiam minorem duodecim annis nuptum dedit? Et magis probat, patri ignoscendum esse,si filiam suam maturius in familiam spōsi perducere uoluerit. Affectu enim propensiore magis quàm dolo id uideri fecisse, Quòd si intra duodecimum annum hæc decesserit, cum haberet dotem: putat Iulianus, si dolo malo conuersatus sit is, ad quem dos pertinet, posse maritum doli mali exceptione condicētem submouere in casibus, in quibus dotem uel in totum, uel in partem, si constaret matrimonium, fuerat lucraturus. *Tertia exceptio est: Nisi filiæfamiliās uel ancillæ tanquam pupillæ suæ author sit factus. Hæc exceptio reprobatur d.l.11. §.sed & si quis, hisce uerbis:* Sed & si quis filiæfamiliās author factus sit ad contrahendum, tenetur. Idemque iuris est, si ancillæ quis tutore authore crediderit. Nam omnibus istis modis propter tutorem decipitur is qui contraxit:

quia aliter cum impubere cõtracturus non fuisset, quàm si tutoris authoritas intercessisset. *Quarta exceptio est: Nisi interrogatus tantùm, se tutorem esse, responderit. Hæc exceptio approbatur l.ex eo,12.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.reg.3. Quinta exceptio est: Nisi actor sciuit tutorem non esse. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ſ.regula proxim. except.1. Sexta exceptio est: Nisi falsus tutor iuris sit alieni. Hæc exceptio reprobatur l.falsus.11. in princ. ff. d.tt. cuius uerba uide ſ. except.2. Septimà exceptio est: Nisi cum alio eiusdem delicti nomine actum sit. Hæc exceptio approbatur l.nouissimè.7. ſ.fin. ff.quod falso tutore authore, his uerbis:* Si plures sint qui authores fuerunt: perceptione ab uno facta, & cæteri liberantur, non electione. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ab eo cum quo actum est, nihil sit solutum, uel non totum. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Perceptione ab uno facta, non electione. *Cui concordat l. & ideo.8.ff.cod.tt. his uerbis:* Et ideo si nihil, aut nõ totum seruatum sit: in reliquos non denegandam in id quod deest actionem, Sabinus scribit.

V I. *Regula: Quibus competat actio proposita? Hæredibus datur. quæ regula approbatur l.huius.9.ſ.has in factum.ff.quod falso tutore authore. cuius uerba uide ſ.reg.prox.*

Aduersus quos actio proposita competat?

V II. *Regula, De hæredibus falsi tutoris & eius qui falsum tutorem adhibuit, proponitur d.ſ.has in factum, his uerbis:* Has in factum actiones hæredibus quidem competere, cæterisq; successoribus: in eos uerò non reddi, Labeo scribit, nec in ipsum post annum: quoniam & factum puniunt, & in dolum concipiuntur, & aduersus eas personas, quæ alieno iuri subiectæ sunt, noxales erunt. *Ait iurisconsultus:* Has in factum actiones. *Quarum una directa est, in ipsum falsum tutorem competens, de qua nunc agitur: altera utilis est in ipsum qui falsum tutorem adhibuit, de qua ſ.reg.9.dicetur.*

V III. *Regula: Si is qui in alterius potestate est, admisit, siquidem sit filiusfamilias, in ipsum datur actio. quod approbatur l.falsus.11.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.reg.5.except.2. Sin autem seruus sit, in dominum noxalis actio datur. quod approbatur l.huius.9.ſ. fin.ff.cod.tt. cuius uerba uide ſ.reg.prox.*

I X. *Regula: Aduersus eum quoq; qui dolo malo falsum tutorem adhibuit, utilis actio datur. quæ regula approbatur d.l.9.in prin. his uerbis:* Huius actionis exemplo Pomponius lib. X X X. scribit, dandam actionem aduersus eum qui dolo malo adhibuit, ut alius authoraretur insciis.

Quid ueniat in actione proposita?

X. *Regula: Quanti ea res est, datur actio. quæ regula approbatur l.nouissimè.7.in prin.ff. quod falso tutore authore. cuius uerba uide ſ.reg.5.in princ. Declaratur hæc regula d.l.7.ſ. quod ait, his uerbis:* Quod ait prætor, Quanti ea res erit: magis puto, non pœnam, sed ueritatem his uerbis contineri.

X I. *Regula, De sumptibus, proponitur d.l.7.ſ.Pomponius, his uerbis:* Pomponius libro X X X. scripsit, rectè etiam sumptuum in hoc iudicio rationem haberi, quos facturus est actor restitutorio agendo.

Quamdiu competit?

X II. *Regula: Annalis est actio. quæ regula approbatur l.huius.9.ſ.fin.ff.quod falso tutore authore. cuius uerba uide ſ.reg.7. Hactenus igitur de tutorum authoritate interposita & non interposita, sit dictum.*

DE OFFICIIS TVTORVM post finitam tutelam. Cap. VIII.

SVprà in principio huius libri dictum est, officia tutorum & curatorum esse triplicia: alia ante susceptam tutelam, alia in tutela, alia denique post finitam tutelam. De prioribus duobus generibus hactenus est dictum: quanquam alia etiam ad ea pertinentia proponentur ſ.in sequentibus actionibus. Postremi generis officia, post finitam tutelam competentia, in hoc Capite sunt proponenda.

I. *Regula: Primum igitur officium tutoris post finẽtam tutelam est, cœptam litem perficere. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ſ.cap.3.offic.3.reg.1.except.1.repl.1.*

II. *Regula: Pupillum puberem factum tutor admonebit, ut sibi curatorem petat. quæ regula approbatur l.ita autem.4.ſ.si tutor.ff.de administrat.tutor. his uerbis:* Si tutor pupillum suum puberẽ factum non admonuerit, ut sibi curatores peteret (sacris enim cõstitutionibus hoc facere iubetur, qui tutelam administrauit) an tutelæ iudicio teneatur? Et magis puto, sufficere tutelæ iudicium, quasi connexum sit hoc tutelæ officiõ, quamuis post pubertatem admittatur. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi per excusationem finita sit tutela. quæ exceptio approbatur l.qui qualit.3.ff.qui petant tutores, his uerbis:* Qui qualitercunq; dimissi sunt per excusationem à tutela, necesse non habent petere pupillis tutorẽ, ut ait Seueri & Antonini constitutio.

III. *Regula: Tutela uel cura finita, tutor uel curator actus sui rationem reddere tenetur. quæ regula approbatur iusti. de Atiliano tutore. ſ.fin. his uerbis:* Cum pupillorum pupillarumq; tutores negocia gerunt: post pubertatem tutelæ iudicio rationem reddunt. *Concordat l.1.ſ.officiõ. ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Officio tutoris incumbit etiam rationes actus sui conficere, & pupillo reddere. Cæterùm si non fecit, aut si factas non exhibet: hoc nomine iudicio

iudicio tutelæ tenebitur. De seruis quoq; interrogationes, sed & quæstiones habendas, & hoc officio iudicis euenire placuit. nam diuus Seuerus decreuit, cum neq; inuentaria, neq; rationalia proferũtur: remedio eo uti debere, ut rationes à seruis qui rem gesserunt, proferantur. Has rationes si mala fide conscriptas esse à seruis dicãt tutores, etiam in quæstione serui interrogari poterunt. *Hactenus de tutorum & curatorum officijs omnis generis sit dictum: quanquam & alia huiusmodi officia proponentur in causis actionum sequentium. Nam nunc dicendum de actionibus ex tutela & cura competentibus, si præter officium tutor uel curator aliquid egit aut omisit: necnon de contraria tutelæ actione, qua tutor pupillum sibi obligatum habet.*

DE ACTIONE TVTELAE, & primùm de causis huius actionis, earumq; exceptionibus. Cap. IX.

I. CAVSAE EX QVIBVS hæc actio competit.

PRima causa: *Si tutor non fecit suum officium, hac actione tenetur. quæ causa approbatur l.1. in prin.ff.de tutelæ actione, his uerbis:* De omnibus quæ tutor fecit, cum facere non deberet: item de his quæ nõ fecit, rationem reddet hoc iudicio, præstando dolum & culpã, & quantam in suis rebus diligentiam. *Concordat l.tutelæ.7.in prin.C.de testament.tutela, his uerbis:* Tutelæ actione contra tutorem mota, quem testamento patris, in cuius fuisti potestate, datum proponis: reddi tibi, si quid debetur, competens iudex aditus iubebit. *Hæc causa generalis est, continens omne id quod contra officia hactenus expositæ factum erit. Proinde ista quoq; hic sunt repetenda cum suis exceptionibus. Nam istorum officiorum exceptiones causam quoq; propositam distinguunt. Quanquam & aliæ huiusmodi exceptiones proponentur paulò inferius. Sed & propositæ causæ species sunt causæ proximè sequentes.*

II. *Causa: Si cessat in tutela administranda. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ſ.cap.2.officio 1.*

III. *Causa: Si dolo uel culpa tutoris minor aliquid amisit, uel non adquisiuit. Hæc causa approbatur l. quidquid.7.C.arbitriũ tutelæ, his uerbis:* Quidquid tutoris dolo, uel lata culpa, aut leui, seu curatoris, minores amiserint, uel cum possent, non quæsierint: hoc in tutelæ seu negociorum gestorum utile iudicium uenire, non est incerti iuris. *Concordat l.si extraſ.4.ff.quando ex facto tutoris, his uerbis:* Si extrinsecus aliquid tutor dolo amiserit, pupillo nihil nocere oportet. *Concordat item l.ultim. ff.de administrat.tutor. de qua in petitione hæreditatis dicetur. Huius exemplum habetur l.2. C.de his quibus ut indignis, his uerbis:* Polla quidem liberã habuit administrandi patrimonij sui potestatem, &c.

IIII. *Causa: Si tutor contra uoluntatem testatoris fecerit. Hæc causa reprobatur l.ita autem.4.ſ.Papinianus.ibi: usq; adeò.ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide ſ.except.21.*

V. *Causa: Si tutor malè contraxit, uel prædia non idonea comparauit. Hæc causa approbatur l.tutor.6.ſ.competit.ff.d.tt.his uerbis:* Competit aduersus tutores tutelæ actio, si malè contraxerunt, si prædia non idonea comparauerunt per sordes aut gratiam. Quid ergo, si neq; sordidè, neq; gratiosè, sed non bonam conditionem elegerint? rectè quis dixerit, solam latam negligẽtiam eos præstare hac in parte debere. *Concordat l.Titium.56.ſ.fin. ff.eod.tt. his uerbis:* Ab eo qui sententia præsidis bonis ademptis relegatus erat (cùm permissit principis appellatio eius recepta sit, quam is qui pronunciauerat, non receperat) fundum emerat pupillus, interuenientibus tutoribus: & appellatione iniusta pronunciata, fundus ei ablatus est. Quæsitum est, an tutelæ iudicio precium fundi pupillus consequi à tutoribus posit? Scæuola respondit, si scientes emerunt ab eo, qui in ea causa etiamnum obnoxius sententiæ priori esset, tutelæ iudicio eos teneri. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi sine dolo uel lata culpa tutor fecerit. quæ exceptio approbatur d.ſ.competit, uerbis supradictis hisce:* Quid ergo, si neque sordidè, &c.

V I. *Causa: Si nomen pupillare, tutore agere cessante, desiit esse soluendo. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ſ.cap.3.officio 2. reg.2.*

V II. *Causa: Si condemnato pupillo, tutor non appellauit, uel solennia appellationis non impleuit. quæ causa approbatur l.si bonam.11. C.de administrat. tutor. his uerbis:* Si bonam causam ea, cuius tutor es, habuit, & aduersus latam sententiam nõ appellasti, seu post appellationem prouocationis solẽnia implere cessaueris: tutelæ iudicio indemnitatem pupillæ præstare debes.

V III. *Causa: Si tutor pecuniam pupillarem in suos usus conuerterit. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ſ.cap.proxim.quæſt.5. reg.4.ſpecie 1.*

I X. *Causa: Si tutor rem ex bonis pupilli abstulit. Hæc causa approbatur l.1.ſ.in tutela. ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide ſ.cap.11.quæſt.1.except.5.*

X. *Causa: Si tutor rem uindicans tanquam suam, quam pater pupilli uendidit, pupillum euictionis nomine conueniri fecerit. Hæc causa uidetur approbari l.2. C.de in litem dando tutore. cuius uerba uide ſ.lib. prox.cap.4.quæſt.2.except.32.replic.8. Alias propositæ actionis causas uide (ut dixi) ſ.de officijs tutorum: uide item ſ.cap.prox.quæſt.5.reg.4.*

quia aliter cum impubere cõtracturus non fuisset, quàm si tutoris authoritas interces-sisset. *Quarta exceptio est: Nisi interrogatus tantùm, se tutorem esse, responderit. Hæc exceptio approbatur l.ex eo,12.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.3. Quinta exceptio est: Nisi actor sciuit tutorem non esse. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §.regula proxim. except.1. Sexta exceptio est: Nisi falsus tutor iuris sit alieni. Hæc exceptio reprobatur l.falsus.11. in princ.ff. d.tt. cuius uerba uide §. except.2. Septimà exceptio est: Nisi cum alio eiusdem delicti nomine actum sit. Hæc exceptio approbatur l.nouissimè.7. §.fin.ff. quod falso tutore authore, his uerbis:* Si plures sint qui authores fuerunt: perceptione ab uno facta, & cæteri liberantur, non electione. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ab eo cum quo actum est, nihil sit solutum, uel non totum. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Perceptione ab uno facta, non electione. *Cui concordat l.& ideo.8.ff.eod.tt. his uerbis:* Et ideo si nihil, aut nõ totum seruatum sit: in reliquos non denegandam in id quod deest actionem, Sabinus scribit.

VI. *Regula: Quibus competat actio proposita? Hæredibus datur. quæ regula approbatur l.huius.9.§.hæ in factum.ff. quod falso tutore authore. cuius uerba uide §.reg.prox.*

Aduersus quos actio proposita competat?

VII. *Regula, De hæredibus falsi tutoris & eius qui falsum tutorem adhibuit, proponitur d.§.hæ in factum, his uerbis:* Has in factum actiones hæredibus quidem competere, cæteris q; successoribus: in eos uerò non reddi, Labeo scribit, nec in ipsum post annum: quoniam & factum plectuntur, & in dolum concipiuntur, & aduersus eas personas, quæ alieno iuri subiectæ sunt, noxales erunt. *Ait iurisconsultus:* Has in factum actiones. *Quarum una directa est, in ipsum falsum tutorem competens, de qua nunc agitur: altera utilis est in ipsum qui falsum tutorem adhibuit, de qua §.reg.9.dicetur.*

VIII. *Regula: Si is qui in alterius potestate est, admisit, siquidem sit filiusfamilias, in ipsum datur actio. quod approbatur l.falsus.11.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.5.except.2. Sin autem seruus sit, in dominum noxalis actio datur. quod approbatur l.huius.9.§. fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.prox.*

IX. *Regula: Aduersus eum q; qui dolo malo falsum tutorem adhibuit, utilis actio datur. quæ regula approbatur d.l.9.in prin. his uerbis:* Huius actionis exemplo Pomponius lib.XXX. scribit, dandam actionem aduersus eum qui dolo malo adhibuit, ut alius authoraretur inscius.

Quid ueniat in actione proposita?

X. *Regula: Quanti ea res est, datur actio. quæ regula approbatur l.nouissimè.7.in prin.ff. quod falso tutore authore. cuius uerba uide §.reg.5.in princ. Declaratur hæc regula d.l.7.§.quod ait, his uerbis:* Quod ait prætor, Quanti ea res erit: magis puto, non pœnam, sed ueritatem his uerbis contineri.

XI. *Regula, De sumptibus, proponitur d.l.7.§.Pomponius, his uerbis:* Pomponius libro XXX. scripsit, rectè etiam sumptuum in hoc iudicio rationem haberi, quos facturus est actor restitutorio agendo.

Quamdiu competit?

XII. *Regula: Annalis est actio. quæ regula approbatur l.huius.9.§.fin.ff. quod falso tutore authore. cuius uerba uide §.reg.7. Hactenus igitur de tutorum authoritate interposita & non interposita, sit dictum.*

DE OFFICIIS TVTORVM post finitam tutelam. Cap. VIII.

SVprà in principio huius libri dictum est, officia tutorum & curatorum esse triplicia: alia ante susceptam tutelam, alia in tutela, alia denique post finitam tutelam. De prioribus duobus generibus hactenus est dictum: quanquam alia etiam ad ea pertinentia proponentur §. in sequentibus actionibus. Postremi generis officia, post finitam tutelam competentia, in hoc Capite sunt proponenda.

I. *Regula: Primum igitur officium tutoris post finitam tutelam est, cœptam litem persicere. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §.cap.3.offic.3.reg.1.except.1.repl.1.*

II. *Regula: Pupillum puberem factum tutor admonebit, ut sibi curatorem petat. quæ regula approbatur l.ita autem.4.§.si tutor.ff. de administrat.tutor. his uerbis:* Si tutor pupillum suum puberẽ factum non admonuerit, ut sibi curatores peteret (sacris enim cõstitutionibus hoc facere iubetur, qui tutelam administrauit) an tutelæ iudicio teneatur? Et magis puto, sufficere tutelæ iudicium, quasi connexum sit hoc tutelæ officio, quamuis post pubertatem admittatur. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi per excusationem finita sit tutela. quæ exceptio approbatur l.qui qualit.3.ff. qui petant tutores, his uerbis:* Qui qualitercunq; dimissi sunt per excusationem à tutela, necesse non habent petere pupillis tutorẽ, ut ait Seueri & Antonini constitutio.

III. *Regula: Tutela uel cura finita, tutor uel curator actus sui rationem reddere tenetur. quæ regula approbatur institut. de Atiliano tutore. §.fin. his uerbis:* Cum pupillorum pupillarumq; tutores negocia gerunt: post pubertatem tutelæ iudicio rationem reddunt. *Concordat l.1.§.officiõ. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Officio tutoris incumbit etiam rationes actus sui conficere, & pupillo reddere. Cæterùm si non fecit, aut si factas non exhibet; hoc nomine iudicio

iudicio tutelæ tenebitur. De seruis quoq; interrogationes, sed & quæstiones habendas, & hoc officio iudicis euenire placuit. nam diuus Seuerus decreuit, cum neq; inuentaria, neq; rationalia proferũtur: remedio eo uti debere, ut rationes à seruis qui rem gesserunt, proferantur. Has rationes si mala fide conscriptas esse à seruis dicãt tutores, etiam in quæstione serui interrogari poterunt. *Hactenus de tutorum & curatorum officijs omnis generis sit dictum: quanquam & alia huiusmodi officia proponentur in causis actionum sequentium. Nam nunc dicendum de actionibus ex tutela & cura competentibus, si præter officium tutor uel curator aliquid egit aut omisit: necnon de contraria tutelæ actione, qua tutor pupillum sibi obligatum habet.*

DE ACTIONE TVTELAE, & primùm de causis huius actionis, earumq; exceptionibus. Cap. IX.

I. CAVSAE EX QVIBVS hæc actio competit.

PRima causa: *Si tutor non fecit suum officium, hac actione tenetur. quæ causa approbatur l.1. in prin.ff. de tutelæ actione, his uerbis:* De omnibus quæ tutor fecit, cum facere non deberet: item de his quæ nõ fecit, rationem reddet hoc iudicio, præstando dolum & culpã, & quantam in suis rebus diligentiam. *Concordat l.tutelæ.7.in prin.C. de testamen. tutela, his uerbis:* Tutelæ actione contra tutorem mota, quem testamento patris, in cuius fuisti potestate, datum proponis: reddi tibi, si quid debetur, competens iudex aditus iubebit. *Hæc causa generalis est, continens omne id quod contra officia hactenus exposita factum erit. Proinde ista quoq; hic sunt repetenda cum suis exceptionibus. Nam istorum officiorum exceptiones causam quoq; propositam distinguunt. Quanquam & aliæ huiusmodi exceptiones proponentur paulò inferius. Sed & propositæ causæ species sunt causæ proximè sequentes.*

II. *Causa: Si cessat in tutela administranda. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt §.cap.3.officio 1.*

III. *Causa: Si dolo uel culpa tutoris minor aliquid amisit, uel non adquisiuit. Hæc causa approbatur l. quidquid.7.C. arbitriũ tutelæ, his uerbis:* Quidquid tutoris dolo, uel lata culpa, aut leui, seu curatoris, minores amiserint, uel cum possent, non quæsierint: hoc in tutelæ seu negociorum gestorum utile iudicium uenire, non est incerti iuris. *Concordat l.si extraneus.4.ff. quando ex facto tutoris, his uerbis:* Si extrinsecus aliquid tutor dolo amiserit, pupillo nihil nocere oportet. *Concordat item l.ultim. ff. de administrat.tutor. de qua in petitione hæreditatis dicetur. Huius exemplum habetur l.2. C. de his quibus ut indignis, his uerbis:* Polla quidem liberã habuit administrandi patrimonij sui potestatem, &c.

IIII. *Causa: Si tutor contra uoluntatem testatoris fecerit. Hæc causa reprobatur l.ita autem.4.§.Papinianus. ibi: usq; adeò. ff. de administrat.tutor. cuius uerba uide §.except.11.*

V. *Causa: Si tutor malè contraxit, uel prædia non idonea comparauit. Hæc causa approbatur l.tutor.6.§.competit. ff. d.tt. his uerbis:* Competit aduersus tutores tutelæ actio, si malè contraxerunt, si prædia non idonea comparauerunt per sordes aut gratiam. Quid ergo, si neq; fordidè, neq; gratiosè, sed non bonam conditionem elegerint? rectè quis dixerit, solam latam negligẽtiam eos præstare hac in parte debere. *Concordat l.Titium.56.§.fin. ff. eod.tt. his uerbis:* Ab eo qui sententia præsidis bonis ademptis relegatus erat (cùm permissu principis appellatio eius recepta sit, quam is qui pronunciauerat, non receperat) fundum emerat pupillus, interuenientibus tutoribus: & appellatione iniusta pronunciata, fundus ei ablatus est. Quæsitum est, an tutelæ iudicio precium fundi pupillus consequi à tutoribus posset? Scæuola respondit, si scientes emerunt ab eo, qui in ea causa etiamnum obnoxius sententiæ priori esset, tutelæ iudicio eos teneri. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi sine dolo uel lata culpa tutor fecerit. quæ exceptio approbatur d.§.competit, uerbis supradictis hisce:* Quid ergo, si neque fordidè, &c.

VI. *Causa: Si nomen pupillare, tutore agere cessante, desijt esse soluendo. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur §.cap.3.officio 2. reg.2.*

VII. *Causa: Si condemnato pupillo, tutor non appellauit, uel solennia appellationis non impleuit. quæ causa approbatur l.si bonam.11. C. de administrat. tutor. his uerbis:* Si bonam causam ea, cuius tutor es, habuit, & aduersus latam sententiam nõ appellasti, seu post appellationem prouocationis solẽnia implere cessaueris: tutelæ iudicio indemnitatem pupillæ præstare debes.

VIII. *Causa: Si tutor pecuniam pupillarem in suos usus conuerterit. Hæc causa approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur §.cap.proxim.quæst.5. reg.4.specie 1.*

IX. *Causa: Si tutor rem ex bonis pupilli abstulit. Hæc causa approbatur l.1.§.in tutela. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide §.cap.11.quæst.1.except.5.*

X. *Causa: Si tutor rem uindicans tanquam suam, quam pater pupilli uendidit, pupillum euictionis nomine conueniri fecerit. Hæc causa uidetur approbari l.2. C. de in litem dando tutore. cuius uerba uide §.lib. prox.cap.4.quæst.2.except.32.replic.3. Alias propositæ actionis causas uide (ut dixi) §. de officijs tutorum: uide item §.cap.prox.quæst.5.reg.4.*

Exceptiones præcedentium cau-
sarum generales.

Planè quamuis ex prædictis aliisq; similibus causis regulariter tutelæ actio competit: tamen eius regulæ plures & uariæ solent esse exceptiones, desumptæ partim ex persona tutoris facientis uel non facientis; partim ex causa & modo facti, partim ex re, ex tempore, ex antecedentibus & consequentibus: de quibus nunc ordine dispiciẽdum, & primùm de ijs quæ sumptæ sunt ex persona facientis uel non facientis tutoris.

I. Exceptio: *Nisi tutor inutiliter datus sit. Hæc exceptio approbatur l. scire oportet. 13. §. diui Seuerus. ff. de excusat. tutor. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 6. quæst. 1. in fine, except. general. 10. repl. 1. Concordat l. hæredes. 8. in princ. ff. de fideiussoribus tutorum. cuius uerba uide ĵ. cap. prox. quæst. 5. reg. 1. except. 6. Concordat item l. 1. C. de testament. tutela. cuius uerba uide ſ. cap. 3. officio 1. reg. 1. except. 2. Item concordat l. neq; 5. C. qui dare tutores. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 14. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi inutiliter tutor datus, sponte administrationi se miscuerit. quæ replicatio approbatur l. mater. 4. in fine. C. de testamentaria tutela. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. except. 1. repl. 3. distinct. 3. Concordat l. 1. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide d. except. 1. repl. 4. Concordat item l. tutores. 38. §. qui se negocijs. ff. de administrat. tutor. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 5. quæst. 2. reg. 2. in fine, replic. generali 1. duplic. 3. Concordat item d. l. 38. §. curatores, his uerbis*: Curatores testamento uel tutores inutiliter dati, neq; decretò prætoris confirmati, negocia gesserunt. uice mutua periculum præstare coguntur: cum officiũ sponte citra iuris adminiculum inierint: & qui fuit idoneus, decretum prætoris curatores uel tutores constituentis implorare debuerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi alius postea in locum eius à prætore tutor sit datus, quæ duplicatio approbatur d. l. 38. §. 1. ff. de administrat. tutor. his uerbis*: Curator à patre testamento datus impuberis negocijs se per errorem immiscuit. postea à prætore tutoribus alijs dãtis, periculum futuri temporis ille qui postea nihil gesit, non præstabit. *Secunda replicatio uidetur esse: Nisi in testamento militari curator inutiliter sit datus. Hæc replicatio reprobatur l. impub. 39. ff. d. tt. his uerbis*: Impuberi filio centurio curatorem dedit, decreto prætoris nõ secuto. si nihil curator datus administret, periculo contumaciæ uel negligẽtiæ non adstringetur. nam priuilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non oportet: nec in alijs circa supremam uoluntatem imperitiæ uenia datur, quàm in bonis militum. Filij uerò tutela iure patriæ potestatis, non militiæ præmio mandatur. *Concordat l. quod dicitur. 28. item l. miles. 4. 1. §. mulier, in fine. ff. de militari testament. quarum legum uerba uide ĵ. libro 28. cap. 18. duplic. 8. & 9. Plura de exceptione proposita uide supra capite 3. officio 1. reg. 1. except. 2. item ĵ. except. proxima.*

II. Exceptio: *Nisi tutor non sit qui gesit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio prima hæc est: Nisi tanquam tutor negocia gesserit. quæ replicatio approbatur l. 1. in princ. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis*: Protutelæ actionem necessariò prætor proposuit. nam cum plerunque incertum sit, utrum quis tutor, an uerò quasi tutor pro tutore administrauerit tutelam: idcirco in utrunque casum actionem scripsit, ut siue tutor sit, siue non sit qui gesit, actione tamen teneatur. Solent enim magni errores intercedere, ut discerni facilè non possit, utrum quis tutor fuerit, & sic gesserit: an uerò non fuerit, pro tutore tamen munere functus sit. *Declaratur hæc exceptio d. l. 1. §. 1. his uerbis*: Pro tutore autem negocia gerit, qui munere tutoris fungitur in re impuberis, siue se putet tutorem, siue sciat non esse, fingat tamen. *Huius replicationis duplicatio prima uidetur esse: Nisi seruus tanquam tutor negocia pupilli gesserit. Hæc duplicatio reprobatur d. §. 1. his uerbis*: Proinde & si seruus quasi tutor egerit: diuus Seuerus scripsit; dandum in dominum utile iudicium. *Secunda duplicatio est: Nisi mulier pro tutore negocia gesserit. Et hæc duplicatio reprobatur l. 1. C. de eo qui pro tutore, his uerbis*: Etiam mulieres, si res pupillares pro tutore administrauerunt, ad præstandam rationem tenentur. *Concordat Nouell. c. 155. cuius uerba proponentur ĵ. lib. 49. cap. 4. quæst. 4. except. 14. repl. 1. Tertia duplicatio est: Nisi post finitam tutelam pro tutore gesserit. Hæc duplicatio reprobatur l. 1. §. cum eo. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis*: Si quis finita tutela pro tutore negocia impuberis gesit, tenebitur. *Quarta duplicatio est: Nisi prius pro tutore, deinde quasi tutor gesserit. Et hæc duplicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Sed & si prius pro tutore administrauerit, deinde quasi tutor, æquè tenebitur ex eo quòd pro tutore negocia administrauerit: quamuis deuoluatur hic gestus in tutelæ actionem. *Quinta duplicatio est: Nisi puberis negocia tanquam tutor gesserit. Hæc duplicatio approbatur d. l. 1. §. si quis, his uerbis*: Si quis quasi tutor negocia gesserit eius qui iam pubes est, neque tutorem habere potest: pro tutela actio cessat. Simili modo, & si eius qui nondum natus est. Nam ut pro tutore quis gerat, eam esse personam oportet, cuius ætas recipiat tutorem. Sed erit negociorum gestorum actio. *Sexta duplicatio est: Nisi eius qui nondum natus est, negocia tanquam tutor gesserit. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Simili modo, & si eius qui nõdum, &c. *De hac re plura uide ĵ. cap. prox. quæst. 9. reg. 1. except. 2. Septima duplicatio est*: Nisi non quasi tutor, sed quasi curator impuberis negocia gesserit. Hæc

Hæc duplicatio approbatur d. l. 1. §. si curator, his uerbis: Si curator impuberi à prætore datus negocia gesserit: an quasi pro tutore gesserit teneatur, quæritur? & est uerius, cessare hãc actionem: quia officio curatoris functus est. *Octaua duplicatio est: Nisi à prætore compulsus gesserit. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 1. §. si quis tamen, his uerbis*: Si quis tamen, cùm tutor non esset, compulsus à prætore uel à præside, dum se putat tutorem, gesserit tutelam: uidendum, an pro tutore teneatur? Et magis est, ut quãuis compulsus gesit, teneri tamen debeat: quia animo tutoris gesit, cum tutor non esset. At iste curator, non quasi tutor, sed quasi curator gesit. *Hæc uerba posteriora pertinent ad superiorem duplicationem proximam. Nona duplicatio est: Nisi nihil gesserit. Hæc duplicatio approbatur simul & distinguitur d. l. 1. §. in protutelæ. cuius uerba uide ſ. cap. 3. officio 1. reg. 1. Decima duplicatio est: Nisi non quasi tutor, sed tutoris mandato gesserit. Quæ duplicatio approbatur l. qui pupillæ. 4. C. de negocijs gestis. cuius uerba uide ĵ. lib. 44. cap. 5. quæst. 8. except. 1. replic. 1. duplic. 2. Hæc de prima replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Plura de protutelæ actione uide ĵ. in sequentibus quæstionibus. Altera replicatio est: Nisi hæres sit tutoris, qui cessauit uel gesit. Hæc replicatio approbatur l. si tutoris. 59. ff. de administrat. tutor. his uerbis*: Si tutoris hæres executus est, quæ tutor inchoauit: tutelæ etiam eo nomine tenetur. *Concordat l. 1. in prin. ff. de fideiussoribus tutor. his uerbis*: Quamuis hæres tutoris tutor non est: tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem (si legitimæ ætatis & masculus sit) explicari debent: in quibus dolus eius admitti potest. Quod penes tutorem fuit, hæres quoq; eius reddere debet. quod apud pupillum is reliquerit, si hæres capit: non quidem crimine caret, sed extra tutelã est, & utili actione hoc reddere compellitur. *Concordat l. cum ostend. 4. in princ. ff. eod. tt. his uerbis*: Cum ostendimus, hæredem quoq; tutelæ iudicio posse conueniri: uidendum, an etiam proprius eius dolus, uel propria administratio ueniat in iudicium? & extat Seruij sententia, existimantis, si post mortem tutoris hæres eius negocia pupilli gerere perseuerauerit, aut in arca tutoris pupilli pecuniam inuenerit & consumpserit, uel eam pecuniam quam tutor stipulatus fuit, exegerit: tutelæ iudicio eum teneri suo nomine. Nam cum permittatur aduersus hæredem ex proprio dolo iurari in litem: apparet, eum iudicio tutelæ teneri ex dolo proprio. Negligẽtia planè propria hæredi non imputabitur. Vsuras quoque eius pecuniæ quam pupillarem agitauit, præstare debet hæres tutoris. Quantas autem, & cuius temporis usuras præstare debeat, ex bono & æquo constitui ab iudice oportet. *Ait Iurisconsultus*: Negligentia planè propria hæredi non imputabitur. *De hac re uide ĵ. cap. proxim. quæst. 3. reg. 1. except. 2. Concordat item l. creditor. 27. ff. de appellationibus. cuius uerba uide ſ. cap. 3. offic. 3. reg. 1. except. 1. repl. 1. Concordat item l. unica. §. tutor quoque. ff. si pendente appell. cuius uerba uide ſ. d. replic. 1. duplic. 1.*

III. Exceptio: *Nisi quis tutorem se nesciens, pro tutore negocia pupilli gesserit. Hæc exceptio reprobatur l. quæro. 3. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis*: Quæro, an is qui cum tutor testamento datus esset, & idipsum ignoraret, pro tutore negocia pupilli gesit: quasi tutor, an quasi pro tutore negocia gesserit, teneatur? Iabolenus respondit, non puto teneri quasi tutorem: quia scire quoque se tutorem esse debet, ut eo affectu negocia gerat, quo tutor gerere debet.

IIII. Exceptio: *Nisi patronus liberti sui tutelam gesserit. Hæc exceptio reprobatur l. patronus. 8. ff. de tutelis, hisce uerbis*: Patronus quoque tutor liberti sui fidem exhibere debet: & si qua in fraudem debitorum (quamuis pupilli liberti) gesta sunt, reuocari ius publicum permittit.

V. Exceptio: *Nisi mater filij uel filiæ suæ tutelam gesserit. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 22. §. ad hæc, in fine. cuius uerba uide ſ. libro proxim. cap. 4. quæst. 2. except. 21. replic. 1. duplic. 3. Concordat Nouell. c. 155. cuius uerba uide ĵ. libro 49. cap. 4. quæst. 4. except. 14. replic. 1.*

VI. Exceptio: *Nisi sine dolo malo tutoris sit factum. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi culpa tutoris sit factum. quæ replicatio approbatur l. 1. in prin. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide ſ. ead. quæst. causa 1. Concordat l. quidquid. 7. C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide ſ. ead. quæst. causa 3. Concordant item ea quæ dicta sunt ſ. cap. 3. officio 1. reg. 4. Huius replicationis duplicatio hæc esse uidetur: Nisi non lata, sed leui tutoris culpa acciderit. Hæc duplicatio reprobatur in legibus iam dictis: approbatur tamen in casu l. tutor. 6. §. competit. ibi: quid ergo. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide ſ. ead. quæst. causa 5.*

VII. Exceptio: *Nisi casu, non culpa tutoris acciderit. Hæc exceptio approbatur l. tutoribus. 4. C. de periculo tutorum, his uerbis*: Tutoribus seu curatoribus fortuitos casus, aduersus quos caueri non potuit, imputari non oportere, sæpe rescriptum est. *Concordat l. fine hærede. 31. §. 1. ff. de administr. tutorum, his uerbis*: Modestinus respondit, damnum, si quod accidit eo, quia cautiones soluti uectigalis inuentæ non sunt, ad tutorem, cuius nulla culpa admissa proponitur, minimè pertinere. *Concordat item l. si res. 49. ff. d. tt. his uerbis*: Si res pupillaris in cursu latronum pereat: uel argentarius, cui tutor pecuniam dedit, cum fuisset celeberrimus, solidum reddere non possit: ni-

hil eo nomine tutor præstare cogitur. *Aliud exemplum proponitur l.creditor.102.in prin. ff.de solutionibus. cuius uerba uide j.lib.48.cap.9.except.27. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi culpa casum præcesserit. quæ replicatio approbatur exẽplo l.si res. 3.C.de periculo tutor.his uerbis:* Si res pupillares, quas in horreo conditas habere, aut etiam uenundare debuisti, in hospitio tuo (ut adseueras) ui ignis consumptæ sunt: culpam seu segnitiem tuam nõ ad tuum damnum, sed ad pupilli tui spectare dispendium, minus probabili ratione deposcis.

VIII. Exceptio: *Nisi ignorans se tutorem datum cessauerit. Hæc exceptio constat ex ijs quæ proponuntur j.except.11.repl.1.dupl.1.*

IX. Exceptio: *Nisi tutor expectãs contutores suos, cesset. Hæc exceptio reprobatur l.tutor.6. §.si tutor. ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide s̃.cap.3.officio 5.reg.11.*

X. Exceptio: *Nisi probabili errore ductus, putans se à tutela excusatum, cessauerit. Hæc exceptio approbatur exemplo l.qui testamento.37.§.fin.ff.de excusat. cuius uerba uide s̃.lib.prox.cap.6.quæst.1.in fine, except.gener.13.*

XI. Exceptio: *Nisi antequam tutelam gerere tutor cœperit, damnum in rebus pupillaribus acciderit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi postquam tutor datus est, idq; resciuerit, acciderit. quæ replicatio approbatur l.qui iussus. 16.ff.de administrat.tutor.his uerbis:* Qui iussus est ab eo qui ius iubendi habet, tutelam gerere, si cessat: ex quo iussus est, indemnem pupillum præstare debebit, non ex quo tutor esse cœpit. *Concordat l.ita autem.4.§.fin.cum lege sequente.ff.eod.tt. his uerbis:* Ex quo innotuit tutori se esse tutorem, scire debet periculum tutelæ ad eum pertinere. Innotescere autẽ qualiter qualiter sufficit, non utiq; testatò eum conueniri. nam & si citra testationem, scilicet undecunq; cognouerit: nulla dubitatio est, quin debeat periculum ad ipsum respicere. Hoc autem, quòd cognouerit tutor, pupillus probare debet. *Concordat item l.1.§.1.ff.eod.tt.cuius uerba uide s̃.cap.3.officio 1.reg.1. in prin. Concordat item l.tutor.19.C.eod.tt.his uerbis:* Tutor, licet absens, decreto datus, si se sciẽs solenniter non excusauerit, administrationi constituitur obnoxius. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi antequam sciret se tutorem datum, acciderit. quæ duplicatio præterquam quòd ex iam dictis constat, approbatur etiam l. & si.8.in fine.C.de administr.tutor.his uerbis:* Si nescisses te curatorem datum: etiamsi soluendo cæteri curatores non sint, damni periculum ad te non redundat. *Concordat item l. si tutor.5.C.de periculo tutor.his uerbis:* Si tutor petitus, uel ex testamento datus, tutorem te constitutum esse, non ex remissæ negligentiæ uitio, sed iustæ ignorationis ratione nõ didicisti, idque liquidis probationibus ostenderis: periculo eius temporis quod ignorante te transmissum est, non teneberis. Ait Imper. Idq; liquidis probationibus ostenderis. *Huic contradicit l.hoc autem.5. ff. de administr.tutor. cuius uerba uide paulò superius ead. repl.in princ. Secunda duplicatio est: Nisi pendente conditione, sub qua testamento tutor datus est, acciderit. Hæc duplicatio approbatur, simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt s̃.lib.prox. cap.2. quæst.4. reg.1. Tertia duplicatio est: Nisi cùm testamento inutiliter tutor datus esset, antequam à prætore confirmatus sit, damnum acciderit. Hæc duplicatio approbatur l.qui negotiationem.57. § testamento. ff.de administr. tutorum, his uerbis:* Testamento dati tutores, quod ruptum uidebatur, cessauerunt in administratione tutelæ, & à præside tutor datus est pupillo. Iussi autem sunt & hi qui dati erant testamento tutores, tutelam administrare, coniuncto eo qui à præside datus cœperat administrare. Quæsitum est, ad testamento datos periculum administrationis, utrum ex apertis tabulis, an ex quo iussi sunt, pertineat? Scæuola respondit, ad eos de quibus quæreretur, nullum antecedentis temporis periculum pertinere. *Concordat l.2. C.de confirmando tutore. cuius uerba uide s̃. lib.prox. cap.2.quæst.1.except.17. Quarta duplicatio est: Nisi excusatione opposita, appellatione eius pendente, acciderit. Hæc duplicatio reprobatur l.tutor. 19.ff.de administrat.tutor.his uerbis:* Tutor uel curator, cuius iniusta appellatio pronunciata fuerit, cuiusúe excusatio recepta non sit: ex quo accedere ad administrationem debuit, erit obligatus. *Concordat l.tutores.38.§.tutor.ff.eod.tt.his uerbis:* Tutor datus, aduersus ipsam creationem prouocauit. hæres eius postea uictus, prçteriti temporis periculum præstabit: quia non uidetur leuis culpa, contra iuris authoritatem mandatum tutelç officium detrectare. *Concordat item l.quanquam. 15.in fine.C.de excusationib.tutor. cuius uerba uide s̃. lib.prox.cap.6.quæst.7.reg.1.*

XII. Exceptio: *Nisi antequam posthumus, cui tutor datus est, natus sit, gesserit. Hæc exceptio reprobatur l.cum pater.28.ff.de negocijs gestis, hisce uerbis:* Cum pater testamento posthumo tutorem dederit, isq; tutelam interim administrauerit, nec posthumus natus fuerit: cum eo non tutelæ, sed negociorum gestorum erit agendum. Quòd si natus fuerit posthumus, tutelæ erit actio: & in ea utrunque tempus ueniet, & quo antequam nasceretur infans gessit, & quo posteaquam natus sit. *Planè admittitur exceptio proposita, si posthumus natus non sit, nec nasci amplius speretur. tunc enim non tutelæ, sed negociorum gestorum actio est, ut ex iam dictis constat. Sed plura de hac re uide j.cap.prox.quæst.9.reg. 1.except.2.*

* l.1 § si qui ff de eo qui pro tut. l.2 ff de tutelę act. j col. 1939 exc. 25.

XIII.Ex-

XIII. Exceptio: *Nisi post finitam tutelam acciderit. quæ exceptio approbatur l.temporis.6.C.de periculo tutorum, his uerbis:* Temporis quod insequitur post tutelæ translationem, administrationis officio finito, ad eos qui fuerunt tutores, gerendæ rei non pertinere periculum, rationis est. *Concordat l.tutor.11.C.arbitrium tutelæ, his uerbis:* Tutor post puberem ætatem puellæ, si in administratione connexa perseuerauerit: tutelæ actione totius temporis rationem prçstare cogitur. Sin autem post finitam administrationẽ in ijsdem rebus minimè se immiscuerit: tẽporis quod insequitur, periculum ad te non pertinet. *Exemplum est, si nomen post finitam tutelam desinat esse soluendo. de quo uide s̃. cap.3.officio 2.reg.2. except.5. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi finita tutela, tutor in eadem administratione perseuerauerit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si in administratione connexa perseuerauerit, &c. *Concordat l.si tutor.13.ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Si tutor post pubertatem pupilli negocia administrauerit, in iudicium tutelæ uenire id tantùm, sine quo administratio tutelæ expediri non potest. Si uerò post pubertatem pupilli is qui tutor eius fuerat, fundos eius uendiderit, mancipia & prædia comparauerit: neq; uenditionis eius, neq; emptionis ratio iudicio tutelæ continebitur. Et est uerum, ea quæ connexa sunt, uenire in tutelæ actionem. Sed & illud est uerum, si cœperit negocia administrare post tutelam finitam, deuolui iudicium tutelæ in negociorum gestorũ actionem. oportuit enim eum à semetipso tutelam exigere. Sed & si quis, cũ tutelã administraret, idem curator adolescenti fuerit datus: dicendum est, negociorũ gestorum eũ cõueniri posse. *Concordat l.tutorem.36.ff.de administr.tutor.his uerbis:* Tutorem qui tutelam gerit, Sabinus & Cassius, prout gerit, in singulas res & tempora, uelut ex pluribus causis obligari putauerũt. Secundum quã sententiam sicut seruus institor dominicæ mercis, uel præpositus debitis exigendis, si liber factus in eodẽ actu perseueret (quamuis tempore seruitutis obligari nõ potuerit) præteriti temporis nomine actione negociorum gestorũ non inutiliter cõuenitur, earũ scilicet rerum, quæ connexam rationẽ cum his quæ postea gesta sunt, habuerunt: sic & tutelæ iudicium earum quoq; rerum causa tenere placuit, quæ post pubertatem administrantur, si posterior actus priori cohçreat, neque diuisus propriam rationem habeat. Inde descendit quæstio, quæ uulgò circa filiumfamiliâs tractata est, qui tutor testamento datus, post tutelam gestam emancipatus, in eodem officio perseuerauit. Et secundum Sabini & Cassij sententiam eueniet, ut de eo quidem quod post emancipationem gestum est, in solidum conueniri possit: de præterito autem (siue peculium non sit ademptum, siue ademptum sit) in id quod facere possit. Quòd si superioris temporis nomine patrem de peculio pupillus conuenire maluerit (annus enim utilis, ex quo tutelæ agi posse cœperit, computabitur, ne capiatur pater, inducta totius temporis causa) tempus quo filiusfamiliâs tutelam gessit, comprehendendum erit. *Concordat item replicationi propositæ l.1.§.cum eo.ibi: quare si quis. ff.de eo qui pro tutore. cuius uerba uide s̃.excep.2.repl.1.dupl.3. Planè huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ea quæ post finitam tutelam tutor gesserit, cum ijs quæ in tutela gesta sunt, non sint connexa, nec ijs cohæreant. de his enim non tutelæ actio competit, sed negociorum gestorum. quæ duplicatio ex supradictis constat. Concordat l.si post.14.ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Si post pubertatem tempore aliquo, licet breuissimo, intermiserit administrationem tutor, deinde cœperit gerere: sine ulla dubitatione tam tutelç, quàm negociorum gestorum iudicio cum eo agẽdum est. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cœpta in tutela post finitam tutelam ab eodem tutore sint perficienda. tunc enim, si cessauerit, quãuis finita tutela, tutelæ actione tenebitur. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt s̃.cap.3.officio 3.reg.1.except.1.repl.1. Tertia replicatio est: Nisi finita tutela, tutor non admonuerit puberem factum, ut sibi curatorem petat. Hæc replicatio approbatur l.ita autem.4.§.si tutor. ff.de administr.tutor. cuius uerba uide s̃.cap.8.reg.2. Quarta replicatio est: Nisi impuberi curator sit datus. hoc enim casu uidetur, quamuis finita sit tutela, nihilominus ad eum tanquam curatorem periculum pertinere. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ dicta sunt s̃.lib.proxim.cap.8.causa 1.except.1.*

XIIII. Exceptio: *Nisi in ijs rebus, quæ postquã datus tutor est, pupilli patrimonio accesserũt, damnũ aliquod contigerit. Hæc exceptio reprobatur l.quoties. 8.§.fin. ff.de administrat.tutor. his uerbis:* Qui datus est simpliciter tutor uel curator, si quid postea augmenti accesserit, periculo tenetur: quamuis solet ad augmentum dari curator. Quæ res non facit, ut ipsa augmenta non pertineant ad curam priorum, ad quos omnis utilitas pupillorum debet pertinere. Siue igitur datus est, communicatur periculum cum prioribus: siue datus non est, tenetur administrationis necessitate is qui antea erat datus. *Concordat l.cum furiosus.7.§.tali itaq;.C.de curatore furiosi, his uerbis:* Si quid postea ad furiosum peruenerit, siue ex hæreditate, uel successione, uel legato, uel fideicõmisso, uel alio quocunq; modo: hoc furioso accedat, & cùm alia eius substantia ma-

nibus curatoris tradatur, inuentario etiam super his omnibus rebus scilicet faciendo: & sub eius cura custodiatur, quatenus siquidem resipuerit furiosus, & adquisitione admiserit, ipsi restituatur. Sin autem in furore diem suum finierit, uel ad suam sanitatem peruenies eam repudiauerit: siquidē successio est, ad eos referatur (uolentes tamen) id est, uel substitutum, uel ab intestato hæredes, uel ad nostrum ærarium: eo scilicet obseruando, ut hi ueniant ad successionem, qui mortis tempore furiosi propinquiores existant ei, ad cuius bona uocabuntur, si non in medio fuisset furiosus: omni satisdatione uel cautione, quam per inextricabilem circuitū ueteris iuris authores induxerunt, radicitùs excisa: legatis autē proculdubio & fideicommissis, cæterisq; adquisitionibus furioso adquirendis, & substantiæ eius aggregandis. Sin autem ipse resipuerit, & noluerit ea admittere, & apertè hęc resipuerit, uel eius hæres hoc fecerit: à substantia eius illico separandis, quasi nec fuerint ab initio ad eum deuoluta: & per legitimum tramitem ambulantibus, substantiam furiosi nec pręgrauantibus, neq; adiuuantibus. *Concordat insuper inst. de excus. tutor. §. datus autem, his uerbis:* Datus tutor ad uniuersum patrimonium datus esse creditur. *Planè uidetur exceptio proposita admitti, si ijs rebus quæ postea accedunt, peculiaris curator sit constitutus. quæ tamen distinctio reprobatur uerbis d. l. 8. §. fin. paulò superius propositis hisce:* Quæ res nō facit, ut ipsa augmenta nō pertineant ad curā priorum, &c. *Cui concordat l. cū ob. §. in prin. C. in quib. causis tutorem habenti, his uerbis:* Cum ob augmētum facultatum curatores adiungi solent, non prius dati tutores administratione eorum liberantur.

XV. *Exceptio: Nisi certorum bonorum tutore uel curatore dato, in alijs rebus quàm quarum tutor aut curator datus est, damnum contigerit. Hæc exceptio approbatur l. quoties. 8. §. cōstat. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Constat eum qui ad augmentum datur (utpote ad bona materna, quæ postea accesserunt, uel ad aliud quod augmentum) administrare bona pristina non solere. Si autem suspectum facere priorem tutorem supersedit, uel satis ab eo exigere, plectetur. *Concordant ea quæ proposita sunt §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 40. repl. 1. cum sequentib. item §. cap. prox. quæst. 3. reg. 2. except. 1. repl. 9.*

XVI. *Exceptio: Nisi circa res in alia prouincia, quàm in qua tutor domicilium habet, sit ūs, damnum aliquod contigerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ habentur §. lib. prox. cap. 6. quæst. 1. causa 23. Sed & distinguitur per ea quæ habentur §. d. repl. 9.*

XVII. *Exceptio: Nisi non in rebus, sed corpore & salutē pupilli uel adolescentis damnum aliquod accideri. Hæc exceptio reprobatur l. consilio. 7. in prin. ff. de curatorib. furioso. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 9.*

XVIII. *Exceptio: Nisi non in rebus, sed moribus pupilli damnum contigerit. Et hæc exceptio reprobatur l. cum plures. 11. §. cum tutor. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 5. reg. 1.*

XIX. *Exceptio: Nisi pater qui testamento tutores dedit, adiecit se uelle eos rationibus reddendis esse solutos. Hæc exceptio reprobatur l. ita autem. 4. §. Iulianus. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Iulianus libro XXI. Digest. huiusmodi specié proponit. Quidā decedens filijs suis dederat tutores: & adiecerat, Eos ἀνυπολογήτους (id est, rationibus reddendis solutos) esse uolo. & ait Iulianus, Tutores, nisi bonam fidem in administratione præstiterint, damnari debere: quamuis testamento comprehensum sit, ut ἀνυπολόγητοι essent. Sed nec eo nomine ex causa fideicommissi quidquam cōsequi debebunt, ut ait Iulianus. Et est uera ista sententia. Nemo enim ius publicum remittere potest huiusmodi cautionibus, aut mutare formam antiquitùs constitutam. Damnum uerò quodcunq; ex tutela quis senserit, & legari, & per fideicommissum ei relinqui potest.

XX. *Exceptio: Nisi pater qui tutores dedit, consilio matris tutelam geri uoluerit, eoq; nomine tutores liberauit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 4. §. Papinianus, hisce uerbis:* Papinianus lib. V. Responsorum ita scribit: Pater tutelam filiorum consilio matris geri mandauit, & eo nomine tutores liberauit. Non idcirco minus tutorū officium integrum erit: sed uiris bonis conueniet, salubre consilium matris admittere: tametsi neq; liberatio tutoris, neq; uoluntas patris, aut intercessio matris, tutoris officium infringat. Vsqueadeò autem licet tutoribus patris præceptum negligere, ut si pater cauerit, ne quid rei suæ distraheretur, uel ne mancipia, ne uestis, ne domus, ne aliæ res periculo subiectæ: licèat eis contemnere hanc patris uoluntatem.

XXI. *Exceptio: Nisi absente tutore contigerit. Hæc exceptio reprobatur l. curatorem. 10. C. qui dare tutores. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 33. repl. 11.*

XXII. *Exceptio: Nisi tutor in nulla re pupillo author fit factus. Hæc exceptio reprobatur l. qui tutor. 17. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Qui tutor negocia pupilli gesit, quātuis in nulla re author pupillo fuerit, quin tutelę iudicio teneatur, dubitari nō oportet. Quid enim prohibet, ita patrimonium pupilli compositum esse, ut nihil gerere necesse sit, in quo tutoris authoritas interponi debeat?

XXIII. *Exceptio: Nisi tutor alium in locum suū substituerit. Hæc exceptio reprobatur l. curator. 12. C. qui*

qui dare tutores, his uerbis: Curator adolescenti ordinatus, post inchoatam litem non potest sub prætextu specialis curatoris à se nominati, aut litem contestatam deserere, aut ab administratione se subtrahere.

XXIIII. *Exceptio: Nisi stipulatio rem pupilli saluam fore, nouandæ tutelæ actionis animo fuerit interposita. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio hæc est: Nisi pupillus nouandi animo sit stipulatus. quæ replicatio cum etiam ipso iure subsistat, recipit duplicationē hanc: Nisi pupillus maior ætate factus, satisdationē rem pupilli saluā fore, ratam habuerit. Hæc duplicatio approbatur l. si pupillus. 9. in prin. ff. de nouationib. his uerbis:* Si pupillus sine tutoris authoritate rē saluā fore stipulatus, pubes factus ratam stipulationem habuerit, nouandi causa tollitur tutelæ actio: si nō habuerit ratum, licet tutelę egisset, habet tamen adhuc ex stipulatu actionem. Sed iudex tutelæ non aliter condemnare debet, quàm si ex stipulatione liberatio fiet.

XXV. *Exceptio: Nisi posthumus, cui tutor datus est, natus nō sit. Hæc exceptio approbatur l. posthumo. 24. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Posthumo tutor datus, non nato posthumo, neq; tutelæ, quia nullus pupillus est: neque protutelæ, quia nulla significatio est: neq; negociorū gestorum iudicio tenetur, quia administrasse negocia eius qui natus non esset, non uidetur. Et ideo utilis in eum actio dabitur. *Concordant ea quæ proposita sunt §. except. 12. item §. cap. prox. quæst. 9. reg. 1. except. 2.*

XXVI. *Exceptio: Nisi eo nomine actum sit. Hæc exceptio approbatur l. si non. 15. C. de administr. tut. his uerbis:* Si non subscripsisti quasi fideiussor, frustra uereris, ne ex ea intercessione, qua signasti ut curator olim liberatus (ut adfirmas) sententia præsidis ex officio curatoris conueniri possis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cū alio actum sit. Hæc replicatio approbatur l. qui tutor. 17. §. fin. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Ex duobus tutoribus si cum altero actum fuerit, alter non liberabitur. *Concordat l. tutores. 38. §. adolescens. ff. cod. tt. his uerbis:* Adolescens, tutoribus conuentis, à quibus totū seruare non potuit, aduersus curatores, qui tutelam ad se negligentia non transtulerūt, integram actionem retinet. neq; enim tutelæ iudicio consultum uidetur, quòd alterius officij querelam habuit. *Concordat l. conuento. 23. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Conuento hærede tutoris iudicio tutelæ, curatorem eiusdem neq; ipso iure liberatū uideri, neq; exceptionem rei iudicatæ ei dandam, Paulus scribit. Idemq; in hæredibus magistratuum obseruandū est. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi alter conuentus solidum, quod petitur, præstiterit. quæ duplicatio approbatur l. si ex. 15. ff. eod. tt. his uerbis:* Si ex duobus tutoribus cū altero quis trāsegisset, quamuis ob dolum communem, trāsactio nihil proderit alteri: nec immeritò, cùm unusquisq; doli sui pœnam sufferat. Quòd si conuentus alter præstitisset, proficiet id quod præstitit ei qui cōuentus nō est. licet doli mali ambo rei sint, tamen sufficit unum satisfacere: ut in duobus, quibus res commodata est uel depositā, quibusq; mandatū est. *Concordat l. si minoris. 24. in fine. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. repl. prox. Secunda replicatio est: Nisi culpa curatorum tutor cōuentus minoris fuerit condemnatus. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d. l. 24. his uerbis:* Si minoris actū fuerit cum tutoribus, adsistētibus curatoribus, & pupillus ob hoc egerit cum curatoribus, & ei sint condemnati in id quod sua intererat, minoris eorū culpa tutores condemnatos nō esse: an restitutio aduersus tutores cesset? Et Papinianus lib. II. Responsorum ait, nihilominus posse restitui: & idcirco curatores, si nondum iudicatum fecerint, posse prouocantes per exceptionem doli consequi, ut eis mandētur aduersus tutores actiones. Quid tamen, si iam fecerunt iudicatum curatores? Hoc proderit tutoribus: quoniam nihil minori abest, qui de præda magis quàm de damno sollicitus est: nisi forte mandare actiones paratus sit curatoribus. *Concordat l. alterius. 20. §. non idcirco. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Non idcirco actio, quæ post uicesimum quintum ætatis annum intra restitutionis tempus aduersus tutorem in minore pecunia tutelæ iudicio condemnatum redditur, inutilis erit, quòd adolescenti curatores ob eam culpam condemnati sunt. Itaq; si non iudicatum à curatoribus factum est: per doli exceptionem curatores consequi poterunt, eam actionē sibi præstari. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi alius eo nomine cōuentus & cōdemnatus soluit. quæ duplicatio cōstat ex uerbis iam propositis hisce:* Quid tamen, si iam fecerunt, &c. *De quā re uide item §. repl. prox. dupl. ii. Tertia replicatio est: Nisi de alia re agatur, quàm de qua actum est prius. Hæc replicatio approbatur l. Lucius. 45. §. tutelæ. ff. de administr. tut. his uerbis:* Tutelę iudicio tutor conuentus, edidit librum rationum, & secundum eum condemnatus soluit: postea cum à debitoribus paternis, quorum nomina libro rationum nō inerant, exigere uellet pupillus decem, prolatæ sunt ab his apochæ tutoris. quæsitum est, utrum aduersus tutorem, an aduersus debitorem actio ei competat? Paulus respondit: Si tempore administrandæ tutelæ tutori tutelam gerenti debitores soluissent, liberatos eos ipso iure à pupillo. Sed & si cum tutore actum esset, posse eundem adolescentem propter eam causam tutelæ experiri,

periri, & aduersus exceptionem rei iudicatæ doli mali replicatione uti. *Quarta replicatio est: Nisi impubes egerit. Hæc replicatio approbatur l. nisi finita. 4. §. si adhuc. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si adhuc impubes tutelæ agat, nihil consumitur.

XXVII. *Exceptio: Nisi transactũ sit. Hæc exceptio ipso quidẽ iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi cum alio transactũ sit. quæ replicatio approbatur l. si ex. 45. in prin. ff. de tutelæ actione. cuius uerba ui de §. except. prox. repl. 1. dupl. 1.*

XXVIII. *Exceptio: Nisi tutelæ actio remissa sit. Hæc exceptio approbatur l. ita autem 4. §. Iulianus, in fine. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. except. 20. Concordat l. tutores. 38. §. ab eo. ff. eod. tt. his uerbis:* Ab eo qui restitutionis auxilio non iuuatur, quæstio culpæ tutorum conuentione remitti potest: nec donatum, sed transactum uidetur negligentia tutorum. *Concordat item l. qui plures. 40. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. reg. 9. except. 2.*

XXIX. *Exceptio: Nisi minor tutori uel curatori conuento uel condemnato, non cedat actionem, quã habet eius causæ nomine aduersus alium. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. non tantùm. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Non tantùm ante cõdemnationem, sed etiam post condemnationem desidera re potest tutor mandari sibi actiones aduersus contutorem, pro quo condemnatus est. *Concordat l. si minoris. 24. ibi: & idcirco. ff. de administrat. tutor. cuius uerba uide §. except. 26. repl. 2. Item concordat l. tutores. 38. §. periculo. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 2. officio 2. reg. 2. except. 6. Item concordat l. alterius. 20. §. fin. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide §. except. 26. repl. 2. Concordat l. 2. in prin. ibi: cessione uidelicet. & §. fin. C. de diuidenda tutela. cuius uerba uide ỹ. cap. prox. quæst. 3. reg. 2. except. 1. repl. 9. Concordat item l. 2. C. de contrario iudicio tutelæ, his uerbis:* Si non ex propria culpa solus pupillæ condemnatus es, sed absens & indefensus adquieuisti: cum ex causa iudicati satisfacere cœperis, actiones aduersus contutores tuos mandari tibi à pupillo desiderabis, uel utili actione uteris. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex dolo communi tutor cõuentus soluat. quæ replicatio approbatur l. 1. §. nunc tractemus. ibi: planè si ex dolo. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide ỹ. cap. prox. quæst. 8. reg. 1. Altera replicatio est: Nisi ex eo quòd non administrarunt, tutores conueniantur. quæ replicatio approbatur l. si plures. 37. in fine. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide ỹ. cap. proxim. quæst. 3. reg. 2. except. 1. Tertia replicatio est: Nisi tutor qui factum contutoris præstat, actionem aduersus magistratum, qui tutorem dedit, dari sibi petat. Hæc replicatio approbatur l. 2. ff. de magistratibus conueniendis. cuius uerba uide ỹ. capite quæst. 3. Sed & plura de except. proposita uide ỹ. cap. prox. quæst. 8.*

DE RELIQVO TVTElæ actionis iure. Cap. X.

HActenus causæ tutelæ actionis cum suis exceptionibus expositæ sunt. *Sed & plures huiusmodi exceptiones licet uidere §. sub unoquoq; officij genere: item ỹ. hoc cap. quæst. 3. reg. 2. except. 2. cum sequentibus. Nunc reliqui propositæ actionis loci excutiendi sunt.*

II. QVIBVS TVTELAE actio competit?

I. *Regula, De minoribus ætate. His actio proposita non datur. quæ regula approbatur l. de his. 12. C. de administr. tutor. his uerbis:* De his quæ in fraudem administrationis à tutore gesta, uel negligenter acta à curatoribus eorum, quibus successisti, allegas, agere debes, si modò annos legitimæ ætatis implesti. neque enim ignoras, non multum patrocinari fœcunditatem liberorum fœminis ad reiũ suarum administrationem, si intra ætatem legitimã sint constitutæ. *Huius regulæ exceptio est: Nisi pupillus hæres extiterit ei, cuius tutelam tutor suus gesserat. hoc enim casu ex causa hæreditaria tutelæ acto pupillo nõ denegatur. l. si pupillus. 7. in prin. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide ỹ. reg. prox. in fine. Plures huiusmodi exceptiones uide ỹ. quæst. 6. reg. 1.*

II. *Regula, De hæredibus pupilli. His quoq; datur actio proposita. quæ regula approbatur l. 1. §. hanc actionem. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Hanc actionem etiam in hęredem tutoris competere, constat. Sed & hæredi pupilli æquè competit, similibusq; personis. *Concordat l. tutelæ. 12. C. arbitrium tutelæ, his uerbis:* Tutelæ actio tam hæredibus, quàm etiam contra successores competit. *Concordat itè l. de his. 12. C. de administr. tutor. his uerbis:* De his quæ in fraudem administrationis à tutore gesta, &c. *Concordat item l. 2. C. communia de successionib, his uerbis:* Si pater tuus propius sobrino tuo adgnato constituto, & intestatò defuncto, ciuili iure adita hæreditate, uel hoc ab initio non interueniente, seu capitis diminutione perempto, solẽniter bonorum possessione admissa, successit, ac tibi patris tui quæsita hæreditas est: adire præsidem prouinciæ debes, ac tutorẽ eius de tutela conuenire. *Concordat deniq; l. si pupillus. 7. in prin. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si pupillus hæres extiterit ei cuius tutelam tutor suus gesserat, ex hæreditaria causa cum tutore suo habebit actionem.

III. ADVERSVS QVOS tutelæ actio competit?

I. *Regula, De hæredib. tutoris. Aduersus hos quoq; proposita actio competit. quæ regula approbatur l. 1. §. hanc actionem. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide §. reg. prox. Concordat l. tutelæ. 12. C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide itidem §. reg. prox. Item concordat l. aduersus. 3. C. de hæredib. tutor. his uerbis:* Aduersus

uersus hæredes quondam tutoris tui tutelæ actione consiste. In iudicium autem ueniet etiam id, quod tibi tutor ex causa fideiussionis debuit. *Concordat l. hæredes. 4. C. eod. tt. his uerbis:* Hæredes eorum qui tutelam uel curam administrauerunt, si quid ad eos ex re pupilli uel adulti peruenit, restituere coguntur. In eo etiam quod tutor uel curator administrare debuit, nec administrauit, rationem reddere eos debere, non est ambigendum. *Huius regulæ exceptio prima hæc esse uidetur: Nisi tutor nihil in tutela gesserit. quæ exceptio reprobatur l. 2. C. d. tt. his uerbis:* Pater uester tutor uel curator datus, si se non excusauit, non ideo uos minus hæredes eius tutelæ uel utili iudicio conueniri potestis, quòd eum tutelam seu curam non administrasse dicitis. nam etiam cessationis ratio reddenda est. Prius tamen propter actum suum eos conueniendos esse, qui administrauerunt, sæpe rescriptum est. *Secunda exceptio est: Nisi hæres tutoris ob negligentiam propriam conueniatur. Hæc exceptio approbatur l. 1. C. eod. tt. his uerbis:* Hæredes tutoris ob negligentiam, quæ non latæ culpæ comparari possit, condemnari non oportet, si non contra tutorem lis inchoata est, neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratię prestitum sit. *Concordat l. cum ostendimus. 4. in prin. ibi: negligentia planè. ff. de fideiussorib. tutor. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 2. repl. 2. Concordat l. nõ similiter. 4. ff. de magistr. conueniendis, hisce uerbis:* Sed nec hæres tutoris negligentię nomine tenetur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi lata negligentia sit. quæ replicatio constat ex uerbis supradictis hisce:* Quæ non latæ culpæ comparari possit. *Secunda replicatio est: Nisi in eo quod defunctus tutor cœpit, perficiendo negligens hæres fuit. Et hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si non contra tutorem lis inchoata est. *Concordat l. 1. in princ. ff. de fideiussor. tutorum. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 2. repl. 2. Concordat itẽ l. tutor. 27. ff. de appellationib. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 3. reg. 1. except. 1. repl. 1. Concordat item l. unica. §. tutor quoque. ff. si pendente appellat. cuius uerba uide §. d. repl. 1. dupl. 1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi hæres non sit legitimæ ætatis. quæ duplicatio approbatur l. 1. in prin. ibi: si legitimæ ætatis. ff. de fideiussoribus tutor. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 2. repl. 2. in prin. Concordat l. liberto. 30. §. tutoris. ff. negociorum gestorum. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 1. quæst. 8. reg. 5. except. 3. Altera duplicatio est: Nisi hæres fœmina sit, quæ duplicatio approbatur d. l. 1. in prin. ibi: & masculus sit. ff. de fideiuss. tutor. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi dolo malo hæres negligens fuerit. Hæc replicatio approbatur l. 1. ibi: neque ex damno pupilli. C. de hæredibus tutor. cuius uerba uide suprà eod. except. in prin. Quarta replicatio est: Nisi hæres in restituenda tutela negligens fuerit. quæ replicatio approbatur l. tutor. 6. §. pecuniæ quæ in arca. ff. de administrat. tutor. his uerbis:* Pecuniæ quæ in arca fuit, etiam hæredes tutoris tamdiu usuras præstabunt, quamdiu non interpellauerint, ut loco defuncti curator constituatur. *Hæc de secunda exceptione. Tertia exceptio est: Nisi hæres ex proprio facto conueniatur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi ea quæ à defuncto tutore cœpta sunt, hæres fuerit executus: uel res pupillares à defuncto perceptas non restituat. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt suprà cap. prox. except. 2. repl. 2. Planè ex propria negligentia circa res pupillares hæres non tenetur. de qua re dictum suprà except. prox. Quarta exceptio est: Nisi ex dolo defuncti hæres conueniatur. Hæc exceptio reprobatur l. hæredes. 8. §. Paulus. ff. de fideiuss. tutor. cuius uerba uide ỹ. except. prox. Quinta exceptio est: Nisi hæres ignoret ubi sint instrumenta, de quibus restituendis conuenitur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi instrumentis dolo tutoris amissis, lis cum defuncto tutore eo nomine sit contestata. quæ replicatio approbatur d. §. Paulus, his uerbis:* Paulus respondit, tale iudicium in hęredem tutoris transferri oportere, quale quidem defunctus susceperit: hoc eò pertinere, ut non excusetur hæres, si dicat se instrumenta tutelaria non inuenisse. Nam cum ex omnibus bonæ fidei iudicijs propter dolum defuncti hæres teneatur: idem puto seruandum in tutelæ actione. Sed constitutionibus subuentum est ignorantiæ hæredum? Hoc tamen tunc obseruandũ est, cum post mortem tutoris hæres conueniatur: non si lite contestata tutor decesserit. nam litis contestatione & pœnales actiones transmittuntur ab utraque parte, & temporales perpetuantur. *Secunda exceptio est: Nisi tutor mutiliter sit datus. Hæc exceptio approbatur d. l. 8. in prin. his uerbis:* Hæredes eius qui non iure tutor uel curator datus, administrationi se non immiscuit, dolum & culpam præstare non debent. *Septima exceptio est: Nisi nomine contutoris alterius tutoris hæres conueniatur, contutore finita tutela soluendo existente. Hæc exceptio approbatur l. tutores. 38. §. tutoribus. ff. de administrat. tutor. his uerbis:* Tutoribus idoneis diem functis, uice mutua periculum ad hæredes eorum nõ redundat, quod non habuit locum officio tutelæ manente.

II. *Regula, De pluribus tutoribus. Quilibet horum non nisi pro parte uirili tenetur. quæ regula approbatur l. 1. §. nũc tractemus. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Nunc tractemus, si plures tutelam pupilli administrauerint, pro qua quisque eorum parte conueniendus sit. Et si quidem omnes simul gesserunt tutelã, & omnes soluendo sunt: æquissimum erit, diuidi actionem inter

inter eos pro portionibus uirilibus exemplo fideiussorum. Sed & si non omnes soluendo sint, inter eos qui soluendo sunt, diuiditur actio: sed prout quisq; soluendo est, poterunt conueniri. *Concordat l.si plures.37.in prin.ff.de administrat.tutorum, his uerbis:* Si plures tutelam non administrauerint, & omnes soluendo sint: utrum quia nullæ partes administrationis inueniuntur, electioni locus erit: an ut eiusdem pecuniæ debitores, excipere debebunt periculi societatem? quod magis ratio suadet. *Concordat item l.cum interdictæ.6.ibi: quòd autem C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide ȝ.except.2.replic.1. Item concordat l.ult.§.nec quisquam.ff.rem pupilli saluam fore. cuius uerba uide ȝ.reg.5. except.7. Contradicere uidetur l.2.in prin. C.de diuidenda tutelâ. cuius uerba uide ȝ.except.prox. replic.9. Item contradicere uidetur l.à tutorib.32.§. hæredibus. ff.de administrat.tutor: cuius uerbâ uide ȝ. reg.5.except.7.in fine. Item contradicere uidetur l.si duo.50.in princ. ff.eod.tt: cuius uerbâ uide ȝ.except. prox.replic.9.* Est autem propositæ regulæ exceptio prima hæc: *Nisi alter tutorum non sit soluendo: tunc enim alter in solidum tenetur, uel pro ea parte, quæ ab altero seruari non potest. quæ exceptio, præterquam quòd ex iam dictis constat, approbatur etiam d.l.17.bis uerbis:* Si quidam ex tutoribus idonei non sunt, onerabuntur sine dubio cæteri: nec iniquè, cùm singulorum contumacia pupillo damnum in solidum dederit. Vnde quærendum est, an actiones pupillus ei qui solus conuenitur, in alterum pro parte scilicet præstare debeat? Sed cùm propria cuiusque contumacia puniatur, qua fronte poterit hoc desiderari? *Ait iurisconsultus:* Cùm propria cuiusque contumacia: *scilicet non administrantis, ut dictum d.l.17.in prin. cuius uerba uide paulò superius ead.reg.in prin. Pertinebit autem hoc de actionibus præstandis ad ea quæ dicta sunt ȝ.cap.proxim.except.29.replic.2. Concordat propositæ exceptioni l.tres tutores.54.§.1.ff. eod.tt. his uerbis:* Tutorum quidem periculum cõmune est in administratione tutelæ, & in solidum uniuersi tenentur. *Concordat item l. si plures.12.§.nec quisquam.ff.rem pupilli saluam fore. cuius uerba uide ȝ.reg.5. except.7. Huius exceptionis ratio hæc est, quòd tutorum alter alterum malè administrantem suspectum facere debeat, interdum etiam ab eo satis petere: quod quia neglexit, eius factum tenetur præstare. de qua re dictum ȝ.cap.5.reg.9.* Replicatio huius exceptionis prima hæc est: *Nisi contutoris bona ab eo tempore, quo in testamento uel ex inquisitione datus est, non fuerint deminuta. Hæc replicatio reprobatur d.l.54.§.quod autem.ff. de administrat.tutor. his uerbis:* Quod autem dicitur, desijsse soluendo esse uel non esse, & contutores præstare debere: tu ideamus qualem intellectum habeat. Item utrum sufficiat, nihil deminutum esse de facultatibus contutoris, ex quo tempore datus est, sed eandem faciem patrimonij permansisse: an etsi nihil post accidit, quod palàm faciat deminutionem patrimonij, debeat tamen contutor inquirere fortunas contutoris? Sed & hoc & ex personæ qualitate, & ex temporis intercapedine, quo testamentum factum est, usque ad mortem patris, aliam æstimationem accipere potest. Nam aperte prodigo, uel cuius bona uenierant (licet obreptum fuerit prætori, qui decreto eum dedit) permittere contutor administrationem non debet. Et potuit aliquid pater eorum post testamentum factum accidens ignorasse: aut cum destinatum haberet mutare testamentum, id non fecisse. *Secunda replicatio est: Nisi contutor idoneus, subitò facultatibus lapsus sit. Hæc replicatio approbatur l.etiam.13.in fine. ff. de administrat.tutor. cuius uerba uide ȝ.cap.5. reg.9. Tertiâ replicatio est: Nisi ex eo quod contutor post finitam tutelam gessit, agatur. Hæc replicatio approbatur l.diui.30. ff.de administrat.tutor. his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus Augusti Sergio Iuliano: Forma qua singuli tutores, prout quisque gessit tutelam, nonunquam in solidum tenentur, duntaxat intra pubertatis tempora locum habet: non etiam, si post pubertatem administrauerint. *Concordat simul & distinguit l.si tutor.13.ff.de tutelæ actione. cuius uerba cum concordantibus uide ȝ.cap.prox.except.13.replic.1. Quarta replicatio est: Nisi post finitam tutelam contutor desierit esse soluendo, antea idoneus existens. Hæc replicatio approbatur l.1.C.de diuidenda tuteld, his uerbis:* Si post finitum administrationis officium collegæ tui indemnitati præstandæ idonei fuerint, posteaque; dum non conueniuntur, minus idonei effecti sunt: uitium alienæ cessationis ad dispendium tutum pertinere iuris ratio nõ patitur. *Concordat l.tutores.38.§.tuteribus. ff. de administrat.tutor. cuius uerba uide ȝ.reg.prox.except.7. Item concordat l.Aemilius.52.ff.eod.tt. his uerbis:* Aemilius Dexter magistratus sui tempore datis tutoribus, cessauerat in exigenda satisdatione. deinde quibusdam excusatis, à sequentibus magistratibus Dexter tutor adsumptus fuerat. creatus conueniebatur in solidum duplici ratione: & quia tutor, & quòd cum magistratus esset, & tutores dedisset, satisdationem non exegisset. Ex diuerso dictum est, licet satis exactum non esset, tamen in diem tutelæ finitæ idoneos fuisse tutores, neque cessationem curatorum obesse tutoribus debere. Pronunciauit, si in diem finitæ tutelæ idonei permansissent tutores: licet satis non esset exactum, curatorum esse periculum: si minus, tutorum & magistratuum. *Concordat item l. l.ultim.in fine. C.in quibus casibus tutorem habenti. cuius*

cuius uerba uide ȝ.lib.prox.cap.8.causa 16. Quinta replicatio est: Nisi inutiliter tutores uel curatores sint dati. Hæc replicatio approbatur simul distinguitur per ea quæ dicta sunt ȝ.cap.prox.except.1. Sexta replicatio est: Nisi cõtutor, cuius nomine alter tutor conuenitur, fuerit liberatus. Hæc replicatio approbatur l.si pupillus.44.ff.de administr.tut.bis uerbis: Si pupillus alterum ex tutoribus post pubertatẽ authoritate curatoris liberasset, improbè alterũ illius nomine conabitur interpellare. Idéq; dicemus in duobus magistratibus collegis, quorum alterum respublica conuenit. Sed hæc in magistratibus quidam tractãt, quasi duo rei eiusdẽ debiti essent omnino: quod non ita est. nam si uterq; idoneus est, electio locum non habet. Is autem qui tempore liberatus est, nõ ei similis est, qui nihil habet, sed ei qui satisfecit: habet enim quod obijciat petitori. *Septima replicatio est: Nisi altero tutorum in testamento, altero à magistratu dato, eius nomine qui à magistratu datus est, non prius magistratus qui eum dedit conueniatur. Hæc replicatio approbatur l.Lucius.45.§.cum in testamento. ff.de administr. tutor. cuius uerba cum alijs huc pertinẽtib. uide ȝ.cap. 13.quæst.2.except.5. Octaua replicatio est: Nisi tutor contutorem, cuius nomine conuenitur, suspectũ fecerit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerum eius duplicatio hæc est: Nisi tardius suspectũ fecerit, uel præuaricatus sit. quæ duplicatio approbatur d.§.cum in testamento. Concordat l.2.ibi: nisi per dolum. C.de diuidenda tutela. cuius uerba uide ȝ.repl.prox. Nona replicatio est: Nisi tutela inter tutores fuerit diuisa. tunc enim alter ex alterius facto non tenetur. quæ replicatio approbatur l.2.C.de periculo tutor. his uerbis:* Ad eos qui in alia prouincia tutelâ administrãt, periculum administrationis ex persona tutorum, qui in alia prouincia res pupilli gerunt, non porrigitur. *Concordat l.si duo.50.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Si duo plurésue tutores tutelam administrẽt: in fideiussorem quidem in solidum per quẽlibet eorum cõmittitur stipulatio. At si inter eos diuisa sit tutela regionibus (quod plerunq; fit) & alius urbica negocia, alius peregrina administret: tunc ex substantia cuiusq; rei aut committi contra fideiussorem stipulationẽ, aut non cõmitti dicemus. Nam licet omnes tutores sint, & tutelam gerant: tamen cũ quis de ea re, quæ extra suam regionẽ erit, experiri uel ad iudicium uocari cœperit: perinde non cõmittitur stipulatio, atq; si ei administratio tutelæ permissa non esset. Quantum enim facit in totum denegata: tantundem ualet, si in ea re, de qua agitur, denegata sit. *Concordat item l.tres tutores.54.§.planè si. ff. eod.tt. his uerbis:* Planè si numerata pecunia pupilli inter eos distributa est, non in maiorẽ summam quisq; eorum, quàm accepit, tenetur. *Concordat item l.2.C.de diuidẽda tutela, his uerbis:* Si diuiso administrationis inter tutores siue curatores in eodẽ loco seu prouincia cõstitutos necdum fuerit: licentiã habet adolescens & unum eorũ eligere, & totum debitum exigere: cessione uidelicet ab eo aduersus cæteros tutores seu curatores actionũ ei competẽtium facienda. In diuisionem aũt administratione deducta, siue à præside, siue à testatoris uoluntate: unumquemq; pro sua administratione cõuenire potest, periculum inuicẽ tutoribus uel curatoribus nõ sustinentibus: nisi per dolũ aut culpam suspectum non remouerũt, uel tardè suspicionis rationem mouerunt, cum alter eorũ nõ soluẽdo effectus est, uel suspicionis causam agendo sua sponte iura pupilli prodiderũt. Nec prodest eis dicentibus, eum contutorẽ suũ non administrasse res pupillares. Sin uerò ipsi inter se res administrationis diuiserunt: nõ prohibetur adolescẽs unum ex his in solidum conuenire, ita ut actiones quas aduersus alios habet, ad electum trãsferat. *Cõcordat item l.Lucius.45.§.cũ in testam. in fine. ff.de administrat.tut. cuius uerba uide ȝ.cap.13.quæst.2.except.5. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi nec à magistratu, nec à testatore inter tutores diuisa sit tutela, sed illi inuicem eam diuiserint. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sin uerò ipsi inter se res administrationis diuiserunt: nõ prohibetur adolescens unum ex his in solidum cõuenire. *Concordat l.duo.5.ff. de magistratib. conueniendis, hisce uerbis:* Duo tutores partiti sunt inter se administrationẽ tutelæ: alter sine hærede decessit. Quæsitum est, utrum in magistratũ, qui non curasset ut caueretur, an in alterum tutorẽ actio pupilli dari deberet? Iulianus respõdit, æquius esse in alterũ tutorẽ dari, quàm in magistratũ. debuisse enim eum, cũ sciret pupillo cautũ non esse, uniuersa negocia curare: & in ea parte, quam alteri tutori commisisset, similem esse ei qui ad administrationẽ quorundam negociorũ pupilli nõ accessisset. nam & si aliquã partem negociorũ pupilli administrauerit, tenetur etiam ob rem quam nõ gessit, cum gerere deberet. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi non tutores fuerint, sed administratores reipublicæ. quæ triplicatio approbatur l. Lucius.45.§.1.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Sempronij, qui ex pollicitatione debitor patriæ suæ extiterat, bona respublica iussu præsidis possedit: quorũ bonorũ magistratus reipublicæ tres curatores cõstituerunt, qui apud Græcos uocantur *ἐπιτρόπους*: qui postea inter se sine cõsensu reipublicæ administrationẽ bonorum Sempronij diuiserũt. ex quibus quidam, cũ reliqua traheret, idonei ipso tẽpore administrationis esse desierũ. postea pupillus hæres Sẽpronij, qui abstẽtus erat,

decreto præsidis, habens excusationē absolutus es: ad te nō pertinere periculū administrationis, manifestum est. *Concordat l. decreto. 10. ff. de suspectis tutorib. his uerbis:* Decreto prætoris ut suspectus remotus, periculum futuri temporis non timet. iniquum enim uidetur, remoueri quem tutela uel cura, in futurum autem non esse securū. *Sexta exceptio est: Nisi tutela inter tutores fuerit diuisa. tunc enim non pro uirili parte tenētur, nec alter alterius factum præstat, sed quilibet pro sua quam administrauit parte conuenitur, quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ē. except. 1. replic. 9. Hactenus de secunda regula, eiusq; exceptionibus sit dictum.*

6

III. *Regula, De patre tutoris & ipso filio tutore. Pater regulariter filij sui nomine tenetur. quæ regula ipso quidem iure subsistit, uerūm eius exceptio hæc est: Nisi postquam emancipatus est filius, tutelā gesserit, uel dolo quid fecerit. quæ exceptio approbatur l. si filius. 6. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si filius familiās tutelā administrauerit, & liberatus patria potestate dolo aliquid fecerit: an actio tutelæ patrem hoc nomine teneat, quæritur? Et æquum est, ut eū dūtaxat dolū pater præstet, qui commissus sit ante emancipationem filij. *Planè in quātum pater filij nomine teneatur, uide ī. quæst. 5. reg. 9. Sed & filius ipse suo nomine tenetur. quæ regula approbatur l. nisi. 4. §. 2. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Filium familiās emancipatum, si tutelam administret, etiam directò teneri, Iulianus putat. *Concordat l. si filiusfam. 11. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. quæst. 8. reg. 9. In quantum autem teneatur filius, uide d. quæst. 5. reg. 10.*

IIII. *Regula, De domino serui pro tutore negocia pupilli gerentis. Hic quoq; tenetur. quæ regula approbatur l. 1. §. proinde etsi. ff. de eo qui pro tutore. cuius uerba uide ē. cap. prox. except. 2. repl. 1. dupl. 1.*

V. *Regula, De fideiussore tutoris. Hic quoq; tutelæ actione tenetur. quæ regula approbatur l. cum ostendimus. 4. §. fin. ff. de fideiussorib. tutor. his uerbis:* Fideiussores à tutoribus nominati, si præsentes fuerūt, & nō cōtradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt: æquum est perinde teneri, atq; si iure legitimo stipulatio interposita fuisset. Eadem causa uidetur affirmatorū: scilicet quia cum idoneos esse tutores affirmauerint, fideiussorum uicē sustinent. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi stipulatione nō intercueniente, fideiusserint. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis. Secunda exceptio est: Nisi prius tutor ipse nō sit cōuentus. Hæc exceptio reprobatur quidē iure antiquo l. 1. C. de fideiuss. tutor. his uerbis:* Eligere debes, utrum cū ipsis tutoribus uel curatoribus seu hæredibus eorum, an cum his qui pro ipsis se obligauerunt, agere debeas, uel (si ita malis) diuidere actionē. nam in solidum & cum reo & cū fideiussoribus agi iure non potest. *Iure autem nouo exceptio proposita approbatur Nouell. c. 4. §. 1. in prin. usq; ad §. quod autem. de quo alibi. Tertia exceptio est: Nisi cum tutore actum sit, & ab eo soluti. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis: Nam in solidum & cum reo & cum fideiussoribus agi iure non potest. Concordat l. 2. C. eod. tt. his uerbis:* Non est ambigui iuris, electo reo & soluente fideiussorem liberari. Ideo & si simpliciter acceptus est fideiussor in id, quod tutor seu curator debiturus esset: cū proponas tutorē seu curatorē damnatum soluisse: quid dubium est, liberatum esse fideiussorem? Planè si stipulatio rem saluam fore interposita est, uel cautum est in id quod à tutore seu curatore seruari non potest: manet fideiussor obligatus ad supplendam tibi indemnitatem. *Quarta exceptio est: Nisi mulier pro tutore fideiusserit. quæ exceptio approbatur l. 1. C. si mater indemnitatem promisit, his uerbis:* Suo potius periculo magistratus tutores quos petisti dederunt, quàm tu contra sexus conditionem alicui ex ea obligatione obstricta es, quòd tuo periculo tutores filijs tuis dari postulasti. *Quinta exceptio est: Nisi ex eo agatur, quod tutor finita tutela præter officium gessit. Hæc exceptio approbatur l. Lucius. 45. §. Paulus. ff. de administr. tutor. his uerbis:* Paulus respondit, propter ea quæ post puberta tem, nulla necessitate cogente, sed ex uolūtate sua tutor administrauit: fideiussorē qui saluam rem fore cauit, non teneri. *Sexta exceptio est: Nisi ex eo agatur, quod tutor extra suā partem uel regionem administrauit. quæ exceptio approbatur l. si duo. 50. ff. eod. tt. cuius uerba uide ē. reg. 2. except. 1. repl. 9. Septima exceptio est: Nisi pluribus fideiussoribus existentibus, unus ex ijs in solidum conueniatur. Hæc exceptio reprobatur l. si plures. 12. ff. rem pupilli saluam fore, his uerbis:* Si plures fideiussores à tutore pupillo dati essent, non est distinguendum, Paulus ait: sed in unum dandam actionem, ita ut ei qui conueniretur, actiones præstarentur. Nec quisquam putauerit ab iure discessum, postquam pro ea parte placuit tutores condemnari, quam administrauerunt: & ita demum in solidum, si res à cæteris non seruentur, aut idonea culpa detegatur, quòd suspectum facere supersederint. nam æquitas arbitrij, atque officium boni uiri uidetur eam formam iuris desiderasse. Cæterùm fideiussores ciuiliter in solidum obligati, cæteris quidem agentibus, ut diuidatur actio, impetrare possunt: pupillo uerò agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendæ actionis iniuriam habere usum est: ne ex una tutela causæ plures, uariæque quæstiones apud diuersos iudices constituerētur. *Planè uidetur admitti exceptio proposita, si non*

si non pupillus, sed eius hæres agat. uerūm distinctio hæc reprobatur l. à tutorib. 32. §. hæredibus. ff. de administrat. tutor. his uerbis: Hæredibus quoq; pupillorum electio eadem aduersus tutores, cum quo potissimùm consistere uelint, cōpetit, quæ ipsis quorum tutela administrata fuit. *Planè admittitur exceptio proposita, si adulto facto pupillo, fideiussores nouauerint contractum. quæ distinctio approbari uidetur l. si fideiuss. 7. ff. de fideiussoribus tutor. his uerbis:* Si fideiussores, qui rem saluam fore pupillo cauerant, ut tutorem adolescens antè conueniret petierunt, atque ideo stipulanti promiserunt, &c. *Octaua exceptio est: Nisi aduersus ipsum tutorem agi non potuit. tunc enim sine dubio nec aduersus eius fideiussorem actio danda. cuius exceptionis species in præcedentibus sunt propositæ. Plura de regula proposita uide ī. quæst. 5. reg. 12. item ī. cap. 12.*

VI. *Regula, De nominatore tutoris. Hic quoque actione tutelæ tenetur. Quæ regula ipso quidem iure subsistit, uerūm eius exceptio prima hæc est: Nisi non prius tutor ipse, eiusq; fideiussor & collega sit conuentus. quæ exceptio approbatur l. aduersus. 4. C. de magistratibus conueniendis. cuius uerba uide ī. capite 15. quæst. 2. except. generali 4. Altera exceptio est: Nisi alius, non is qui conuenitur, nominauerit tutorem. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerūm eius replicatio hæc est: Nisi alius rei cōuenti mandatu nominauerit. quæ replicatio approbatur l. 2. ff. de fideiussor. tut. his uerbis:* Postulare tutorem uidetur, & qui per alium postulat: item nominare, & qui per alium hoc idem facit. *Tertia exceptio est: Nisi mater tutorem nominauerit. quæ exceptio approbatur l. ult. C. si mater indem. promisit, his uerbis:* Ob tutorem non idoneum à matre petitū, frustra uobis eam teneri contenditis: cum non, nisi specialiter eius periculo dari decreto fuerit comprehensum, ex ea obligatione obstricta sit. *Concordat l. 1. C. eod. tt. cuius uerba uide ē. reg. prox. except. 4.*

VII. *Regula, De magistratu qui tutorem dedit. Hic quoq; tenetur actione, quæ dicitur subsidiaria. de qua dicetur ī. cap. 13.*

VIII. *Regula, De eo qui tutores idoneos esse affirmauit. Hic quoq; tanquam fideiussor tenetur. quæ regula approbatur l. cum ostendimus. 4. §. fin. ff. de fideiuss. tutor. cuius uerba uide ē. reg. 5. in prin.*

IX. *Regula, De eo qui suscepta administratione tutori indemnitatem promisit. Hic tutelæ actione non tenetur. quæ regula approbatur l. tutorem. 9. C. arbitrium tutelæ, his uerbis:* Tutorem quondam, ut tam rationem, quàm si quid reliquorū nomine debet, reddat, apud Prætorem conuenire potes. quamuis enim matrem tuam, suscepto bonis uestris, indemnitatē pro hac administratione tutori se præstituram promisisse proponatur: tamen aduersus tutorē tibi tutelæ, non aduersus matris successores ex stipulatu competit actio. *Planè ipsi tutori aduersus eum qui indemnitatem promisit, datur actio: de quo dicetur ī. quæst. 8. reg. 2.*

X. *Regula, De fisco ad quem bona tutoris peruenerunt. Aduersus hunc quoq; tutelæ actio competit. quæ regula approbatur l. si tutor. 9. §. penult. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide ī. quæst. 6. reg. 1. except. 3. Concordat l. 2. C. ad l. Iuliam de ui publica: cuius uerba uide ē. lib. 4. cap. 2. quæst. 5. reg. 3. Hactenus, aduersus quos tutelæ actio competat, sit dictum.*

IIII. APVD QVEM TVtelæ actio competit?

Si plures tutores, uel unius tutoris plures hæredes, diuersi fori cōueniantur: apud eundem iudicem omnes sunt conueniendi. quæ regulā approbatur l. omnes. 5. C. arbitrium tutelæ, his uerbis: Omnes tutores, seu hæredes eorum qui administrauerunt tutelam, ad eundem iudicē ire debere, iam pridem constitutum est. Cum igitur patrē tuum cum alio tutelam administrasse allegas: præses prouinciæ eundem iudicem aduersus te atq; hæredes contutorum patris tui dare debebit, quatenus quisq; condemnari debeat, examinaturum. *Ait Imper.* Constitutum est, *scilicet per ea quæ habentur ē. lib. 5. cap. 2. quæst. 1. in fine, replic. 1.*

V. QVID VENIAT IN tutelæ actione?

I. *Regula, De eo quod interest. Hoc uenit in actione proposita petendum. quæ regula approbatur l. tutor. 6. in prin. ibi: si quis igitur. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide ē. cap. 2. quæst. 5. reg. 1. Concordat l. eum qui. 4. ibi: nec ad rem facit. C. arbitrium tutelæ. cuius uerba uide ē. cap. 3. officio 11. reg. 2. Concordat item l. tutelæ. 17. cum lege sequēte. ff. locati: cuius uerba uide ī. lib. 43. cap. 3. quæst. 1. causa 9. except. 1.*

II. *Regula, De eo quanti in litem iuratur. Hoc quoque in actione proposita uenit. quæ regula approbatur d. l. 6. in prin. Concordat l. 1. C. de in litem iurando, his uerbis:* Aduersus hæredē tutoris ad transferendam tutelam iudicem accipiens, tempore litis ad puberem instrumenta pertinentia restitui desiderabis. Quòd si dolo non exhibeātur, in litem iurandi tibi facultas erit, modò si quondam pupillo debitam affectionē ad uincula quoq; religionis extendere uolueris. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi actor in litem iurare nolit. quæ exceptio approbatur l. 2. C. d. tt. his uerbis:* Is qui rationes tutelæ seu curæ reposcit, inuitus in litē iurare compelli non potest. Sed uolens ita demum audiendus est, si hęres per longam successionem tutoris instrumenta pupillaria dolo, uel circumueniendi pupilli gratia exhibere non uult. Sin uerò neq; fraus, neque dolus hæredis cōuincitur: omissa iurisiurandi facultate, iudex de ueritate cognoscet, quæ etiam argumentis liquidis inuestiga ri potest. *Secunda exceptio est: Nisi reus sine*

dolo malo non restituat. Quæ exceptio approbatur *uerbis iam propositis hisce:* Sed uolens ita demum, &c. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutor ipse, non hæres eius conueniatur. tunc enim ob culpã etiam eius turatur in litem.* Quæ replicatio approbatur *l.alio.4.C.d.tt.his uerbis:* Alio iure est tutor, alio hæres eius. Tutor enim inuentarium cæteráque instrumenta si non proferat, in litem iusiurandum aduersus se potest admittere. At enim hæres eius ita demum, si reperta in hæreditate dolo malo non exhibeat. *Secunda replicatio est: Nisi lite cum tutore contestata, aduersus hæredem agatur. tunc enim, quamuis ob culpam, etiam aduersus hæredem iuratur in litem.* Quæ replicatio approbatur *d. l.4.his uerbis:* Sed cum aduersus ipsum tutorem litem contestatam esse dicatis, transferentibus uobis in hæredes eius actionem, præses prouinciæ partes suas exhibebit, nõ ignorans, nisi exhibeantur instrumenta, quatenus iuxta formam constitutionum partes suas debeat moderari. *Concordat l. ult.ş.Paulus respondit. ff.de fideiussoribus tutorum. cuius uerba uide ş.quæst.3.reg.1. except.5. Tertia replicatio est: Nisi ex dolo defuncti tutoris agatur. tunc enim, quamuis hæres conuentus nihil dolo fecerit, uidetur tamen adiersus eum in litem iurandum. Hæc replicatio reprobatur l.ult.C.de in litem iurando, his uerbis:* Licet aduersus hæredem ob non factum inuentarium iusiurandum in actione tutelæ prætermitti placuerit: iudicem tamen ex eo dolo tutoris alijs indicijs instructum, aduersus eos ferre sententiam conuenit. *Planè admittitur replicatio propositа, si lis cum defuncto tutore sit contestata: nam eum hoc casu ex culpa tutoris aduersus hæredem eius iuretur in litem, ut dictum ş.replic.prox. multò magis ex dolo defuncti iurabitur. Hæc de secunda exceptione. Tertia exceptio est: Nisi inter partes in cõtrarium sit actũ. Hæc exceptio reprobatur l.summa.3. C.de in litem iurando, his uerbis:* Summa sententia comprehensa, quam cessantibus curatoribus quondam tuis, iudex secutus iurisiurádi à te prolati religionem, in condemnationem deduxit, minui pacto non potuit.

III. Regula, *De eo quod tutor non percepit. De eo restituendo non tenetur.* Quæ *regula cum per se subsistat, recipit exceptionem hanc: Nisi fructus bona fide ex fundo percipi potuerunt. tunc enim præstandi à tutore, quamuis eos non perceperit.* Quæ *exceptio approbatur l.sine hærede.21.ş.Modestinus. ff.de administr.tutor. his uerbis:* Modestinus respondit, tutorem eorum reditũ nomine rationem pupillæ reddere debere, qui ex fundo bona fide percipi potuerunt. Item respondit, Si minus à seruo (pupillæ putá) tutor recepit, quàm bona fide ex fundo percipi potuit: ex eo, de quo pupillæ sit obstrictus, quantum ex peculio serui seruari possit, eidem tutori proficere debere: scilicet si nõ perdituro seruo administrationem credidit. *Secunda exceptio est: Nisi contutor rei conuenti, qui soluendo esse desijt, percepit. de hac re dictum ş. quæst.3.reg.2.*

De usuris.

IIII. Regula: *Etiam usuræ in tutelæ actionem ueniunt.* Quæ *regula approbatur l.2.in prin. C.de usuris pupillaribus, his uerbis:* Eius quod ex causa tutelæ debetur, usuras præstari oportere, dubium non est. *Concordat l.usuræ.34. ff.de usuris. cuius uerba uide ş.lib.33.cap.3.reg.12.exception.1. Ait Imperat.* Eius quod ex causa tutelæ debetur. *Huius ſpecies prima est: Si pecuniam pupillarem tutor in suos usus conuerterit.* Quæ *ſpecies proponitur & approbatur l.tutor.6.ş.pecuniæ. ff. de administrat.tutor. his uerbis:* Pecuniæ quam in usus suos uerterunt tutores, legitimas usuras præstant. Sed hoc ita demum, si euidenter doceantur pecuniam in usus suos uertisse. Cæterùm non utique, qui non fœnerauerit, uel non deposuerit, in suos usus uertit. & ita diuus Seuerus decreuit. Doceri igitur debet, in usus suos pecuniã uertisse. *Concordat l.1.C.de usuris pupillarib. his uerbis:* Tutorem uel curatorem pecuniæ, quam in usus suos conuertit, legitimas usuras præstare debere, olim placuit. *Huius ſpecici exceptio prima hæc est: Nisi non euidenter probetur, pecuniam in tutoris usum uersam.* Quæ *exceptio constat ex uerbis iam propositis. Secunda exceptio uidetur esse: Nisi usuras nomine pupilli perceptas tutor in usus suos conuerterit. Hæc exceptio reprobatur l.tutor.6.ş. si usuræ. ff.de administrat.tutor. his uerbis:* Si usuras exactas tutor uel curator usibus suis retinuerit, earũ usuras agnoscere eum oportet. Sanè enim parui refert, utrum sortem pupillarem, an usuras in usus suos conuerterit. *Concordat l.qui negotiationẽ.57.ş.ex duobus. ff. eod.tt. cuius uerba uide suprà cap.3.officio 6.reg.1.except.3. Concordat itẽ d.l.57.ş.fin.his uerbis:* Quæsitum est, an usuræ pupillaris pecuniæ, quas tutores debuerunt, cum ad curatorem transferuntur, in sortem computentur, & uniuersæ summæ usuras debere curatores incipiant? Scæuola respondit, omnis pecuniæ quæ ad curatores transit, parem causam esse: quia omnis sors efficitur. *Tertia exceptio est: Nisi tutor pecuniam pupillarem suo nomine fœnerauit.* Quæ *exceptio approbatur l.Lucius.45.ş. tutorem. ff.d.tt.his uerbis:* Tutorem qui pecuniã pupillarem, quãuis suo nomine, fœnerauit, non uideri contra cõstitutiones fecisse, quæ prohibent pecuniam pupillarem in usus suos conuertere. *Concordat l.cum quæreretur.15.ff. eod.tt.cuius uerba uide ş.lib.prox.cap.1.quæst.8.reg.3. Quarta exceptio est: Nisi tutor contrà de suo in usus pupillares uerterit.* Quæ *exceptio approbatur l.quid ergo.3. ş.planè. ff. de contraria tutelæ actione. cuius uerba*

uerba uide ş.cap.3.officio 6.reg.1.except.4. Quinta exceptio est: Nisi cum tutor pecunia pupillari suo nomine rem sibi emisset, pupillus malit rem emptam sibi restitui. Quæ *exceptio approbatur l.si curator.3.C.arbitrium tutelæ. cuius uerba uide ĵ.reg.13. Hæc de prima propositæ regulæ specie. Secunda ſpecies est: Si tutor pecuniam pupillarem non fœnerauit. Hæc ſpecies proponitur & approbatur l.qui negociationem. 57.ş.pupillo. ff.de administr.tutor. cuius uerba uide ş. cap.3.officio 6.reg.1. Concordat l.si tutor.14.ff.eod.tt. cuius uerba uide ş.d.reg.1. Huius ſpeciei exceptio hæc est: Nisi idoneis nominibus credi non potuit.* Quæ *exceptio approbatur l.si pec.3.C.de usuris pupill.his uerbis:* Si pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem possessionum conuertere potuisti: non ignorabit iudex, usuras eius à te exigi non oportere. *Planè ſpecies proposita mutata est Nouell.c.72. ş.quia uerò grauatè. de qua re uide ş.cap.3. offic.6.reg.1.in fine. Tertia ſpecies est: Si tutor pecuniam pupillarem ad prædiorum cõparationem non deposuit, uel deposita pecunia pupillo prædia non comparauerit. Hæc ſpecies proponitur l.tutor.6.ş.si post. ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide ş.cap.3.offic. 7.reg.1. Concordat d.l.6.ş.si deponi. cuius uerba uide ĵ. Huius ſpeciei exceptio hæc est: Nisi per tutorem non stet, quo minus prædia comparet.* Quæ *exceptio approbatur d.ş.si post, in fine. Concordat l.si pecuniam.3.C.de usuris pupillaribus. cuius uerba uide ş. ſpecie prox. Planè & hæc ſpecies hodie mutata est. de qua re uide ş.cap.3. officio 7. reg.1.in fine. Quarta ſpecies est: Si tutor pecuniam pupillarem penes se esse falsò neget. Hæc ſpecies approbatur l.tutor.6. ş.idem solent. ff.de administr.tutor. cuius uerba uide ĵ. reg.6. except.4. Quinta ſpecies est: Si tutor debitor patris pupilli à seipso debitum non exegerit. Hæc ſpecies proponitur d.l.6.ş.uertisse. item l.quoties.8.ş.sed si sub. ff. de administr.tutor. de qua re uide ĵ.*

Exceptiones propositarum ſpecierum generales.

Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutor in res pupillares de suo sumptus fecerit. Quæ *exceptio approbatur l.quid ergo.3.ş.planè. ff. de contraria tutelæ actione. cuius uerba uide ş.cap.3.officio 6.reg.1. except.4. Secunda exceptio uidetur esse: Nisi circa usuras nomine pupilli perceptas sit admissum. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt paulò superius ſpecie 1.except.2. Tertia exceptio uidetur esse: Nisi non tutelæ, sed protutelæ actione agatur. Hæc exceptio reprobatur l.1.ş.in protutelæ. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis:* In protutelæ iudicio usuræ quoq; ueniunt.

V. Regula. Qui *tenentur ad usuras ex proposita actione?*

1. *De contutore. Contutor quoque alterius tutoris nomine conuentus, in usuras eius nomine tenetur.* Quæ *regula approbatur l.tutor.6. ş.penult. ff. de administr.tutor. his uerbis:* Si tutor pro contutore condemnetur, an etiam in usuras condemnandus sit, quæritur? & placet (ut multis rescriptis continetur, & Papinianus libro XII. Quæstionum ait) etiam in usuras eum condemnandum, si suspectum facere superfedit: & quidem eas demum usuras cogendum præstare, quas ex sua etiam administratione cogeretur. *Concordat l.2. C. de usuris pupillaribus, his uerbis:* Eius quod ex causa tutelæ debetur, usuras præstari oportere, dubium non est: quamuis alijs pro participe muneris necessitas solutionis irrogetur: quia non id aliàs contingit, quàm si cessatio contutoris in suspecto faciendo computari possit.

2. *De fideiussore tutoris proponitur l.etiam.3.ff.de fideiussoribus tutor. his uerbis:* Etiam fideiussorem & hæredes fideiussoris ad eandem rationem usurarum reuocandos esse constat, ad quam & tutor reuocatur.

3. *De hærede tutoris.* Hic *quoque ad usuras præstandas tenetur.* Quæ *regula approbatur l.cum ostendimus.4.ş.usuras. ff.de fideiuß.tutor.his uerbis:* Usuras quoque eius pecuniæ, quam pupillarem agitauit, præstare debet hæres tutoris. Quantas autem & cuius temporis usuras præstare debeat, ex bono & æquo constituí ab iudice oportet. *Plura de hærede tutoris uide ĵ.reg.8.*

VI. Regula: *Quantas usuras tutelæ actione conuentus præstare tenetur? Regulariter quidem usuræ præstantur secundum morem & consuetudinem regionis leuiores.* Quæ *regula approbatur l.tutor.6. ş. quæ sint autem, in fine. ff. de administrat. tutorum. cuius uerba uide ĵ. except. proxim. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ob id agatur, quòd quis pecuniam pupillarem in usus suos conuertisse dicatur. tunc enim legitimæ seu pupillares usuræ maiores debentur.* Quæ *exceptio approbatur d. l. 6. ş. pecuniæ. cuius uerba uide ş.reg.4. ſpecie 1. in princ. Concordat d.l.6. ş.quæ sint autem, his uerbis:* Quæ sint autem pupillares usuræ, uidendum est? Et apparet hanc esse formam usurarum, ut eius quidem pecuniæ, quam quis in usus suos conuertit, legitimam usuram præstet. Sed & si negauit apud se esse pecuniam, & prætor pronunciauit contra eum, legitimam soluere debebit: uel si moram depositioni fecit, & prætor irrogauit ei legitimas. Sed & si, dum negat aliquam quantitatem penes se esse, pupillis ad onera sua expedienda imposuit necessitatem, mutuam pecuniam legitimis usuris accipiendi: tenebitur in legitimis. Item, si à debitoribus legitimas exegit. Ex cæteris causis secundum morem prouinciæ præstabit usuras, aut quincunces, aut trientes, aut si quæ aliæ leuiores in prouincia frequentantur. *Concordat l.qui sine. 17. ibi: quoniam & ubi. ff.negociorum gestorum. cuius uerba uide ĵ.lib.44. capite 6. quæst. 4. reg.5.*

Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutor pecuniam pupillarem à contutoribus suis mutuam acceperit. Quæ replicatio approbatur l.non exist.53.ff.de administr.tutor.his uerbis: Non existimo maximis usuris subijciendum eum, qui à contutoribus suis mutuam pecuniam pupilli accepit, & cauit, certasq; usuras promisit, quas & alij debitores pupillo dependunt: quia hic sibi non cõsumpsit, nec clàm, nec quasi sua pecunia licenter abutitur: & nisi his usuris à contutore mutuum ei daretur, aliunde accepisset. Et multum refert, palàm aperteq; debitorem le, ut extraneum & quemlibet faceret pupillo: an sub administratione tutelæ, pupilliq; utilitate, latenter sua commoda pecunia pupilli iuuaret. *Secunda replicatio est: Nisi tutor non clàm, sed palàm & bona fide pecuniam pupillarem in suos usus conuertat. Quæ replicatio ex uerbis iam propositis constat: de qua re plura uide ſ.cap.7. quæſt.2.reg.1.except.5. repl.5. Tertia replicatio est: Nisi testator permiserit tutori pecuniam pupillarem in causam mutui habere. Quæ replicatio approbatur l.Titium.46.§.præfectus. ff.de administrat.tutor.his uerbis:* Præfectus legionis ita testamento cauit: Volo ut sit in arbitrio tutorũ filij mei, si uoluerint huius summę uncias inferre usurarum nomine, ita ne numi dispergantur. Quæro, si apparuerit pecunia fœnerata à tutoribus: iudicio tutelæ uncias usuras, an uerò eas quas stipulati sunt, præstare debeant? Scæuola respondit, si secundum uolũtatem defuncti elegissent usurarum præstationem, neq; pupilli nomine in fœnus dedissent: id præstari, quod testator uoluisset. *Quarta replicatio est: Nisi tutor pecuniam pupillarem suo nomine fœnerauit. tũc enim non in maiores usuras tenetur, quàm percepit, non in pupillares. Quæ replicatio approbatur l.Lucius.45.§.tutorem. ff.de admiſtr. tutor. cuius uerba uide ſ. reg.4.ſpecie 1.except.3. Concordat item l.tutor.6.§.ſi tutor. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.lib.proxim. cap.1. quæſt.8.reg.3.except.1.repl.2. Quinta replicatio est: Nisi tutela finita sit. eius enim temporis, quod post finitam tutelam currit, leniores usuræ præſtãdæ uidentur. Verùm replicatio hæc reprobatur d.l.45.§.quæſitum. ff.de admiſtr.tutor.his uerbis:* Quæsitum est, an eius pecunię quã tutor usus est, post finitam quoq; tutelam in diem iudicij accepti easdem usuras præstare debeat? Paulus respondit, finita administratione eas usuras debere computari, quæ in tutelæ iudicio computantur. *Sexta replicatio est: Nisi cum tutor debitor patris pupilli esset, sibi ipsi non soluit. Hæc replicatio approbatur l.tutor.6.§.uertisse. ff.de administr. tutor.his uerbis:* Vertisse in suos usus non accipimus eum, qui debitor patris pupilli fuit, deinde ipse sibi non soluit. hic enim eas usuras præstabit, quas patri promiserat. *Concordat l.qui sine.37.§.sed quæ usuras. ff. negotiorum gestorum. cuius uerba uide ſ.lib.44. cap.6. quæſt.4. reg.5. Sanè si sub usuris grauioribus, quàm sunt pupillares, tutor patri pupillorum fuit obligatus, etiam ad istas, non pupillares usuras tenetur. quod approbatur l. quoties.8.§.sed si sub.ff.de administrat.tutor. cuius uerba uide ſ.cap.5.reg.2. Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi tutor pecuniam pupillarem non fœnerauit, & ob eam causam conueniatur. Hæc exceptio uidetur reprobari l.tutor.6. §.pecuniæ. ff.de administrat.tutorum. cuius uerba uide ſ.reg.4.ſpecie 1. in prin. Tertia exceptio uidetur esse: Nisi tutor debitor patris pupilli pecuniam sibi non soluit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt ſ.except.1. repl.6. Quarta exceptio est: Nisi tutor pecuniam pupillarem ad prædiorum comparationem non deposuit. Hæc exceptio approbatur d.l.6. §.si deponi. ff. de administr.tutor. his uerbis:* Si deponi oporteat pecunias ad prædiorum comparationem, si quidem factum est, usuræ non current: sin uerò factum non est, siquidem nec præceptum est ut deponantur, pupillares præstabuntur. Si præceptum est, & neglectum: do modo usurarum uidendum est. Et solent prætores comminari, ut si non fiat depositio, uel aliquanto tardius fiat, legitimæ usuræ præstentur. Si igitur comminatio intercesit, iudex qui quandoq; cognoscet, decretum prætoris sequetur. Idem solent facere prætores etiam circa eos tutores, qui negant habere ad alendos pupillos penes se aliquid: ut quidquid cõstiterit penes eos esse, eius grauissimia usura pendatur. & hoc persequi oportere iudicem palàm est, cum alia etiam pœnæ adiectione. residuarum autem summarum pupillares usuras pendi oportet. *Planè exceptio proposita hodie mutata est, ut ostensum paulò superius reg.4. ſpecie 2. Quinta exceptio est: Nisi tutor falsò neget pupillarem pecuniam penes se esse. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Idem solent facere, &c. *Concordat d.l.6. §.quæ sint. cuius uerba uide ſ.eod. reg.except.1.in prin. Sexta exceptio est: Nisi à debitoribus pupillaribus maiores usuras tutor percepit. Quæ exceptio approbatur d.§.quæ sint. ibi: item si à debitoribus legitimas exegit. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator sub minoribus usuris pecuniam pupillarem tutori permiserit. tunc enim, quamuis ille maioribus usuris eam fœnerauerit, tamen eæ tantùm debentur, quas testator uoluit. Quæ replicatio approbatur l.Titium.46. §.præfectus. ff.de administr.bonorum. cuius uerba uide ſ.except.1. repl.5. Secunda replicatio est: Nisi pupillus cæterorum nominum minus idoneorum periculum non suscipiat. Hæc replicatio approbatur l.tutor.6.§.si tutor.ff.d.tt. cuius uerba cum concordantib. uide ſ.lib.prox. cap.1. quæſt. 8.reg.3.except.1.repl.2. Tertia replicatio est: Nisi tutor pecuniam sibi cum pupillo cõmunem proprio nomine fœnerauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.46.*

§.altero.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide ſ.reg. 13.except.1.

VII. *Regula: A quo tempore usuræ in actione proposita currere incipiant? Post duos menses, ab eo tempore, quo pecuniam pupillarẽ accepit, uel exigere potuit, connumerandos, usuræ currere incipiunt. Quæ regula approbatur l.tutor.6.§.usuræ. ff.de administr. tutor. his uerbis:* Vsuræ à tutoribus non statim exiguntur, sed interiecto tempore ad exigendum, & ad collocandum, duorum mensium. idque in iudicio tutelæ seruari solet. Quod spacium seu laxamentum temporis tribui non oportet his, qui numos impuberum uel adolescentum in suos usus conuerterunt. *Planè sex mensium spacium datur l.si tutor. 14.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.1. officio 6. reg.1. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi usuræ ob id exigantur, quòd tutor pecuniam pupillarem in suos usus conuerterit. tunc enim statim currere incipiunt. Quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quod spacium seu laxamentum temporis tribui non oportet his, qui numos impuberum uel adolescentum in suos usus conuerterunt.

VIII. *Regula: Ad quod tempus usuræ currant? Etiam post finitam tutelam in diem, quo tutela restituitur, currunt. Quæ regula approbatur l.tutor.6.§.fin. ff.de administr.tutor.his uerbis:* Sciendum est, tutorem & post officium finitum usuras debere in diem, quo tutelam restituit. *Concordat l.Lucius.45.§.quæſitum.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.reg.6.except.1.repl.5. Item concordat l.1.§.fin.ff.de usuris, his uerbis:* Iudex iudicij bonæ fidei non rectè iubebit interponi cautiones, ut si tardius sententiæ condemnatus paruerit, futuri temporis pendantur usuræ: cum in potestate sit actoris iudicatum exigere. Circa tutelæ tamen restitutionem pro fauore pupillorum latior interpretatio facta est. nemo enim ambigit hodie, siue iudex accipiatur, in diem sententiæ: siue sine iudice tutela restituatur, in eum diem quo restituit, usuras præstari. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non per tutorem, sed per aduersarium fiet, quo minus tutelam restituat. Quæ exceptio approbatur d.§.fin. his uerbis:* Planè si tutelæ iudicio nolentem experiri tutor ultrò conuenerit, & pecuniam obtulerit, eamque obsignatam deposuerit: ex eo tempore non præstabit usuras. *Concordat l.tutor.17.§.tutor. cum lege sequente.ff.de administr.tutorum, his uerbis:* Tutor qui post pubertatem pupilli negociorum eius administratione abstinuit, usuras præstare non debet, ex quo obtulit pecuniam. Quinetiam iustius uidetur mihi, eum per quem nõ stetit, quo minus conuentus restitueret tutelam, ad præstationem usurarum non compelli. Maximeq; hæredem tutoris. nam periniquũ est, eum fortè, cui post uiginti annos uel amplius in mentem uenit tutelam reposcere, etiam usuras postulare. *Concordat item l.ultim. C. de usuris pupillaribus, his uerbis:* Pupillus agere nobiscum actione tutelæ compelli non potest. Verùm aduersus futuram calumniam, ut si quid ei debetis, eius cursus inhibeatur usurarum, denunciationibus frequenter interpositis, ad iudicium eum prouocate: ac si rem dissimulatione proferat, actis apud præsidem prouinciæ factis, uoluntatis uestræ rationem declarate. quo facto, tam uobis ipsis, quàm securitati filiorum uestrorum consuletis. Quod & in curatoribus locum habet. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi tutor oblatam pecuniam non deponat. Quæ replicatio approbatur d.l.27.§.fin. ff.de administrat. tutorum, his uerbis:* Vlpianus notat: Non sufficit obtulisse, nisi & deposuit obsignatam tuto in loco. *Secunda exceptio uidetur esse: Nisi mortuo testatore, hæres eius in restituenda tutela negligens sit. hoc enim casu, quia negligentia hæredi tutoris non imputatur, per ea quæ dicta sunt ſ. quæſt.3. regula 1. except.2. uidetur nec usuras aduersus eum currere. uerum ratione hac non obstante, exceptio proposita reprobatur l.tutor.6.§.pecuniæ quæ in arca. ff.de administr. tutorum. cuius uerba uide d.except.2.replic.4. Hactenus de usuris, an & quatenus in tutelæ actione ueniant, sit dictum.*

IX. *Regula: Si pater tutoris actione proposita conueniatur, non nisi de peculio tenetur. Quæ regula approbatur l.si filiusfam.11.cum lege sequente. ff.de tutelæ actione, his uerbis:* Si filiusfamilias tutelam administrauerit, deinde fuerit emancipatus: remanere eum tutorem, Iulianus ait. Et cum pupillus adoleuerit, agendum esse cum eo, eius quidem temporis nomine, quod est ante emancipationem, in quantum facere potest: eius uerò quod est post emancipationem, in solidum: cum patre uerò, duntaxat de peculio actio datur. manere enim aduersus eum etiam post pubertatem de peculio actionem. Neque enim antè annus cedit, intra quem de peculio actio datur, quàm tutela fuerit finita. Filius autem tutor propter hoc suum factum cum patre agere non potest ante pubertatem: quia nec finita tutela hoc ab eo exigi potest. *Concordat l.tutorem.36. §.fin. ff. de administrat.tutorum. cuius uerba uide suprà cap.proxim.except.13.replic.1. Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi pater tutelam agnouerit. tunc enim in solidum tenetur. Quæ exceptio approbatur l.si filiusfam.7. ff. de tutelis, hisce uerbis:* Si filiusfamiliàs tutor à prætore datus sit, siquidem pater tutelam agnouit, in solidum debet teneri: si non agnouit, duntaxat de peculio. agnouisse autem uidetur, siue gesserit, siue gerenti filio consensit, siue omnino tutelam attigit.

Vnde cum quidam filio scripsisset, ut diligenter tutelã gereret: Cum scias (inquiens) periculũ ad nos pertinere. dixit Vlpianus, hunc quoque uideri agnouisse. Planè si solùm monuit filium, non uidebitur agnita. *Ait Iurisconsultus*: Siue gerenti filio consensit. *Huic uidetur contradicere l.Lucius.20.ff.de administr. tutor. his uerbis*: Lucius Titius Caium Seium filiumfamiliàs testaméto filio suo tutorem dedit. Caius Seius sciente & consentiente patre tutelam administrauit. quæro, an defuncto Caio Seio, actio tutelæ aduersus patrem eius, & in quantum competat? Marcellus respondit, secundum ea quæ proposita essent, actione de peculio & de in rem uerso patrem teneri: nec multum uideri in hoc casu facere patris scientiam & consensum ad obligandum eum in solidum, nisi fortè contutore, uel quo alio uolente eum facere suspectum, intercessisset, & quasi in se periculum recepisset.

X. Regula: *Si filiusfamiliàs emancipatus, tutelæ actione conueniatur: de eo quod ante emancipationem gessit, in id quod facere potest: de eo autem quod post emancipationem gessit, in solidum tenetur. Quæ regula approbatur l.tutorem.36. §.inde descendit quæstio. ff.de admnistr.tutor. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.13.repl.1. Concordat l.nisi finita.4.§.1.ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide ẽ.quæst.3.reg.3.in fine. Item concordat l.si filiusfam.11.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.reg.prox.in prin.*

XI. Regula: *In quantum teneatur hæres tutoris, uide ẽ.quæst.3.reg.1.*

XII. Regula: *Fideiussor tutoris in tantum tenetur, in quantum ipse tutor. Quæ regula approbatur l.sine hær.31.in prin.ff.de administrat.tutor.his uerbis*: Sine hærede tutor decesit. quæro, an curator pupillo datus, cum neq; inuentaria, neq; alia instrumenta à fideiussore tutoris exhibeantur, eundem possit fideiussorem conuenire ex stipulatione quanti pupilli interest? Modestinus respondit, in id in quod tutor conueniri potuit, fideiussorem conueniri posse. *Concordat l.etiam.3.ff.de fideiuß.tutor.cuius uerba uide ẽ.reg.5.de fideiussore. Fideiussor quoque easdem reputationes habet, quas tutor: nec ulterius quàm tutor ipse conueniri potest. Quæ regula approbatur l.si cum.5.ff.de fideiuß.tutor.his uerbis*: Si cum fideiussoribus tutoris ex stipulatione rem saluam fore agetur: easdem reputationes habebunt, quas tutor. *Concordat l. pupillus.6.ff. eod.tt. his uerbis*: Pupillus contra tutores eorumq; fideiussores iudicem accepit. iudice defuncto, priusquàm ad eum iretur, contra solos fideiussores alter iudex datus est. Officio cognoscentis conueniet, si tutores soluendo sint, & administratio non dispar, sed communis fuerit: portionum uirilium admittere rationem ex persona tutorum. *De hac portionum uirilium ratione dictum ẽ.quæst.3.reg.2.in prin.* Planè *unius tutoris pluribus fideiussorib. existentibus, quilibet in solidum tenetur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ẽ.quæst.5.reg.5.except.7.*

XIII. Regula: *Si tutor pecunia pupillari suo nomine quid comparauerit, in arbitrio pupilli est, utrum pecuniam, an rem emptam petere uelit. Quæ regula approbatur l.si curator.3. C.arbitrium tutelæ, his uerbis*: Si curator post decretum præsidis sublata pecunia, quæ ad comparationem possessionis fuerat deposita, sibi prædium comparauit: elige, utrum malis in emptione negocium tibi eum gessisse, an quia in usus suos pecuniæ conuersę sunt, legitimas usuras ab eo accipere. Secundum quæ iudex tutelæ iudicio redditus partem religionis implebit. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi tutor pecunia sibi cum pupillo communi negociatus sit, uel emerit suo tantum nomine. Quæ exceptio approbatur l. Titium.46.§.altero.ff.de administrat.tutor.his uerbis*: Altero ex duobus fratribus socijs bonorum & negociationis defuncto, hærede filio: tutor patruus uenditis omnibus communis negociationis mercibus, & sibi redemptis, negocium suo nomine exercuit. quæsitum est, utrum compendium negocij, an usuras pecuniæ præstare debeat? Scæuola respondit, secundum ea quę proponuntur, pupillo usuram, non compendium præstandum.

XIIII. Regula: *Tutor qui pecunia pupillari negociatus est, ad compendium seu incrementum præstandum tenetur, nec usuras pecuniæ præstando liberatur. Hæc regula approbatur l.qui negoc.57.in princ.ff.de administr.tutor. his uerbis*: Qui negociationem per Pamphilum & Diphilum prius seruos, postea libertos exercebat, suo testamento eos tutores reliquit: & cauit, ut negocium eodem modo, quo se uiuo, exerceretur. hi tutelam administrauerunt, non tãtùm cum impubes patroni filius fuisset, sed etiã post pubertatẽ eius. sed Diphilus quidem cum incremento negociationis rationes obtulit: Pamphilus autem putauit reddi oportere non ad incremẽtum negociationis, sed ad computationem usurarum, ut in tutelæ iudicio solet. quæsitum est, ân secũdum uoluntatem defuncti exemplo Diphili Pamphilus quoq; rationẽ reddere debeat? Scæuola respondit, debere. Claudius Triphoninus: Quia lucrum facere ex tutela nõ debet. *Huius regulæ exceptio proponitur l.Titium.46.§.altero.ff.eod.tt.de qua uide ẽ.reg.prox.*

XV. Regula: *Quod seruus pupilli uel actoris percepit, minuit propositæ actionis condemnationẽ. Quæ regula approbatur l.tutores.38.§.fin.ff.de administr. tutor. his uerbis*: Quod de peculio serui actoris, quem adolescẽs, postquam res suas administrare cœpit, manumisit, retinuit, aut retinere

retinere potuit: in ratione reddenda curatori per iudicem acceptoferetur. *Concordat l.sine hærede.31.§.item respondit.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.reg.3.except.1.*

XVI. Regula, *De compensationibus & reputationibus, proponitur l.2.in prin.ff.ubi pupillus educari. cuius uerba uide ẽ.cap.3. officio 5.reg.9. Plura de hac re uide ẽ.cap.14.quæst.2.causa 1.item quæst.7.*

VI. QVANDO ET QVAMDIV tutelæ actio competit?

I. Regula: *Non nisi post finitam tutelam, tutelæ actio competit. Quæ regula approbatur l.nisi finita.4.in prin.ff.de tutelæ actione, his uerbis*: Nisi finita tutela sit, tutelæ agi non potest. *Concordat l.1.§. fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.proxim. quæst.5. reg.1. Concordat item l.cum tutor.18.in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.3.officio 11.reg.2. Concordant item ea quæ proposita sunt ẽ.cap.2. officio 2.reg.1. except.7. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cum eo qui pro tutore negocia gessit, agatur. Hæc exceptio approbatur l.1.§.cum eo.ff.de eo qui pro tutore, his uerbis*: Cum eo qui pro tutore negocia gessit, etiam ante pubertatem agi posse, nulla dubitatio est: quia tutor non est. *Concordat l.cum curatore.25.ff.de administr.tutorum. cuius uerba uide ẽ.except.6. Secunda exceptio est: Nisi cum diorum impuberum fratrum quis tutelam gereret, unus adoleuerit. hic enim tutelæ agere poterit, quamuis fratris tutela nondum sit finita. Quæ exceptio approbatur l.tutores.38.§.pen.ff.de administr.tutor.his uerbis*: Tutelæ iudicium ideo differri non oportet, quòd fratris & cohæredis impuberis idem tutelam sustineat. *Tertia exceptio est*: Nisi tutela ad alium tutorem sit translata. *tunc enim cum priore tutore nihilominus tutelæ agi potest, quamuis impubes adhuc sit sub tutela. Quæ exceptio approbatur l.si tutor.9.§.si testamento.ff.de tutelæ actione, his uerbis*: Si testamento sub conditione tutor datus sit, deinde alius medio tempore ex inquisitione: dicendum est, locum esse tutelę iudicio, existente conditione: quia tutor esse desinit. Sed & si quis testamento usque ad tempus fuerit datus, idem erit dicendum. Et generaliter, quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere tutelæ non posse, hactenus uerum est, si eadem tutela sit. Absurdum enim erat, à tutore administrationis rationem negociorũ pupilli posci, in qua adhuc perseueraret: in qua autem desijt esse tutor, & iterum cœpit, sic ex pristina administratione tutelæ debitor est pupillo, quomodo si pecuniam creditam à patre eius accepisset. Quem igitur effectum hæc sententia habeat, uideamus. Nam si solus tutor est, utique ipse secum non aget: sed uel per specialem curatorem conueniẽdus est: uel pone eum contutorem habere, qui possit aduersus eum iudicium accipere, ex qua causa cum eo tutelæ agi potest. Quinimò & si medio tempore soluẽdo esse desierit, imputabitur contutoribus, cur non egerint cum eo. *Concordat d.l.9.in prin. his uerbis*: Si tutor reipublicæ causa abesse cœperit, ac per hoc fuerit excusatus, quòd reipub. causa aberit: tutelæ iudicio locus est. Sed si desierit reipublicæ causa abesse, consequenter desinit & is qui in locum eius datus est, & tutelæ conueniri poterit. *Concordat item d.l.9.§.si duobus. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.8.causa 6. Concordat item d.l.9.§.penult. his uerbis*: Sed & si fuerit tutor confiscatus, aduersus fiscum dandam esse actionem constat ei qui loco eius tutor datus sit, uel contutoribus eius. *Concordat item l.à tutela.4.ff.de contraria tutelæ. cuius uerba uide ẽ. cap.14.quæst.2. causa 1.except.15. Propositæ exceptionis replicatio hæc esse uidetur: Nisi is qui tutor esse desijt, rursus eiusdem tutor fieri possit. Hæc replicatio reprobatur l.si pupillus.7.§.fin.cum lege sequente. ff. de actione tutelæ, his uerbis*: Si tutor in hostium potestatem peruenerit (quia finita tutela intelligitur) fideiussores qui pro eo rem saluam fore spoponderint, & si quis exsistat defensor eius, qui paratus est suscipere iudicium tutelę, uel si quis curator bonis eius constitutus: rectè cõuenietur, quamuis iure postliminij tutelam pristinam possit redintegrare. *Concordat l.si tutor.9.in prin.& §.si testamento. ibi: in qua autem. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius. Quarta propositæ regulæ exceptio uidetur esse: Nisi tutori tanquam suspecto curator sit adiunctus. Hæc exceptio reprobatur d.l.9.§.si tutori, his uerbis*: Si tutori curator sit adiunctus, quãuis suspecto postulato, non cogetur tutelæ iudicium tutor suscipere, quia tutor manet. *Quinta exceptio est: Nisi alia quàm tutelæ actio cõtra tutorem competat. Hæc exceptio approbatur d.l.9.§. fin.cum lege sequente, his uerbis*: Cæteræ actiones præter tutelæ aduersus tutorem cõpetunt, etsi adhuc tutelam administrat: ueluti furti, damni, iniuriæ condictio. Sed non dantur pupillo, dum tutor tutelam gerit. quamuis enim morte tutoris intereant, tamen pupillus cum hærede eius actionem habet: quia sibi soluere debuit. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi sit actio ex stipulatu rem pupilli saluã fore. Quæ replicatio approbatur per ea quæ habentur ẽ.cap.12.quæst.5. Sexta exceptio est: Nisi non ex tutela, sed ex cura gesta agatur. Hæc exceptio species est præcedentis, & approbatur l.cum curatore.25.ff.de administr.tutor.his uerbis*: Cum curatore & protutore etiam manente administratione agi potest. *Concordat l.nisi finita.4.§.fin.ff.de tutelæ actione, his uerbis*: Cũ furiosi curatore nõ tutelę, sed negociorũ gestorũ actio æquè cõpetit, etiã dum negocia gerit: quia non idẽ in hac actione, quod in tutelæ actione (dum impubes est is cuius tutela geritur) constitutũ est.

Concordat

Concordat item l.si adhuc.16.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis: Cum curatore pupilli siue adolescentis agi poterit,etsi usq; adhuc cura perseueret. *Contradicit propositæ exceptioni l.rationes.14. C.de administrat.tutor.his uerbis:* Rationes curæ administratæ ante impletum uicesimum & quintum annum,durante officio posci iure non posse, manifestum est. *Septima exceptio est: Nisi extra iudicium unus tutorum ab altero, cuius factum tenetur præstare,rationes exigat. Quæ exceptio approbatur l.si plures.3.§.si parens. ibi:assiduè igitur. ff.de administr.tutor.cuius uerba uide §.cap.3.officio 1. reg.2.except.2. Octaua exceptio est: Nisi pupillus hæres existat ei, cuius tutelam tutor suus antea gesserat.hoc enim casu tutelæ actione aduersus eum experiri non prohibetur. l.si pupillus.7.in princ. ff.de tutelæ actione.cuius uerba uide §.eod.cap.quæst.2.reg.2.in fine. Nona exceptio est:Nisi tutor in hostium potestatem peruenerit.Quæ exceptio approbatur per ea quæ habentur §.capite 12.quæst.5.except.3. Hæc de prima regula.*

II.Regula:*Si tutor pecunias pupillares in diem crediderit,usq; in diem pecuniæ creditæ actio tutelæ differenda. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l.si tutelæ.7.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Si tutelæ agat is, cuius tutela administrata est: dicendum est,nonnunquam diem creditę pecuniæ expectãdum: si fortè tutor pecunias crediderit pupilli nomine,quarum exigendarum dies nondum uenit. Sanè quod ad pecunias attinet,ita demum est, si potuit & debuit credere. Cæterùm si non debuit credere,non expectabitur.

III.Regula:*Tutelæ actio perpetua est. Quæ regula approbatur l.tutores.8.C.arbitrium tutelæ, his uerbis:* Tutores tutelæ conueniri, temporis præscriptio non prohibet. Vnde si ijs transactione atque acceptilatione liberationem non præstitisti: apud rectorem prouinciæ, quæcunque tibi debentur, repetere non prohiberis.

VII. ADIVNCTA, SEV DE PRObationibus in actione proposita.

I.Regula: *Vtri incumbat probatio, si quæratur utrum tutor sciuerit, an ignorauerit se tutorem datum, definitur l.hoc autem.5.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide §.cap.prox.except.11.repl.1. Contradicit huic l.si tutor.5. ibi:idq; liquidis.C.de periculo tutor. cuius uerba uide d.repl.1.dupl.1.*

II.Regula:*Per quæ probandum. De interrogatione seruorum pupilli proponitur l.ad instr.33. ff.de administr.tutor.his uerbis:* Ad instruendam diligentiam iudicantis, & pupillorum utilitatem, admittendum seruos quoq; eorum interrogari posse. *Concordat l.1. §.de seruis quoq; ff.de tutelæ actione.cuius uerba uide §.cap.8.reg.1.*

III.Regula:*De quantitate patrimonij pupillaris probanda. Non probatur assertione testatoris. Quæ regula approbatur l.1. C.arbitrium tutelæ, his uerbis:* Cum tutelæ administratæ ratio à te peti cœperit: neq; ueritati,neq; iustis probationibus sufficit,quòd(ut dicis)testator modum patrimonij sui uerbis testamenti ampliauit uel minuit.

IIII.Regula, *De confessione ipsius tutoris circa quantitatem patrimonij pupilli, proponitur l.ueteris. 13.in prin.C.arbitrium tutelæ,his uerbis:* Veteris iuris dubitationem decidentes, sancimus, si quidem tutor uel curator pro substantia pupilli uel adulti aliquid ubicunq; dixerit, ad maiorem quantitatem reducens, siue pro utilitate pupilli uel adulti,siue pro sola simplicitate, siue per aliam quamcunque causam:nihil ueritati præiudicare: sed hoc obtinere,quod ipsius rei inducit natura,& mẽsura pupillaris uel adulti ostendit substantiæ. Sin autem inuentario publicè facto res pupillares uel adulti conscripserit, & ipse per huiusmodi scripturam confessus fuerit ampliorem quantitatem substantiæ: non esse aliud inspiciendum, nisi hoc quod inscripsit,& secundum uires eiusdem scripturæ patrimonium pupilli uel adulti exigi. neque enim sic homo simplex, imò magis stultus inuenitur, ut & in publicõ inuentario contra se scribi aliquid patiatur.

V.Regula: *Si tutor res pupillares in suos usus conuertisse dicatur,quomodo probandum uel non probandum,definitur l.tutor.6.§.pecuniæ.ff.de administr.tutor. cuius uerba uide §.quæst.5.reg.4.specie 1.in prin. Item definitur l.tutor.10. C.arbitrium tutelæ, his uerbis:* Si defunctus tutelam uestram administrauit,non rerum eius dominium uindicare uel tenere potes, sed tutelæ contra eius successores tibi actio competit.Debitum autem alijs indicijs comprobari oportet.nam quòd neq; ipse, neq; uxor eius quicquam ante administrationem habuerunt: non idoneum huius cotinet indicium.nec enim pauperibus industria uel augmentũ patrimonij, quod laborib. & multis casib. quæritur,interdicendum est.

VIII. EVENTVS PROPOsitæ actionis.

I.Regula, *De actione condemnato aduersus contutorem uel alium præstanda,proponitur l.1.§.nunc tractemus. ibi: & si fortè. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si fortè quis ex facto alterius tutoris condemnatus præstitit,uel ex communi gestu, nec ei mandatæ sunt actiones:constitutum est à diuo Pio, & ab Imperatore nostro, & diuo patre eius,utilem actionem tutori aduersus contutorem dandam. *Concordat l.alterius.20.in princ.ff.eod.tt. his uerbis:* Alterius curatoris hæredem minorem,ut in maiore pecunia condemnatum, in integrum restitui placuit. Ea res materiam litis aduersus alterum

terum curatorem instaurandæ non dabit, quasi in minore pecunia condemnatum, si non sit eius ętatis actor,cui subueniri debeat. Sed æquitatis ratione suadente per utilem actionem ei subueniri,in quantum alter releuatus est,oportet,&c. *Concordat l.2.C. de contrario iudicio tutelæ. cuius uerba uide §.capite prox.except.29. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ex dolo communi tutor sit condemnatus. Quæ exceptio approbatur d.l.1.§.planè si ex dolo,his uerbis:* Planè si ex dolo communi conuentus præstiterit tutor: neque mandandę sunt actiones, neque utilis actio competit: quia proprij delicti pœnam subijt: quæ res indignum eum fecit, ut à cæteris quid doli participibus consequeretur. nec enim ulla societas est maleficiorum,uel iusta communicatio damni ex maleficio. *Secunda exceptio uidetur esse: Nisi tutor cui actio præstanda est,solidum soluerit. Hæc exceptio reprobatur l.cum pupill.21.ff.de tutelæ actione,his uerbis:* Cum pupillus tutelæ actionem contra alterum tutorem,tutori, quem iudex in solidum cõdemnauit,cessit: quamuis postea iudicatum fiat, tamen actio data nõ intercidit: quia pro parte condemnati tutoris, non tutela reddita, sed nominis precium solutum uidetur. *Tertiæ exceptionis loco notandum, quòd tutori cui cessa est, uel utilis actio data aduersus contutorẽ, priuilegium pupilli in bonis contutoris non competat. Quæ exceptio approbatur l.ex plurib.41.ff. de administrat.tutor.cuius uerba uide §.lib.8. cap.9. reg.5.except.1. Quartæ exceptionis loco notandum, quòd si non antequam solueretur,soluens à pupillo sibi cedi petierit actionem aduersus contutorem, postea pupillum eo nomine conuenire non posit. Quæ exceptio approbatur l.1.C.de contrario iudicio tutelæ, his uerbis:* Si pro iudicato contutore pecuniam soluisti: nullum iudicium tibi contra pupillum competit,ut delegetur tibi aduersus liberatum actio. Quòd si nomen emisti:in rẽ suam procurator datus,hæredem iudicati cõuenire poteris. *Concordat l.Modestinus.76. ff. de solution. Plura de regula proposita uide §.cap.prox. except.30.*

II. Regula,*De actione ex cautione, qua alter tutorum alteri indemnitatem promisit. Hæc actio stipulatori aduersus promissorem regulariter competit: uerum eius exceptio hæc est:* Nisi finita tutela,promissor soluendo sit.tunc enim,quia factum eius stipulator præstare compelli non potest, *secundum ea quæ dicta sunt §.quæst.3.reg.2.except.1.repl.4.euanescit cautio,eiusq; actio. Quæ exceptio approbatur l.tutores.38.§.curatores.ff.de administr.tutor. his uerbis:* Curatores adolescentis mutui periculi gratia cautionem inuicem sibi præbuerunt, & in eam rẽ pignora dederunt. Cùm officio depositò soluendo fuissent, irritam cautionem esse factam, & pignoris uinculum solutum, apparuit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi is qui indemnitatem promisit,tutor non fuerit,nec qui à pupillo potuerit conueniri. Quæ replicatio approbatur l.2.C.si mater indem.promisit,his uerbis:* Quædam pupillorum uestrorũ à matre, itemq; auo paterno administrata, eorumq; nomine indemnitatem uobis promissam adseueraſtis. quæ si ita sunt, & ijdem pupilli legitimæ ætatis effecti,non aduersus matrem suam, neque auum, sed contra uos congredi malunt: non immeritò indemnitatem ab his præstari desiderabitis, quos & administrationem suo periculo pridem susceperisse proponitis. *Ait.imp.* Non aduersus matrẽ suam,neque auum, sed contra uos congredi malunt. *Hæc ita ponuntur,quasi in arbitrio sit pupilli, utrum aduersus matrem, an aduersus tutorem agere uelit:cum tamẽ aduersus matrem,eiusq; successores, cum tutrix non fuerit, pupillo etiam uolenti non detur actio, ex l.tutorem.9.C.arbitrium tutelæ. cuius uerba uide §.quæst.3.regula 9.*

III. Regula, *De solutione à tutore condemnato facienda,proponitur l.frustra.5.C.de administr.tutor. his uerbis:* Frustra tutores quondam adolescẽtum, quorum curam administras, iudicatũ facere detrectant: cùm exacta pecunia possit authoritate præsidis in depositi causam haberi.

IIII. Regula: *Si pupillus contra tutores habeat tutelæ actionem,quòd ab hæreditate paterna malè sit abstentus: non ideo magis creditoribus hæreditarijs tenetur.Quæ regula approbatur l.eum qui.4.C.arbitrium tutelæ. cuius uerba uide §.cap.3.officio 11.reg.2.*

IX. ADFINIA TVTELAE actionis remedia.

I. Regula: *Regulariter ex causis suprà cap.prox.in prin.propositis,tutelæ actio,& non alia competit. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi incertum sit,utrum quis tutor,an quasi tutor pro tutore negocia minoris administrauerit. tunc enim protutelæ actio est. Quæ exceptio approbatur l.1.in prin.ff.de eo qui pro tutore.cuius uerba cum alijs ad protutelæ actionẽ pertimentib.uide §.cap.prox.except.2.repl.1. Sed & concordat l.mater.4.in fine. C.de testament. tutela. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.2.quæst.1.except.1.replic.3. distinct.2. Sanè protutelæ actionis iura inter actionis tutelæ iura sunt proposita.*

II. Exceptio: *Nisi posthumo tutor datus,non nato posthumo negocia gesserit. tunc enim non tutelæ, sed negociorum gestorum actio est. Quæ exceptio approbatur l.si nemo.19.§.fin.ff.de testam.tutela, his uerbis:* Licet testamẽto datus posthumo tutor,nõdum est tutor,nisi posthumus edatur: datur tamẽ aduersus eũ subdituto pupilli negociorum gestorum actio.Sed & si partus editus fuerit,deinde hic tutor,priusquam quicquam gereret,remotus à tutela fuerit:& hic eadem actione tenebitur. Si quid planè gessit post editum partum: de eo quoq; quod

antè gesit,tutelæ iudicio tenebitur,& omnis administratio in hanc actionem ueniet. *Concordat l.1.§.si quis quasi.ibi:simili modo. ff.de eo qui pro tutore. cuius uerba uide §.cap.prox.except.2. repl.1.dupl.5. Concordat item l.cum pater.28.ff.negociorum gestorum.cuius uerba uide §.cap prox.except. 23. Concordat item l.si post.24.ff.de tutelæ actione.cuius uerba uide §.cap.prox.except.25. Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi posthumus natus fuerit.tunc enim de eo quoq; quod ante posthumum natum gestũ est,tutelæ,non negociorum gestorum datur actio.Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si quid planè gesit post editum partũ: de eo quoq; quod antè gesit,tutelæ iudicio tenebitur,& omnis administratio in hanc actionem ueniet. *Concordat d.l.28.ibi:quòd si natus. Huius replicationis duplicatio hæc est : Nisi tutor,priusquam quidquam gesserit , fuerit remotus . tunc enim negociorum gestorum actio ob cessationẽ datur. Quæ duplicatio approbatur supradictis uerbis hisce:* Sed si partus editus fuerit,deinde hic tutor,priusquam quidquam gereret,&c.

III. Exceptio : *Nisi ex eo quod post finitam tutelam gestum est,agatur.tunc enim non tutelæ,sed negociorum gestorum datur actio. Quæ exceptio approbatur l.1.§.si quis quasi.ff.de eo qui pro tutore. cuius uerba uide §.cap.prox.except.2.repl.1.dupl.5.*Cõcordat *l. si tutor.13.cum lege sequente.ff.de tutelæ actione. cuius uerba uide §.cap.prox. except.13. repl.1.* Huius exceptionis replicatio est: *Nisi id quod post finitam tutelam gestum est, cum eo quod antè gestum est, cohæreat. Quæ replicatio approbatur l.tutorem.36.in prin. ff.de administr.tutor.cuius uerba uide §.d.repl.1.* Concordat *d.l.13.*

IIII. Exceptio : *Nisi non tutela , sed cura alicuius sit gesta.tunc enim non tutelæ,sed negociorum gestorũ actio est. Quæ exceptio approbatur l.nisi finita.4.§. fin. ff.de tutelæ actione . cuius uerba uide §. quæst.6. reg.1.except.6. Concordat item l.ita autem.4.§.post completum.ff.de administrat.tutor.cuius uerba uide §. cap.3.officio 3.reg.1.except.1.repl.1.*

V. Exceptio : *Nisi is qui inutiliter tutor datus est, sponte res pupilli administrauerit. hoc enim casu negociorum gestorum actio datur. Quæ exceptio approbatur l.1.in fine.C.de testament.tutela. cuius uerba uide §.cap.3.officio 1.reg.1.except.2.Sed & protutelæ actio datur,si quasi tutor gesserit. quod approbatur per ea quæ proposita sunt §.except.1.*

VI. Exceptio: *Nisi tutor, qui inutiliter testamento datus est,fideicommissum ex testamento perceperit,postea; tutelam administrare nolit. hoc enim casu ex fideicommisso tenetur. Quæ exceptio approbatur l.Iauia.11.in prin.ff.de confirmando tutore.cuius uerba cũ concordantibus uide j.lib.32.cap.9.causa 16.except.2.*

VII. Exceptio: *Nisi de eo agatur,quod tutor patri pupilli debuit. de eo enim non solùm tutelæ actio est, sed & pristina actio potest instituti. Quæ exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §.cap.5.reg.2.*

VIII. Exceptio: *Nisi ex eo quòd tutor res pupillares intercepisse dicatur,agatur. tunc enim & tutelæ actio competit, & actio quæ uocatur rationibus distrahendis,item furti actio. Quæ exceptio approbatur l.2. §.in tutela.ff.de tutelæ actione . cuius uerba cum aliis huc pertinentibus uide j.cap.prox.*

IX. Exceptio : *Nisi tutor suspectus dicatur.tunc enim suspecti quoq; postulatio est. de qua dictum §.lib. prox.cap.7.*

X. Exceptio: *Nisi tutor soluendo non sit.tunc enim datur actio subsidiaria aduersus magistratum. de qua dicetur j.cap.13.*

XI. Exceptio : *Nisi rem pupilli saluam fore cautũ sit.tunc enim actio quoq; ex stipulatu competit.de qua j.cap.12.dicetur.*

XII. Exceptio : *Nisi libertus tutelam filij patroni gesserit.nam hic extra ordinem quoq; punitur. Quæ exceptio approbatur l.si liberti.10.C.de administr.tutor.his uerbis :* Si liberti, eiusdemq; curatoris culpa seu fraude ratio uestra læsa sit: sarciri damnum ab eo qui dedit,præses prouinciæ curabit:non dubitaturus etia grauiorẽ executionem adhibere,si quid tam aperta fraude cõmissum est, ut puniendum in liberto crimen deprehendat. *Concordat l. nisi cum.4. C.cod.tt.cuius uerba uide §.cap.3 officio 7.reg.1.*

XIII. Exceptio: *Nisi tutor bonis hæreditarijs administratis & uenditis , pupillum postea hæreditate abstinuerit. tunc enim etiam creditoribus hæreditarijs negociorum gestorum actione tenetur. Quæ exceptio approbatur l.cum tutor.18. ff. de tutelæ actione . cuius uerba uide §.cap.3.officio 11.reg.2.*

XIIII. Exceptio: *Nisi res pupillares inutiliter à tutore uel quasi tutore sint alienatæ. tunc enim illarum quoq; uindicatio datur pupillo. Quæ exceptio approbatur per ea quæ habentur §.cap.6.& 7.*

XV. Exceptio: *Nisi ex eo agatur,quòd tutor pecunia pupillari sibi aliquid comparauerit. tunc enim etiam ad rem emptam pupillo competit actio. Quæ exceptio approbatur l.si curator.3.C.arbitrium tutelæ. cuius uerba uide §.quæst.5.reg.13.*

XVI. Exceptio : *Nisi euidens dolus in rebus pupillaribus fuerit admissus. tunc enim etiam extra ordinem tutor punitur.Quæ exceptio approbatur l.in eos. 9.ff.de tutelis, hisce uerbis:*In eos extra ordinem animaduertitur, qui probãtur numis datis tutelam occupasse,uel precio accepto operam dedisse, ut non idoneus tutor daretur, uel consultò in edendo patrimonio quantitatem minuisse,uel euidenti fraude pupillorum bona alienasse.

XVII. Exceptio:*Nisi tutor ad damnum sarciendũ nõ sit idoneus.tunc enim extra ordinẽ coercetur.Quæ exceptio approbatur l.ob fœnus.48. ff.de administr.tutor.cuius uerba uide §.cap.3.officio 6.reg.1.except.2.*

XVIII.Exceptio:*Nisi tutor tutelam administrare nolit.tunc enim etiam extra ordinẽ cogitur. Quæ exceptio approbatur l.1.in prin. ff.de administr.tutor.his uerbis:* Gerere atq; administrare tutelã extra ordinẽ tutor cogi solet.*Hæc de prima regula.*

¶ II. Re-

¶ II. *Regula : Bona tutoris pupillo tacitè pignori sunt obligata, in ijsq; cæteris creditoribus tutoris præfertur. de qua re dictum §.lib.prox.cap.1. quæst.8.reg. 7.item §.lib.8.cap.9.reg.5.*

DE RATIONIBVS DISTRAhendis actione. Cap. XI.

HActenus de tutelæ actione in duobus capitibus actum est: sequuntur nunc aliquot eius adfinia remedia pertractanda, & primùm quidem actio quæ uocatur Rationibus distrahendis.

I. CAVSA HVIVS Actionis.

*Si tutor rem ex bonis pupilli abstulit , eius nomine actione proposita tenetur.quæ causa seu regula approbatur l.2.in prin.ff.de tutelæ actione,his uerbis:*Actione de rationibus distrahẽdis nemo tenetur, nisi qui in tutela gerenda rem ex bonis pupilli abstulerit. Quod si furandi animo fecit,etiam furti tenetur. Vtraque autem actione obligatur, & altera alteram non tollet. Sed & condictio ex furtiua causa competit. per quam si cõsecutus fuerit pupillus quod fuerit ablatũ , tollitur hoc iudicium: quia nihil absit pupillo. *Huius causæ exceptio prima hæc est : Nisi non legitimus , sed alterius generis tutor rem pupilli abstulit. Hæc exceptio reprobatur l. 2.§.de rationibus. ff.d.tt.his uerbis:* De rationibus distrahendis actione non solùm hi tenentur tutores,qui legitimi fuerũt : sed omnes qui iure tutores sunt, & gerunt tutelã. *Secunda exceptio est:Nisi non iure tutor datus fuit.Hæc exceptio uidetur approbari uerbis iam propositis hisce:* Sed omnes qui iure tutores sunt. *Tertia exceptio est:Nisi eo nomine sit actum.Hæc exceptio approbatur l.2.§.in tutela.ff.de tutelæ actione, his uerbis:*In tutela ex una obligatione duas actiones esse constat. Et ideo siue tutelæ fuerit actum, de rationibus distrahendis agi non potest:siue contrà,tutelæ actio (quoad speciem istam) perempta est. Hunc tutorem tamen, qui intercepit pecuniam pupillarẽ, & furti teneri,Papinianus ait. Qui si etiam furti teneatur: hac actione conuentus, furti actione non liberatur. Nec enim eadem est obligatio furti ac tutelæ, ut quis non dicat plures esse actiones eiusdem facti, sed plures obligationes. Nam & tutelæ & furti obligatur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est : Nisi furti actione actum sit. per hanc enim actio proposita non tollitur. Quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Hac actione conuentus,furti actione non liberatur. *Concordat l.2.§.utraque autem. cuius uerba uide §.ead.reg:in prin. Huius replicationis duplicatio hæc est:Nisi non furti,sed condictione furtiua sit actum. Quæ duplicatio approbatur d.§.utraq; autem. Altera replicatio est:Nisi cum alio actum sit. Hæc replicatio reprobatur l.tres tutores.54.§.sed si ipsi tutores. ff.de administrat. tutor.his uerbis:* Si ipsi tutores rem pupilli furati sunt,uideamus an ea actione,quæ proponitur ex lege XII. Tabularum aduersus tutorem in duplum , singuli in solidum teneantur: & quamuis unus duplum præstiterit, nihilominus etiam alij teneantur? nã in alijs furibus eiusdem rei plurib. non est propterea cæteris pœnæ dẽpta actio , quòd ab uno iam exacta est. sed tutores propter admissam administrationem non tam inuito domino contrectare eam uidẽtur, quàm perfidè agere. Nemo denique dicet,unum tutorem & duplum hac actione præstare, & quasi specie condictionis aut ipsam rem, aut eius æstimationem.

II. QVIBVS DATVR actio proposita?

Hæredibus pupilli datur. Hæc regula approbatur l.1.§. hanc actionem. ff. de tutelæ actione, his uerbis: Hanc actionem sciendum est perpetuam esse, & hæredi similibusq; personis dari ex eo quod uiuo pupillo captum est.Sed in hęredem cæterosq; successores non dabitur: quia pœnalis est.

III. ADVERSVS QVOS datur?

Aduersus hæredes tutoris non datur. Quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce: Sed in hæredem cæterosq; successores non dabitur: quia pœnalis est. *Concordat l.sed non.10.ibi:quãuis enim.ff.cod.tt. cuius uerba uide supra cap.proxim. quæst.6.reg.1.except.5. Planè quia actio proposita etiam nondum finita tutela competit , ut d. except.5.est ostensum , tutelæ actione ab hærede tutoris peti potest id quod in actionem propositam uenit : quia tutor sibi soluere debuit,ut ex d.l.10.constat.*

IIII. QVID VENIAT IN actione proposita?

I. *Regula : Duplum eius quod ablatum est , uenit. Quæ regula approbatur l.tres tutores.54.§. sed si ipsi tutores.ff.de administr.tutor.cuius uerba uide §.quæst. 1.except.3.repl.2.*

II. *Regula: Quid duplicetur , utrum uerum rei precium , an & interesse , definitur l.1.§. considerandum.ff.de tutelæ actione,his uerbis :* Considerandum est in hac actione , utrum precium rei tantùm duplicetur, an etiam quod pupilli interfit? & magis esse arbitror, in hac actione quod interest non uenire,sed rei tantùm æstimationem.

III. *Regula : Res ablata in duplo continetur. Quæ regula approbatur l. 2. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Hæc actio licet in duplum sit, in simplo rei persecutionem continet, & non tota duplã pœna est.

V. QVANDO ET QVAMDIV actio proposita competit?

I. *Regula: Non nisi finita tutela competit. Quæ regula approbatur l.1.§.fin.ff.de tutelæ actione, his uer-*

bis: Hæc actio tunc competit, cum & tutelæ actio, hoc est, finita demum tutela. Planè dies huius actionis etiam durante tutela cedit, sed non nisi post finitam tutelam cedit. Quod approbatur l. si tutor. 9. §. fin. cum lege sequente. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. cap. prox. quæſt. 6. reg. 1. except. 5.

II. Regula: Perpetua est actio. Quæ regula approbatur d. l. 1. §. hanc actionem. cuius uerba uide ſ. quæſt. 2.

VI. ADFINIA HVIVS ACTIONIS remedia.

I. Regula, De tutelæ actione, proponitur l. 1. §. in tutela. ff. de tutelæ actione. cuius uerba uide ſ. quæſt. 1. except. 3.

II. Regula, De furti actione & condictione furtiua, proponitur l. 2. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide suprà d. quæſt. 1. in prin. Concordat d. §. in tutela. ibi: hunc tutorem tamen.

DE ACTIONE EX STIPVLATV Rem pupilli saluam fore. Cap. XII.

I. CAVSA HVIVS actionis.

SI res pupillo salua non sit, nec detur uel fiat, quod ex tutela dari fieri oportet, actioni propositæ est locus. Quæ causa approbatur l. cum rem. 11. ff. rem pupilli saluam, his uerbis: Cum rem saluam fore pupillo cauetur: committitur stipulatio, si quod ex tutela dari fieri oportet, non præstetur. Nam etsi res ei salua sit, ob id non est, quia quod ex tutela dari fieri oportet, non soluitur. Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi inutiliter sit cautum. Hanc exceptionem cum suis replicationibus uide suprà eod. lib. cap. 1. Secunda exceptio est: Nisi non in rebus pupilli, sed in nominibus aliquid acciderit. Hæc exceptio reprobatur l. cum pupill. 9. ff. d. tt. his uerbis: Cum pupillus à tutore stipulatur rem saluam fore: non solùm quæ in patrimonio habet, sed etiam quæ in nominibus sunt, ea stipulatione uidentur contineri. quod enim in tutelæ iudicium uenit, hoc & ea stipulatione continetur. Tertia exceptio est: Nisi eo nomine actum sit. Hæc exceptio approbatur l. si pupillus. 9. in prin. ff. de nouationib. cuius uerba uide ſ. cap. 9. except. 24. Quarta exceptio est: Nisi non tutor fuerit, qui tutelã gessit. Cuius replicatio hæc est: Nisi pro tutore negotia gesserit. Quæ replicatio approbatur l. non quæſt. 4. §. illud. ff. rem pupilli saluã fore. cuius uerba uide ſ. quæſt. 3. regul. 1. Quinta exceptio est: Nisi tutelæ actione agi non posit. Hæc exceptio approbatur d. l. 4. §. generaliter, his uerbis: Generaliter sciendum est, ex quibus causis dicimus tutelæ agi non posse: ex ijsdẽ causis nec ex stipulatu rem saluã fore, agi posse, dicendum esse. Concordat l. cum pupillus. 9. in fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide superius except. 1. Hæc exceptio generalis comprehendit sub se exceptiones omnes suprà cap. 9. & 10. propositas, quæ huc quoq; possunt referri.

II. QVIBVS COMPETIT actio proposita?

Etiam alio rem pupilli uel furiosi saluam fore stipulante, ipsi pupillo uel furioso, cuius gratia stipulatio fit, utilis actio datur. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt suprà cap. 1. quæſt. 2. reg. 1. cum regulis sequentibus.

III. ADVERSVS QVOS DATUR actio proposita?

I. Regula, De eo tutore qui tutelam non gessit. Hic regulariter non tenetur. Quæ regula approbatur l. nõ quasi. 4. §. illud. ff. rem pupilli saluam fore, his uerbis: Illud sciendum est, hac stipulatione teneri tam eum qui tutor est, quàm eum qui pro tutore negocia gessit uel gerit, & fideiussores eorum. Sed enim qui non gessit, omnino non tenebitur. nam nec actio tutelæ eum qui non gessit, tenet: sed utili actione conueniendus est, quia suo periculo cessauit. Et tamen ex stipulatu actione neq; ipse, neq; fideiussores eius tenebuntur. Compellédus igitur erit ad administrationem propterea, ut stipulatione quoq; ista possit teneri. Concordat d. l. 4. §. si quis curator, his uerbis: Si quis curator datus non gesserit curam: consequens erit dicere, stipulationem non committi. Sed eadem hæc erunt dicenda, quæ in tutore diximus. Illud secus, quòd hæc stipulatio statim atq; quid saluum esse desinit, committitur, & fideiussoribus dies cedit, & in se reuoluitur. Plura de regula proposita uide ſ. cap. 10. quæſt. 3. reg. 2. except. 2.

II. Regula, De fideiussoribus, proponitur d. §. illud sciendum. De reliquis propositæ quæstionis regulis uide suprà d. quæſt. 3.

IIII. QVID VENIAT IN actione proposita?

I. Regula: Quod in tutelæ actionem uenit, idem quoq; in actionẽ proposítam uenire dicendũ est. Quæ regula approbatur l. cum pupillus. 9. in fine. ff. rẽ pupilli saluam fore. cuius uerba uide ſ. quæſt. 1. except. 1.

II. Regula, De fructibus & usuris, proponitur l. si posteaquam. 10. ff. eod. tt. his uerbis: Si posteaquam pupillus ad pubertatem peruenit, tutor in restituenda tutela aliquandiu moram fecerit: Africanus ait certum esse, & fructuum nomine, & usurarum medij temporis, tam fideiussores eius, quàm ipsum teneri.

III. Regula: Quilibet fideiussorum in solidum tenetur, nec beneficium diuidendæ actionis habet. Quæ regula approbatur l. si plures. 12. ff. d. tt. cuius uerba uide ſ. cap. 10. quæſt. 3. reg. 5. except. 7.

V. QVANDO ACTIO PROposita competit?

Regulariter non nisi finita tutela competit. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. nõ quasi. 4. §. hanc stipulationẽ. ff. rem pupilli, his uerbis: Hãc stipulationem placet finita demum tutela cõmitti, & fideiussoribus diem exinde incipere cedere. In curatore aliud est: sed & in eo qui pro tutore negocia gessit, aliud dicendum est. Itaque istæ stipulationes, siquidem quis tutor fuit, finita demum tutela committentur: si uerò pro tutore negocia gessit, conueniens est dicere, statim ut quæque res salua non esse cœpisset, committi stipulationem. Concordat l. 1. ff. eod. tt. his uerbis: Cùm pupillo rem saluam fore satisdatum sit: agi ex ea tunc potest, cum & tutelæ potest. Item concordat l. si adhuc. 16. ff. de tutelæ actione, his uerbis: Si adhuc cum tutore ex stipulatu agatur, uel cum his qui pro eo interuenerunt: erit dubitatio, an quia tutelæ agi non potest, nec ex stipulatu agi possit? & pleriq; putant, etiam hanc actionem propter eandem utilitatem differendam. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi nõ tutor, sed curator proposita actione conueniatur. Quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce: In curatore aliud est, &c. Concordat d. l. 4. §. si quis curator. ibi: illud secus. cuius uerba uide ſ. quæſt. 3. reg. 1. Secunda exceptio est: Nisi pro tutore negocia gesserit, qui proposita actione conuenitur. Quæ exceptio approbatur supradictis uerbis hisce: Sed & in eo qui pro tutore negocia gessit, aliud dicendum est, &c. Tertia exceptio est: Nisi tutor ab hostibus captus sit. Quæ exceptio approbatur d. l. 4. §. si tutor, his uerbis: Si tutor ab hostibus captus sit, an committatur stipulatio, uideamus? Mouet, quia finita tutela est, licet recuperari speretur: & puto posse agi. Concordat l. si pupillus. 7. §. si tutor, cum l. sequente. ff. de tutelæ actione. Plures huiusmodi exceptiones uide ſ. cap. 10. quæſt. 6. reg. 1.

VI. EVENTVS HVIVS actionis.

De actione condemnato præstanda proponitur l. si plures. 12. in prin. ibi: ita ut ei qui conueniretur. ff. rem pupilli saluã fore. cuius uerba uide suprà cap. 10. quæſt. 3. reg. 5. except. 7. Plura de regula proposita uide ſ. cap. 9. except. 29.

DE ACTIONE SVBSIDIARIA aduersus magistratum. Cap. XIII.

PRIMO': Quo authore introducta sit hæc actio, definitur l. in magistr. 5. C. de magistratibus conueniendis, hisce uerbis: In magistratus municipales tutorum nominatores, si administrationis finito tempore non fuerint soluendo, nec ex cautione fideiusionis solidum exigi possit: pupillis quondam in subsidium indemnitatis nomine actionem utilem competere, ex senatusconsulto, quod

authore diuo Traiano parente nostro factum est, constitit.

II. CAVSAE HVIVS ACTIONIS.

I. Causa: Si magistratus tutorem uel curatorem non dedit, datur aduersus eum actio proposita. Quæ causa approbatur l. 1. §. magistratibus. ff. de magistrat. conueniendis, hisce uerbis: Magistratibus imputatur etiam, si omnino tutor uel curator datus non sit. Sed ita demum tenentur, si moniti non dederint. Ideo damnum quod impuberes uel adolescentes medio tempore passi sunt, ad eos magistratus pertinere nõ ambigitur, qui munere mandato non paruerunt. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi magistratus non fuerit admonitus. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce: Sed ita demum tenentur, si moniti nõ dederint. Secunda exceptio est: Nisi in successores suos tutelam distulerint. Hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. sciendum, his uerbis: Sciendum autem est, si magistratus municipales data opera tutelam distulerint in successores suos, uel satisdationem data opera traxerint, quoad successores accipiant: nihil eis prodesse.

II. Causa: Si magistratus tutorem uel curatorem minus idoneum dedit. Hæc causa approbatur l. si tu. 3. C. de magistr. conueniendis. cuius uerba uide ſ. quæſt. 5. reg. 1. Concordat l. tutores. 5. in fine. ff. de confirmando tutore, his uerbis: Si tutelæ tempore soluendo non fuerunt: in id quod de bonis eorum seruari non poterit, contra magistratus actio decernetur. Concordat item l. in magistratus. 5. C. de magistr. cõueniendis. cuius uerba uide ſ. quæſt. 1.

III. Causa: Si magistratus à tutore dato non satis exegit. Hæc causa approbatur Inſt. de satisdat. tutor. §. sciendum, his uerbis: Sciendum est, non solùm tutores uel curatores pupillis uel adultis, cæterisq; personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos qui satisdationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ ultimum eis præsidiũ possit adferre. Subsidiaria autẽ actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus uel curatoribus satisdari non curauerunt, aut non idoneè passi sunt caueri. Quæ quidem tam ex prudentũ responsis, quàm ex constitutionibus Imperialibus etiam in heredes eorũ extenditur. Concordat l. 1. §. si magistratus. ff. de magistratib. conueniendis, hisce uerbis: Si magistratus ab initio tutorem idoneum dedit, & satis non exegit: non sufficit. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi tutor tempore finitæ tutelæ soluendo fuerit. Hæc exceptio approbatur d. §. si magistratus. ibi: sed etsi satis, hisce uerbis: Sed etsi satis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit, quo tutelæ agi potest: sufficit. Secunda exceptio est: Nisi tutorem in testamento inutiliter datum prætor magistratus iusserit confirmare. Hæc exceptio reprobatur l. tutores. 5. in princ. ff. de confir-

mando tutore. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 1. excepti. 1. repl. 1.

IIII. *Causa: Si magistratus satis quidem exegit à tutore dato, sed non idoneè cautum est. Hæc causa approbatur Inst. de satisdat. tutor. §. sciendum autem. cuius uerba uide §. causa prox. in prin. Concordat Inst. de Atiliano tutore. §. nos autem, in fine. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 13. repl. 2. Concordat item l. si tu. 3. C. de magistratibus conueniendis. cuius uerba uide §. quæst. 5. reg. 1. Concordat item l. ult. C. eod. tt. cuius uerba uide §. exc. 2. repl. 5. Item concordat l. 1. §. fin. C. de tutorib. illustr. pers. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 2. Plures huiusmodi casus uide §. except. generali 2. repl. 1. cum sequentibus.*

Exceptiones præcedentium causarum generales.

Planè recipiunt causæ iam enumeratæ aliquot exceptiones, quæ sequuntur.

I. *Exceptio: Nisi prætor uel præses, aliúe fuerit magistratus, cui tutores dandi ius est. Hæc exceptio approbatur Inst. de satisdat. tutor. §. fin. his uerbis*: Neque autem præfectus urbi, neq; prætor, neque præses prouinciæ, neq; quisquá alius, cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodò, qui satisdationẽ exigere solent. *Concordat l. 1. §. neq; prætor. ff. de magistrat. conueniendis, his uerbis*: Neq; prætor, neq; quis alius, cui tutoris dãdi ius est, hac actione tenebitur.

II. *Exceptio: Nisi ipse magistratus non dederit tutores, nec nommauerit. sed prætor uel præses. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. si præses. ff. de magistr. conueniendis, hisce uerbis*: Si præses prouinciæ renunciare magistratus tantùm de facultatibus tutorum uoluit, ut ipse daret: uideamus, an & quatenus teneantur? Et extat diui Marci rescriptum, quo uoluit eos qui præsidi renunciassent, non perinde teneri, atque si ipsi dedissent: sed si decepissent, gratia fortè aut pecunia, falsa renuncian-40 tes. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ei qui tutorem dedit, de facultatibus tutoris falsa renunciauerit magistratus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis. Secunda replicatio est: Nisi de nominibus ab alio præsidi indicatis, magistratus præsidem petentem malè instruxerit. quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. si præses, his uerbis*: Si præses prouinciæ, nominibus ab alio acceptis, ad magistratus municipales remiserit, ut se de nominibus instruant, & exinde instruc-50 tus dederit tutores: an exemplo eorum qui prætorem instruunt, debeant magistratus teneri, quæritur? Vtiq; enim interest, utrum ipsi magistratus nomina electa dederint præsidi, an ea quæ ab alio præses accepit, inquisierint. Et puto utroque casu teneri, quatenus dolo uel lata culpa uersati sunt. *Tertia replicatio est: Nisi is qui tutores dedit, magistratus ab ijs satis exigere iußit. Hæc replicatio approbatur d. l. 1. §. planè si præses, his uerbis*: Planè si præses prouinciæ satis eos exigere iussit: non dubitabimus, teneri eos, etiamsi præses dederit. *Concordat d. l. 1. §. si curatores, his uerbis*: Si curatores fuerunt minus idonei dati: dicendum est, teneri magistratus oportere, si ex suggestu eorum, uel nominibus ab eis acceptis, præses dederit. Sed & si ad eos remiserit, ut ipsi darent, uel ut post dationem exigerent satisdationem: periculum ad eos pertinebit. *Quarta replicatio est: Nisi magistratus suggesserit uel nominauerit tutores dandos. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si ex suggestu eorum, uel nominibus ab eis acceptis præses dederit, &c. *Quinta replicatio est: Nisi electus sit ad æstimandas tutoris satisdationes. quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. diuus, his uerbis*: Diuus Hadrianus rescripsit, etiam in eum qui electus esset ad æstimandas tutorum satisdationes, actionem dandam. *Concordat l. ult. C. de magistratib. conueniendis, hisce uerbis*: Cum sit adiecta prætoris sententia, generalem curatori administrationẽ mandantis, & quod eam pro more sequitur, decretum pariter sit compositum: manifestum est, non curatoris dationem fuisse inualidam: sed in æstimanda adultæ substantia scribę uitium, qui tanquam non amplius ducentis libris auri patrimonium ualeret, fideiussionem acceperat, intercessisse. In quo casu non curatoris ratio erit reprehendenda, si qua læsio rebus minoris illata fuisse aduersus legum ordinem comprobetur: sed super negligentia uel dolo scribæ, qui ueram substantiæ taxationẽ passus est occultari, legib. erit agẽdũ.

III. *Exceptio: Nisi iussu prætoris magistratus tutorem dederit uel confirmauerit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. si curatores. ff. de magistratibus conueniendis. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 3. Concordat l. tutores. 5. in prin. ff. de confirmando tutore. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 1. except. 1. repl. 1.*

IIII. *Exceptio: Nisi magistratus non fuerit admonitus ut tutores daret. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. magistratib. ff. de magistratib. conueniendis. cuius uerba uide §. causa 1. in princ.*

V. *Exceptio: Nisi tutor uel eius fideiussor sit solucẽdo. Hæc exceptio approbatur l. aduersus. 4. C. de magistratib. conueniendis, his uerbis*: Aduersus nominatorem tutoris uel curatoris minus idonei nõ antè peruenire potest, quàm si bonis nominati, itéq; fideiussoris eius, nechõ collegarum, ad quorum periculũ consortium administrationis spectat, excussis, non sit indemnitati pupilli uel adulti satisfactũ. *Concordat l. 1. C. eod. tt. his uerbis*: Si magistratus à tutoribus seu curatoribus, quos tibi dederint seu nominauerint, stipulati sunt, se eo nomine indénes futuros, & si qd præstitissent, recepturos, inq; eã rẽ fideiussores acceperũt: extra

extra rem saluam fore satisdationem, actio quam aduersus tutores tuos seu curatores instituisti, alienam obligationem non resoluit. Sed aduersus magistratus qui curatorẽ dederunt, actio utilis ita demum competit, si uniuersis bonis excussis, reuocatisq; quæ eum in fraudem alienasse constiterit: indemnitati tuæ in solidum satisfieri nõ potuit. Quam si exercueris, mandatis tibi ab eis actionibus, aduersus fideiussores quos acceperunt, consistere potes, licet utilem actionem sine cessione habeas. *Concordat item l. si tu. 3. ibi: nec aliás. C. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. 5. reg. 1. Item concordat l. in magistratus. 5. C. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. 1.*

VI. *Exceptio: Nisi contutor eius, ex cuius facto agitur, sit soluendo. Hæc exceptio approbatur l. aduersus. 4. ibi: nec non collegarum. C. de magistratibus conueniendis. cuius uerba uide §. except. prox. in prin. Concordat l. 2. ff. cod. tt. cuius uerba uide §. quæst. prox. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi contutor tutorem suspectum fecerit, uel satis ab eo exegerit: aut cum uellet, non potuerit. tunc enim prius magistratus quàm contutor conueniendus. quæ replicatio approbatur l. 1. §. usqueadeò. ff. de tutelæ actione, his uerbis*: Vsqueadeò autem ad contutores non uenitur, si soluendo tutores non sint, ut prius ad magistratus qui eos dederunt, uel ad fideiussores ueniatur: & ita Imp. noster Vlpio Proculo rescripsit. Quod enim Marcellus libro VIII. Digestorum scripsit, quodq; sæpissimè rescriptum est, quamdiu unus ex tutoribus idoneus sit, non posse ad magistratus qui dederunt perueniri: sic erit accipiendum, si non contutor ob hoc conueniatur, quòd suspectum facere, uel satis exigere noluit. *Concordat l. Lucius. 45. §. cum in testamento. ff. de administr. tutor. his uerbis*: Cum in testamento duo tutores dati essent pupillo, & alter ex his uita defunctus fuisset: in locum eius, petente matre, ex præsidis prouinciæ præcepto, à magistratibus tutor datus est, à quo magistratus satis exegerunt rem saluã fore. tutor testamento datus, postea datum suspectum fecit. Quæsitum est, in quantum teneatur? Paulus respondit, tutorem testamento datum pro ea parte conueniri oportere, pro qua parte administrauit: pro contutoris autẽ portione prius eos conueniri debere, qui pro eo se obligaueruntur, uel magistratus qui eum dederunt: tunc si solidum pupillus consequi non potuerit, de officio contutoris quærẽdum, an suspectum facere debuerit, præsertim cum suspectum quoq; eum postulasse dicatur. Aliás quidem, cum magistratus plures tutores dant, non prius ad eos reuerti pupillus potest, quàm omnes tutores excussi fuerint. In proposito, cum unus à magistratibus datus proponeretur: non est uisum, prius collegam conueniendum, qui & suspectum fecit, & testamento datus est: perindeq; habendos singulos, ac si in testamento in partes dimidias tutores dati essent. *Hæc de prima replicatione. Plures propositæ exceptionis replicationes uide §. cap. 10. quæst. 3. reg. 2. except. 1. repl. 1. cum sequentibus.*

VII. *Exceptio: Nisi tutor tempore finitæ tutelæ fuerit soluendo. tunc enim, quamuis postea soluendo esse desierit, ad periculum magistratus non pertinet. quæ exceptio approbatur l. Acmilius. 52. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. cap. 10. quæst. 3. reg. 2. except. 1. repl. 4. Concordat l. tutores. 5. in fine. ff. de confirmando tutore. cuius uerba uide §. causa 2. Concordat item l. 1. §. si magistratus. ff. de magistr. conueniendis. cuius uerba uide §. proximè.*

VIII. *Exceptio: Nisi magistratus omnia quæ ad se pertinebant, fecerit. tunc enim, quamuis tutor postea soluendo esse desierit, extra periculum est magistratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. si magistratus, his uerbis*: Si magistratus ab initio tutorem idoneum dedit, & satis non exegit: non sufficit. Quòd si satis exegit, & idoneum exegit: quamuis postea facultatibus lapsi sunt tutores uel fideiussores, nihil est quod ei qui dedit, imputetur. Non enim debent magistratus futuros casus & fortunam pupillo præstare. Sed etsi satis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit, quo tutelæ agi potest, sufficit. *Concordat l. quod ad hæredem. 6. §. si uerò caut. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. 4. reg. 1. except. 1.*

IX. *Exceptio: Nisi pupillo sit satisfactum. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proponuntur §. reg. prox.*

III. Qvibvs actio proposita competit?

I. *Regula, De tutore qui pro contutore soluit. Huic regulariter aduersus magistratum actio non datur. quæ regula approbatur l. 2. ff. de magistrat. conueniendis, hisce uerbis*: Proponebatur, duos tutores à magistratibus municipalibus datos, cautione non exacta: eorumq; alterũ inopem decessisse, alterum in solidum conuentũ satis pupillo fecisse. Et quærebatur, an tutor iste aduersus magistratũ municipalẽ habere possit aliquam actionẽ, cum sciret à contutore suo satis non esse exactum? Dicebam, cum à tutore pupillo satisfactũ sit: neq; pupillum ad magistratus redire posse, neq; tutorem: cum nunquam tutor aduersus magistratus habeat actionem. Senatus enim consultum pupillo subuenit, præsertim cum sit quod tutori imputetur: scilicet quòd satis à contutore non exegit, uel suspectum non fecit, si sciuit (uti proponitur) magistratibus eum non cauisse. *Huius regulæ exceptio hæc uidetur esse: Nisi tutori nulla culpa imputari possit, quòd à collega non sit satis acceptum. Hæc exceptio approbatur*

cius Titius cohæres & curator sororis suæ, cum esset ex ciuitate, in qua usitatum erat ipsos dominos prædiorum, non conductores onera annonarũ & contributionũ temporalium sustinere: morem hunc & consuetudinem semper obseruatam secutus & ipse, pro communi & indiuidua hæreditate annonas præstitit. Quæro, an in rationibus dandis opponi curatori possit, quòd non rectè pro parte sororis tales impensas fecerit? Modestinus respondit, id demũ curatorẽ adultę reputare ex ea causa, de qua quæritur, posse: quod ipsa, si rem suam administraret, erogare compelleretur. *Concordat l. tutor. 12. §. in soluendis. ff. cod. tt. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 4. reg. 2. Planè quæ sint debitæ causæ, in quas tutori nomine pupilli sit impendendum, definitur §. d. cap. 3. officio 5.* Sexta exceptio est: *Nisi plus æquo impenderit. De hac exceptione uide ī. quæst. 5.* Septima exceptio est: *Nisi non bona fide impēderit. Hæc exceptio approbatur l. quid ergo. 3. §. penul. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Deducuntur in tutelæ iudicium sumptus, quoscũq; tutor fecerit in rem pupilli: sic tamẽ, si bona fide fecit. Octaua exceptio est: *Nisi non expediat pupillo id, m quod impensum est. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. in princ. ibi: sic tamen. cuius uerba uide ī. quæst. 5. reg. 2. Huius exceptionis replicatio est: Nisi euentũ aduersum habuerit id quod gestũ est. Hæc replicatio approbatur d. l. 3. §. sufficit, his uerbis:* Sufficit tutori bene & diligenter negocia gessisse, etsi euentum aduersum habuerit quod gestum est. Nona exceptio est: *Nisi non tutor, sed is qui pro tutore negocia gerit, impenderit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. hæc actio. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Hæc actio non solùm tutori, uerumetiam ei qui pro tutore negocia gessit, cõpetere debet. Sed & si curator sit uel pupilli, uel adolescẽtis, uel furiosi, uel prodigi: dicendum est, etiam his cõtrarium dandum. Idem in curatore quoq; uentris probãdum est. Quæ sententia Sabini fuit, existimãtis cęteris quoq; curatoribus ex ijsdem causis dandũ contrarium. *Concordat l. ult. ff. de eo qui pro tutore, his uerbis:* Ei qui pro tutore negocia gessit, contrarium iudicium cõpetit. Decima exceptio: *Nisi non tutor, sed curator gesserit & impenderit. Et hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Sed & si curator sit uel pupilli, uel adolescentis, uel furiosi, &c. *Concordat l. ait prætor. 3. §. & si furiosi. ff. negociorum gestorum, his uerbis:* Et si furiosi negocia gesserim, competit mihi aduersus eum negociorum gestorum actio. Curatori autẽ furiosi uel furiosæ aduersus eum cámue dandam actionẽ, Labeo ait. Vndecima exceptio uidetur: *Nisi non tutor, sed hæres tutoris impenderit. Et hæc exceptio reprobatur l. hæredẽ. 5. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Hęredem tutoris, si eam summam soluerit, in qua obligati pupilli fuerunt, actionem cõtrariam aduersus eos habere posse, Vlpianus respondit. Duodecima exceptio est: *Nisi ante uel post tutelã, non in ipsa tutela fit impẽsum. Hæc exceptio reprobatur l. quid ergo. 3. §. iudicio. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Iudicio tutelæ contrario præstatur & id quod in rem pupilli uel post tutelã uersum est, si negocijs tutelæ tempore gestis connexum probatur, & quod antè impensum est, siue pro tutore negocia gesserit, & postea tutor constitutus est, siue uentri erat curator. Sed & si nõ pro tutore negocia gerebat, debet uenire quod antè impensum est. Decimatertia exceptio est: *Nisi tutelæ actione pupillus non agat. Hæc exceptio reprobatur l. 2. §. fin. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Hanc actionem dandam placet, etsi tutelæ iudicio non agatur. Etenim nonnunquã pupillus idcirco agere tutelæ non uult, quia nihil ei debetur, imò plus in eũ impensum est, quàm ei abest. nec impediendus est tutor contrario agere. *Concordat l. si pater. 2. §. fin. C. eod. tt. cuius uerba uide ī. quæst. 7. reg. 1.* Decimaquarta exceptio est: *Nisi de rationibus distrahendis actione agatur. Hæc exceptio reprobatur l. 2. ff. d. tt. his uerbis:* Longè magis dandum est, & si de rationibus distrahendis actio intendatur. Decimaquinta exceptio est: *Nisi tutor tanquam suspectus sit remotus. Et hæc exceptio reprobatur l. à tutela. 4. ff. d. tt. his uerbis:* A tutela remotus eo loco haberi debet, quo esset finita tutela. & sicut actiones patitur, perinde ac si pupillus pubes factus esset: ita contrario iudicio, si quid ei aberit, persequi debebit. Nihil enim prohibet suspectum tutorem esse, quamuis complura in rem pupillã impẽderit, quæ eum amittere non oportet. Decimasexta exceptio est: *Nisi cum tutelæ iudicio ageretur, iudex reputationem oppositam reprobauit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. prætereà. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Si tutelæ iudicio cõuenietur, reputari potest id quod in rẽ pupilli impendit. Sic erit arbitrij eius, utrum compensare, an petere uelit sumptus. Quid ergo, si iudex cõpensationis eius rationem non habuit: an & contrario iudicio experiri possit? Et utiq; potest. Sed si reprobata est hæc reputatio, & adquieuit: non debet iudex contrario iudicio id sarcire. *Hæc de prima propositæ actionis causa, eiusq; exceptionibus sint dicta.*

II. *Causa: Si tutor se pro pupillo obligauit, agere proposita actione potest, ut liberetur. quæ causa approbatur l. si tutor. 6. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Si tutor pro pupillo se obligauit, habet contrariam actionem & antequam soluat. *Concordat inst. de oblig. quæ quasi ex contr. §. tutores. ibi: non tantùm. cuius uerba uide §. causa prox. in prin.*

III. *Causa: Si pater pupilli tutori aliquid debuit, illud actione proposita persequi potest. quæ causa approbatur l. 1. §. an in hoc. ff. de cõtraria tutelæ actione, his uerbis:*

An in hoc iudicio non tantùm quę pro pupillo uel in rem eius impẽsa sunt, ueniant: uerumetiam ea quoq; quæ debeantur aliâs tutori (utputa si quid à patre pupilli debitũ fuit) quæritur? Et magis puto, cùm integra sit actio tutori, non esse in contrariũ iudicium deducẽdum. Quid tamen, si ideo expectauit, quia tutor erat, & ideo non exegit? Videamus, an contrario iudicio tutelæ indemnitatem consequatur. Quod magis probandũ est. Nam sicuti, quodcunq; aliud gessit pro utilitate pupilli, id contrario iudicio cõsequitur: ita etiam id quod sibi debetur, cõsequi debet, uel eius securitatem. Ergo & si ex causa quę tempore finitur, obligatio aliqua fuit: tutelæ contrarium iudicium esse ei opinor. Concordat l. 2. ibi: cum aut compens. C. de in litem dando tutor. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 32. repl. 8.

IIII. *Causa: Si certum salarium tutori constitutum fuit, hac actione persequi potest. quæ causa approbatur l. à tutoribus. 32. §. fin. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. causa 1. except. 2.*

V. *Causa: Si liberari uelit actione tutelæ, actione proposita consequi non potest. quæ regula approbatur l. quid ergo. 3. §. contrarium. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Cõtrarium iudicium an ad hoc quoq; competat, ut à pupillo quis exigat liberationem, uidendum est? Et nemo dixerit, in hoc agere quem contrario posse, ut tutelæ iudicio liberetur: sed tãtùm de his quę ei propter tutelam absunt. *Hactenus causæ propositæ actionis enumeratæ sunt: quarum exceptiones generales uide §. causa 1.*

III. QVIBVS ACTIO PROposita competit?

I. *Regula, De hæredibus tutoris. His quoq; datur actio proposita. quæ regula approbatur l. quid ergo. 3. §. fin. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Hanc actionem perpetuam esse, palàm est: & hæredi & in hęredem dari, cæterisq; successoribus, ad quos ea res pertinet, & in eos.

II. *Regula, De fideiussoribus tutoris, proponitur l. si cum. 5. ff. de fideiussoribus tutoris. cuius uerba uide §. cap. 10. quæst. 5. reg. 12.*

IIII. ADVERSVS QVOS competit?

De *hæredibus pupilli proponitur l. quid ergo. 3. §. fin. ff. de contraria tutelæ actione. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 1.*

V. QVID VENIAT IN Actione proposita?

I. *Regula, De eo quod plus æquo impendit. Hoc non uenit. quæ regula approbatur l. 2. §. 1. ibi: nec enim permittendum. ff. ubi pupillus educari. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 5. reg. 9. Plura de regula proposita uide §. quæst. 2. causa 1. except. 5. item d. officio 5.*

II. *Regula, De eo quod amplius quàm est in facultatibus pupilli, impensum est. Hoc quoq; uenit in actione proposita. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. quid ergo. 3. in princ. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Quid ergo, si plus in eum impẽdit, quàm est in facultatibus? Videamus, an possit hoc consequi? Et Labeo scripsit, posse. Sic tamen accipiendum est, si expediat pupillo ita tutelam administrari. Cæterùm si non expedit: dicẽdum est, absolui pupillum oportere. Neq; enim in hoc administrantur tutelæ, ut mergantur pupilli. Iudex igitur, qui contrario iudicio cognoscit, utilitatem pupilli spectabit, & an tutor ex officio sumptus fecerit. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi non expediat pupillo plus esse impensum. quæ exceptio ex uerbis iam propositis cõstat. Cuius replicatio hæc esse uidetur: Nisi uel prætor uel pater pupilli tantum decreuerit. Hæc replicatio reprobatur l. 2. §. penult. & ult. ff. ubi pupillus educari. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 5. reg. 9.*

III. *Regula, De usuris. Hæ quoq; in actione proposita ueniunt. quæ regula approbatur simul & declaratur l. quid ergo. 3. §. contrarium. ibi: consequitur. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Consequitur autem pecuniam, si quam de suo consumpsit, etiam cum usuris. Sed uel triẽtibus, uel his quę in regione obseruantur, uel his quibus mutuatus est (si necesse habuit mutuare, ut pupillo ex iusta causa prorogaret) uel his quibus pupillum liberauit, uel quib. caruit tutor, si nimium profuit pupillo pecuniam esse exolutam. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tutor contrà pupillo tutelæ actione teneatur. tunc enim compensantur usuræ. quæ exceptio approbatur d. l. 3. §. plane si forte. cuius uerba uide §. cap. 3. officio 6. reg. 1. except. 4. Secunda exceptio uidetur esse: Nisi tutela finita fit. tunc enim uidetur, quòd non amplius currant usuræ. Verùm exceptio hæc reprobatur d. l. 3. §. usuras, his uerbis:* Vsuras utrum tam diu consequetur tutor, quam diu tutor est, an etiam post finitam tutelã, an ex mora tantùm, uideamus? Et magis est, ut quoad ei reddatur pecunia, consequatur. nec enim debet ei sterilis esse pecunia. Tertia exceptio est: *Nisi fuerit in substantia pupilli unde impenderetur, ut tutor de suo impendere non habuerit necesse, uel unde tutor sibi soluere potuit. Hæc exceptio approbatur ibid. his uerbis:* Si tamen fuit in substantia pupilli, unde consequeretur: dicẽdum est, non oportere eũ usuras à pupillo exigere. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi in alium usum pecunia pupillaris fuit deposita. Hæc replicatio approbatur sub conditione ibidem, his uerbis:* Quid ergo, si de re pupillari non potuit sibi soluere, quia erat deposita ad prædiorum comparationem? Siquidem non postulauit à prætore ut promatur pecunia, uel hoc minus deponatur: sibi imputet. Si uerò hoc desiderauit, nec impetrauit: dicendum est, non deperire ei usuras in contrario iudicio.

VI. QVAN-

VI. QVANDO ET QVAMdiu competat actio propositæ?

I. *Regula: Finita demum tutela, competit. quæ regula approbatur l.1.§.finito. ff. de contraria tutelæ actione, his uerbis:* Finito officio hanc actionẽ competere dicemus tutori. Cæterùm quamdiu durat, nondum competit. Sed si pro curatore negocia gesit, uel curam etiam administrauit, locus erit iudicio etiam statim: quia hoc casu in ipsum quoq; statim actio competit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non tutor, sed curator proposita actione agere uelit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis, hisce:* Sed si pro curatore negocia gesit, &c. *Secunda exceptio est: Nisi ad litem datus tutor, proposita actione agat. quæ exceptio approbatur l. ad litem. 4. C. de in litem dando tutore, his uerbis:* Ad litem datus tutor, si quid bona fide erogasti, à contutoribus more solito exigere potes. *Tertia exceptio est:* Nisi tutor à tutela sit remotus. *Hæc exceptio approbatur l. à tutela. 4. ff. de contraria tutelæ actione. cuius uerba uide ẽ. cap. 10. quæst. 6. reg. 1. except. 3.*

II. *Regula: Perpetua est actio proposita. Quæ regula approbatur l. quid ergo. 3. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. quæst. 3. reg. 2.*

VII. ADFINIA PROPOSITÆ actionis remedia.

I. *Regula, De compensatione opponenda, si tutor tutelæ actione conueniatur, proponitur l.1. §. præterea. ff. de contraria tutelæ actione. cuius uerba uide ẽ. quæst. 2. causa 1. except. 16. Concordat l. si pater. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Si pater tuus, quem priuigni sui tutelam administrasse proponis, testamento rectè facto, pupillo etiam quondam suo hærede instituto, decesit: quoniam nõ nisi pro portione hæreditaria tutelæ petitionem cõfusione constet extingui, pro residua parte succedẽtem patri, tutelæ te conuenit apud competentem iudicem reddere rationem: qui secundum bonam fidem, eorum etiam quę patrem tuum in rem eius erogasse dicis, admissa compensatione, & reliqui (si quid amplius debetur) faciet condemnationem. Quòd si sciens amplius in rem suam erogatum, agendum propterea tutelæ non putauerit: eum contrario iudicio conuenire potes. *Concordat item l. 2. ibi: cum aut compens. C. de in litem dando tutore. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 32. repl. 8.*

II. *Regula, De cautione in tutelæ iudicio tutori offẽcio iudicis præstanda, de eo quod ei debetur restituendo, proponitur l. si tutelæ. 3. ff. de tutelæ actione, his uerbis:* Si tutelæ aut negociorum gestorum agatur, incerto hoc, quãtum ab aduersarijs debeatur tutori procuratoriúe: arbitratu iudicis cauẽdum est, quod eo nomine eis absit.

III. *Regula: Curatori contraria non tutelæ, sed negociorum gestorum actio datur. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. cap. 10. quæst. 9. reg. 4. except. 4. Hactenus de tutela & cura. Sequitur quartum ius personarum, quod est seruorum.*

DIGESTORVM LIBER DECIMVSNONVS:

DE IVRE SERVORVM.

DE SERVITVTE SEV iure seruorum. Cap. I.

I. DEFINITIO SERVITutis & seruorum.

PRIMO: *Definitio rei proponitur Instit. de iure personarum. §. seruitus autẽ, his uerbis:* Seruitus, est constitutio iuris gentiũ, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. *Concordat l. libertas. 4. in prin. ff. de statu hominum, his uerbis:* Libertas, est naturalis facultas eius quod cuiq; facere libet: nisi si quid ui aut iure prohibetur. Seruitus, est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur.

II. DEFINITIO *nominis proponitur d. l. 4. §. fin. his uerbis:* Serui ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos uendere, & per hoc seruare, nec occidere solent. Mancipia uerò dicta sunt, quòd ab hostibus manu capiuntur. *Concordat ijsdem uerbis Inst. de iure personarum. §. serui. Concordat item l. pupillus. 239. §. 1. ff. de uerb. signific. cuius uerba uide ẽ. lib. 50. cap. 4. in uerbo Seruus.*

II. QVO IVRE SERVITVS sit introducta?

Iure gentium est introducta. quæ regula approbatur Inst. de his qui sui uel alieni. §. in potestate, his uerbis: In potestate dominorum sunt serui. quæ quidem potestas iuris gentium est. nam apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus dominis in seruos uitæ necisq; potestatem fuisse: & quodcunque per seruum adquiritur, id domino adquiri, &c. *Concordat ijsdem uerbis l. 1. §. 1. ff. eod. tt.*

III. DIVISIO *seruorum proponitur Instit. de iure personarum. §. serui autem. cuius uerba cum aliis huc pertinentibus uide ẽ. cap. 3.*

IIII. SPE-

IIII. SPECIES ET IVRA DOminicæ potestatis.

I. *Regula: Vitæ necisq; potestatem dominus olim in seruos habuit. quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nam apud omnes peræquè gentes, &c. *Concordat d. l. 1. §. 1. ijsdem uerbis. Mutatum est hoc ius alio iure nouo Inst. d. §. in potestate. uers. sed hoc tempore, his uerbis:* Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita in seruos suos supra modum sæuire. Nam ex constitutione diui Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quàm si alienum seruum occiderit. Sed & maior asperitas dominorum, eiusdem principis constitutione coercetur. Nam Antoninus consultus à quibusdã præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad ædem sacram, uel ad statuam principũ confugiunt: præcepit, ut si intolerabilis uideatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus uendere, ut preciũ dominis daretur: & rectè. expedit enim reipublicæ, ne sua re quis malè utatur. Cuius rescripti ad Aelium Martianum missi uerba sunt hæc: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi. Sed dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam, uel famem, uel intolerabilem iniuriam denegetur ijs qui iustè deprecantur. Ideoq; cognosce de querelis eorũ, qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerunt: & si uel durius habitos quàm æquũ est, uel infami iniuria affectos esse cognoueris, uenire iubẽ, ita ut in potestatem domini non reuertantur. Quòd si meæ constitutioni fraudem fecerit, sciat me admissum seuerius executurum. *Concordat l. 1. §. fin. cum lege sequente. ff. de his qui sui uel alieni iuris, ijsdem uerbis quæ iam proposita sunt.*

II. *Regula: Iure itaq; nouo non licet dominis ultra modum in seruos suos sæuire, ut iam dictum est. Cui concordat l. 2. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Diuus Hadrianus Vmbriciam quandam matronã in quinquennium relegauit, quòd ex leuissimis causis ancillas suas atrocissimè tractasset. *Similia exempla proponuntur l. circumcidere. 11. §. seruo, & §. fin. ff. ad legem Cornel. de sicarijs. cuius uerba uide ẽ. l. b. 4. cap. 4. quæst. 1. causa 13.*

III. *Regula: Quidquid seruus adquirit, domino adquirit. quæ regula approbatur Instit. de his qui sui. §. in potestate. ibi: & quodcunq;. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. Huius regulæ leges concordantes simul & exceptiones uide ẽ. lib. 21. cap. 2. reg. 1. & reg. 3.*

IIII. *Regula: Melior domini conditio per seruos fieri potest, deterior fieri non potest. Quæ regula approbatur l. melior. 175. ff. de regulis iuris, hisce uerbis:* Melior conditio nostra per seruos fieri potest, deterior fieri non potest. *Huius exemplũ proponitur l. penult. ff. depositi. cuius uerba uide ẽ. lib. 39. cap. 8. quæst. 9. except. 6. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi non de amittendo, sed de adquirendo & alium obligãdo agatur. quæ exceptio approbatur exẽplo l. bona fide. 27. §. 1. ff. ad S. C. Velleianum, his uerbis:* Cum serui ad negociationem præpositi, cũ alio contrahentes, personam mulieris, ut idoneæ, sequuntur: exceptio senatusconsulti dominũ submouet. Nec uidetur deterior causa domini per seruum fieri: sed nihil esse domino quæsitum, nõ magis quàm si litigiosum prædium seruus, aut liberum hominem emerit.

V. *Regula, De dominio in seruos ex iure Quiritium. Hoc tollitur l. unica. C. de nudo iure Quiritiũ, his uerbis:* Antiquæ subtilitatis ludibrium per hanc decisionem expellentes, nullam esse differentiam patimur inter dominos, apud quos uel nudum ex iure Quiritium nomẽ, uel tantum in bonis reperitur: quia nec huiusmodi uolumus esse distinctionem: nec ex iure Quiritium nomen, quod nihil ab ænigmate discrepat, nec unquam uidetur, nec in rebus apparet: sed uacuum est & superfluum uerbum, per quod animi iuuenum, qui ad primam ueniunt legum audientiam, perterriti, ex primis eorum cunabulis inutiles legis antiquæ dispositiones accipiunt: sed sit plenissimus & legitimus quisq; dominus, siue serui, siue aliarum rerum ad se pertinentium.

VI. *Regula: Inter dominum & seruum nec obligatio, nec actio consistit. quæ regula approbatur simul & distinguitur ẽ. lib. 36. cap. 3. except. 6.*

VII. *Regula: Serui iure ciuili pro nullis habentur: ideoq; non obligantur, nec in iudicio uel agere uel conuenire possunt. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. lib. 36. cap. 5. reg. 2. & cap. 6. reg. 1.*

VIII. Regula: *De matrimonio seruorum uide ẽ. lib. 14. cap. 3. except. 35. Sed & de hoc proponitur l. ult. C. de seruis fugitiuis. cuius uerba uide ẽ. cap. 14. reg. 13. Sunt & plura seruorum iura, quæ infrà suis locis proponentur.*

DE PECVLIO SERVORVM & filiorum familiarum. Cap. II.

INter iura seruorum numerantur etiam iura peculij, quæ tam seruis quàm filijsfamiliarum olim fuerunt communia. *De quibus in hoc Capite dicetur.*

I. DEFINITIO PECVLII.

Definitur l. depositi. 5. §. fin. cum lege sequente. ff. de peculio, his uerbis: Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, siue pusillum patrimoniũ. Peculium autem Tubero quidem sic definiuit (ut Celsus lib. VI. Digest. refert) quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet: deducto inde, si

quid domino debetur. Quam Tuberonis sententiam & ipse Celsus probat. Celsus: Definitionem peculij, quam Tubero exposuit, Labeo ait, ad uicariorum peculia non pertinere: quod falsum est. nam eo ipso, quòd dominus seruo peculium constituit, etiam uicarijs cõstituisse existimandus est. *Concordat l. peculij. 4. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. 4. causa 1. Planè alio modo peculium dicitur pecunia, quæ præsidij causa reponeretur. quod approbatur l. si chorus. 77. §. 1. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ĩ. lib. 33. cap. 4. de ijs quæ ibi sunt relicta, reg. 1. except. 9. in fine.*

II. DIVISIO PECVLII.

Diuisio peculij habetur l. peculij. 17. in prin. C. de inofficioso testam. his uerbis: Peculij triplex inuenitur causa: uel enim paganum est peculium, uel castrense, uel quod medietatem inter utrunq; obtinet, quod quasi castrense nuncupatur. *De primo genere peculij in hoc Capite agitur: de reliquis duobus dictum est ẽ. li. 16. cap. 3.*

III. PROPRIA PECVLII.

I. Regula: *Quasi patrimonium libri hominis intelligitur peculium. quæ regula approbatur l. quoties. 47. §. fin. ff. de peculio. cuius uerba uide ĩ. lib. 45. cap. 11. quæst. 5. reg. 1. except. 1. repl. 4. Concordat l. peculium. 39. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox. causa 1.*

II. Regula: *Peculium nascitur, crescit, decrescit, moritur: et ideo homini simile est. quæ regula approbatur l. peculium. 40. ff. d. tt. his uerbis:* Peculium nascitur, crescit, decrescit & moritur: & ideo eleganter Papyrius Fronto dicebat, peculium homini simile esse. Quomodo autem peculium nascatur, quæsitum est? Et ita ueteres distinguunt, Si id adquisiuit seruus, quod dominus necesse non habet præstare: id esse peculium. Si uerò tunicas aut aliquid simile, quod ei dominus necesse habet præstare: non esse peculium. Ita igitur nascitur peculium: crescit, cum auctum fuit: decrescit, cum serui uicarij moriuntur, res intercidunt: moritur, cum ademptum est. *Concordat l. ult. ff. quando actio de peculio. cuius uerba uide ĩ. quæst. 5. causa 5.*

III. Regula, *De possessione rei peculiaris adipiscenda, retinenda & recuperanda, proponitur l. filiusfam. 93. ff. de reg. iuris, his uerbis:* Filiusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris uidetur. *Plura de hac re uide ĩ. lib. 23. cap. 2. except. 5.*

IIII. Regula: *Peculium ex uoluntate domini pendet. quæ regula approbatur ĩ. quæst. prox. in prin. item l. quam Tuberonis. 7. §. tam autem. ff. de peculio. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox. except. 7.*

IIII. DE PECVLIO CONSTITUENDO & adquirendo.

Causa seu modus constituendi peculij est: Si seruus aliquid in peculio domini uoluntate habet. quæ causa approbatur l. peculij. 4. in prin. ff. de peculio, his uerbis: Peculij est non id, cuius seruus seorsum à domino rationem habuit: sed quod dominus ipse separauit in substantiam seruo, suum à serui ratione discernens. nam cum serui peculium totum adimere, uel augere, uel minuere dominus possit: animad uertendum est, non quid seruus, sed quid dominus constituendi seruilis peculij gratia fecerit. Sed hoc ita uerum puto, si debito seruum liberare uoluit dominus: ut etiam si nuda uoluntate remiseris dominus quod debuit, desinat seruus debitor esse. Si uerò nomina ita fecerit dominus, ut quasi debitorem se seruo faceret, cum debitor nõ esset: contrà puto. Re enim, non uerbis peculium augendum est. Ex his apparet, non quod seruus ignorante domino habuit, peculium esse, sed quod uolente. Alioquin & quod subripuit seruus domino, fiet peculij: quod nõ est uerum. Sed sæpe fit, ut ignorante domino incipiat minui serui peculium: ueluti cum damnum domino dat seruus, aut furtum facit. *Concordat l. peculium. 39. ff. eod. tt. his uerbis:* Peculium & ex eo constitit, quod parsimonia sua quis parauit, uel officio meruit à quolibet sibi donari, idque uelut proprium patrimonium seruum suũ habere quis uoluit. *Propositæ causæ seu regulæ exceptio prima hæc est: Nisi sine uoluntate domini seruus aliquid in peculio habeat. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis. Secunda exceptio, primæ non dissimilis, hæc est: Nisi seruus ignoranter domino aliquid habeat. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Ex his apparet, nõ quod seruus ignorante domino habuit, peculium esse, &c. *Huius replicatio prima hæc est: Nisi tale sit, quod etiãsi resciisset dominus, passurus sit esse in peculio. quæ replicatio approbatur l. non solùm. 49. in prin. ff. de peculio, his uerbis:* Non solùm id peculium est, quod dominus seruo concessit: uerùm id quoq;, quod ignorante quidem eo adquisitum sit: tamen si resciisset, passurus erat esse in peculio. *Concordat l. quam Tuberonis. 7. §. scire. ff. eod. tt. his uerbis:* Scire autem non utique singulas res debet ex necessitate, sed ὡσεὶ πρὸς τὸ πολύ (id est, per maiores partes.) & in hanc sententiã Pomponius inclinat. *Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi seruus ordinarius uicario seruo peculium constituerit. quæ replicatio approbatur l. peculij. 4. §. fin. ff. de peculio, his uerbis:* Non solùm id in peculium uicariorum ponendum est, cuius rei à domino: sed etiam id, cuius ab eo, cuius in peculio sunt, seorsum rationem habent. *Concordat l. definitionem. 6. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. quæst. 1. Tertia exceptio est: Nisi sine traditione dominus seruorem in peculium concessit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. non statim. 8. ff. de peculio, his uerbis:*

Non statim quod dominus uoluit ex re sua peculij esse, peculiũ fecit: sed si tradidit, aut cum apud eum esset, pro tradito habuit. desiderat enim res naturalem dationem. Contrà autem, simulatq; noluit peculium serui, desinit peculium esse. *Concordat l. non solùm. 49. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Vt debitor, uel seruus domino, uel dominus seruo intelligatur, ex causa ciuili cõputandum est. Ideoq; si dominus in rationes suas referat, se debere seruo suo: cũ omnino neque mutuũ acceperit, neq; ulla causa præcesserit debendi: nuda ratio nõ facit eũ debitorem. *Concordat item l. peculij. 4. §. si uerò nomina. cuius uerba uide paulò superius eod. regula, in prin. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi res quæ in peculium conceditur, sit penes seruum. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 8. iã propositis hisce:* Aut cum apud eũ esset, pro tradito habuit. *Concordat l. quam Tuberonis. 7. §. sunt quidam. ff. eod. tt. his uerbis:* Sunt quidam, qui putant, peculium seruum habere non posse, nisi concedente domino. Ego aũt puto, non esse opus concedi à domino peculium seruum habere, sed nõ adimi ut habeat. Alia causa est peculij liberæ administrationis. nam specialiter concedenda est. *Concordat l. peculium. 39. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. eod. quæst. in prin. Altera replicatio est: Nisi dominus seruo debitum remiserit. quæ replicatio approbatur l. peculij. 4. §. sed hoc ita. ff. de peculio. cuius uerba uide suprà eod. quæst. in prin. Quarta exceptio uidetur esse: Nisi dominus seruo non nominatim concesserit, ut rem in peculio habeat. quæ exceptio reprobatur d. l. 7. §. sunt quidam. ff. de peculio. cuius uerba uide suprà except. prox. repl. 1. Quinta exceptio est: Nisi pupillus dominus seruo peculium concesserit. Hæc exceptio approbatur l. licet. 5. §. idem adijcit. ff. de peculio, his uerbis:* Pedius ait, pupillum non posse seruo peculium constituere, nec tutoris authoritate. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi peculium antè fuit constitutum. tunc enim propterea quòd dominus sit pupillus, non adimitur. quæ replicatio approbatur l. quam Tuberonis. 7. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Celsus ait, pupillum uel furiosum constituere quidem peculium seruo non posse: uerùm antè constitutum, id est, uel ante furorem, uel à patre pupilli, non adimi ex his causis. Quæ sententia uera est, & cõgruit cum eo quod Marcellus apud Iulianum notans adijcit, posse fieri, ut apud alterum ex dominis seruus peculium habeat, apud alterum non: utputa si alter ex dominis furiosus sit, uel pupillus. *Concordat d. l. 3. §. in furioso. ibi: nam & huius. cuius uerba uide ĩ. lib. 45. cap. 11. quæst. 3. except. 6. Sexta exceptio est: Nisi dominus concedens, furiosus sit. Quæ exceptio approbatur uerbis d. l. 7. in prin. iam propositis. Cui concordat d. §. in furioso. Septima exceptio uidetur: Nisi pupillo peculium concedatur. Hæc exceptio reprobatur d. l. 7. §. tam autem, his uerbis:* Tam autem pupillum filium, quàm seruũ peculiũ habere posse, Pedius li. XV. scribit: cũ hoc (inquit) totum ex domini constitutione pendeat. Ergo & si furere cœperit seruus uel filius, retinebunt peculium. *Octaua exceptio uidetur esse: Nisi res quæ in peculium conceditur, sit immobilis, uel seruus, uel ius aliquod incorporale. Hæc exceptio reprobatur d. l. 7. §. in peculio, his uerbis:* In peculio res esse possunt omnes, & mobiles, & soli. Vicarios quoque in peculium potest habere, & uicariorum peculium: hoc amplius, & nomina debitorum. *Planè quæ in peculium connumeranda, quæ contrà ex eo deducenda, proponentur in actione de peculio.*

V. DE PECVLIO amittendo.

Causæ seu modi quibus peculium amittitur, hic proponentur.

I. *Causa amittendi peculij est: Si dominus nolit rem peculij esse. quæ causa approbatur l. non statim. 8. in fine. ff. de peculio. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. except. 3.*

II. *Causa: Si seruus domino debeat. ex eo enim minuitur uel omittitur peculium. quæ causa approbatur l. sed si. 9. §. præterea. ibi: nam ut eleganter. ff. de peculio, his uerbis:* Eleganter Pedius ait: Ideo hoc minus in peculio est, quod domino uel patri debetur: quoniam non est uerisimile, dominum id concedere seruo in peculium habere, quod sibi debetur. *Planè causa proposita intelligenda est, si dominus de peculio serui nomine conueniatur. tunc enim quod domino debetur, ex peculio deducitur. de qua re ĩ. m actione de peculio dicetur. Illa autem actione cessante, id quod seruus domino debet, antequam soluatur, nihilominus peculij manet: quod exceptionis loco notandum. quæ exceptio approbatur l. peculij. 4. §. penult. ff. de peculio, his uerbis:* Si ære alieno dominico exhauriatur peculium serui, res tamen in causa peculiari manet. Nam & si aut seruo donasset debitum dominus, aut nomine serui alius domino intulisset: peculiũ suppleretur, nec esset noua concessione domini opus.

III. *Causa uidetur: Si dominus furere cœperit, uel pupillus sit. Hæc causa reprobatur l. quam Tuberonis. 7. in prin. ff. de peculio. cuius uerba uide suprà quæst. prox. except. 5.*

IIII. *Causa: Si seruus uel filius furere incipiat. Hæc causa reprobatur d. l. 7. §. tam autem, in fine. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. except. 7.*

V. *Causa: Si seruus fuerit manumissus, uel mortuus, definit esse peculium. quæ causa approbatur simul & distinguitur l. defin. 3. ff. quando actio de peculio, his uerbis:* Definitione peculij interdum utendum est, etiamsi seruus in rerum natura esse desijt: & actionem de peculio prætor intra annum dat. Nam & tunc accessiones &

decessiones quasi peculij recipiẽdas, quanquam desijt morte serui uel manumissione esse peculium: ut possit & accedere peculio, ueluti fructibus, pecorum fœtu, ancillarũq; partubus: & decedere, ueluti si mortuum sit animal, uel alio quolibet modo perierit.

Exceptio propositarum causarum generalis.

Exceptio generalis tam dictarum causarum uidetur esse talis: Nisi ignorãte domino accidat id, quo peculiũ amittitur. Hæc exceptio reprobatur l. peculij. 4. §. ex his apparet. ibi: sed sæpe. ff. de peculio. cuius uerba uide §. quæst. prox. in prin.

VI. DE LIBERA PECVLII administratione.

I. Regula: *Qui liberam peculij administrationem concedere possit? De curatore domni proponitur l. curator. 24 ff. peculio, his uerbis:* Curator furiosi ad administrationẽ peculij & dare & denegare potest, tam furiosi seruo, quàm filio.

II. Regula: *Causæ ex quibus libera peculij administratio amittitur, proponuntur l. libera. 48. in prin. ff. de peculio, his uerbis:* Libera peculij administratio non permanet, neq; in fugitiuo, neq; in subrepto: sed neque in eo, de quo nesciat quis, uiuat, an mortuus sit.

III. Regula, *De effectu liberæ administrationis peculij, proponitur d. l. 48. in fine, his uerbis:* Cui peculij administratio data est, delegare debitorem suum potest. *De hac re uide ĵ. lib. 48. cap. 14. quæst. 4. except. 2. repl. 1.*

IIII. Regula, *item de effectu liberæ administrationis, proponitur l. qui peculij. 46. ff. eod. tt. his uerbis:* Qui peculij administrationem concedit, uidetur permittere generaliter, quod & specialiter permissurus esset. *Sed & plures liberæ administrationis peculij effectus sunt passim suis locis inserti: ut an donare possit, ĵ. lib. 35. cap. 2. q. 1. exc. 1. & c. Hactenus igitur de peculio dictum sit. De actione autẽ de peculio dicetur ĵ. lib. 45. cap. 11. cum sequente.*

DE CAVSIS AC MODIS, quibus seruitus constituitur & adquiritur. Cap. III.

TRia causarũ genera, *ex quibus serui efficiuntur, proponuntur Inst. de iure personarum. §. serui autem, his uerbis:* Serui aut nascuntur, aut fiũt. nascuntur ex ancillis nostris: fiũt aut iure gentiũ, id est, ex captiuitate: aut iure ciuili, cum liber homo maior uiginti annis ad preciũ participandũ sese uenundari passus est. *Concordat l. & seruorũ. 5. §. 1. ff. de statu hominũ, his uerbis:* Serui in dominiũ nostrum rediguntur aut iure ciuili, aut gentium. Iure ciuili, si quis se maior uiginti annis ad precium participandum uenire passus est. Iure gentium serui nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur. *De singulis hisce causis, aliisq; similibus nunc ordine dicetur, & primùm de natiuitate.*

I. *Causa est, natiuitas. Regulariter enim, quod ex ancillis nostris nascitur, seruilis conditionis efficitur, dominioq; nostro subijcitur. quæ causa ex iam propositis constat. Eius autem causæ exceptio prima hæc est: Nisi pater liber fuit. Hæc exceptio reprobatur l. partum. 7. C. de rei uendicatione, his uerbis:* Partum ancillæ matris sequi conditionẽ, nec statũ in hac specie patris considerari, exploratiuris est. *Secunda exceptio est: Nisi quis ancillã ignorans in uxorem duxerit, & ex ea liberos pepererit. Hæc exceptio reprobatur Noucll. c. 22. §. si uerò cum quis. cuius uerba uide §. lib. 14. cap. 3. except. 35. Tertia exceptio est: Nisi antequam mater in seruitutem fuerit redacta, editus sit. Hæc exceptio approbatur l. libertina. 9. C. de ingenuis manumissis. cuius uerba uide ĵ. causa prox. except. 1. Quarta exceptio est: Nisi antequã mater serua fieret, conceptus sit. Hæc exceptio approbatur l. & seruorum. 5. §. ingenui. ibi: contrariò. ff. de statu hominum, his uerbis:* Si libera conceperit, deinde ancilla pariat: placuit, eũ qui nascitur, liberum nasci: nec interest, ex iustis nuptijs concepit, an uulgò: quia non debet calamitas matris nocere ei qui in uẽtre est. *Concordat Inst. de ingenuis. §. sufficit, ijsdẽ ferè uerbis. Concordat item l. imperator. 18. ff. de statu hominum. cuius uerba uide §. lib. 3. cap. 12. quæst. 2. exc. 4. Concordat item l. ult. ff. de sententia passis. cuius uerba uide alibi. Concordat item l. si antè. 4. C. de pœnis, hisce uerbis:* Si antè conceptus est puer, de quo libellum dedisti, quàm mater eius in metallũ condemnaretur: natus conditionis eius est, cuius ante cõdemnationem mater eius fuit. *Quinta exceptio est: Nisi postquam mater ex seruitute ad libertatẽ peruenit, natus est. Hæc exceptio approbatur l. & seruorum. 5. §. ingenui. ff. de statu hominum, his uerbis:* Ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt. Sufficit autem, liberam fuisse quo tempore nascitur, licet ancilla conceperit. *Concordat Instit. de ingenuis. §. sufficit, ijsdem uerbis. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi tempore seruitutis sit conceptus. quæ tamen replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Licet ancilla conceperit. *Secunda replicatio uidetur esse Nisi matre ab hostibus redempta, antequam precium redemptionis solutum sit, filius ex ea nascatur. Hæc replicatio reprobatur l. præses. 8. C. de postliminio, his uerbis:* Præses prouinciæ, ne ulterius in seruitutis iugo detinearis, curæ habebit, qui prò solertia sua parum ignorat filiorũ tuorum statum tueri, quos posteaquam redempta es, enixam te esse significas: cũ eos qui post redemptionem nascuntur, ne pignoris quidem uinculo ob precium, quod pro his datum no est, teneri, nullis authoribus uisum est. *Concordat l. 2. C. eod. tt. his uerbis:* Ab hostibus redempti, quoad exoluatur precium, magis in causam pignoris constituti, quàm in

in seruilem conditionem uidentur esse detrusi. Et ideo si numi eo nomine expensi donatio inter cedat: pristinę conditioni eos reddi, manifestum est. Proinde si ab hostibus redemptam, post dissolutum ueluti naturalis pignoris uinculum in matrimonium habere cœpisti: nihil est quod de statu eius, seu liberorum communium, debeas pertimescere. *Concordat item l. si quis. 21. in prin. ff. de captiuis, his uerbis:* Si quis ingenuam ab hostibus redemptam, eo animo secum habuerit, ut ex ea suscipere liberos, & postea ex se natum sub titulo naturalis filij cum matre manumiserit: ignorantia mariti, eiusdemq; patris, neq; statui eorum quos manumisisse iussus est, officere debet: & exinde intelligi oportet remissum matri uinculum pignoris, ex quo de ea suscipere liberos optauerat. Ideoq; eam quæ postliminio reuersa, erat libera & ingenua, ingenuũ peperisse cõstat. Quòd si publicè prędа uirtute militum recuperata, nulli precium matris pater numerauit: protinus postliminio reuersa non cum domino, sed cum marito fuisse declaratur. *Tertia replicatio est: Nisi ex ea quæ à minore manumissa est, natus sit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: quia huiusmodi manumissio non ualet. de quo infrà dicetur. Eius autem duplicatio hæc est: Nisi mater matrimonij gratia à minore sit manumissa. quæ duplicatio approbatur l. si minor. 19. ff. de manumiss. in dicta, his uerbis:* Si minor annis apud consilium matrimonij causa prægnantem manumisit, eaq; interim peperit: in pendenti erit, seruus an liber sit, quem ea peperit. *Sed & de hac re uide plura ĵ. in manumissionibus. Quarta replicatio est: Nisi in ipso tempore conditionis libertatis existentis nascatur. Hæc replicatio reprobatur l. Arescusa. 15. cum lege sequente. ff. de statu hominum, his uerbis:* Arescusa, si tres peperisset, libera esse testamẽto iussa, primo partu unum, secundo tres peperit. quæsitum est, an & quis eorum liber esset? Hæc conditio libertati adposita, iam implenda muliori est. Sed non dubitari debet, quin ultimus liber nascatur. Nec enim natura permittit, ut unus uno impetu duos infantes de uno utero matris excedere: ut ordine nascentium incerto, non appareat uter in seruitute libertatéue nascatur. Incipiente igitur partu, existens conditio efficit, ut ex libera eadem tur, qui postea nascitur: ueluti si quælibet alia cõditio libertati mulieris adposita, parturiente ea exiitat. Et manumissa sub hac conditione, si decem milia hæredi Titio dederit: eo momento quo parit, si per aliũ impleuerit conditionem, iam libera peperisse credenda est. Idem erit, si eadem Arescusa primò duos pariat, postea geminos edat. dicendum est enim, non posse utrumque dici ingenuum, sed eum qui posterior nascitur. Quæstio ergo facti potius est, quã iuris. *Quinta replicatio est: Nisi conditione libertatis matris existente, in nouam seruitutem mater sit redacta. tunc enim uidetur, quamuis partus post existentem conditionem libertatis editus sit, nihilominus liberũ nasci. sed hæc replicatio reprobatur l. si statulib. 6. in prin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si statulibera pœnæ serua facta sit, & post damnationẽ statutæ libertatis conditio extiterit: quãuis ipsi statuliberæ nihil proficiat, tamẽ partui proficere oportet: ut perinde liber nascatur, atq; si mater damnata nõ esset. Quid tamen, si qua conceperit in seruitute, deinde ab hostibus capta, pepererit ibi post existentem conditionẽ, an liberum pariat? Et interim quidem, quia seruus hostiũ sit, nequaquam dubium est. Sed uerius est postliminio eum liberum fieri: quia si mater esset in ciuitate, liber nasceretur. Planè si apud hostes eum concepisset, & post existentem conditionem edidisset: benignius dicetur, competere ei postliminium, & liberũ eum esse. *Hæc de quinta exceptione, eiusq; replicationib. sint dicta. Sexta exceptio est: Nisi natus sit post conditionem, sub qua matri libertas erat relicta, matre ex alia causa rursus serua effecta. Hæc exceptio approbatur uerbis §. replicatione prox. propositis. Septima exceptio est:* Nisi mater inter tempus conceptionis & natiuitatis aliquo tempore libera fuerit. *Hæc exceptio approbatur Inst. de ingenuis. §. ex his illud, his uerbis:* Illud quæstum est. si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit: liberũ, an seruum pariat? & rectius probatum est, liberum nasci: & sufficere ei qui in uentre est, liberã matrem uel medio tempore habuisse. *Octaua exceptio est:* Nisi cũ ex captiua natus esset, *mater cum filio postliminio sit reuersa. Hæc exceptio approbatur l. commercio. 16. C. de postliminio, his uerbis:* Cõmercio redemptæ fœminæ filios, licet ex seruo medio susceptos tempore, origini ingenuitatis matris, iuxta ea quæ benignè placuerunt, reddi cõuenit. *Concordat l. statuliberæ. 6. in prin. ibi: planè si apud hostes. ff. de statuliberis: cuius uerba uide §. exc. 5. repl. 5. ltẽ cõcordat l. apud hostes. 9. ff. de captiuis, hisce uerbis:* Apud hostes susceptus filius, si postliminio redierit, filij iura habet, habere enim eum postliminium, nulla dubitatio est post rescriptum Imperatoris Antonini & diui patris eius ad Quintum Tertulium præsidem prouinciæ Misiæ inferio-

ris. *Concordat item l.diui.26.ff.eod.tt.his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, Si uxor cum marito ab hostibus capta fuerit, & ibidem ex marito enixa fit: si reuersi fuerint, iustos esse & parentes & liberos, & filium in potestate patris, quemadmodum si iure postliminij reuersus sit. Quòd si cum matre sola reuertatur: quasi sine marito natus, spurius habebitur. *Concordat l.ab hostib.15. §.non minus.ff.ex quib.causis maiores. cuius uerba uide ĵ.lib.49.cap.5.quæst.3.causa 11.except.4. Concordat l.1.C.de postliminio,his uerbis:* Ex duobus captiuis Samartina nata, patris originé ita secuta uidetur, si ambo parentes in ciuitatē nostram redijssent. Quanquā enim iure proprio postliminium habere non possit, quæ capta non est: tamen parentum restitutio reddet patri filiam, qui cum ab hostibus interfectus sit, matris duntaxat conditionem, quæ secum filiam duxit, uideri necesse est secuta. nam hactio legis Corneliæ, quæ legitimos apud hostes defuncto constituit hæredes, ad eam quæ illic suscepta est, nō pertinet: cum eo tempore quo captus est, diem suum pater obijsse existimetur. *Nona exceptio est: Nisi uoluntate domini mater ancilla in libertate fuerit morata. Hæc exceptio approbatur l.si uolunt. 4.C.de fideic.libertat.his uerbis:* Si uoluntate domini in libertate est morata, cui fideicommissaria libertas relicta fuit: secundum Senatusconsultum & cōstitutiones ad id pertinentes ciuis Romana facta, ingenuum perit. Sed si nunquam ab eo libertas petita est, sibimet imputare debet, cur interea progeniti ex ea serui sunt. *Decima exceptio est: Nisi ex matre ad tempus, non in perpetuum in metallum damnata, natus sit, quæ exceptio approbatur l.capitalium.28.§.diuus Hadrianus.ff.de pœnis. cuius uerba uide §.lib.3.cap.3.quæst.4.de pœna metalli. Vndecima exceptio est: Nisi ex statulibera sit natus. Hæc exceptio reprobatur l. statulibera. 16. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statulibera quidquid peperit, hoc seruum hæredis esse, Paulus ait. *Concordat l.cum uerò.26.§.idem imp.ibi: non tamen si ab. ff. de fideicom. libertat. cuius uerba uide ĵ. except.13. repl.2. Item concordat l.cum libert.3. C. de fideicommiß.libert.his uerbis:* Cum libertatem mulieribus sub cōditione datam proponas: quid dubium est, eos qui ex ijs ante impletam eam eduntur, seruos nasci, & pertinere ad hæredes iure dominij? His enim demum succursum est, qui post moram præstandæ libertatis progeniti sunt, ut liberi & ingenui nati uideantur. *Vide plura infrà except.13. repl.1. Duodecima exceptio est: Nisi ex seruo patre, matre libera, sit natus. Hæc exceptio approbatur Institut.de ingenuis.§.1,his uerbis:* Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre uerò seruo, ingenuus nihilominus nascitur: quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus est, quoniam uulgò conceptus est. *Concordat l.commercio.16.C.de postlimmio. cuius uerba uide §.except.8. Item concordat l.si ignorans.3.C.soluto matrimonio. cuius uerba uide §.lib.14.cap.4.except.25. Decimatertia exceptio est: Nisi post moram manumißionis seu libertatis matri præstandæ, partus sit editus. Hæc exceptio approbatur l. Heren.22. ff. de statu hominum,his uerbis:* Herennius Modestinus respondit, Si eo tempore enixa est ancilla, quo secundū legem donationis manumissa esse debuit: cum ex constitutione libera fuerit, ingenuū ex ea natum. *Concordat l.cum uerò.26.§.& ex die.ff.de fideic.libert.his uerbis:* Ex die quidem quo libertas peti potuit, matri tradentur manumittendi causa: ex die uerò quo petita est, ingenui nascentur. plerunq; enim per ignauiam, &c. *Concordat item d.l.26.§.cum quidam,his uerbis:* Cum quidam, &c. *Concordat item l.si quis.53.ff.eod.tt.his uerbis:* Si quis rogatus ancillam manumittere, morā fecerit: si enixa fuerit, cōstitutum est huiusmodi partum liberum nasci, & quidem ingenuum. Sed sunt constitutiones, quibus cauetur, statim ex quo libertas deberi cœperit, ingenuum nasci. Et hoc magis est sine dubio sequendum: quatenus libertas non priuata, sed publica res est: ut ultrò is qui eam debet, offerre debeat. *Concordat item l.cū libertatē.3.in fin.C.de fideic.libertat. cuius uerba uide §.except.11. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi libertas nondum fuerit debita, die forte uel conditione eius pendente. Hæc replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §.d.except.11. Eius autem duplicatio hæc est: Nisi per dominum uel hæredē stet, quo minus debeatur, aut dies uel conditio libertatis existat. Hæc duplicatio approbatur d.l.53.§. sed & si nondum,his uerbis:* Sed & si nondum debita libertate fideicommissa ancilla peperit, studio tamen hæredis fuit effectum, ut nondū libertas deberetur: ueluti quòd tardius adierit hæreditatem, ut qui nati sint ex ancilla, serui eius fiant: placet manumittendos, sed tamē tradi matri oportere, ut ab ea manumitterentur, ut liberti potius matris fiāt. Nam quos indignus est hæres seruos habere, nec quidem libertos habebit. *Concordat l. Thais.41.§.Lucia.ff.eod.tt.his uerbis:* Lucia Titia hæredū fidei commisit, uti Pamphilam ancillā Seiæ cū filijs eius redimerent, & manumitterent: & iuridicus, quanti singuli essent redimendi, æstimauit. medio tempore Pamphila, antequā pecunia solueretur, peperit. quæro, id quod natū est ex Pamphila, utrū ad hæredes Titiæ, an ad hæredem Seiæ pertineat? Scæuola respondit, id quod natum est ex Pamphila, eius quidē esse, cuius ea fuerat tunc, cum pareret: uerùm hęredē, si moram fideicōmissæ libertati fecit, compellendum,

pellendum, &c. *Concordat item l.sed etsi.55.ff.eod. tt.his uerbis:* Sed etsi non data opera tardius adierit, sed dum de adeunda hæreditate deliberat: idem dictum est. & si postea cognouit se hæredem institutū, quàm ancilla peperit: placet hoc quoq; casu subueniendū esse. Hoc tamen casu ipse manumittere debebit, nō matri tradere. Sed si directò libertas data fuerit ancillę, & horum aliquid euenerit: quemadmodum natis subuenietur? nam ibi quidem petitur fideicōmissa libertas, & prætor paruulis subuenit: cum uerò directò libertas datur, non petitur. Sed etiā hoc casu puto subueniendum natis esse: ut aditus prætor in rem matri decernat actionem, exemplo fideicommissariç libertatis. Sic deniq; Marcellus libro X VI. Digest. scripsit, & ante aditam hæreditatem usucaptis, qui testamento manumissi sunt, subueniendum esse, ut eis libertas conseruetur, utiq; per prætorem: quamuis & his imputari possit, quare usucapti sint. In paruulis autē nulla deprehenditur culpa. *Secunda propositiæ exceptionis replicatio est: Nisi non per dominum uel hæredem stet, quo minus libertatem ancillæ præstet, sed casu fortuito libertas impediatur. Hæc replicatio approbatur certo modo l.si prægnans.13.ff.de fideicommiß.libertat.his uerbis:* Si prægnans ancilla moram, non studio manumissoris, sed fortuitò patiatur, ne manumittatur: liberū qui dem nō pariet, sed cogetur qui manumittere debuit, natum matri tradere, ut per eam perueniat ad libertatē. *Huius replicationis duplicatio hæc est, Quòd quamuis partus, libertate fortuito casu impedita, liber non nascatur, matri tamen sit tradendus ut manumittatur. quæ duplicatio ex iam propositis constat. Cui concordat l.cū uerò.26.§.idem imp.ff. eod.tt.his uerbis:* Imperator noster cum patre rescripsit, si post quinquennium mortis testatoris tabulæ testamenti apertæ essent, uel codicilli, & partus medio tempore editus: ne fortuita mora seruitutē partui irrogaret, matri partum tradendum, ut ab ea ad libertatem perducatur. Apparet igitur ex hoc rescripto, item eo quod à diuo Pio rescriptū diximus, noluisse eos moram libertatis fortuitam nocere editis ex ea, cui fideicōmissa libertas data esset. Non tamē, si ab substituto impuberis fideicōmissa libertas data sit ancillæ, eaq; uiuo impubere partum ediderit: uel si post tempus uel sub conditione libertatem acceperit, & ante diem uel conditionem partum ediderit: ad libertatem partus perducetur: quia horū alia conditio est. non enim moram fortuitam, sed ex uoluntate testātis passi sunt. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi mater libertatē debitā non petijt. Hæc replicatio approbatur l.si uoluntate.4.in fine. C.de fideicom.libertat.cuius uerba uide §.except.9. Huic uidetur cōtradicere l.si quis.53. ibi: ut ultrò is quæ eam debet, offerre debeat. ff. de fideicōmiß.libertat. cuius reliqua uerba uide §. eod.except. in prin. Plura de exceptione proposita uide ĵ. cap.8. exc.29. Decimaquarta exceptio est: Nisi mater antea libera existēs, ob precium participandū se uentre sit passa, & ob id seruā effecta. Hæc exceptio reprobatur l.bus qui.3.ff.quib. ad libert.proclamare. cuius uerba uide ĵ.causa 3.exc.1. repl.9. Decimaquinta exceptio est: Nisi dominus ex ancilla liberos habens, ancillam postea manumiserit. ex hoc enim & filij efficiuntur liberi. quæ exceptio approbatur Nouel. const.78.§. unde etsi cui. cuius uerba uide §.lib.14.cap.3.except.35.repl.3. Idem est, & si dominus ancillam pro concubina usque ad mortem habens, eam alijs non nominatim tanquam ancillam reliquerit. hoc enim casu ipsa cum natis libera efficitur, ex l.ult. C.cōmunia de manumiß. cuius uerba uide ĵ. cap. prox.causa 10.except.2. Hactenus de natiuitate, prima seruitutis causa, sit dictum.*

II. *Causa est, captiuitas: cum liber homo capitur ab hostibus. quæ causa approbatur inst. de iure personarum.§. serui autem. cuius uerba uide §. eod.cap.in prin. Concordat l.& seruorū.5.§. iure gentiū. ff. de statu hominum. cuius etiam uerba uide ibidem. Item concordat Institut. de rerum diuisione. §. item ea quæ, his uerbis:* Quæ ex hostibus capimus, iure gentiū statim nostra fiunt: adeò quidē, ut & liberi homines in seruitutem nostram deducantur. Qui tamē si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinū statū recipiūt. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi captiuus ad suos sit reuersus. quæ exceptio ex iā propositis constat. Cui concordat l.libertina.9.C.de ingenuis manumißis.his uerbis:* Libertina matre procreatam, ingenuā nasci natalibus, euidentis ac manifesti iuris est. Cū igitur te matre libertina editā, deinde ab hostibus captā, postliminio reuersam proponas, & nunc tibi seruitutis moueri quæstionē: consequens est, adiri præsidem prouinciæ, qui de causa liberali cognoscet, iure laturus sententiam: sciens neq; huiusmodi matris conditionē, neq; captiuitatem, reuersis de statu pristino quidquā posse detrahere. *Concordat l.quæ ex.7.in prin.ff.de rerum dom.his uerbis:* Quę ex hostibus capiuntur, iure gentium statim capientium fiunt: adeò quidem, ut & liberi homines in seruitutem redigantur. qui tamen si euaserint potestatē hostium, recipiūt pristinam libertatem. *Huius exceptionis replicatio uidetur esse talis: Nisi redemptus ab hostibus, redemptionis precium nōdum reddiderit. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ proposita sunt §. causa prox.except. 5.repl.2. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi in bello ciuili à ciuibus, uel ijs qui eiusdem sunt imperij, quis captus sit. Hæc exceptio approbatur l.hostes. 24.ff.de captiuis, hisce uerbis:* Hostes sunt, quibus bellum publicè populus Romanus decreuit, uel ipsi populo Romano. Cæteri la-

trunculi uel prædones appellátur. Et ideò qui à latronibus captus est, seruus latronũ non est, nec postliminium illi necessariũ est. Ab hostibus captus (utputa Germanis, seu Parthis) & seruus est hostiũ, & postliminio statum recuperat pristinũ. *Concordat l.si quis. 21.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* In ciuilibus dissensionibus, quamuis sæpe per eas respub. lædatur, non tamen in exitium reipublicæ contenditur. Qui in alterutras partes discedũt, uice hostium non sunt eorum, inter quos iura captiuitatum aut postliminiorũ fuerint. Et ideo captos & uenundatos, posteaq; manumissos, placuit superuacuò repetere à principe ingenuitatem, quam nulla captiuitate amiserant. *Concordat exceptioni propositæ l.cũ cogn. 4.C.de ingenuis manumiss, hisce uerbis:* Cum cognatum tuum ingenuum natum, ex Palmyrenæ factionis dominatione redemptum, ueluti captiuum distractum esse dicas: præses prouinciæ ingenuitati suę reddi eum efficiet. *Plura de causa proposita uide ĩ. lib.50.cap.2.*

111. *Causa: Si liber homo uendatur. Hæc causa ipso iure reprobatur l.ad mutandum.12. C.de ingenuis manumiss, hisce uerbis:* Ad mutandum liberæ statum, cõmissum plagij nihil promouit: sed abductã natales quib. nata est, post hũc etiã casum obtinere conuenit. *Concordat l.abducti. 12.C.ad l.Fauiã de plagiarijs, hisce uerbis:* Abducti plagio facta uenditio statũ nõ mutat. Liberæ enim personæ sollicitatione crimen cõmittitur, nõ conditioni præiudicatur. *Concordat item l.si libert.12.C.de liberali causa, his uerbis:* Si libertate natum aliquis cõparauerit: statum retines, quę antea habuisti. Si uerò ex ancilla editũ naturalis pater, idemq; dominus distraxit, ac pòst emptori preciũ soluisti: nõ idcirco libertatẽ consecutus es. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi liber homo ob participandũ precium se uenire patiatur. Quæ exceptio approbatur inst. de iure personarum.§.penult. cuius uerba uide ĩ.eod.cap.in prin. Concordat l.& seruorũ.5.§.1. ff.de statu hominũ. cuius uerba uide ibidẽ. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi minor uiginti annis se uenundari passus est. quæ replicatio approbatur l.liberis.7.§.1.ff.de liberali causa, his uerbis:* Si quis minor uiginti annis ad partiendum preciũ uenundari se passus est: nihil ei hoc post annos uiginti nocebit. Sed si antè quidem se uenundedit, post uicesimũ autem annum preciũ partitus est: poterit ei libertas denegari. *Concordat l.1.§.illi autem.ff.quibus ad libertat. proclamare non licet. cuius uerba uide ĩ. dupl.2. Concordat item l.non ideo.5.§.cum ætatis allegatio.C.de liberali causa. cuius uerba uide ĩ. exc.3. Itẽ concordat l.si ministeriũ.16.C.eod.tt.cuius uerba uide ĩ.causa prox. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi minor, maior factus annis uiginti, preciũ partitus est. quæ duplicatio approbatur uerbis d.l.7.§.1. iam propositis hisce:* Sed si antè quidem se uenundedit, post uicesimum autem annum partitus est: poterit ei libertas denegari. *Concordat d.l.1.§.minori autem, his uerbis:* Minori uiginti annis ne quidem ex causa suprascripta debet denegari libertatis proclamatio: nisi maior uiginti annis factus, duraurit in seruitute. tunc enim, si precium partitus sit: dicendum erit, denegari ei debere libertatis proclamationem. *Secunda replicatio est: Nisi statuliber ob precium participandum se uenire patiatur. Hæc replicatio approbatur l. Licinius.4.§.pone statuliberũ.ff.quib.ad libertat. proclamare non licet. cuius uerba uide ĩ.cap.8.except.25. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi purè ei libertas fuerit relicta, aut dies uel conditio libertatis tempore uenditionis extiterit. quæ duplicatio approbatur d.l.7.* Tertia replicatio est: *Nisi liber homo passus quidem sit se uendi, sed non ob participandum precũ. Hæc replicatio approbatur l.liberis.7. in prin.ff.de liberali causa, his uerbis:* Liberis etiam hominibus, maximè si maiores uiginti annis uenũdari se passi sunt, uel in seruitutem quaqua ratione deduci: nihil obest, quo minus possint in libertatem proclamare: nisi fortè se uenũdari passi sunt, ut participarent precium. *Concordat l.non ideo.5.ibi: cum ætatis.C.eod. tt.cuius uerba uide ĩ.exc.3. Concordat l.1.C.quib.ad libertat.proclam.his uerbis:* Dispar causa est eius qui dissimulata conditione sua, distrahi se passus est, & eius qui precium participatus est. nam superiori quidẽ non denegatur libertatis defensio: posteriori autẽ, etsi ciuis Romanus sit, & participatus est precium, libertas denegatur. Eandemq; & in eo distinctionem adhibendã, cui fideicommissaria libertas debetur, meritissimi iuris authores responderunt. *Concordat item l.1.ff.quibus ad libert. proclamare, his uerbis:* Maiores uiginti annis ita demum ad libertatem proclamare non possunt, si precium ad ipsum qui uenijt, peruenerit. Ex cæteris autem causis, quamuis maior uiginti annis se uenundari passus sit, ad libertatem ei proclamare licet. *Quarta replicatio est: Nisi precium is qui se ob illud participandum uenundari passus est, non accepit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si precium ad ipsum qui uenijt, peruenerit. *Quinta replicatio est: Nisi precium emptori restituit. Hæc replicatio approbatur l.2.in princip. ff. si libertus ingenuus esse dicatur, his uerbis:* Qui se uenire passus esset maiorem, scilicet ut ad ipsum precium peruenirer: prohibendum de libertate cõtendere, diuus Hadrianus cõstituit. Sed interdum ita contendendum permisit, si precium reddidisset. *Sexta replicatio est: Nisi emptor sciens liberum hominem emerit, qui se ob participandum precium uenire passus est. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.7.§.si duo simul, his uerbis:* Si duo simul emerint partes, alter sciẽs, alter ignorans: uidendum erit, nunquid is qui scit, non debeat nocere ignoranti? Quod quidẽ magis est. Sedenim illa erit quæstio: partẽ solam suam habebit is qui ignorauit, an totum? & quid dicemus de altera parte, an ad eũ qui scit, pertineat? Sed ille indignus est quid habere, qui sciẽs emit: rursum qui ignorauit, non potest maiorem partem dominij habere, quàm emit. Euenit igitur, ut ei prosit, qui eum comparauit sciens, quòd alius ignorauit. *Concordat l.si duo.5.ff.quib.ad libertatem proclamare, his uerbis:* Si duo liberum hominẽ maiorem annis uiginti emerimus, unus sciens cõditionem eius, alter ignorans: non propter eum qui scit, ad libertatẽ ei proclamare permittitur: sed propter eum qui ignorat, seruus efficitur: licet non etiã eius qui scit, sed tantùm alterius. *Hæc uerba postrema,* Licet non etiam eius qui scit, sed tantùm alterius: *contradicunt uerbis d. l.7.paulò superius propositis hisce:* Euenit igitur, ut ei prosit, qui eum cõparauit sciens, quòd alius ignorauit. *Sed hoc nihil ad duplicationem propositam. Septima replicatio est: Nisi liber homo usumfructum tantùm in se uendi passus sit. Hæc replicatio reprobatur l.si usumfructũ.23. in prin.ff.de liberali causa, his uerbis:* Si usumfructum tibi uenidero liberi hominis, & cessero: seruum effici eũ, dicebat Quintus Mutius. sed dominiũ ita demũ fieri meum, si bona fide uendidissem: alioquin sine domino fore. *Octaua replicatio est: Nisi liber homo non uendi, sed donari, uel in dotem dari, uel pignori se obligari passus sit. Hæc replicatio reprobatur d.l.23.§.1. his uerbis:* In summa sciendũ est, quæ de uenditis seruis, quibus negatur ad libertatem proclamatio, dicta sunt: etiam ad donatos & in dotẽ datos referri posse, item ad eos qui pignori se dari passi sunt. *Nona replicatio est: Nisi non uir, sed mulier passa sit se uenire. Hæc replicatio reprobatur l. his qui.3.ff.quib.ad libert.proclam.nõ licet, his uerbis:* His qui passi sunt se uenire, ad libertatem proclamádi licentiam denegari: quæro, an & ad eos qui ex mulieribus, quæ se passæ sunt uenire, nascuntur, ista senatusconsulta pertineant? Dubitari nõ potest, quin ei quoque, quę maior annis uiginti se uenire passa est, ad libertatẽ proclamandi licentia fuerit deneganda. His quoq; danda nõ est, qui ex ea nati tempore seruitutis eius erũt. *Decima replicatio est: Nisi is qui se uenire passus est, sit manumissus. Hæc replicatio reprobatur l.cùm pacto.40.ff. de liberali causa, his uerbis:* Cùm pacto partitionis precij maior uiginti annis uenalẽ se præbuit: nec post manumissionem ad libertatẽ proclamare potest. *Hæc de prima propositæ regulæ, causæq; reprobatæ exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Secũda propositæ regulæ exceptio uidetur esse: Nisi fiscus liberũ hominem pro seruo uendiderit. Hæc exceptio reprobatur l.non ideo.5.C.de liberali causa, his uerbis:* Non ideo minus in libertatem proclamare potest ea, quam ancillã tuam esse dicis, quòd eã uendẽte fisco comparasti. *Tertia exceptio uidetur: Nisi liber homo maior uiginti annis uẽditus sit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.5.his uerbis:* Sed nec hodie ad præscriptionẽ operatur, quòd uenditionis tẽpore maior uiginti annis fuerit: cũ ætatis allegatio non aliàs possit præscriptionẽ aduersus ciuem Romanũ accõmodare, quàm si participandi precij gratia cõsensum seruituti dedisse probetur. *Quarta exceptio uidetur: Nisi pater filium suum uenditerit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt ĩ.lib.16.cap.1.quæst.5.reg.8. Planè admittitur exceptio proposita in casu paupertatis & penuriæ, de quo d.reg.8.except.1. Hæc de uenditione liberi hominis, tertia causa propositæ quæstionis, sed reprobata.*

1111. *Causa: Si liber homo in dotẽ datus sit, uel alio modo alienatus. Et hæc causa reprobatur l.ult.C.de ingenuis manumiss, hisce uerbis:* Status ingenuæ ex eo solo, quòd uelut ancilla sponsaliorũ nomine data proponitur, præiudicari nulla ratione potest. *Concordat l.si ministr.16. C.de liberali causa, his uerbis:* Si ministerium tuum quasi libera exhibuisti, ac te nesciente quasi ancilla in dotem data, conscriptum instrumentum est: nihil hæc libertati tuæ nocere potuerunt, maximè cùm te minorem ætate fuisse cõmemores, & placuerit minores uiginti annis nulla ratione mutare statu pos-

se,ac pro liberis seruos fieri:ne antè libertatem inconsultè amittant,quam alij propter ætatis rationem sine consilio præstare non possunt. *Planè admittitur causa proposita sub eadem conditione,sub qua superior quoq; proxima,scilicet, Si alienatus sciens ex alienatione quid percepit. quod approbatur l.si usumfructum.23.§.1.ff.de liberali causa. cuius uerba uide s̃.causa prox. except.1. repl.8.*

V.*Causa,De conuentione priuata.* Et *hæc causa reprobatur l.conuentio.37.ff.d.tt.his uerbis:* Conuentio priuata neq; seruum quenquam, neq; libertũ alicuius facere potest. *Concordat l.libertos.10.C.eod.tt.his uerbis:* Libertos priuatis pactis, uel actu quocunque administrationis, non posse mutata conditione seruos fieri, certi iuris est.

VI. *Causa:Si liber obsequiũ seruitutis præstet.Hæc causa reprobatur uerbis iã propositis hisce:* Vel actu quocũq; administrationis,&c. *Cui concordat l.si tibi.23.C.eod.tt.his uerbis:* Si tibi testamento directa libertas à domino relicta est, & ex eo successerũt scriptę filię:nõ idcirco quòd secũdum eius uoluntatẽ, uel contra,de filiabus uni præstas obsequiũ, cæteræ filię tuam rescindere possunt libertatẽ. *Cõcordat itẽ l.2.C.de ingenuis manumissis,hisce uerbis:* Ingenuã natam,neq; nutrimentorum sumptus,neq; seruitutis obsequium faciũt ancillam,neq; manumissio libertinã. *Concordat item l.si uestram.11.C.eod.tt.his uerbis:* Si uestram possessionẽ nullus præcessit titulus,sed ingenui constituti,operas mercedẽ placita locastis: nec statui uestro quidquã derogatũ est, nec ad conuentionis implendã fidẽ solenniter agere prohibemini. *Concordat l.titulo.3.C.de seruis reipub.manumittendis,hisce uerbis:* Titulo nõ præcedẽte, quibus dominia seruorũ quæri solent, municipũ libertus seruus nõ efficitur. Si itaq; secundũ legem Vectibulici, cuius legis potestatem Senatuscõsulto Iubẽtio Celso iterũ & Neratio Marcello consulibus facto,ad prouincias porrectã constitit,manumissus ciuitatẽ Romanã consecutus es:pòst uerò ut libertus tabulariã administrando,libertatẽ quã fueras consecutus, nõ amisisti: nec actus tuꝰ filio ex liberto ingenuo suscepto,quo minus decurio esse possit,obfuit.

VII.*Causa:Si seruile nomẽ quis habeat. Et hæc causa reprobatur l.ad recog.10.C.de ingenuis manumissis, hisce uerbis:* Ad recognoscendos singulos nomina cõparata publico consensu ob celandos natales ingenuis, si mutentur, minimè nocent:natosq;(licet in ministerio seruitutis) liberæ conditionis nõ seruos possessio, sed status ingenuos edi perficit. *Contradicit quodammodò l.cum precum.9.C.de liberali causa. cuius uerba uide j.cap.10.quæst.12.reg.5.*

VIII. *Causa, De pacto parentis,ut liberi seruiant. Nec ex hac causa seruitus potest constitui. quæ regula approbatur l. post. 36. C. de liberali causa, his uerbis:* Post certi temporis ministeriũ ancillæ, liberam eam esse cum ea paciscendo,cõuentionis obtemperãdi legi domina nullã habet necessitatẽ. Vtq; hoc uerum est, ita econtrariò,si filios suos,cõstituta cum his libera, in ministeriũ tibi tradere promisisse probetur: parêre placitis non compellitur.

IX. *Causa: Si liber homo per plurimos annos pro seruo habitus sit.Hæc causa reprobatur l.sola.3.C.de lõgi temporis præscript.quæ pro libertate,his uerbis:* Sola temporis longinquitate, etiãsi sexaginta annorum curricula excesserit, libertatis iura minimè mutilari oportere,cõgruit æquitati. *Concordat l.scientis.6.C.de ingenuis manumissis, his uerbis:* Scientis conditionem liberũ non posse fieri seruũ,euidentissimi iuris est. Cũ igitur proponas patrẽ pupillorũ, quorũ precibus fecisti mentionem, uelut liberum te penes se habuisse in ministeriũ,licet in actu longi temporis:nõ pręcedente uerò titulo, quo dominia quæri solent, mutare tuã conditionem minimè potuit.

X. *Causa:Si libera mulier seruo nupserit. Hæc causa senatusconsulto Claudiano introducta, reprobatur iure nouo Inst.de successionib.sublatis.§.fin. his uerbis:* Erat ex senatusconsulto Claudiano miserabilis per uniuersitatẽ adquisitio:cùm libera mulier seruili amore bacchata,ipsam libertatẽ per senatusconsultũ amittebat,& cũ libertate substantiã. Quod indignum nostris tẽporibus esse existimantes, & à nostra ciuitate deleri,& nõ inseri nostris Digestis concessimus. *Cõcordat l.unica.C.de S.C.Claudiano,his uerbis:* Cũ in nostris temporibus,in quibus multos labores pro libertate subiectorũ sustinuimus, satis esse impiũ credimus quasdã mulieres libertate sua fraudari, & quod ab hostiũ ferocitate cõtra naturalẽ libertatẽ inductũ est,hoc ad libidinẽ nequissimorũ hominũ inferri: Claudianũ senatuscõsultum & omnem eius obseruationẽ circa denunciationes & iudicũ sententias conquiescere in posterũ uolumus, ne ea quæ libera cõstituta est,uel semel decepta,uel infœlici libidine capta, uel alio quocunq; modo cõtra nataliũ suorum ingenuitatẽ deducatur in seruitutẽ, & sit pessimũ dedecus cognationis suæ fulgori:ut quę forsitã decoratos dignitatibus habeat cognatos,hæc in alienum cadat dominiũ, & dominum pertimescat forsitan cognatis suis inferiorẽ. Quod & in libertis obseruari oportet. semel etenim libertate potitam, per tale dedecus in seruitutẽ deduci,religio temporũ meorum nullo patitur modo. Sed ne serui uel adscripticij putẽt sibi impunitũ esse tale conamẽ, quod maximè in adscripticio adserendum est, ne liberarũ mulierũ nuptijs ab his excogitatis, paulatim huiusmodi hominum conditio decrescat:sancimus,si quid tale fuerit uel à seruo, uel ab adscripticio perpetratũ, habere liberã potestatem dominũ eius, siue per se,siue per præsidẽ prouinciæ, talem seruum uel adscripticiũ castigatione competenti corrigere, & abstrahere à muliere tali. Quod si neglexerit, sciat in suum damnum huiusmodi desidiam reuersuram. *Concordat item l.libera.34. C.de liberali causa, his uerbis:* Libera concubinatus ratione non constituitur ancilla. *Concordat item l.si liber.3.C.eod.tt. his uerbis:* Si liber homo alienæ ancillæ contuberniũ sequatur:licet ei fuerit denunciatum, ut se abstineret,seruus domini mulieris non fit.

XI. *Causa: Si libertus ingratus fuerit erga patronum,in seruitutem potest reuocari. quæ causa approbatur per ea quæ habentur j.cap.11.quæst.1.causa 2.*

XII.*Causa:Si libertus se ingenuum dicens,nõ probauerit. Hæc causa reprobatur l.ingenuum.13.C.de ingenuis manumissis,hisce uerbis:* Ingenuũ se contendendo,nec probando,non amittit libertinitatem.

XIII. *Causa:Damnatus iudicio publico interdum libertatem amittit. de qua re uide s̃.lib.3. cap.3. quæst. 3.item quæst.4. de ultimo suppl.*

XIIII. *Causa: Si infans expositus educetur et alatur. Hæc causa reprobatur l.nemini.19.C.de episc.aud. his uerbis:* Nemini licere uolumus,siue ab ingenuis genitoribus puer paruulus procreatus, siue à libertina progenie,siue seruili cõditione maculatus, expositus sit, eum puerum in suum dominiũ uindicare,siue nomine dominij,siue adscripticię,siue colonarię cõditionis: sed neq; ijs qui eos nutriendos sustulerint, licentiam concedimus penitus cum quadam distinctione eos tollere. Sed nullo discrimine habito, ij qui ab huiusmodi hominibus educati, uel nutriti, uel aucti sunt,liberi & ingenui appareant, & sibi adquirant:& in posteritatem suam uel extraneos hæredes omnia quæ habuerint,quomodo uoluerint transmittant: hæc obseruantibus non solùm præsidibus prouinciarum, sed etiam uiris religiosissimis episcopis. *Concordat l.sancimus.3. C.de infantib.expositis, his uerbis:* Sancimus, nemini licere, siue ab ingenuis genitoribus puer paruulus procreatus,siue à libertina progenie,siue seruili conditione maculatus,expositus sit,eum puerum in suum dominium uindicare,siue nomine dominij, siue adscripticiæ, siue colonariæ conditionis. Sed neq; his qui eos nutriendos sustulerunt, licentiam concedi penitus cum quadã distinctione eos tollere, & educationem eorum procurare, siue masculi sint,siue fœminæ:ut eos uel loco libertorum, uel loco seruorum, uel colonorum,aut adscripticiorum habeant.Sed nullo discrimine habito, hi qui ab huiusmodi hominibus educati sunt, liberi & ingenui appareant,& sibi adquirant,& in posteritatem suã uel extraneos hæredes omnia quę habuerint, quomodo uoluerint transmittant: nulla macula seruitutis, uel adscripticiæ, aut colonariæ conditionis imbuti, nec quasi patronatus iura in rebus eorũ, ijs qui eos susceperunt, prætendere concedimus: sed in omnem terram,quæ Romanę ditioni supposita est,hæc obtinere. Neque enim oportet eos qui ab initio infantes eiecerũt, & mortis fortè spem circa eos habuerunt, incertos constitutos, si qui eos susceperint, hos iterum ad se reuocare conari, & seruili necessitati subiugare: neq; hi qui eos pietatis ratione suadente sustulerũt,ferendi sunt denuò suam mutantes sententiam,& in seruitutem eos retrahentes, licet ab initio huiusmodi cogitationẽ habentes ad hoc prosiluerint: ne uideantur quasi mercimonio contracto, ita pietatis officium gerere. Hęc obseruatibus tã uiris clarissimis præsidibus prouinciarũ,quàm uiris religiosissimis episcopis,necnon officijs præsidalibus, & patribus, & defensoribus ciuitatum, & omni ciuili auxilio. *Hæc de causis constituendæ seruitutis,& adquirendæ dominicæ potestatis.*

DE CAVSIS SERVITVTIS AC dominicæ potestatis amittendæ,& libertatis adquirendæ.

Cap. IIII.

PRima *causa est, manumissio. de qua dicetur j. cap.proxim.cum sequentibus.*

II. *Causa libertatis adipiscendæ est, Si seruus à domino hæres sit institutus. quæ causa approbatur Instit. de hæredibus instituendis. §. seruus autem, his uerbis:* Seruus à domino suo hæres institutus, siquidem in eadem causa manserit, fit ex testamento liber,hæresq; ei necessarius.Si uerò à uiuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio hæreditatem adire potest:quia nõ fit necessarius hæres,cum utrunque ex domini testamento non consequatur. Quòd si alienatus fuerit, iussu noui domini adire hæreditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit hæres. nam ipse alienatus,neq; liber,neq; hæres esse potest,etiam si cum libertate hæres institutus fuerit. destitisse enim à libertatis datione uidetur dominus,qui eum alienauit. *Concordat Inst. quibus ex causis manumit.non licet.§.idemq; iuris.cuius uerba uide j. cap. proxim. except.6. repl.2. Concordat item l.1.in prin. C.de necessarijs hæredibus, his uerbis:* Cum serui constituti sub appellatione libertorũ hæredes scripti essetis, ea scriptura benigna interpretatione perinde habenda

V. L. ff de man. [illegible] ibi: sed duplic. [illegible] col. 2128. [illegible] 2111 except. 28.

benda est, ac si liberi & hæredes instituti fuissetis. quod in legato locum non habet. *Concordat l. quidam. 5. in prin. C. eod. tt. his uerbis:* Quidam cum testamentum conderet, duobus hæredibus scriptis, unum quidem ex parte instituit, seruum autem suum, cuius & nomen addidit, ex reliqua parte sine libertate scripsit hæredem, & postea eundem seruum alij legauit, uel post institutionem hæredis seruum per legatum alij assignauit, & tunc hæredem eum sine libertate instituit: & dubitabatur, si huiusmodi legatum uel institutio aliquas uires posset habere, & cui adquiratur legatum uel institutio? Dubitationis autem materia erat, quòd adhuc seruum suum constitutum, hæredem sine libertate scripserat. Et tanta inter ueteres exorta est contentio, ut uix possibile sit uideri eandem decidere. Sed antiquitatem quidem hæc altercantem relinquendo, nobis alius modus huiusmodi decisionis inuentus est: quia semper uestigia uoluntatis sequimur testatorum. Cum igitur inuenimus à nostro iure hoc esse inductũ, ut si quis seruum suum tutorem filijs suis reliquerit sine libertate, ex ipsa tutelæ datione præsumatur etiam ei libertatem fauore pupillorum imposuisse: quare nõ hoc etiam in hæreditate & humanius & fauore libertatis inducimus, ut si quis seruum suum hæredem scripserit sine libertate, omnino ciuis Romanus efficiatur: quo inducto neque adquisitio, neq; tam effusus uetera atq; inextricabilis tractatus locum habeat? Neq; enim ferendum est supponere, quosdam esse ita supinos, ut eundem seruum & hæredem instituant sine libertate, & iterum alij per legatum eundem seruum adlignent. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi seruus à domino hæres institutus, etiam sub conditione liber esse iussus sit, conditioq; libertatis defecerit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. decisione. 6. C. d. tt. his uerbis:* Decisione nostra, quam fecimus, sancientes eũ qui à domino suo sine libertate hæres instituitur, uideri libertatem accepisse, in propria sua firmitate durante: si quis seruum suum purè quidem hæredem instituit, libertatem aũt sub conditione ei donauit: siquidem conditio talis sit, quæ in potestate serui posita est, ille autem eam neglexerit, minimeq; compleuerit: & libertate eum & hæreditate sua culpa defraudari. Sin autem casualis conditio est, & ex fortunæ insidijs defecerit: tunc humanitatis intuitu libertatem quidem ei omnimodò competere: hæreditatem autem, siquidem soluendo sit, ad alios uenire, quos leges uocant, si non aliquis fuisset substitutus. Sin autem soluendo nõ sit: ut necessarius hæres constitutus, simul & libertatem & hæreditatẽ obtineat. Tunc enim secundum definitionem tam ueteris quàm nostræ decisionis, & liber & hæres necessarius existat. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi conditio non fuerit in potestate serui. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sin autem casualis conditio est, & ex fortunæ insidijs defecerit: tunc humanitatis intuitu, &c. *Altera propositæ causæ exceptio est: Nisi post institutionem seruus à domino fuerit alienatus. quæ exceptio approbatur Institut. de hæredibus instit. §. seruus autem. ibi: nam ipse alienatus. cuius uerba uide ẽ. ead. causa, in prin.*

III. *Causa: Si seruo à domino fideicommissum sit relictum, uel alimenta ancillæ ut nutrici præstita. Hæc causa reprobatur l. penult. ff. de probationibus, his uerbis:* Si ancilla fuit, ad libertatem perductã non uideri, neq; per fideicommissi relicti sibi probationem, nec quòd alimenta sunt ut nutrici præstita. *Concordat item l. 1. in fine. C. de necessarijs hæredib. cuius uerba uide ẽ. causa prox. in prin. Planè admittitur causa proposita in testatore milite. quæ distinctio approbatur Nouell. c. 78. §. unde etsi cui. ibi: deinde si miles. cuius uerba uide suprà lib. 14. cap. 3. except. 35. repl. 3. Concordat l. Lucius. 40. §. 1. ff. de testam. militari. cuius uerba uide ỹ. lib. 32. cap. 3. except. 25. tertia except. repl. 10.*

IIII. *Causa: Si seruus tutor sit datus. Hæc causa approbatur Instit. qui testamen. tutor. §. sed sciendum est. cuius uerba uide suprà lib. 17. cap. 2. quæst. 1. except. 9. replic. 3. Concordat l. etsi. 9. C. de fideicommiss. libert. cuius uerba uide d. except. 9. replicat. 4. Concordat l. quidam. 5. §. cum igitur. C. de necessarijs hæredibus. cuius uerba uide suprà causa 2. in prin. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi alienum seruum quis tutorem filijs suis dederit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 9. Secunda exceptio est: Nisi euidenter defunctum aliud uoluisse appareat. quæ exceptio itidem approbatur d. l. 9. in fine. Tertia exceptio est: Nisi quis seruum liberum putans, tutorem dederit. quæ exceptio approbatur Institut. d. §. sed sciendum. ibi: planè si per errorem. Concordat l. si quis. 22. ff. de testamen. tutela. cuius uerba uide d. replic. 3. duplic. 2. Concordat item l. generaliter. 24. §. si quis tutorem. ff. de fideicommiss. libertatibus, his uerbis:* Si quis tutorem ideo scripsit, quia liberum putauit: certissimum est, neq; libertatem peti posse, neq; tutelam libertatis præstationi patrocinari. & ita Marcellus libro XV. Digestorum, & Imperat. noster cum patre rescripsit.

V. *Causa: Si seruus ad custodiam templi sit destinatus. Hæc causa reprobatur l. seruos. 35. ff. de liberali causa, his uerbis:* Seruos ad templi custodiã, quod ædificari Titia uoluit, destinatos, neque manumissos, hæredis esse constitit. *Concordat l. 2. in prin. ff. de pollicitationibus. de qua alibi.*

VI. *Causa: Si seruus uoluntate domini in libertate sit moratus. Hæc causa approbatur l. si uoluntate. 4. C. de fideicommiss. libertatibus. cuius uerba uide ẽ. cap. proxim. causa 1. except. 9. Huius causæ exceptio hæc est: Nisi dominus ignorauerit seruũ suum esse. Hæc exceptio approbatur l. non uidetur. 28. ff. de liberali causa, his uerbis:* Non uidetur domini uoluntate seruus in libertate esse, quem dominus ignorauit suum esse: & hoc est uerum. Is enim demum uoluntate domini in libertate est, qui possessionem libertatis ex uoluntate domini consequitur.

VII. *Causa: Si seruus per uiginti annos in libertate sit moratus. Hæc causa approbatur l. 2. C. de longi temporis præscript. quæ pro libertat. his uerbis* : Præstat firmam defensionem libertatis ex iusto initio longo tempore obtenta possessio. fauor enim libertati debitus, & salubris iam pridem ratio suasit, ut his qui bona fide in possessione libertatis per uiginti annorum spacium sine interpellatione morati essent, præscriptio aduersus inquietudinem status eorum prodesse debeat, ut & liberi & ciues Romani fiant. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi mala fide in libertate seruus fuerit moratus. quæ exceptio approbatur l. 1. C. eod. tt. his uerbis:* Mala fide morato in libertate diu, prodesse non potest longi temporis præscriptio. Vnde cum confitearis, fuga te ab eo cuius meministi, recessisse: intelligis ex hoc solo, sine dolo malo in possessione te libertatis non esse.

VIII. *Causa: Si seruus ciuiles honores gesserit, uel ad militiam aut aliquam dignitatem sit allectus. Hæc causa reprobatur l. non mutant. 11. C. de liberali causa, his uerbis*: Non mutant serui statum, si ad ciuiles honores illicitè atque improbè adspirauerint. Vnde si status moueatur quæstio, intelligere uobis licet, nihil prodesse posse, quòd pater uester ciuiles honores gesserit. Solennibus itaq; ordinatis, apud præsidem prouinciæ de statu uestro cognoscetur. *Concordat l. non idcirco. 38. C. eod. tt. his uerbis:* Non idcirco minus, quòd te limenarcha creato nemo contradixit, reipublicæ nomine mouueri tibi status quæstio potest. *Huius causæ reprobatæ exceptio prima hæc est: Nisi dominus certior factus, intra certum tempus seruum non uindicauerit. Secunda exceptio est: Nisi sciente domino seruus ad militiam uel dignitatem adspirauerit. quæ duæ exceptiones approbantur l. super seruis. 6. C. qui militare possunt. cuius uerba uide ẽ. lib. 11. capite 12. quæst. 1. reg. 1. Concordat l. si quis. 7. C. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 2. cap. 1. quæst. 1. reg. 6. Concordat item Nouell. const. 123. §. si seruus, usq; ad §. adscripticios. cuius uerba uide ẽ. lib. 10. cap. 1. quæst. 2. reg. 4. Concordat item l. iubemus. 4. C. de præpositis sacri cubiculi, his uerbis:* Iubemus omnes, qui uel iam, &c.

IX. *Causa: Si seruus liberam in uxorem duxerit: uel contrà, ancilla libero nupserit. Hæc causa approbatur l. unica. §. sed etsi quis. C. de Latina libertat. toll. his uerbis:* Si quis libero suam ancillam in matrimonio collocauerit, & dotem pro ea conscripserit (quod solitum est in liberis personis solùm procedere:) ancilla non Latina, sed ciuis efficiatur Romana. Si enim hoc quod frequentissimè in ciues Romanas, & maximè in nobiles personas fieri soler (id est, dotalis instrumenti cõscriptio) & in hac persona adhibitum est: necessarium est, consentaneum effectum huius scripturæ obseruari. *Concordat Nouell. const. 22. §. si uerò cum quis. ibi: si enim ancillam. cuius uerba uide ẽ. libro 14. cap. 3. except. 35.* Huius causæ exceptio hæc est: *Nisi inscio uel multo domino matrimonium sit factum. quæ exceptio constat ex d. §. si uerò cum quis.*

X. *Causa: Si dominus ancillam in uxorem duxerit, & nuptialia conscripserit instrumenta. Hæc causa approbatur Nouell. constit. 78. §. unde etsi cui. cuius uerba uide ẽ. lib. 14. cap. 3. except. 35. replic. 3.* Huius causæ exceptio prima hæc est: *Nisi dominus nuptialia instrumenta non conscripserit. quæ exceptio constat ex d. §. unde etsi cui. Secunda exceptio est: Nisi non pro uxore, sed pro concubina dominus ancillam habuerit. quæ exceptio approbatur l. de ancilla. 29. C. de liberali causa, his uerbis:* De ancilla matre natam, & ab eo redemptam, in cuius fuit contubernio, si non manumittitur, in seruitute permanere non ambigitur. *Concordat l. libera. 54. C. eod. tt. his uerbis:* Libera cõcubinatus ratione non constituitur ancilla. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi usque ad mortem domini concubina eius permanserit. quæ replicatio approbatur l. si quis. 3. C. communia de manumiss. his uerbis:* Si quis sine uxore constitutus, ancillam suam sub nomine habeat concubinæ, & in eadem usq; ad mortem suam consuetudine permanserit, & forsitan liberos ex ea sustulerit: sancimus, omnimodò non concedi hæredibus defuncti eandem, uel liberos eius, si etiam liberos habuerit, in seruitutem deducere: sed post mortem domini sub certo modo eripiatur in libertatem unà cum sobole sua, si etiam eam forsitan habuerit. Ipsi etenim domino, dum supereſt, damus licentiam, quomodo uoluerit uti tam ancilla sua, quàm etiam ex ea progenita sobole: & in suo ultimo elogio, quidquid uoluerit, contra eos disponere, id est, quasi seruos eos alijs legare, siue in seruitutem hæredum nominatim relinquere. Sin autem taciturnitate eos præterierit: tunc post mortem eius ad libertatem eripiantur, ut sit mors domini libertatis eorum exordium. Hominibus etenim uxores habentibus, concubinas uel libertas uel ancillas habere, nec antiqua iura, nec nostra concedunt. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi dominus uxorem habuerit. tunc enim, quia concubinam habere non potest, propositæ replicationi*

locus non est. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce: Hominibus etenim uxores habentibus. De qua re uide item s̃.lib.17. cap.ultim.except.8.

X I. Causa: Si seruus cum domino libertatem pactus sit. Hæc causa reprobatur l.post certi.36.C.de liberali causa. cuius uerba uide s̃.cap.prox. causa 8. Concordat l.interpositas.13. §.fin. C.de transactionibus. cuius uerba cum similibus uide j.lib.36.cap.3.except.6. Planè admittitur causa proposita, si dominus à seruo ob eam causam pecuniam acceperit.quæ distinctio approbatur l.si liber.9.C.de condictione ob causam.cuius uerba uide j.causa 14.

X I I. Causa: Si dominus seruum adoptauerit,uel filius nuncupatus sit. Hæc causa approbatur l.unica.§.similiq; modo.C.de Latina liber.toll.his uerbis:Si dominus inter acta quendam seruum filium nominauerit, uoci eius (quantum ad liberam conditionem) credendum est. Si enim ipse tali affectione fuerit accensus,ut etiam filium suum seruũ nominare non indignetur,& hoc non secretò,neq; inter solos amicos,sed etiam actis interuenientibus,& quasi in iudicij figura nominauerit: quomodo potest eum seruum iterum saltem morientem habere? sed producatur & ipse in ciuitatem Romanam,uera libertate,& non falso sermone domini sui sustentatus. Concordat Inst.de adoptionibus.§.fin. cuius uerba uide s̃.lib.16.cap.8.quæst.3.reg.6.

X I I I. Causa: Si seruus in clerum sit allectus. Hæc causa approbatur simul & distinguitur Nouell.c.123.§.si seruus,usq; ad §.adscripticios. cuius uerba uide s̃.lib.10.cap.1.quæst.1.reg.4.

X I I I I. Causa: Si dominus pecuniam acceperit,ut seruum manumittat. Hæc causa approbatur l.si quis.19.ff.de manumiss. his uerbis: Si quis ab alio numos acceperit, ut seruos suos manumittat: & ab inuito libertas extorqueri potest, licet plerunq; pecunia eius numerata sit:maximè si pater uel frater naturalis pecuniam dedit.uidebitur enim similis ei qui suis numis redemptus est. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi ex peculio pecunia domino sit data. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce: Licet plerunq; pecunia eius numerata sit. Huic quodammodò uidetur contradicere l.unica.§.fin. C.si seruus extero se emi. cuius uerba uide j.libro 42. cap.9.quæst.1. causa 2. except.1. repl.2. Secunda exceptio uidetur: Nisi à seruo dominus pecuniam acceperit,ut eum manumittat. hoc enim casu,quia inter dominum & seruum pactum non subsistit, ut s̃. causa 11. est ostensum: uidetur nec causæ propositæ esse locus. uerùm exceptio hæc reprobatur l.si liber.9. C.de condictione ob causam, his uerbis: Si liber constitutus,ut filiæ tuę manumittantur,aliquid dedisti: causa non secuta,de hoc tibi restituendo condictio competit. Nam si quid seruus de peculio domino dederit,contra eũ quidem nullam actionẽ habere potest: sed dominum qui semel accipere pecuniam pro libertate passus est, aditus rector prouinciæ hortabitur(salua reuerentia)fauore scilicet libertatis, placito suo stare. Concordat l.cum adfirmes.8.C.de liberali causa, his uerbis: Cum adfirmes placuisse quondam domino tuo, ut pro te & pro filia tua dato numo certæ quãtitatis uos manumitteret, & te tantummodò liberauit: aditus rector prouinciæ hortabitur eum, salua reuerentia, quam patrono liberti solent exhibere, placito suo stare. Plura de causa proposita,eiusq; exceptionibus uide j.causa prox.

X V. Causa: Si seruus suis numis sit redemptus. Hæc causa approbatur l.qui se.67.ff.de iudicijs, hisce uerbis: Qui se dicit suis numis redemptum esse, si hoc probauerit, exinde liber erit, ex quo redemptus est:quia constitutio non liberam pronunciari præcipit, sed restitui ei libertatem iubet. Proinde compellendus erit manumittere eũ, qui se suis numis redemit.Sed si latitet,exempla senatusconsultorum ad fideicommissam libertatem pertinentium induci oportet. Concordat l.is qui.4.in prin.ff.de manumiss.his uerbis: Is qui suis numis emitur, epistola diuorũ fratrum ad Vrbium Maximum in eam conditionem redigitur, ut libertatem adipiscatur. Concordat item l.si quis.5.ff.eod.tt.his uerbis:Si quis dicat suis numis se emptum,potest cõsistere cum domino suo,cuius in fidem confugit, & queri quòd ab eo non manumittatur, Romę quidem apud prefectum urbi,in prouincijs uerò apud presides ex sacris constitutionibus diuorum fratrum: sub ea tamen denunciatione,ut is seruus qui hoc intẽderit,nec impleuerit,in opus metalli detur:nisi fortè dominus reddi sibi eum maluerit,utique non maiorem ex ea causa pœnam cõstituturus. Concordat item l.si quis ab.19.ff.eod.tt.cuius uerba uide s̃.causa prox. Confirmatio huius causæ proponitur d.l.4.§.1.his uerbis: Et quidem numis suis non propriè uidetur dici emptus,cum seruus numos suos habere non possit. Verùm conniuentibus oculis credendum est suis numis eum redemptum: cum non numis eius qui eum redemit, comparetur. Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi non suis,sed alienis numis seruus sit redemptus. Hæc exceptio constat ex iam propositis: uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi non emptoris,sed alterius numis sit emptus. quæ replicatio approbatur d.l.4.§.proinde,his uerbis: Siue ex peculio quod ad uenditorem pertinet, siue ex aduenticio lucro,siue etiam amici beneficio,uel liberalitate,uel prorogante eo,uel repromittente, uel se delegante, uel in se recipiente debitum, redemptus sit: credendum est, suis numis eum redemptum.

Satis

Satis enim est, quòd is qui emptioni suum nomen accommodauerit, nihil de suo impendit. Plures propositæ exceptionis replicationes uide j.except.2. Secunda exceptio est: Nisi cùm alius seruum sibi emisset, seruus illi precium de suo offerat. Hæc exceptio approbatur d.l.4.§.si ab ignoto,his uerbis:Si ab ignoto emptus sit,postea autem precium suum obtulerit:dicẽdum erit,non esse audiendum.ab initio enim hoc agi debet, ut imaginaria fiat emptio, & per fidem contractus inter emptorem & seruum agatur.Siue igitur non hoc ab initio est actum, ut suis numis redimeretur: siue hoc acto, numos seruus non dedit: cessabit libertas. Concordat exceptioni propositæ l.si ex.12. C.de liberali causa. cuius uerba uide s̃.cap. proxim. causa 3. in prin. Tertia exceptio est:Nisi cùm hoc ab initio ageretur, ut seruus suis numis redimeretur, seruus postea numos non dedit.Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce: Siue hoc acto, seruus numos non dedit. Huius exceptionis prima replicatio est: Nisi cùm hoc ab initio ageretur, ut seruus suis numis redimeretur, emptor festinans ipse suos numerauerit. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis: Vnde quæri poterit, si cùm hoc ab initio esset actum, emptor festinauit, & precium numerauit: an postea ei satisfacto, seruus constitutione uti possit? & puto posse. Secunda replicatio est: Nisi emptor seruo numos prorogauit. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis: Proinde & si ei numos prorogauit emptor, cum ei patuerit: poterit ad libertatem peruenire. Tertia replicatio proponitur j.except.11. Quarta exceptio est: Nisi in ipsa uenditione non fuerit expressum,ut seruus manumittatur. Hæc exceptio reprobatur d.l.4.§.siue autem.ff.de manumissionibus, his uerbis: Siue autem exprimatur in contractu(uelut in emptione) hoc ut manumittatur,siue non exprimatur: uerius est,libertatem competere. Quinta exceptio est: Nisi ita seruus emptus est,ne manumittatur. Et hæc exceptio reprobatur ibidem,his uerbis:Ergo & si fortè quis sic comparauerit suis numis,ne eum manumittat:benigna est opinio dicentium,hunc ad libertatem peruenire: cum ei nomẽ emptionis imaginarius iste emptor accommodet,& præterea nihil ei absit. Sexta exceptio est: Nisi non à priuato, sed à fisco uel republica seruus suis numis sit emptus. Et hæc exceptio reprobatur d.l.4.§.nihil autem, his uerbis: Nihil autem interest, à quo quis suis numis ematur, à fisco, uel à ciuitate, uel à priuato, cuiusque sit sexus is qui emit. Septima exceptio est: Nisi fœmina seruum emerit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce: Cuiusq; sit sexus is qui emit. Octaua exceptio est: Nisi minor uiginti annis uendiderit. Reprobatur hæc exceptio ibidem, his uerbis: Sed & si minor sit uiginti annis qui uendidit, interueniet constitutio. Nona exceptio uidetur: Nisi pupillus uel seruus emat. Et hæc exceptio reprobatur ibidem, his uerbis: Nec comparantis quidem ætas spectatur. nam & si pupillus emat: æquum est, eum fidem implere, cum sine damno eius hoc sit futurum. Idem & si seruus est. Decima exceptio est: Nisi seruus suis numis redemptus,ad libertatẽ perduci non possit. Hæc exceptio approbatur d.l.4.§.in illis, hisce uerbis: In illis sanè seruis non interuenit constitutio, qui in totum ad libertatem perduci non possunt:utputa exportandus,uel si hac lege uenierit, uel testamento hanc conditionem acceperit, ne unquam manumitteretur. Vndecima exceptio est: Nisi non totũ, sed pars precij tantùm serui numis soluatur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit,uerùm eius replicatio proponitur d.l.4.§.suis,hisce uerbis: Suis autem numis redemptus, etsi totum precium non numerauerit, ex operis tamẽ ipsius accesserit aliquid, ut repleri precium possit, uel si quid suo merito adquisierit: dicẽdum est, libertatem competere. Alia propositæ exceptionis replicatio proponitur d.l.4.§.fin.his uerbis: Sed & si partem quis redemit, pars altera ex causa lucratiua accesserit: dicẽdum erit, constitutionem locum habere. Duodecima exceptio est: Nisi socius qui partem in seruo habet,alterã partem serui numis redemerit. Hæc exceptio approbatur d.l.4.§.quòd si partem, his uerbis: Quòd si partem suis numis redemerit, cum partem serui haberet, ad constitutionem non pertinebit: non magis, quàm qui,cum proprietatem haberet, usumfructum redemit. Decimatertia exceptio est: Nisi dominus proprietatis usumfructum serui eius numis redemerit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce: Non magis, quàm qui, &c. Decimaquarta exceptio uidetur: Nisi fructuarius serui proprietatem eius numis emerit. Reprobatur hæc exceptio ibidem,hisce uerbis: Sed qui, cum fructuarius esset, proprietatẽ redemerit:in ea conditione est,ut ad constitutionẽ pertineat. Decimaquinta exceptio est: Nisi duo seruum emerint, unus suis, alter serui numis. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.4.§.penult.his uerbis: Sed si duo seruum redemerint, alter proprijs numis, alter serui: dicendum erit, cõstitutionem cessare:nisi fortè is qui proprijs numis redemit, manumittere fuerit paratus. Hæc de 15.causa libertatis.

X V I. Causa: Si cùm ancilla uendita esset ne prostitueretur,sit prostituta. Hæc causa approbatur l.unica.§.similiq; modo. C.de Latina libertate tollenda,his uerbis:Si quis ancillam suam sub hac cõditione alienauerit, ne prostituatur, nouus autem dominus impia mercatione eã prostituendam esse tentauerit: uel si pristinus dominus iniectionem manus in tali alienatione sibi reseruauerit, & cum ad eum fuerit reuersa,ipse ancillam prostituerit: illico in libertatem

bertatem Romanam eripiatur, & qui eam prostituerit, ab omni iure patronatus repellatur. Qui enim ita demum degener & impius constitutus est, ut talem exerceret mercationem: quomodo dignus est uel ancillam, uel libertam eam habere? *Concordat l.1. C. si mancipium ita uenierit, ne prost. his uerbis:* Præfectus urbi amicus noster, eam quæ ita uenijt, ut si prostituta fuisset, abducendi potestas esset: ei cui secundum constitutionem diui Hadriani id competit, abducendi impertiet facultatem. Quòd si eum patiétiam accommodasse contra legem quam ipse dixerat, ut in turpi quæstu mulier haberetur, animaduerterit, libertate cõpetente secundum interpretationem eiusdem principis, perduci eam ad prętorem, cuius de liberali causa iurisdictio est, ut ibi lis ordinetur, iudicabit. Nec enim tenor legis quam semel comprehendit, intermittitur, quòd dominium per plures emptorũ personas ad primum qui prostituit, sine lege simili peruenit. *Concordat item l. si quis. 6. in fine. ff. qui sine manumiss. ad libert. peruenerunt. cuius uerba uide ĩ. cap. 6. except. 11. repl. 4. Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi uenditor sub hac conditione, Si fuerit prostituta: manumissionem manus sibi reseruauerit. tunc enim prostituta libera quidem non fit, sed ad uẽditorem per manumissionem manus redit. quæ exceptio constat ex uerbis d. l. 1. iam propositis hisce:* Præfectus urbi amicus noster, eam quæ ita uenijt, ut si prostituta fuisset, abducendi potestas esset: ei cui secundum cõstitutionem diui Hadriani id competit, abducẽdi impertiet facultatem. *Huius exceptionis replicatio est ĩ. except. prox. Secunda exceptio est: Nisi uenditor legi uẽditionis renunciauerit. quæ exceptio reprobatur uerbis d. l. 1. iã propositis hisce:* Quòd si eum patientiam accommodasse contra legem quam ipse dixerat, ut in turpi quæstu mulier haberetur, animaduerterit, &c. *Concordat l. Imperator. 7. ff. qui sine manumiss. ad libert. his uerbis:* Imperator noster cum patre suo constituit in eo, qui cum posset abducere prostitutam ancillam, pecunia accepta manus iniectionem uendidit, ut libera esset. nihil enim interest, ipse abducas & prostituas, an patiaris prostitutam esse precio accepto, cum possis eximere. *Tertia exceptio est: Nisi non emptor, sed is cui emptor rursus sine dicta lege uendidit ancillam, prostituit. Et hæc exceptio reprobatur uerbis d. l. 1. ſ. fin. iam propositis hisce:* Nec enim tenor legis quã semel comprehendit, intermittitur, quòd dominium per plures emptorum personas ad primum qui prostituit, sine lege simili peruenit. *Concordat l. diuus. 7. in prin. ff. de iure patronatus, hisce uerbis:* Diuus Vespasianus decreuit, ut si qua hac lege uenierit, ne prostitueretur: & si prostituta esset, ut esset libera: si postea ab emptore alij sine conditione ueniet, ex lege uenditionis liberam esse, & libertam prioris uenditoris. *Quarta exceptio est: Nisi is qui tali lege, ne prostituatur, ancillam uendidit, eam prostituit. Hæc exceptio reprobatur l. unica. ſ. similiq; modo. ibi: uel si pristinus dominus. C. de Latina libert. toll. cuius uerba uide ĩ. ead. causa, in prin. Concordat l. sed si. 10. ſ. 1. ibi: at si uẽditor. ff. de in ius uocando. cuius uerba uide ĩ. lib. 6. cap. 1. quæſt. 4. reg. 6. exc. 6.*

XVII. *Causa: Si seruus æger uel infans à domino ejectus sit, & pro derelicto habitus. Hæc causa approbatur l. 2. ff. qui sine manumissione ad libert. his uerbis:* Seruo quem pro derelicto dominus ob grauem infirmitatem habuit, ex edicto diui Claudij competit libertas. *Concordat l. 1. ſ. sed scimus. C. de Latina libert. tollen. his uerbis:* Scimus, hoc etiam esse in antiqua Latinitate ex edicto diui Claudij introductum, quòd si quis seruum suum ęgritudine periclitantem sua domo publicè ejecerit, neq; ipse eum procurans, neq; alij eum cõmendans (cum erat ei libera facultas) si non ipse ad eius curam sufficeret, in Xenoné eum mittere, uel quo poterat modo eũ adiuuare: huiusmodi seruus in libertate Latina antea morabatur: & quem ille moriẽtem antea dereliquit, eius bona iterum, cum moreretur, accipiebat. Talis itaq; seruus libertate necessaria, domino etiam nolente, reipsa donatus, fiat illico ciuis Romanus, nec aditus in iura patronatus quõdam domino reseruetur. quę enim à sua domo suaq; familia publicè repulit, neq; ipse eum procurãs, neq; alij commendans, neq; eum in uenerabilem Xenonem mittens, neq; consueta ei præbens salaria: maneat ab eo eiusq; substantia penitus segregatus, tam in omni tempore uitæ liberti, quàm cum moriatur, necnon postquam iam fuerit in fata sua concessus. *Concordat item Nouell. c. 153. his uerbis:* Crimen à sensu humano alienum, &c.

XVIII. *Causa: Si seruus à domino in capitali causa non sit defensus. Hæc causa reprobatur l. ille seruus. 9. ſ. 1. ff. qui & à quibus manumissi, hisce uerbis:* Nec ille liber fieri potest, qui à domino nõ est defensus in capitali crimine, & postea absolutus est. *Concordat l. seruus. 13. ff. de statu hominum, his uerbis:* Seruus in capitali causa fortunæ iudicio à domino commissus: etsi fuerit absolutus, non fit liber. *Concordat item l. sciendum. 9. ff. de publicis iudicijs, hisce uerbis:* Sciendum est, si in capitali causa suum seruum, reum crimine factum, quis non defenderit, non eum pro derelicto haberi: & ideo, si absolutus fuerit, non liberum fieri, sed manere domini.

XIX. *Causa: Si seruus iudicio publico sit damnatus. Hæc causa reprobatur per ea quæ habentur ĩ. lib. 3. cap. 13. quæſt. 3. reg. 5.*

XX. *Causa: Si seruus fugitiuus in arenam se dederit, Hæc causa reprobatur l. ult. ff. de fugitiuis, hisce uerbis:* Si in arenam fugitiuus seruus se dederit: ne isto quidem periculo discriminis uitæ, quod sibi irrogauit, potestatem domini euitare poterit. nã diuus Pius rescripsit, omnino eos dominis suis reddendos, siue ante pugnam ad bestias, siue post: quoniam interdum aut pecunia interuersa, aut commisso aliquo maiore maleficio, ad fugiendam inquisitionem, uel iusticiam animaduersionis, in arenam se dare mallent. Reddi ergo eos oportet.

XXI. *Causa: Si seruus defuncti domini cadauer pileatus antecedat, uel in lecto cadaueris stet uoluntate testatoris uel hæredis. Hæc causa approbatur l. unica. ſ. sed & qui. C. de Latina libert. tollen. his uerbis:* Qui domini funus pileati antecedunt, uel in ipso lectulo stantes cadauer uentilare uidentur: si hoc ex uoluntate fiat uel testatoris, uel hæredis, fiant illico ciues Romani. Et ne quis uana liberalitate iactare se concedatur, ut populus quidem eum quasi humanum respiciat, multos pileatos in funus procedentes aspiciens, omnibus autem deceptis maneant illi in pristina seruitute publico testimonio defraudati: fiant itaq; & hi ciues Romani, iure tamẽ patronatus patronis integro seruato.

XXII. *Causa: Si seruus domini mortem uindicauit uel detexit. Hæc causa approbatur l. si necẽ. 4. in prin. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si necem domini detexerit seruus, prætor statuere solet ut liber sit: & constat, eum quasi ex senatusconsulto libertatem consecutum, nullius esse libertum. *Concordat l. 1. C. quibus ex causis serui pro præmio libert. accip. his uerbis:* Quoniam religiosa sollicitudo ad augendam prouocandamq; fidei obseruationem iuris præmio affici debet: si ad ulciscendam necem domini incorruptis probationibus ac strenuo nisu constiteris: libertatẽ, quam his qui dominorum ędem uindicant, iampridem senatusconsultis & statutis principum præstari sancitum est: etiam tu pro tam ingẽtibus meritis nõ ex ipso facto, sed aditione & sententia præsidis reportabis.

XXIII. *Causa: Si seruus adulterinam monetam exercentes detulit. Hæc causa approbatur l. 2. C. d. tt. his uerbis:* Serui qui monetarios, adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes, in publicum detulerint: ad ciuitatẽ Romanam donentur, ut eorum domini precium à fisco percipiant.

XXIIII. *Causa: Si seruus raptum uirginis detulit. Hæc causa approbatur l. si quis. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Si quis seruus raptus uirginis facinus dissimulatione præteritum, aut pactione transmissum, detulerit in publicum: libertate donetur.

XXV. *Causa: Si seruus desertorem militiæ detulerit. Hæc causa approbatur l. si des. 4. C. d. tt. his uerbis:* Si desertorem militiæ seruus prodiderit, libertate donetur.

XXVI. *Causa: Si seruus ita uenierit, uel legatus sit, uel per fideicommissum relictus, ut manumittatur: eo qui ad manumittendum seruum tenetur non manumittente, seruus ipse iure uel sententia prætoris uel iudicis fit liber. de qua re uide ĩ. cap. 8. except. 19. item ĩ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 4. reg. 8. except. 1.*

DE MANVMISSIONE. Cap. V.

INter causas libertatis præcipuum locum obtinet manumissio. de qua in hoc & sequentib. aliquot capitibus dicetur.

I. DEFINITIO MANUMISSIONIS.

Definitur manumissio inſt. de libertinis. ſ. 1. his uerbis: Manumissio, est de manu datio. nam quãdiu aliquis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur à domini potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: utpote cùm iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed postquam iure gentium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis. & cùm uno communi nomine homines appellarentur, iure gentium tria hominum genera esse cœperunt, liberi, & his contrarium serui, & tertium genus libertini, qui deserant esse serui. *Concordat l. manumissiones. 4. ff. de iusticia & iure. cuius uerba uide ĩ. lib. 1. cap. 6. de iure gentium.*

II. QVO IVRE INTRODVCTA EST MANUMISSIO?

Iure gentium. quod approbatur uerbis iam propositis hisce: Quæ res à iure gentium originem sumpsit. *Concordat d. l. 4.*

III. DE EXCEPTIONIBVS ADUERSVS MANUMISSIONEM: & primùm de ijs quæ sumuntur ex persona manumittentis.

Regulariter quidem ex manumissione oritur libertas. quæ regula approbatur l. si ab eo. 7. C. de liberali causa, his uerbis: Si ab eo cuius seruus fuisti, manumissus es: frustra libertatis cõtrouersiam sustines, maximè ab hærede eius qui te manumisit: cum etsi iure libertas nõ processerit, respectu tamen aditæ hæreditatis uoluntatem defuncti suo cõsensu firmare debuit. *Huius autem regulæ plures & uariæ sunt exceptiones, quarum aliæ ipsi manumissioni insunt, aliæ uerò eam sequuntur. Prioris generis exceptiones in hoc & sequentibus duobus capitibus proponentur: posterioris uerò generis exceptiones proponentur ĩ. cap. 8. cum sequentibus. Prioris autem generis exceptiones desumptæ sunt partim ex persona manumittentis, partim ex*

persona manumissi uel manumittendi, partim ex persona eius apud quem manumittitur, partim ex modo & uerbis manumissionis, partim deniq; ex alijs manumissionis circumstantijs, de quibus ordine dicetur: & primùm de ijs exceptionibus, quæ sumuntur ex persona manumittentis.

I. Exceptio: *Nisi is qui per fideicommissum libertatem reliquit, aliud fideicommissum pecuniarium reliquere non posit. Hæc exceptio elicitur ex l. generaliter. 24. in prin. ff. de fideicomm. libertat. hisce uerbis:* Generaliter dicemus, eos posse fideicommissariam libertatem adscribere, qui fideicommissum pecuniarij possunt relinquere. *Qui autem sint tales, dictum ȷ. lib. 32.*

II. Exceptio: *Nisi is qui alienare non potest, manumiserit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi ex causa fideicommiss. manumiserit. Hæc replicatio approbatur l. alieno. 31. §. qui fideicom. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Qui fideicommissariam libertatem debet, etiam eo tempore, quo alienare prohibitus erit, manumittere poterit. *Concordat l. non tantùm. 51. §. is autem. ff. eod. tt. his uerbis:* Is qui rogatus est manumittere, etiam eo tempore, quo alienare prohibetur, potest manumittere. *Propositæ exceptionis species sequuntur. Sed & plura de exceptione proposita uide ȷ. cap. prox. except. 11.*

III. Exceptio: *Nisi filius familiàs uel seruus seruum peculiarem manumiserit. Hæc exceptio approbatur l. filius f. 13. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Filius familiàs seruum peculiarem manumittere non potest: iussu tamen patris manumittere potest, qui manumissus libertus fit patris. *Concordat l. 2. C. qui manumit. non possunt, his uerbis:* Seruos meos nec per interpositam personam ad libertatem perducere homines peculij sui posse, mandatis principum comprehenditur. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi iussu patris filius manumiserit. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 13. iam propositis hisce:* Iussu tamen patris manumittere potest. *Concordat l. si consentiente. 16. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȷ. except. 5. repl. 20. Concordat item l. nepos. 22. ff. eod. tt. his uerbis:* Nepos ex filio uoluntate aui, ut filius patris uoluntate, potest manumittere: sed manumissus, patris uel aui libertus est. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi filius à patre iussus manumittere, post mortem demum patris manumiserit. *quæ duplicatio approbatur l. quæsitum. 85. §. fin. ff. qui & à quib. manumiss. his uerbis:* Iulianus ait, si posteaquam pater permiserit filio manumittere, filius ignorãs patrem decessisse, manumiserit uindicta: no fieri eum liberum. Sed & si uiuit pater, & uoluntas mutata erit: non uideri uolẽte patre filium manumisisse. *Concordat l. si pater. 4. in prin. ff. de manumiss uindicta, his uerbis:* Si pater filio permiserit seruum manumittere, & interim decesserit intestatò, deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem impo- fuerit: libertas seruo fauore libertatis contingit, cum non appareat mutatam esse domini uoluntatem. *Altera duplicatio est: Nisi uoluntas patris sit mutata. quæ duplicatio approbatur uerbis d. l. 15. §. fin. iam propositis hisce:* Sed & si uiuit pater, & uoluntas mutata erit: non uideri uolente patre filium manumisisse. *Concordat d. l. 4. in prin. his uerbis:* Sin autem ignorante filio uetuisset pater per nuncium, & antequam filius certior fieret, seruum manumisisset: liber non fit. Nam ut filio manumittere seruus ad libertatem perueniat, durare oportet patris uoluntatem. Nam si mutata fuerit: non erit uerum, uolente patre filium manumisisse. *Tertia duplicatio est: Nisi pater surdus uel mutus sit. Hæc duplicatio reprobatur l. surdi. 10. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Surdi uel muti patris filius iussu eius manumittere poterit: furiosi uerò filius non poterit manumittere. *Quarta duplicatio est: Nisi pater furiosus sit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Furiosi uerò filius non poterit manumittere. *Quinta duplicatio est: Nisi non specialem seruum pater filium manumittere iusserit, sed arbitrio eius permiserit, quem uelit manumittere. quæ duplicatio reprobatur l. pater. 22. ff. d. tt. his uerbis:* Pater ex prouincia ad filium, sciens Romæ agentem, epistolam fecit, qua permisit ei quem uellet ex seruis, quos in ministerio secum hic habebat, uindicta liberare. postquam filius manumisit Stichum apud prætorem, quæro, an fecerit liberum? Paulus respondit: Quare hoc non concessum credamus patri, ut permittere posset filio, ex his quos in ministerio haberet, manumittere? Solam enim electionem filio concessit. Cæterùm ipse manumisit. *Hæc de prima replicatione. Secunda replicatio est: Nisi seruum castrensis peculij filius familiàs manumiserit. quæ replicatio approbatur l. si militi. 6. ff. de castrensi peculio. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 3. quæst. 1. except. 2. Concordat l. de hæreditate. 19. §. pater. ibi: deniq; filium. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȷ. replic. 13. distinct. 2. uide item ȷ. lib. proxim. cap. 1. quæst. 4. reg. 2. except. 2. Tertia replicatio est: Nisi seruus putans se liberum, seruum manumiserit. quæ replicatio approbatur l. competit. 19. ff. qui & à quibus manumiss. his uerbis:* Competit libertas data ab eo, qui postea seruus ipse pronunciatus est.

IIII. Exceptio: *Nisi pupillus seruum suum manumiserit. Hæc exceptio approbatur l. obligari. 9. §. ex hoc. ff. de author. tutor. his uerbis:* Ex hoc quòd pupillus nullam rem sine tutoris authoritate alienare potest, apparet nec manumittere eum sine tutoris authoritate posse. *Huius exceptionis replicatio prima uidetur esse: Nisi ex causa fideicommissi pupillus manumiserit. Hæc replicatio reprobatur l. ex causa. 11. ff. de fideicõ. libert. his uerbis:* Ex

Ex causa fideicommissi seruo libertatẽ dare sine tutoris authoritate pupillus non potest. *Secunda replicatio est: Nisi apud consilium pupillus manumissionis causa adprobata, manumiserit. Hæc replicatio approbatur l. pupillus. 24. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Pupillus qui infans nõ est, apud consilium rectè manumittit, scilicet tutore authore: ita tamen, ut peculium eum non sequatur. *Tertia replicatio est: Nisi tutore authore pupillus manumiserit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi non apud consilium causa manumissionis adprobata, manumissio sit facta. Hæc duplicatio approbatur l. obligari. 9. §. 1. ff. de author. tutor. his uerbis:* Licet tutoris authoritate manumittat pupillus, debet ex lege Aelia Sentia apud consilium causam probare.

V. Exceptio: *Nisi minor uiginti annis seruum manumiserit. Hæc exceptio approbatur inst. quib. ex causis manumittere non licet. §. eadem, his uerbis:* Lege Aelia Sentia domino minori uiginti annis non aliter manumittere permittitur, quàm si uindicta apud consilium, iusta causa manumissionis adprobata, fuerint manumissi. *Concordat inst. eod. tt. §. sed cum libertas, cuius uerba uide ȷ. repl. 14. dupl. 1. Item concordat l. ergo. 4. §. item si minor. ff. de fideicommiss. libert. cuius uerba uide ȷ. repl. 14. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi apud consilium minor manumiserit. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Quàm si uindicta apud consilium, &c. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi non iustam manumittendi causam minor habeat. tũc enim nec apud consilium. ei manumittere permittẽdum. quæ duplicatio constat ex uerbis ſupradictis hisce:* Iusta causa manumissionis adprobata. *Cõcordat Lillad. 16. in prin. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Illud in causis probãdis meminisse iudices oportet: utrum ex luxuria, sed ex affectu descendentes causas probent. nec enim delicijs, sed iustis affectionibus dedisse iustam libertatem legem Aeliam Sentiam credendum. *Hic quæ sint iustæ manumissionis causæ sciendum, quas uide in replicationib. proximè sequentibus. Propositæ autem duplicationis triplicatio hæc est: Nisi causa manumissionis apud consilium semel adprobata & recepta sit. tunc enim ea, qualiscunq; sit, non amplius in dubium uocanda. quæ triplicatio approbatur inst. d. tt. §. semel autem, his uerbis:* Semel autẽ causa adprobata, siue uera sit, siue falsa: non retractetur. *Concordat l. iusta. 9. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Sciendum est, qualiscunq; causa probata sit & recepta, libertatem tribuere oportere. nam diuus Pius rescripsit, causas probatas reuocari non oportere (prohibendũque, ne alienum seruum possit quis manumittere.) nã causæ probationis cõtradicendum, non etiã causa iam probata retractanda est. *Concordat item l. 1. C. de uindicta, his uerbis:* Eorum qui apud consiliũ manumittuntur, post causam à iudicibus probatã, & manumissionem secutam, non solet status in dubium reuocari, si dicantur falsa demonstratione liberati. *Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi pupillus apud consilium manumiserit. Hæc duplicatio reprobatur l. pupillus. 24. ff. d. tt. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 2. Planè admittitur duplicatio proposita, si uel infans sit pupillus, uel sine tutoris authoritate apud consilium manumittat. quæ distinctiones approbantur d. l. 24. Tertia duplicatio est: Nisi minor absens, per procuratorem causam manumissionis, non ipse præsens, proponat. Hæc duplicatio reprobatur l. etiam. 15. §. absens. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Absens quoq; causam probare per procuratorem poterit. *Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione sint dicta. Secunda replicatio est: Nisi minor patrem, matrem, filiũ filiámue, aut fratrem sororémue manumittat, Hæc replicatio approbatur inst. quibus ex causis manum. non licet. §. iustæ autem, his uerbis:* Iustæ autem manumissionis causæ hę sunt: ueluti si quis patrem, aut matrem, filium filiámue, aut fratres sororésue naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnũ alumnámue, aut collactaneum manumittat: aut seruum procuratoris habendi gratia, aut ancillam matrimonij habendi causa: dum tamen infra sex menses in uxorem ducatur, nisi iusta causa impediat: & seruus qui manumittitur procuratoris habẽdi gratia, non minor decem & septem annis manumittatur. *Concordat l. si minor. 11. cum duabus legib. sequentib. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Si minor annis uiginti manumittat, huiusmodi solent causæ manumissionis recipi: ut si filius filiáue, frater sorórue naturalis sit: uel si sanguine eum contingat. habetur enim ratio cognationis. Si collactaneus uel educator, si pædagogus ipsius, uel nutrix, uel filius filiáue cuius eorum, uel alumnus, uel capsarius, id est, qui portat libros: uel si in hoc manumittatur, ut procurator sit, dummodò non minor annis decem & septem sit. Præterea & illud exigitur, ut non utique unum seruum habeat qui manumittit. Item, & si matrimonij causa uirgo uel mulier manumittatur: exacto prius iureiurando, ut intra sex menses uxorem duci eam oporteat: ita enim senatus censuit. *Concordat l. si rogatus. 20. §. penult. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȷ. dupl. gener. 2. Propositæ replicationis duplicatio in fratre quidem & sorore hæc est: Nisi non naturalẽ, sed adoptiuum fratrẽ sororémue minor manumittat. Quæ duplicatio elicitur ex uerbis d. §. iustæ autem, iam propositis hisce:* Aut fratres sororésue naturales. *Concordat d. l. 11. in fine, hisce uerbis:* Si frater sorórue naturalis sit. *Tertia replicatio est: Nisi minor pædagogum, nutricem, educatorem, alumnum*

alumnamúe aut collactaneum manumittat. Hæc replicatio approbatur uerbis d.§. iustæ autem, iam propositis hisce: Aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, &c. *Concordat l.si collactaneus.13.in prin.ff.de manumissis uindicta, uerbis iam propositis hisce:* Si collactaneus uel educator, si pædagogus ipsius, uel nutrix, &c. *Concordat l.alumnos.14.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Alumnos magis mulieribus est conueniens manumittere: sed & in uiris receptum est. satisque est permitti eum manumitti, in quo nutriendo propensiorem animum fecerint. *Quarta replicatio est: Nisi filium filiamúe cuius eorum, qui ita enumerati sunt, minor manumittat. Hæc replicatio approbatur uerbis d.l.13. in prin. suprà repl.2.propositis hisce:* Vel filius filiáue cuius eorũ, &c. *Quinta replicatio est: Nisi seruum capsarium minor manumittat. Hæc replicatio approbatur simul & declaratur uerbis d.l.13.in prin.suprà repl.2.propositis hisce:* Vel capsarius, id est, qui portat libros. *Sexta replicatio est: Nisi minor cognatum suum, uel sanguine sibi iunctum manumittat. Hæc replicatio approbatur l. uel si.12.ff.de manumissis uindicta, uerbis suprà repl.2. propositis hisce:* Vel si sanguine eum contingat. habetur enim ratio cognationis. *Septima replicatio est: Nisi minor seruum procuratoris habendi gratia manumittat. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur Inst.quibus ex causis manum. non licet.§.iustæ autem, uerbis suprà repl.2.propositis hisce:* Aut seruum procuratoris habendi gratia, non minor decem & septem annis manumittatur. *Concordat l.si collactaneus.13.in prin. ff.de manumissis uindicta, uerbis suprà d.repl.2.propositis hisce:* Vel si in hoc manumittatur, ut procurator sit, dummodò non minor annis decem & septem sit. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi seruus minor sit decem & septem annis. Quæ duplicatio ex iam dictis cõstat. Secunda duplicatio est: Nisi unum tantùm seruum minor habeat. Quæ duplicatio approbatur d.l.13.§.1.his uerbis:* Præterea & illud exigitur, ut non utiq; unum seruum habeat qui manumittit. *Octaua replicatio est: Nisi minor ancillam matrimonij habendi gratia manumittat. Hæc replicatio approbatur Inst.quib.ex causis manum.§.iust.æ autem, uerbis d. repl.2.propositis hisce:* Aut ancillam matrimonij habendi causa. *Concordat d.l.13.§.fin. ff.de manumiss.uindicta.cuius uerba uide suprà repl.2.Concordat l.si rogatus.20.§.matrimonij. ff.eod.tt. his uerbis:* Matrimonij causa manumittere si quis uelit, & sit qui non indignè huiusmodi conditionis uxorem sortitus sit, erit ei concedendum. *Prima huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi prius non iuret minor, intra sex menses se eam in uxorem ducturum. Quæ duplicatio approbatur d.§.iustæ autem, & d.§.fin. Secunda duplicatio est: Nisi mulier matrimonij habendi causa seruum manumiserit. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius triplicatio hæc est: Nisi in hoc seruus mulieri legatus sit, ut eum matrimonij causa manumittat. Quæ triplicatio approbatur l.alumnos.14. §.sunt qui. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Sunt qui putant, fœminam posse etiam matrimonij causa manumittere: sed ita, si fortè & cõseruus suus in hoc ei legatus est. *Tertia duplicatio est:* Nisi spado *matrimonij habendi gratia manumiserit. Hæc duplicatio reprobatur d.l.14.§.fin.his uerbis:* Et si spado uelit matrimonij causa manumittere, potest. nõ idem in castrato. *Quarta duplicatio est: Nisi castratus matrimonij habẽdi gratia manumittat. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Non idem in castrato. *Quinta duplicatio est: Nisi minor in dignitate positus libertam in uxorem ducere non possit. Hæc duplicatio elicitur ex l.si rogatus.20. §.matrimonij. ff.de manumissis uindicta.cuius uerba uide §.ead.repl.in prin. Sexta duplicatio est:* Nisi duo simul eandem matrimonij causa manumittant. *Hæc duplicatio approbatur l.etiam.15.§.si duo.ff.eod.tt.his uerbis:* Si duo matrimonij causa manumittent, recipi causa nõ debet. *Septima duplicatio est:* Nisi non is qui ancillam manumittit, in uxorem ducturus est, sed alius. *Hæc duplicatio approbatur l.matrimonij.21. ff.qui & à quibus manumissi, bis uerbis:* Matrimonij causa manumitti à nullo alio ancilla potest, quàm qui eam uxorem ducturus est. Quòd si alter manumiserit matrimonij causa, alter eã uxorem ducat, non erit libera: adeò ut ne si intra sex quidem menses eam repudiatam postea manumissor uxorem duxerit, liberã eam fieri, Iulianus responderit: quasi de his nuptijs senatus senserit, que post manumissionem, nullis alijs interpositis, secutæ fuerint. *Octaua duplicatio est: Nisi minor manumissans intra sex menses non duxerit uxorem. Hæc duplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt §. ead.repl. in prin. Eius autem triplicatio hæc est: Nisi iusta causa impediat. Quæ triplicatio approbatur Inst. quibus ex causis manumit. §.iustæ autem.ibi: dum tamen intra sex menses.cuius uerba uide §.repl.2. Hæc de octaua replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Nona replicatio est: Nisi seruus insigni aliquo beneficio benemeritus sit de domino minore, & ob eam causam eum uelit manumittere. Hæc replicatio approbatur l. iusta. 9. in prin.ff.de manumissis uindicta, bis uerbis:* Iusta causa manumissionis est, si periculo uitæ infamiæúe dominum seruus liberauit. *Concordat l.etiam.15.§.ex præterito.ff.eod.tt.bis uerbis:* Ex præterito tempore plures causæ esse possunt: ueluti quòd dominum in prælio adiuuerit, contra latrones tuitus sit, quòd eum sanauerit, quòd insidias detexerit. Et longum est, si exequi uoluerimus: quia multa merita incidere possunt, quibus honestum sit libertatem cum decreto præstare: quæ æstimare debebit is, apud quem de ea re agitur. *Decima replicatio est: Nisi conditionis implendæ causa minor manumittat. Hæc replicatio approbatur d.*

tur d.l.15.in prin.bis uerbis: Etiam conditionis implendæ causa minori annis uiginti manumittere permittendum est: ueluti si quis ita hæres institutus sit, si seruum ad libertatem perduxerit. *Vndecima replicatio est: Nisi tutoris habendi gratia minor seruum manumittat. Hæc replicatio reprobatur l. fin. ff. de manumissis uindicta, his uerbis:* Si tutoris habendi causa pupillus manumittat: probationis esse causam, Ausidius ait. Nerua filius contrà sensit: quod uerius est. Nanq; perabsurdum est, in eligendo tutore uideri firmum esse iudiciũ ei pupillo, cuius in omnibus rebus ut infirmum iudicium tutore authore regitur.

Duplicationes præcedentium replicationum generales.

Hactenus replicationes aduersus exceptionẽ propositam enumeratæ sunt, desumptæ ex causa manumissionis, quarum duplicatio generalis prima hæc est: Nisi nõ apud consilium minor seruum manumiserit. Hæc duplicatio approbatur Inst.quib. ex causis manumit. non licet.§.eadem, bis uerbis: Lege Aelia Sentia domino minori uiginti annis nõ aliter manumittere permittitur, quàm si uindicta apud consilium iusta causa manumissionis adprobata, fuerint manumissi. *Concordat l.causam.20.in prin. ibi: non idem in fideicommissaria. ff.de manumissionibus.cuius uerba uide §.repl.prox. Concordat item l.si rogatus.20.in prin. ibi: nisi proprium. ff.de manumissis uindicta.cuius uerba uide §.d.repl.prox. Concordat item l.illud.16.§.si quis. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.d.repl.prox. Hæc duplicatio locum habet in replicationibus hactenus propositis. Sũt autem & plures propositæ exceptionis replicationes, quæ sequũtur, in quibus duplicationi propositæ locus non est, nisi speciliter id exprimatur. Proinde triplicationum loco replicationes sequentes hic quoque poni possent. Altera præcedentium replicationum duplicatio est: Nisi fœmina minor ex causis prædictis seruum manumittere uelit. Quæ duplicatio reprobatur l.si rogatus.20.§.penult.ff.de manumissis uindicta, bis uerbis:* Mulieri quoq; uolenti filium naturalem suum, uel quem ex suprascriptis manumittere, permittendum esse, Marcellus scribit.

Duodecima propositæ exceptionis replicatio est: Nisi minor rogatus sit, uel hoc modo seruum accepit, ut manumittat. Hæc replicatio approbatur d.l.20.in prin.ff.de manumissis uindicta, bis uerbis: Si rogatus sit annis uiginti minor manumittere per fideicommissum, incunctanter debet ei permitti: nisi proprium seruum rogatus fuit manumittere. hic enim quantitas emolumenti conferenda erit, quæ ad eum peruenit ex iudicio eius qui rogauit, cum precio eorum quos rogatus est manumittere. Sed & si hac lege seruus fuerit donatus, ut manumittatur: permittendum erit manumittere, ne constitutio diui Marci superueniẽs cunctationem consulis dirimat. *Concordat l. causam.20.in prin.ff.de manumissionibus, bis uerbis:* Causam minor uiginti annis, qui seruum donatum manumittendi gratia accepit, ex abundanti probat post diui Marci literas ad Ausidium Victorinum. ad libertatem enim seruus peruenit, etsi non manumiserit. Non idem in fideicommissaria libertate iuris est, cuius causam minor debet probare. nam libertas nisi ita manumisso non cõpetit. *Concordat item l.illud.16.§.si quis. ff.de manumissis uindicta, bis uerbis:* Si quis minori annis uiginti hac lege seruum dederit, ut precio accepto uel donationis causa, eum liberum faciat: poterit ille causam manumissionis istius approbare, hoc ipsum allegans, legem datam eum perducere ad libertatem. Ergo hic debet ostendere, hoc inter ipsos actum, ut proinde uel ex lege donationis, uel affectione eius qui dedit, res æstimetur. *Plane quæ in iam propositis legibus de causa manumissionis probanda, & apud consilium proponenda dicuntur, pertinent ad ea quæ paulò superius duplicat.generali 1.dicta sunt. Decimatertia replicatio est: Nisi minor seruum hæredem necessarium scribat, & ita ad libertatem perducat. Hæc replicatio approbatur l. qui potuerint. 27. ff. de manumissis testam. bis uerbis:* Qui potuerint apud consilium manumittendo ad libertatem perducere: poterunt etiam necessarium hęredem facere, ut hæc ipsa necessitas probabilem faciat manumissionem. *Decimaquarta replicatio est: Nisi minor seruo in testamento per legatum uel fideicommissum libertatem reliquat. Hæc replicatio approbatur l.ergo.4.§.item si minor.ff.de fideicommiss.libertatibus, bis uerbis:* Si minor uiginti annis dedit libertatem: dicemus, non competere, nisi fideicommissam. hæc enim competeret (si modò potuit causam probare minor uiginti annis) si uiuus manumitteret. *Ait Iurisconsultus:* Si modò potuit causam probare minor uiginti annis. *Ex bis uerbis elicitur prima duplicatio talis: Nisi minor iustam manumittendi causam non habeat. de qua dictum §.repl.1.dupl.1. Concordat l.minor.5.C. eod.tt. his uerbis:* Minor annis lege definitis, nec per fideicommissum libertatem supremis suis elogijs relinquere potest, nisi ijs quorum causam probare potest. *Concordant item ea quæ habentur §.repl.21. Plane iure nouo iam dicta duplicatio in proposita quidem replicatione mutata ac sublata est, Instit. quibus ex causis manumitt. non licet.§.cum ergo, bis uerbis:* Cum ergo certus modus manumittendi minoribus uiginti annis dominis per legem Aeliam Sentiam constitutus esset, euenichat, ut qui quatuordecim annos expleuerat, licet testamentum facere, & in eo sibi hæredem instituere, legataque relinquere posset: tamen si adhuc minor esset uiginti annis, liberta-

bertatem seruo dare non posset. Quod non erat ferendum. nam cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat: quare non similiter ei, quemadmodum alias res, ita de seruis suis in ultima uoluntate disponere, quemadmodum uoluerit, permittimus, ut & libertatẽ eis posit præstare? Sed cum libertas inæstimabilis res sit, & propter hoc ante uicesimum ætatis annum antiquitas libertatem seruo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodò uiam eligentes, non aliter minori uiginti annis libertatem in testamento dare seruo suo concedimus, nisi decimumseptimum annum impleuerit, & decimumoctauũ attigerit. Cum enim antiquitas huiusmodi ętati & pro alijs postulare concesserit: cur non etiam sui iudicij stabilitas ita eos adiuuare credatur, ut ad libertatem dandam seruis suis posint peruenire? *Altera duplicatio est: Nisi minor sit decem & septem annis, qui in testamento libertatem seruo relinquit. Quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed cum libertas inæstimabilis res sit, &c. *Hæc duplicatio etiã mutatur & tollitur Nouell. c. 119. §. sed & hoc, his uerbis:* Sed & hoc per præsentem constitutionem sancimus, ut quo tempore minoribus ætate in alijs facultatibus suis testandi potestas permissa est, ab eo ipsis etiam in extremis uoluntatibus seruos suos libertate donandi licentia sit, nullum his impedimentum adferente ætate: lege uidelicet, quæ prius id prohibebat, abolita. *Decimaquinta replicatio est: Nisi minor non suo, sed alieno seruo libertatem paciscatur, uel per fideicommissum relinquat. Hæc replicatio approbatur exemplo l. inuitus. 34. §. 1. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Campanus ait, si minor uiginti annis rogauerit hæredem, ut proprium seruum manumittat: præstandam ei libertatem: quia hic lex Aelia Sentia locum non habeat. *Decimasexta replicatio est: Nisi minor seruum sibi pignori obligatum, uel in quo habet usumfructum, manumitti patiatur. Hæc replicatio approbatur l. si pater. 4. §. fin. ff. de manumißis uindicta, his uerbis:* Si pignori obligatum sibi seruum minor uiginti annis manumitti patiatur, rectè manumittitur: quia non tam manumittere is, quàm non impedire manumittentem intelligitur. *Concordat l. 2. ff. eod. tt. his uerbis:* Si minor sit annis uiginti fructuarius: an posit libertati consentire? & puto, consentiendo posse ad libertatem perducere. *Decimaseptima replicatio est: Nisi minor seruum sibi cum alio communem manumittat. Hæc replicatio reprobatur d. l. 4. §. fin. his uerbis:* Minor uiginti annis dominus nec seruum communem quidem sine consilio rectè manumittit. *Decimaoctaua replicatio est: Nisi cum duo minores annis, seruum communem manumitterent, unus eorum causam manumißionis apud consilium probauerit. hoc enim casu, quamuis alter nihil probauerit, ualet tamen manumißio. Quæ replicatio approbatur l. seruus. 6. ff. de manumißis uindicta, his uerbis:* Seruus communis quin à minoribus uiginti annis dominis posit apud consilium manumitti, quamuis unus ex socijs causam non approbauerit, dubium non est. *Decimanona replicatio est: Nisi minor seruum suum alienauit hoc modo, ut manumittatur. Hæc replicatio reprobatur l. si minor. 4. ff. de seruis exportandis, hisce uerbis:* Si minor uiginti annis seruum tibi in hoc uendiderit, ut eum manumitteres, nullius momenti est uenditio: quanquam ea mente tradiderit, ut cum uiginti annos ipse explesset, manumitteres. Non enim multum facit, quòd distulit libertatis præstationem. Lex quippe consilio eius quasi parum firmo restitit. *Concordat l. si quis. 7. §. fin. ff. qui & à quibus manumißi, his uerbis:* Minor annis uiginti, cum seruum manumittere uellet, nec iustam causam apud consilium manumittendi haberet, tibi eũ, ut manumitteres, dedit. negauit eum Proculus liberum esse, quoniam fraus legi facta esset. *Concordat l. si quis. 31. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si quis quos non poterat manumittere, legauit ut manumitterentur: nec legatum, nec libertas ualet. *Cocordat itẽ l. si minor. 66. ff. de uerb. obligat. his uerbis:* Si minor uiginti annis à debitore suo stipuletur seruum manumissurũ, non est executio stipulationis danda. Sed si ipsorum uiginti annorum erit, non impedietur manumißio, quia de minore lex loquitur. *Concordat item l. si minor. 4. C. qui manumittere non possunt, his uerbis:* Si minor annis uiginti ad libertatem præstandam homines tradidisti: senatusconsulto, quod gestum est, irritum constituitur. *Planè admittitur replicatio proposita, si minor iustam manumittendi causam habuerit: utputa si ita seruum acceperit, ut eum manumittat, uel fideicommissariam libertatem ei debeat. tunc enim traditio alij facta ut manumittatur, ualet. Quæ distinctio approbatur l. si cũ. 16. in prin. ff. qui & à quib. manumißi, hisce uerbis:* Si cùm fideicommissaria libertas debeatur, minor uiginti annis seruum uendat ut manumittatur, uel quia hac lege emit: non impedietur alienatio. *Concordat d. l. 16. §. 1. his uerbis:* Si partem, quam in communi seruo habet minor uiginti annis, manumittendi causa tradat: nihil agit. Sed si, cum ipse causam probare posset, tradiderit: nulla fraus intelligetur. *Vicesima replicatio est: Nisi minor patris consensu seruum manumiserit. Hæc replicatio approbatur l. si consent. 16. ff. de manumiss. his uerbis:* Si consentiente patre filius minor annis uiginti seruum eius manumiserit: patris faciet libertum, & uacabit causæ probatio ob patris consensum.

Vice-

Vicesimaprima replicatio est: Nisi miles minor uiginti annis seruum manumiserit. Hæc replicatio reprobatur l. nec militi. 3. ff. de manumißis testam. his uerbis: Nec militi minori uiginti annis permittitur posse testamento suo seruum manumittere. *Concordat l. si Rufinus. 4. C. de testamen. militis, hisce uerbis:* Si Rufinus, uir clarissimus, tribunus lati claui, maior annis lege definitis faciens testamentum, te manumisit: iustam tibi libertatem competijsse scire debes. Quòd si minor annis ex lege constitutis fuerit, cum faceret testamentum: lege impediente, nullam libertatẽ adeptus es, quæ in hac parte nec militibus remissa est. Quòd si idem testator causam manumittendi te habuit, quæ probabilis uiuo manumittente concilio futura esset: quia per fideicommissum data libertas à quolibet minore annis, ei cuius causa probari potuit, præstari debet: ex testamento militis eiusmodi seruis iustam libertatem competere, consequens est. *Planè pertinent hæc ad ea quæ dicta sunt s. repl. 14. dupl. 1. suntq; iure nouo mutata & sublata, de quo dictum s. d. dupl. 1. Vicesima secunda replicatio est: Nisi minor ultimo die uicesimi anni seruum manumisit. Hæc replicatio approbatur l. 1. ff. de manumißionibus, his uerbis:* Placuit, eum qui calendis Ianuarijs natus sit, post sextam noctis pridie calendas, quasi annum uicesimũ compleuerit, posse manumittere. Nõ enim maiori uiginti annis permittitur manumittere, sed minor manumittere uetatur. Iã autem minor nõ est, qui diẽ supremũ agit anni uicesimi. *Concordat l. si minor. 66. ff. de uerb. obligat. cuius uerba uide s. repl. 19. Hactenus de quinta propositæ regulæ exceptione, eiusq; replicationib. sit dictũ.*

V I. Exceptio: *Nisi is qui soluendo non est, seruum suũ manumiserit. Hæc exceptio approbatur Inst. quib. ex causis manumitt. non licet, in prin. his uerbis:* Non tamen cuicunque uolenti manumittere licet: nam is qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Aelia Sentia impedit libertatem. *Concordat l. si cum. 16. §. ne quis. ff. qui & à quib. manumißi. cuius uerba uide s. repl. 14. Declarantur hæc uerba Inst. d. tt. §. in fraudem, his uerbis:* In fraudem autem creditorũ manumittere uidetur, qui uel iam eo tempore quo manumittit, soluendo non est, uel qui datis libertatibus desiturus est soluendo esse. *Concordat l. in fraudem. 10. ff. qui & à quib. manumißi, his uerbis:* In fraudem creditorum manumittere uidetur, qui uel iam eo tempore quo manumittit, soluendo non est, uel datis libertatibus desiturus est soluendo esse. Sæpe enim de facultatibus suis amplius quàm in his est, sperant homines: quod frequenter accidit his qui transmarinas negociationes, & alijs regionibus quàm in quibus ipsi morantur, per seruos atque libertos exercent: quòd sæpe attriti istis negociationibus, longo tempore id ignorant, & manumittendo sine fraudis cõsilio indulgent seruis suis libertatem. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ignoret se soluendo non esse qui manumittit, uel animum fraudandi creditores nõ habeat. Hæc replicatio approbatur Inst. quib. ex causis manumitt. non licet, his uerbis:* Præualuisse tamen uidetur (nisi animum quoq; fraudandi manumissor habuerit) non impediri libertatẽ, quamuis bona eius creditoribus non sufficiant. sæpe enim de facultatibus suis amplius quàm in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cùm utroq; modo fraudantur creditores: id est, & consilio manumittentis, & ipsa re, eo quòd bona eius non sunt suffectura creditoribus. *Concordat l. semper. 21. ff. qui & à quib. manumißi, his uerbis:* Semper in fraudem creditorum libertates dari ab eo qui sciret se soluendo non esse, Pomponius ait: quamuis benemerentibus dedisset. *Item concordat l. qui habebat. 54. §. scripti. ff. de manumißis test. his uerbis:* Scripti testamento hæredes ante aditã hæreditam pacti sunt cum creditoribus, ut parte dimidia contenti essent: & ita decreto à prætore interposito, hæreditatem adierũt. quæro, an libertates in eo testamento datæ competierint? Scæuola respondit, si testator fraudandi consilium non habuisset, cõpetere libertates. *Concordat item l. 1. C. qui manumitt. non possunt, his uerbis:* Certum ius est, non aliâs directas libertates per legem Aeliam Sentiam, quæ fiunt in fraudem creditorum manumissorum, reuocari, nisi & consilium fraudis, hoc est animus manumittentis, & euentus damni suum recipere uolentiũ sequatur. *Concordat item l. primo gradu. 23. ff. quæ in fraudẽ creditor. cuius uerba uide s. lib. 8. cap. 9. reg. 16. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi fideicommissaria sit libertas. hæc enim impeditur, quãuis testator animum fraudandi non habuerit. Quæ duplicatio approbatur l. si debitor. 7. C. d. tt. his uerbis:* Si debitor ex administratione curæ dominus tuus nõ soluendo cõstitutus, fideicommissariã tibi reliquit libertatẽ: cum in fideicõmissarijs libertatibus euentũ inspici tantùm obtinuerit, nihil eius uolũtas tibi prodesse potest. *Secunda duplicatio est: Nisi alius qui uolũtate domini seruum eius manumittit, sciat dominum nõ esse soluendo: uel cõtrà sciat dominus, ignoret alius. Hæc duplicatio approbatur l. si cũ. 16. §. fin. ff. qui & à quibus manumißi, his uerbis:* Si uoluntate patris filius manumiserit: siue pater, siue filius sciat soluendo patrem non esse, libertas impedietur. *Secunda replicatio est: Nisi is qui soluendo non est, seruum cum libertate hæredem necessarium scribat. Hæc replicatio approbatur Inst. quib. ex causis manumit. non licet. §. 1. his uerbis:* Licet autem domino,

V. S. col. 2449. L. 35 in hac [illegible] publice [illegible] et col. 2469 replic. ex L. 435 fin. [illegible]

mino, qui soluendo nõ est, in testamẽto seruum suũ cum libertate hæredem instituere, ut liber fiat, hæresq; ei solus & necessarius: si modò ei nemo alius ex eo testamento hæres extiterit, aut quia nemo hæres scriptus sit, aut quia is qui scriptus est, qualibet ex causa hæres ei non extiterit. Idq; eadem lege Aelia Sentia prouisum est, & rectè. Valde enim prospiciendum erat, ut egẽtes homines, quibus alius hæres exiturus non esset, uel seruum suum necessarium hæredẽ haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias serui nomine uendant: ne iniuria defunctus adficiatur. Idemq; iuris est, & si sine libertate seruus hæres institutus est. Quod nostra constitutio non solùm in domino, qui soluendo non est, sed generaliter constituit, noua humanitatis ratione: ut ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere uideatur: quum non sit uerisimile, eum quem hæredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, seruum remanere uoluisse, & neminem sibi hæredẽ fore. *Concordat l.ult.§.fin.C.de necessarijs hæredib. cuius uerba uide s̃.cap.prox.causa 2.except.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi alia ratione seruus liber fieri non possit. Quæ duplicatio approbatur l.si non.81.in prim.ff.de hæredib.instituen.his uerbis:* Si nõ lex Aelia Sentia, sed alia lex, uel senatusconsultum, aut etiam constitutio serui, libertatem impediat: is necessarius fieri non potest, etiamsi non sit soluendo testator. *Huius proponitur exemplum l.2.C.eod.tt.his uerbis:* Is qui soluendo non est, hęredem necessarium etiam in fraudem creditorum relinquere potest. Sed si pignori datus fuisti, & in eadem causa permansisti: nec ab eo quidem debitore qui soluendo non fuit, liber & necessarius hæres existere potuisti. *Secunda duplicatio est: Nisi alius quoq; domino ex eodẽ testamento hæres existere possit. Hæc duplicatio approbatur Inst.dictis uerbis hisce:* Si modò ei nemo alius ex eo testamento hæres extiterit, aut quia nemo hæres scriptus sit, aut quia is qui scriptus est, qualibet ex causa hæres ei non extiterit. *Concordat l.qui soluendo.40.cum lege sequente.ff.de hæredibus instituendis, hisce uerbis:* Qui soluendo nõ erat, duos Apollonios liberos hæredesq; esse iusserat. altero ante apertas testamenti tabulas mortuo, non ineleganter defendi poterit, eum qui supererit, liberum & solum necessarium hæredem fore: quòd si uterq; uiuit, institutionem nullius esse momenti propter legem Aeliam Sentiam, quæ amplius quàm unum necessariũ hæredem fieri uetat. inuicem enim eos sibi obstare. *Concordat l.si is.55.ff.eod.tt.his uerbis:* Si is qui soluendo non est, seruum cum libertate hæredem instituerit, & liberum substituerit: antè incipiendum erit à substituto. Lex enim Aelia Sentia ita demum ei qui in fraudem creditorum hæres institutus est, conseruat libertatem, si nemo alius ex eo testamento hæres esse potest. *Propositæ duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi alius, qui simul quoq; hæres institutus est, hæres esse aut nolit, aut non possit, aut ante aditam hæreditatẽ sit mortuus. Quæ triplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt paulò superius eadem duplicatione, in prin. Secunda triplicatio est: Nisi alius sub hac conditione, Si Stichus seruus hæres erit: hæres sit institutus. Quæ triplicatio approbatur l.ei qui.86.ff.d.tt.his uerbis:* Ei qui soluẽdo nõ est, aliquo casu euenit, ut etiamsi seruus cum libertate hæres existat, præterea tamẽ alius hæres adijciatur: ueluti si seruo cum libertate hærede instituto, adiectũ sit, Si mihi Stichus hæres erit, tunc Titius quoq; hæres esto. Nam Titius, antequam Stichus ex testamento hæres extiterit, hæres esse nõ potest. Cum autem semel hæres extiterit seruus: non potest adiectus efficere, ut qui semel hæres extitit, desinat esse hæres. *Tertia triplicatio est, Quòd pluribus seruis hæredibus scriptis, is qui prior scriptus est, liber hæresq; necessarius fiat, cæteris inutiliter institutis & manumissis. Quæ triplicatio approbatur l.qui soluendo.58.ff.d.tt. his uerbis:* Qui soluendo non erat, seruum primo loco, & alterum seruum secundo loco hæredes scripsit. solus is qui primo loco scriptus est, hæreditatem capit. nam lege Aelia Sentia ita cauetur, ut si duo pluresue ex eadem causa hæredes scripti sint, uti quisq; primus scriptus est, hæres sit. *Concordat l.si non.81.§.temporibus. ff.eod.tt.his uerbis:* Temporibus diui Hadriani Senatus censuit, si testator, qui cũ moreretur, soluendo non fuit, duobus pluribusue libertatem dederit, eisq; hæreditatem restitui iusserit, & institutus hæres suspectam sibi hæreditatem dixerit: ut adire eam cogatur, & ad libertatem perueniat, qui priore loco scriptus fuerit, eiq; hæreditas restituatur. Idem seruandum & in his, quibus per fideicommissum libertas data fuit. Igitur si primo loco scriptus desideret adire hæreditatem, nulla difficultas erit. Nã si posteriores quoque liberos se esse dicẽt, & restitui hæreditatem desiderent: an soluendo sit hæreditas, & omnibus liberis factis restitui debeat, apud prætorem quæretur. Absente autem primo, sequens desiderans adire hæreditatem, nõ est audiendus: quia si primus uelit sibi restitui hæreditatem, præferendus est, & hic seruus futurus est. *Concordat l.si quis.24.in prin.ff.qui & à quibus manumissi. cuius uerba uide j.repl.22. Propositæ triplicationis quadruplicatio prima hæc est: Nisi duo pluresue simul hæredes scripti sint, ut nõ appareat* uter

uter prior, uter posterior sit institutus. tunc enim neuter hæres erit. Quæ quadruplicatio approbatur l.qui soluendo.40.cum lege sequente. ff.de hæredibus instituend.cuius uerba uide s̃.ead.duplicat.in princ. Altera quadruplicatio est: Nisi ei qui secundo loco hæres scriptus est, libertas à testatore debeatur. tunc enim nõ is qui primo, sed qui secundo loco hæres scriptus est, liber hæresq; necessarius est. Quæ quadruplicatio approbatur l.si is.55.ff.eod.tt.his uerbis: Si is qui soluendo non est, primo loco Stichum, secundo eum cui ex fideicommissi causa libertatem debet, liberum & hæredem instituerit: Neratius secundo loco scriptum hæredem fore ait, quia nõ uideatur creditorum fraudandorum causa manumissus. *Quarta triplicatio est: Nisi unus directò hæres sit institutus, & alteri hæreditatem restituere sit rogatus. tunc enim uterq; potest esse hæres, & seruus fideicommissarius fit liber. Quæ triplicatio approbatur l.si non.81.§.temporibus.ff.d.tt.cuius uerba uide paulò superius tripl.proxim. Quinta triplicatio est: Nisi miles in testamento militari in fraudem creditorum plures hæredes scribat. Hæc triplicatio reprobatur l.qui fraudem.15.in prin.ff.de militari test.his uerbis:* In fraudem planè creditorum nec miles amplius quàm unum necessarium facere poterit. *Hæc de secunda propositæ exceptionis replicatione, eiusq; duplicationibus sunt dicta. Tertia replicatio est: Nisi ea lege seruum accepit is qui soluendo non est, ut eum manumittat. Hæc replicatio approbatur l.Aelianus.10.ff.de manumissionibus, his uerbis:* Aelianus debitor fiscalis Euhemeriam ancillam ante annos multos lege hac emerat, ut manumitteret, eamq; manumiserat. procurator cum bona debitoris non sufficientia quæreret, etiam Euhemeriæ status quæstionẽ faciebat. placuit, non esse iuri fiscali locum, quo omnia bona debitoris iure pignoris tenerentur: quia ea lege esset empta, ut etsi non manumitteretur, ex constitutione diui Marci ad libertatem perueniret. *Quarta replicatio est: Nisi is qui soluendo non existens seruum manumisit, locuplete hærede relicto decesserit. Hæc replicatio reprobatur l.si locuples.57.in prin.ff.de manumissis testamen.his uerbis:* Si locuples egenti hæres extiterit: uideamus, an ea res testamento datis libertatibus proficiat, ut creditores fraudari non uideantur? Et sanè sunt quidam, qui cum hæres locuples extaret, tale esse crediderunt, quale si ipse testator adiunctis postea facultatibus decessisset. Sed mihi traditum est, hoc iure nos uti, ut ad rem non pertineat, locuples an egens hæres extiterit, sed quarum facultatum testator decesserit: quam sententiam Iulianus sequitur. *Concordat l.cum hæred.5. in princ. ff.qui & à quibus manumissi, his uerbis:* Cum hæreditas soluendo non est (quamuis hæres locuples existat) libertas ex testamento non competit. *Concordat l.si mortis.18 in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide j.repl.18. Item concordat l.in fraudem.5.C.de testam.manumiss. his uerbis:* In fraudem creditorũ testamento datæ libertates, quamuis debitori hæres qui soluendo est, extiterit, per legem Aeliam Sentiam non ualent. *Quinta replicatio est: Nisi is qui soluendo non est, ita seruum manumiserit: Cum æs alienum fuerit solutum, liber esto. Hæc replicatio approbatur l.si locuples.57.§.quã sententiam.ff.de manumissis testam.his uerbis:* Iulianus existimat, ne eum quidem libertatem consecuturum, quem is qui soluẽdo non esset, ita liberum esse iussisset: Cum alienum æs solutum erit, Stichus liber esto. Sed hoc nõ est consequens Sabini & Cassij sententiæ, quam & ipse sequi uidetur: qui existimant, consilium quenque manumittentis spectare debere. Nam qui sub ea conditione seruum suum liberũ esse iubet: adeò sine fraudis consilio liberum esse iubet, ut apertissime curare uideatur, ne creditores sui fraudarentur. *Concordat l.cum hæreditas.5.§.1.ff.qui & à quibus manumissi, his uerbis:* Si is qui soluendo non est, hoc modo libertatem dederit: Si creditoribus meis solidum solutum fuerit, Stichus liber esto. non potest uideri fraudãdorum creditorum causa liberum esse iussisse. *Sexta replicatio est: Nisi alicui libertatis conseruandæ causa bona defuncti sint addicta. Hæc replicatio approbatur Instit. de eo cui libertatis causa, in prin. cuius uerba cum alijs huc pertinẽtibus uide j.cap.8.except.7.repl.6. præsertim duplicat.5. item dupl.10. & dupl.11. Septima replicatio est: Nisi creditor suo iuri renunciauerit. Hæc replicatio approbatur l.1.in fine. ff.de statuliberis. cuius uerba uide j.cap.13.reg.2. Octaua replicatio est: Nisi post relictam demum libertatem æs alienum contrahatur, & soluendo esse desinat. Hæc replicatio reprobatur l.si mortis.18.in prin. ff.qui & à quibus manumissi, his uerbis:* Si mortis tempore soluendo sit hæreditas, tamen cũ aditur, desierit esse soluendo: libertas à testatore in fraudem creditorum relicta non competet. nam sicut aucta hæreditas prodest libertatibus, ita nocet deminuta. *Nona replicatio est: Nisi testator postea soluendo esse cœperit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nam sicut aucta hæreditas prodest libertatibus, &c. *Concordat l.si locuples.57.in prin. ibi: quale si ipse testator. ff.de manumissis testam. cuius uerba uide s̃.repl.4. Concordat item l.eum qui.4.ff.de iure codicill.his uerbis:* Eum qui codicillorum tempore soluendo sit, rectè libertatem dare placuit: quamuis testamenti facti tempore soluendo non fuerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi propter locupletem hæredem hæreditas cœperit esse soluendo. Quæ duplicatio approbatur d.repl.4. Decima replicatio est: Nisi in codicillis antea, cum testator soluendo esset, confirmatis libertas sit relicta. Hæc replicatio reprobatur l.si* quis.

quis.7.in princ.ff.qui & à quibus manumiſi, his uerbis: Si quis integris facultatibus codicillos confirmarit, deinde cum conſilium fraudandorum creditorum cepiſſet,libertatem codicillis dederit: obtineri non poteſt,quo minus libertates lege interpellentur. nam conſilium teſtatoris fraudulentum non eo tempore obſeruatur, quo codicilli confirmantur, ſed quo codicillis libertas datur. Vndecima replicatio eſt: Niſi creditores poſt relictam demum libertatem facti ſint,prioribus,in quorum fraudem libertates relictæ ſunt,dimiſſis. Hæc replicatio approbatur l.ſi quis.25.ff.quæ in fraudem creditorum,his uerbis: Si quis,cum haberet Titium creditorem, & ſciret ſe ſoluendo non eſſe, libertates dederit teſtamento: deinde dimiſſo Titio, poſtea Sempronium creditorem habere cœperit, & eodem teſtamento manente deceſſerit:libertates datæ ratæ debent eſſe, etſi hæreditas ſoluendo non ſit: quia ut libertates reſcindantur, utrunq; in eorudem perſona exigimus, & conſilium & euentus; ſiquidem & creditor, cuius fraudandi conſilium initum erat,non fraudatur: & aduerſus eum qui fraudatur, conſilium initum non eſt. libertates itaque ratæ ſunt. Huius replicationis duplicatio hæc eſt:Niſi pecunia poſteriorum creditorum priores ſint dimiſſi. Hæc duplicatio uidetur approbari l.in fraudem.25.ff.qui & à quibus manumiſſi,bis uerbis: In fraudem creditorum teſtamento datæ libertates, prioribus creditoribus dimiſsis, propter nouos creditores irritæ ſunt. Duodecima replicatio eſt: Niſi non parè, ſed ſub conditione debeatur. Hæc replicatio reprobatur l.cum is.8.in prin.ff.qui & à quib.manumiſſi,hiſce uerbis: Cum is qui ſub conditione debet, manumittat fideicommiſſi cauſa: Lex Ælia Sentia locum habet. Cõcordat l.qui in.27. in prin.ff.eod.tt.bis uerbis: Qui in fraudem creditorum manumittitur, liber eſſe prohibetur, ſiue dies ſoluendæ pecuniæ iam ceſſit, ſiue in diem uel ſub cõditione ſit debitum. Diuerſa cauſa eſt legati ſub conditione relicti. nam antequam conditio extiterit,inter creditores legatarius iſte nõ habetur. Decimatertia replicatio eſt: Niſi cum ſub conditione deberetur,conditio defecerit.Hæc replicatio approbatur l.ſi cum.16.§.penult.ff.qui & à quibus manumiſſi, his uerbis: Si ſub conditione alicui pecunia debeatur, quaſi ſtatuliber erit à debitore manumiſſus, ut pendeat libertas ex conditione. Concordat l.1.in fine.ff.de ſtatuliberis.cuius uerba uide §.cap.13.reg.2. Decimaquarta replicatio, ſumpta ex genere cauſæ, ex qua debetur, reprobatur d.l. 16.§.ne quis,his uerbis: Ne quis creditorũ fraudandorum cauſa manumittat, hac lege cauetur. Creditores autem appellantur,quibus quacunq; ex cauſa actio cum fraudatore competat. Concordat l.qui in.27.§.ex omni.ff. eod.tt.bis uerbis: Ex omni cauſa creditoribus in hac parte lex Ælia Sentia proſpicit: inter quos fideicommiſſariũ etiam eſſe placuit. Concordat l.1.in fine. C.qui manumitt.non poſſunt,his uerbis: Inter creditores etiam eos numerandos eſſe, quibus fideicommiſſum debetur, olim placuit. Decimaquinta replicatio eſt: Niſi hæres cum creditoribus pactum fecerit de parte debiti non petenda.Hæc replicatio approbatur l.primo gradu.23.ff.quæ in fraudem creditorum. cuius uerba uide ſuprà lib.8.cap.9.reg.16. Decimaſexta replicatio eſt: Niſi ciuitati uel fiſco debeatur. Hæc replicatio reprobatur l.in fraudem.11.ff.qui & à quibus manumiſſ. his uerbis: In fraudem ciuitatum manumiſſi,ad libertatem non ueniunt,ut ſenatus cenſuit. Sed nec in fraudem fiſci datas libertates procedere, principalibus conſtitutionibus cauetur. Decimaſeptima replicatio eſt:Niſi is qui manumiſit,ſit ſoluendo. Hæc replicatio approbatur d. l.11.in fine,bis uerbis: Diui fratres reſcripſerunt, non utiq;,ſi debitor fiſci manumiſerit,libertates impediri: ſed ita, ſi cum non erat ſoluendo, in fraudem manumiſit. Hiſce uerbis propoſita replicatio approbatur, ſimul & prima eius duplicatio reprobatur,hæc ſcilicet:Niſi fiſci debitor ſit. Secunda duplicatio eſt: Niſi poſt datam libertatem deſinat eſſe ſoluendo. Hæc duplicatio approbatur per ea quæ dicta ſunt §.ead.except.in prin.itẽ repl.8. Tertia duplicatio eſt: Niſi cum quis in ſubſtantia ſua nihil aliud haberet,quàm Stichum & Pamphilum,ita ſtipulanti,Stichum aut Pamphilum dare ſpondes? promiſerit. nam hoc caſu,quamuis unum tantùm debeat,tamẽ neutrum poterit manumittere. Quæ duplicatio approbatur l.cum hæreditas.5. §.ſi Titius. ff.qui & à quibus manumiſſi, hiſce uerbis: Si Titius nihil in bonis amplius quàm Stichum & Pamphilum habeat,eosq; ſtipulanti Męuio ita promiſerit: Stichum aut Pamphilum dare ſpondes?deinde cum alium creditorem non haberet, Stichum manumiſerit: libertas per legem Æliam Sẽtiam reſcinditur. Quamuis enim fuit in poteſtate Titij,ut Pamphilum daret: tamen quamdiu eum non dederit,quia interim mori poſsit, non ſine fraude ſtipulatoris Stichum manumiſit. Quòd ſi ſolum Pamphilũ dari promiſiſſet: non dubitarim, quin Stichus ad libertatem perueniet,quãuis ſimiliter Pamphilus mori poſsit. Multũ enim intereſt,contineatur ipſa ſtipulatione is qui manumittitur, an extra obligationẽ ſit. nam & qui ob aureos quinque Stichum & Pamphilum pignori dederit, cum uterq; eorum quinũm aureorum ſit, neuter manumitti poteſt. At ſi Stichum ſolum pignori dederit,Pamphilum non uidetur in fraudem creditoris manumittere. Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi quid aliud etiam præter Stichum & Pamphilum in bonis debitor habeat. Quæ triplicatio approbatur l.Iulianus.6. ff.eod.tt. his uerbis:

uerbis: Scæuola ait: Iulianus de eo loquitur, qui in ſubſtantia nihil aliud habet. nam ſi habeat,quare non dicetur unum poſſe manumittiꝛ qui enim uno mortuo ſoluẽdo eſt, & uno manumiſſo ſoluendo eſt. nec aduenticij caſus computãdi ſunt: alioquin & qui unum incertum ex ſeruis ſuis promiſit, neminem manumittet. Quarta duplicatio uidetur: Niſi teſtamenti facti tempore ſoluendo non fuerit. hoc enim caſu uidetur,quamuis tempore codicillorum, in quibus poſtea libertas relicta eſt, ſoluendo fuerit,nihilominus infirmari libertatẽ:quòd codicilli ad tempus teſtamenti trahantur.Sed hæc duplicatio reprobatur l. eum qui.4.ff.de iure codicillorum. cuius uerba uide §. repl.9. Decimaoctaua replicatio eſt: Niſi precium pro ſeruo manumiſſo debitor acceperit. Quæ replicatio approbatur l.ſi in.s. C.qui manumittere nõ poſſ. his uerbis: Si in fraudem eorum quæ fiſco debebantur, probari poteſt libertas data: non ualet.ſed ſi pecuniam is quem patrem tuum appellas, emptori dedit, & ab eo redemptus, ad libertatem productus eſt: nihil uidetur bonis defuiſſe eius qui fiſci debitor dicitur. Huius replicationis duplicatio eſt: Niſi hæres debitoris,qui ſeruo libertatem reliquit,mortis cauſa pro ſeruo ſit accepturus. Quæ duplicatio approbatur l.ſi mortis.18.§.ſi is cui.ff.qui & à quibus manumiſ. his uerbis: Si is cui libertas relicta eſt, iuſſus ſit hæredi dare tantum, quanti eſt, & liber eſſe: uideamus, an adhuc ſit fraus creditorum?quia hæres mortis cauſa acceptur us eſt. an uerò, ſi alius pro eo, uel ipſe non de peculio det,nulla ſit fraus? Sed & ſi hæres locuples ſit, non proficit ad libertatem: nec qui dat pecuniã, prodeſſe poteſt. Decimanona replicatio eſt:Niſi miles in teſtamẽto militari in fraudem creditorum libertatem reliquerit. Hæc replicatio reprobatur l.cum is.8. §.ſi miles. ff.qui & à quib.his uerbis: Si miles iure militari teſtamẽto facto libertatem dederit in fraudem creditorum,& non ſoluendo moriatur: impediuntur libertates. Viceſima replicatio eſt: Niſi is qui ſoluendo non eſt,bene merentibus libertatem dederit. Hæc replicatio reprobatur l.ſemper.23.ff.qui & à quib.manumiſſ.cuius uerba uide §.ead.except.repl.1. Viceſimaprima replicatio eſt: Niſi ab eo qui ſoluendo non eſt, manumiſſus per decem annos in libertate ſit moratus. Hæc replicatio approbatur l.ſi cum.16.§.Ariſto.ff.d.tt.his uerbis: Ariſto reſpondit, à debitore fiſci,qui ſoluendo non erat, manumiſſum ita reuocari in ſeruitutem debere, ſi nõ diu in libertate fuiſſet, id eſt, non minus decennio. Planè ea quæ in fraudem fiſci in ſinus eius collata ſunt, reuocantur. Viceſimaſecunda replicatio eſt:Niſi cùm uno manumiſſo,debitor non deſiturus fuiſſet ſoluendo eſſe,plures manumiſerit, & ita ſoluendo eſſe deſierit. tunc enim primus manumiſſus nihilominus liber ſit. Quæ replicatio approbatur l.ſi quis.24.ff.qui & à quibus manumiſſi, his uerbis: Si quis habens creditores, plures manumiſerit, non omnium libertas impeditur:ſed qui primi ſunt,liberi erunt,donec creditoribus ſuum ſoluatur. Quam rationem Iulianus ſolet dicere: & uel duobus manumiſsis,ſi unius libertas fraudetur,non utriuſq;, ſed alterutrius impediri libertatẽ, & plerunque poſtea ſcripti: niſi quando maioris precij ſit is qui antè nominatus eſt, nec ſufficiat poſteriorem retrahi in ſeruitutem,prior autem ſufficiat. nam hoc caſu ſequente loco ſcriptum ſolum ad libertatem peruenturum. Ait Iuriſconſultus: Donec creditoribus ſuum ſoluatur. Id eſt, adhuc ſolui poſſit. Ait inſuper: Niſi quando maioris precij ſit is qui antè nominatus eſt, &c. Hiſce uerbis diſtinguit Iuriſconſultus, non quidem replicationem propoſitam, ſed illud quod dictum eſt, primò manumiſſum liberum fore. Plura de replicatione propoſita uide §. replicat.2. dupl.2. tripl.3. Hactenus de ſexta exceptione manumiſſionis, eiuſq; replicationibus ſit dictum.

VII. Exceptio: Niſi damnatus iudicio publico ſeruum ſuum manumiſerit. Hæc exceptio approbatur l. qui pœnæ.8.ff.de manumiſſionibus, his uerbis: Qui pœnæ ſerui efficiuntur, indubitatè manumittere non poſſunt: quia & ipſi ſerui ſunt. Sed nec rei capitalium criminum manumittere ſeruos ſuos poſſunt, ut & ſenatus cenſuit. Diuus quoq; Pius Calphurnio reſcripſit, libertates ab eo qui iam lege Cornelia damnatus eſſet,uel cum futurum proſpiceret ut damnaretur,ſeruis datas non competere. Concordat l.2.ff.de interdictis & relegatis,hiſce uerbis: Manumittere deportatum non poſſe,diuus Pius reſcripſit.

VIII. Exceptio: Niſi reus publici criminis ſeruum ſuum manumiſerit.Hæc exceptio approbatur uerbis d. l.8.iam propoſitis hiſce: Sed nec rei capitalium criminum manumittere ſeruos ſuos poſſunt, ut & ſenatus cenſuit. Item hiſce: Vel cum futurum proſpiceret ut dánaretur,&c. Concordat l.quæſitum.15.in prin.ff.qui & à quibus manumiſ.bis uerbis: Quæſitum eſt,an is qui maieſtatis crimine reus factus ſit, manumittere poſsit, quoniam ante damnationem dominus eſt? Et Imp.Antoninus Calphurnio Critoni reſcripſit, eo tẽpore quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem iam de pœna ſua certus eſſe poterat, multò plus conſcientia delictorum,quàm damnatione ius dandæ libertatis eum amiſiſſe.

IX. Exceptio: Niſi mutus uel ſurdus manumiſerit. Hæc exceptio reprobatur l.1.ff.qui & à quibus manumiſ.bis uerbis: Celſus XII. libro Digeſtorũ, utilitatis gratia mutum & ſurdum ita natum manumittere poſſe ait.

X. Exceptio: Niſi collegium manumiſerit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. ff. de manumiſ. quæ ſeruis,

biſce uerbis: Diuus Marcus omnibus collegiis, quibus coeundi ius eſt, manumittendi poteſtatem dedit. Quare hi quoque legitimam hæreditatem liberti uindicabunt. *Concordat l.1.C.de ſeruis reipub.manum. cuius uerba uide ẜ.cap.11.quæſt.1.cauſa 3.Item concordat l.2.C.cod.tt.bis uerbis*: Si decretum ordinis authoritas Rectoris prouinciæ comprobauit, quo is libertatem acceperat, cui poſtea fueras (ut proponis) matrimonio copulata: natam ex huiſmodi matrimonio, & ciuem Romanam eſſe, & in patris poteſtate, non eſt opinionis incertæ.

DE EXCEPTIONIBVS ADuerſus manumiſſionem, ex perſona manumiſſi uel manumittendi deſumptis. Cap. VI.

HActenus primi generis exceptiones aduerſus manumiſſionem, deſumptæ ex perſona manumiſſoris, propoſitæ ſunt: ſequuntur nunc ſecundi generis exceptiones, quæ ſumuntur ex perſona manumiſſi, uel eius cui libertas teſtamento uel per fideicommiſſum eſt relicta.

XI. *Exceptio: Niſi ſeruum alienum quis manumiſerit. Hæc exceptio approbatur l.ſi ſeruo.20.ff.qui & à quibus manumiſſ.bis uerbis*: Si ſeruo alieno libertas non conſentiente domino data eſt: ualere ex authoritate iuris non poteſt, quamuis poſtea manumiſſor domino hæres extitit. nã licet ei iure cognationis, qui manumiſit, hæres extitit: nõ ideo aditione hæreditatis datio cõfirmatur libertatis. *Concordat l.ſi non.4.C.de his qui à non dom.manũ.bis uerbis*: Si non proprietatẽ donaueras, ſed miniſterium ancillæ dederas: libertatẽ mancipio dando ea quæ precarium uſum habebat, dominio tuo nihil præiudicauit. nemo enim alienũ ſeruum, quamuis ut propriũ manumittat, ad libertatẽ perducere poteſt. *Cõcordat item l. ſi tradita.5.C.cod.tt.bis uerbis*: Si tradita ſunt ex donatione mancipia, ius manumittẽdi donatrix non habuit. *Concordat l.2.C.de mancipijs patrimon. bis uerbis*: Libertates quas mancipijs ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticis, qui fundorum non ſunt domini, præſtiterint, rationales huius præcepti authoritate reſcindant. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt*: Niſi *fideicommiſſaria libertas ſeruo alieno ſit relicta. quæ replicatio approbatur Inſt. de ſingulis rebus per fideicom. ẜ.libertas quoque, bis uerbis*: Libertas quoque ſeruo per fideicommiſſum dari poteſt, ut hæres eum rogetur manumittere, uel legatarius, uel fideicommiſſarius: nec intereſt, utrũ de ſuo proprio ſeruo teſtator roget, an de eo qui ipſius hæredis, aut legatarij, aut etiam extranei ſit. Itaque & alienus ſeruus redimi & manumitti debet. Quòd ſi dominus eum non uendat, ſi modò nihil ex iudicio eius qui reliquit libertatem, recepit: non ſtatim extinguitur fideicommiſſaria libertas, ſed differtur: quia poſſit tempore procedente, ubicunque occaſio ſeruũ redimendi fuerit, præſtari libertas. *Concordat l.libert.16. ff.de fideicom.libertatibus, bis uerbis*: Libertates etiam per fideicommiſſum dari poſſunt, & quidem largius quàm directò. nam nõ tantùm proprijs, ſed alienis etiam ſeruis per fideicõmiſſum libertas dari poteſt: ita tamẽ, ut uulgaribus uerbis, & quibus euidẽter uoluntas teſtatoris exprimi poſſit. *Concordat item l.ſi idem.14.ẜ.fin.ff.de leg.2. bis uerbis*: Seruo alieno hærede inſtituto, poſt mortem dominĩ eius, cui adquiſita hæreditas eſſet, & libertatem fideicommiſſariam dari poſſe cõſtat. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt*: Niſi non *uulgaribus uerbis, & quibus uoluntas teſtatoris exprimi poſſit, fideicommiſſaria libertas relinquatur. quæ duplicatio elicitur ex l.16.in fine. ff.de fideicommiſſ.libertat. cuius uerba uide paulò ſuperius. Secunda duplicatio eſt*: Niſi *principis ſeruo fideicommiſſaria libertas ſit relicta. reprobatur hæc duplicatio l.generaliter.24. ẜ.1.ff.cod.tt.bis uerbis*: Et principis ſeruo, uel municipij, & cuius alterius, fideicommiſſa libertas adſcripta ualet. *Tertia duplicatio eſt*: Niſi *hoſtium ſeruo libertas per fideicommiſſum ſit adſcripta. Hæc duplicatio reprobatur d.l.24.ẜ.hoſtium, bis uerbis*: Hoſtium ſeruo ſi fideicommiſſaria libertas fuerit adſcripta, poteſt tractari, an non ſit inefficax? Et fortaſsis quis dixerit, indignum eſſe ciuem Romanum fieri hoſtium ſeruum. Sed ſi in caſu relinquatur, in quem noſter eſſe incipit, quid prohibet? *Concordat l.ſi ſerui.30. ff.de manumiſſ.teſtam. cuius uerba uide ẜ.except.24. Quarta duplicatio eſt*: Niſi *libero homini libertas per fideicommiſſum relinquatur. Hæc duplicatio reprobatur in certis caſibus d.l.24.ẜ.ſi homini, bis uerbis*: Si homini libero fuerit libertas per fideicommiſſum adſcripta, & is in ſeruitutem redactus proponatur: petere poteſt libertatem, ſi modò mortis tempore uel conditionis exiſtentis inueniatur ſeruus. *Quinta duplicatio eſt*: Niſi *ſeruo eius qui adhuc eſt in utero, libertas ſit relicta. Hæc duplicatio reprobatur d.l.24.ẜ.ſeruo, bis uerbis*: Seruo eius qui nondum in rebus humanis eſt, libertas rectè per fideicommiſſum relinquitur. *Sexta duplicatio eſt*: Niſi *ſeruo eius, cum quo teſtamenti factio non eſt, per fideicommiſſum libertas ſit relicta. Hæc duplicatio approbatur l.alieno.31.in princip. ff. de fideicommiſſ. libertat. bis uerbis*: Alieno ſeruo dari poteſt per fideicõmiſſum libertas: ſi tamẽ eius ſit, cum quo teſtamenti factio eſt. *Septima duplicatio eſt*: Niſi *teſtator ſeruum ſuum eſſe putans, libertatem fideicommiſſa-*

riam ei reliquit. Hæc duplicatio reprobatur l. Paulus.39.in prin.ff.cod.tt.bis uerbis: Paulus reſpondit, etſi alienus inueniatur ſeruus, quẽ ut ſuum teſtator ab uno ex hæredibus uoluit manumitti: tamen cogendum eum qui eſt rogatus, redimere & manumittere: quoniam non putauit ſimilem eſſe cauſam libertatis, & fideicommiſſi pecuniarij. *Octaua duplicatio eſt*: Niſi *cùm ſeruo hæredis uel legatarij libertas per fideicommiſſum relicta eſſet, dominus indignus hæreditate uel legato ſit iudicatus. Hæc duplicatio reprobatur l.poſt legatum.5.ẜ.ſi ſeruum.ff.de his quæ ut indignis, bis uerbis*: Si ſeruum ſuum rogatus ſit manumittere, qui legatum meruit, uel etiam ipſi ſeruo utrunq; datum ſit: dicẽdum eſt, non debere obeſſe ſeruo factũ domini: ſed à fiſco redimendum ut manumittatur, ſi tamen uelit ſeruum uendere: quia non poteſt cogi, qui iudicium ſpreuit defuncti. *Nona duplicatio eſt*: Niſi *dominus ſeruum uendere uel manumitti nolit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce*: Si tamen uelit ſeruum uendere: quia non poteſt cogi, qui iudicium ſpreuit defuncti. *Concordat l.alieno.31. ẜ.ſi is cuius. ff.de fideicommiſſ.libert. cuius uerba uide ẜ.dupl.prox. Huius duplicationis triplicatio prima hæc eſt*: Niſi *dominus aliquid ex iudicio defuncti percepit. tunc enim inuitus etiam cogi poteſt ad uendendum uel manumittẽdum ſeruum. quæ triplicatio elici poteſt ex uerbis iam propoſitis biſce*: Qui iudicium ſpreuit defuncti. *Concordat inſt.de ſingulis rebus per fideicom. ẜ.libertas quoq; ibi: ſi modò nihil ex iudicio eius qui reliquit libertatem, recepit. cuius uerba uide ẜ. ead.repl.in prin. Concordat item l.hærede.19.ẜ.uxori. ff.de fideicom.libertatibus, bis uerbis*: Vxori dotem & alias res plures legauit: & eius fideicommiſit, ut Aquilinum ſeruum proprium mulieris apud conſilium manumitteret. id negauit ſe facere debere, quia ipſius proprius eſſet. quæro, an libertas ei debeatur? Scæuola reſpondit, uxorem, ſi ex teſtamento non ſolùm dotem, ſed etiam cætera legata præſtari uellet, compellendam ex cauſa fideicommiſſi Aquilinum manumittere: eumq;, cum liber erit, petiturum ea quæ ſibi legata ſunt. *Concordat l.fideicommiſſaria.23.ẜ.ſeruũ.ff.cod. tt.bis uerbis*: Seruum peculij caſtrenſis, quem pater fideicommiſſi uerbis à legitimis hæredibus liberari uoluit, filium militem, uel qui militauit (ſi patri hæres extitit) manumittere cogendum, Papinianus reſpondit: quoniam propriũ manumiſiſſe defunctus poſt donationem in filium collatam exiſtimauit. portionẽ enim à fratre domino fratrem, eundemq; cohæredem citra damnum uoluntatis redimere non cogendum: nec ob eundem errorẽ cætera quæ pater in militiã profecturo filio donauit, fratri qui manſit in poteſtate conferenda: cum peculium caſtrenſe filius & inter legitimos hæredes præcipuum retineat. *Concordat denique l.ſi quis. 13.ẜ. penult. ff. de ſtatuliberis. cuius uerba uide ẜ. cap. prox.except.66. Propoſitæ triplicationis quadruplicatio prima hæc eſt*: Niſi *uſus ſerui tam neceſſarius ſit, ut eo dominus carere commodè non poſſit. Altera quadruplicatio eſt*: Niſi *delictum ſerui tantum ſit, ut ultio remittenda non ſit. Hæ duæ quadruplicationes reprobantur l.Caij.35.ff.de fideicom.libert. bis uerbis*: Caij Caſsij ſententia recepta non eſt, exiſtimantis, & hæredi & legatario remittẽdam interdum proprij ſerui manumittendi neceſsitatem, ſi uel uſus eius tam neceſſarius eſſet, ut eo carere non expediret: ueluti diſpenſatoris, pædagogi ſui, ſiue liberorum: uel ſi tantum delictum eſt, ut ultio remittenda non eſſet. Viſum enim eſt ipſos in ſua poteſtate habuiſſe. nam potuiſſe diſcedere à cauſa teſtamenti: qua non omiſſa, debere uoluntati defuncti obſequi. *Tertia quadruplicatio eſt*: Niſi *dominus id quod à defuncto ei relictũ eſt, repudiauerit. quæ quadruplicatio conſtat ex uerbis iã propoſitis biſce*: Viſum enim eſt ipſos in ſua poteſtate habuiſſe, &c. *Concordat l. poſt legatũ. 5.ẜ.ſi ſeruum, in fine. ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ẜ.dupl.prox. Sed plura de hac quadrupl. uide ẜ.cap.8.except.14. Quarta quadruplicatio eſt*: Niſi *directò, non per fideicommiſſum libertas ſeruo hæredis uel legatarij ſit relicta. Hæc quadruplicatio approbatur l. ſeruo. 9. C.de teſtament. manumiſſ. bis uerbis*: Seruo tuo defunctus, licet te hæredem ſcripſiſſe proponitur, directam tamen libertatem non potuit dare. iure enim directo libertatem ſeruis alienis nemo poteſt dare. *Planè diſtinguitur quadruplicatio propoſita in ſeruo pignori obligato, cui creditor directam reliquit libertatem. quæ diſtinctio approbatur l.generaliter.24.ẜ.ſi quis ſeruo.ff.de fideicommiſſ.libertat. cuius uerba uide ẜ.except.13.repl.8. Quinta quadruplicatio eſt*: Niſi *dominus ſit infans. Hæc quadruplicatio reprobatur l. cum quaſi.30.ẜ.ſi plures. ff.de fideicommiſſ.libertatib. bis uerbis*; Si plures hæredes ſint inſtituti, & inter eos is qui fari non poteſt, ſed non ipſe rogatus ſit ſeruum manumittere: non oportet intercidere libertatem ob hoc, quòd cohæredibus ſuis uendere eũ infans non poſſit. Et extat quidem Senatuſconſultum Vitraſianum. Sed & diuus Pius Caſsio Dextro reſcripſit, ita rem explicari ut partes ſeruorum, quibus per fideicommiſſum libertas data eſt, iuſto precio æſtimentur, atq; ita ſeruus ab his qui rogati ſunt manumittatur. Hi autem qui eos manumiſerunt, precij nomine perinde fratrib. & cohæredibus ſuis obligati erunt, atq; ſi ob eam rẽ ex cauſa iudicati cum his agi poſsit. *Sexta quadruplicatio eſt*: Niſi *modicum ex iudicio defuncti dominus ſerui perceperit. Hæc quadruplicatio reprobatur l.ſi debitor.45.ẜ.in fideicom.ff.cod.tt. bis uerbis*: In ſi-

deicommissaria libertate quamuis modicum quis legatum fuerit consecutus, necesse habet seruum suum manumittere: pecuniarium enim fideicommissum si diuisum fuerit, sanè iniuriâ facit tam libertati quàm fideicommissario. Sanctius est igitur, eũ qui agnouit legatũ onerari, quàm libertatẽ intercidere. *Hæc de prima triplicatione, eiusq; quadruplicationibus sunt dicta. Plura de his uide ĩ. cap. 8. except. 14. cum sequentib.* Altera triplicatio est: Nisi creditor seruo sibi pignori obligato, à debitore fideicommissariam reliquerit libertatem. nam & hoc casu dominus serui compellitur eum manumittere. *quæ triplicatio species est primæ triplicationis, approbaturq; l. si debitor. 45. in prim. ff. de fideicommiß. libertatib. his uerbis:* Si debitor rogatus sit à creditore ancillam suam pignoratam manumittere: dicendum est, fideicommissariam libertatem utiliter esse relictam à debitore. quid enim interest, certa quantitas ab eo relinquatur, an fideicommissaria libertas? Et siue plus sit in precio, siue minus, cogitur libertatẽ præstare: si modò semel agnouit uoluntatem creditoris. Agnouisse autem sic accipimus, si forte, cum conueniretur ab hærede, usus est exceptione, uel alias uoluntatem suam ostendit. nam si conueniatur debitor ab hærede creditoris, doli mali exceptione uti potest in id, quod interest debitoris ancillam suam habere. *Huius triplicationis eadem quæ superioris tanquam generis sunt quadruplicationes. Tertia propositæ duplicationis triplicatio est: Nisi aliquando offeratur serui emendi occasio. tunc enim, quamuis non ab initio seruus à domino inuito emi potuit, nihilominus postea oblata occasione emendus & manumittendus est. quæ triplicatio approbatur l. deberi. 6. C. de fideicommiß. libertatib. his uerbis:* Deberi etiam alienæ ancillæ fideicommissariam libertatem, placuit. nec deficit hoc debitum, si interim domina (si modò nihil ex iudicio eius, qui quæsiit reliquit libertatem, perceperit) noluit uendere: quia possit tempore procedente, ubicunq; occasio redimendæ ancillæ fuerit, præstari libertas. *Concordat Inst. de singulis rebus per fideicom. § libertas quoque. ibi: quòd si dominus. cuius uerba uide ĩ. cad. repl. in prin. Quarta triplicatio est: Nisi is qui libertatem seruo alieno reliquit, partem in eo seruo habeat. quæ triplicatio approbatur per ea quæ habentur ĩ. repl. 17. Hæc de nona duplicatione, eiusq; triplicationibus sunt dicta. Decima duplicatio est:* Nisi dominus seruum uendere quidem uelit, sed non iusto precio. *quæ duplicatio approbatur l. alieno. 31. § si is cuius, cum sequentibus. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Si is cuius seruus est, nolit eum uendere ut manumitteretur: nullæ prætoris partes sunt. Idẽ est, & si plus iusto uendere uelit. Sin autem certo quidem precio, quod non prima facie uideatur esse iniquum, dominus seruum uendere paratus est: is uerò qui rogatus est manumittere, ut immodicum, minuendum id esse nititur: prætoris partes erunt interponẽdæ, ut iusto precio uolenti domino dato, libertas ab emptore præstetur. *Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione fideicommissariæ libertatis, eiusq; duplicationibus sunt dicta. Sed plures eius duplicationes uide in exceptionibus sequentibus. Secunda propositæ exceptionis replicatio est:* Nisi bonæ fidei possessor seruum alienum manumiserit. *Hæc replicatio reprobatur l. si nõ. 4. ibi: quamuis ut propriũ. C. de his qui à non dom. cuius uerba uide ĩ. cad. exception. in prin. Concordat l. qui pro. 5. ff. pro donato. cuius uerba uide ĩ. lib. 22. cap. 5. except. 44. Tertia replicatio est:* Nisi fructuarius seruum, in quo usumfructum habet, manumiserit. *Et hæc replicatio reprobatur l. usumfructũ. 9. C. de usufructu. cuius uerba uide ĩ. lib. 24. cap. 5. reg. 42. in fine. Planè corrigitur quodammodò l. 2. § sin aũt usufruct. C. communia de manumiß. his uerbis:* Si usufructuarius seruo libertatem imposuerit, siquidẽ hoc modo, ut cedat usumfructum proprietario: plenissimum ius habeat in seruo proprietarius, ut omnia ei seruus adquirat, secũdum ea quæ generaliter in seruos & dominos constituta sunt. Si uerò gratias agẽdo usufructuarius eum ab usufructu liberauerit, & libertati donauerit: tunc maneat quidẽ seruus proprietario suo adnexus: sed non necessitas ei imponatur, donec uiuit usufructuarius, uel usus fructus cõstare potest, obseruare proprietarium, & quædam ministeria ei adimplere, sed iudices nostri eum in quiete tueantur. Post usufructuarij autem mortem, uel usufructus quocũq; modo interemptionẽ: seruiat quidem domino, & omnia quæ in medio ad eũ peruenerant, hoc suo domino adquirat. Et sit ex nostra constitutione hæc separatio inter seruos & liberos: & non secũdum ius antiquũ idem seruus remaneat, & nullũ respiciat dominũ. *Quinta replicatio est:* Nisi uẽditor, donator uel promissor serui ante traditionẽ eum manumiserit. *Hæc replicatio approbatur l. & eũ. 18. ff. de manumiß. his uerbis:* Et eũ quẽ uendiderit uẽditor, & promissor quẽ promiserit, manumittere possunt. *Concordat l. qui tibi. 3. C. de his qui à nõ domino, his uerbis:* Qui tibi hereditatẽ uẽdidit: antequã res hereditarias traderet, dominus earũ perseuerauit. Et ideo manumittẽdo libertatẽ seruo hæreditario præstitit. *Huius duplicatio hæc est:* Nisi post traditionẽ à se factã manumittat. *quæ duplicatio approbatur l. si tradita. 5. C. eod. tt. his uerbis:* Si tradita sunt ex donatione mancipia, ius manumittẽdi donatrix non habuit. *Quinta replicatio est:* Nisi testator seruũ quẽ legauit, manumiserit. *Hæc replicatio approbatur l. si leg. 11. in prin. ff. de manumiß. test. his uerbis:* Si legato seruo fideicõmissaria libertas relicta est: uel hæres, uel legatarius eũ cogitur manumittere.

mittere. *Concordat l. si pecul. 10. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si peculiũ prælegatũ, & uicarius liber esse iussus sit: liberum eum esse cõstat. multum enim interest inter genus & speciem. speciẽ enim eximi de genere placet: quod est in peculio legato, & uicario manumisso. *Concordat item l. ult. ff. de statuliberis. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 7. condit. 1. reg. 1. except. 1. Plura de proposita replicatione uide ĩ. lib. 32. cap. 5. except. 63. Sexta replicatio est:* Nisi hæres seruum legatum manumiserit. *Hæc replicatio reprobatur l. generaliter. 29. § fin. ff. qui & à quib. manumißi, his uerbis:* Sub conditione seruus legatus, pendente cõditione pleno iure hæredis est: sed nullam libertatem ab eo consequi potest, ne legatario iniuria fiat. *Concordat l. seruum. 11. ff. de manumißionibus, his uerbis:* Seruum qui sub conditione legatus est, interim hæres manumittendo liberum non facit. *Planè admittitur replicatio propositæ primùm, si post quam seruus ab hærede manumissus est, is cui seruus legatus est, legatum repudiauerit. quæ distinctio approbatur l. 2. ff. de manumiß. his uerbis:* Si hæres, deliberante legatario, seruum legatum manumiserit, mox legatarius repudiauerit: manumissum fore liberum placet. *Concordat l. si hæres. 3. ff. de manumiß. uindicta, his uerbis:* Si hęres seruum legatum manumittat, mox repudiet legatarius: retrò competit libertas. Idemque est, & si purè duobus seruus legetur, & post alterius manumisionem alter repudiauerit. nam huic libertas retrò competit. *Concordat l. si miles. 21. ff. de militari test. cuius uerba uide ĩ. repl. 17. Secundò uidetur admitti replicatio proposita, si hæres proprium seruum manumittere fuerit rogatus. uerùm distinctio hæc reprobatur l. hæres. 28. ff. qui & à quibus manumiß. his uerbis:* Hæres seruum proprium, quem testator legauerat, manumittendo nihil egit: quia scientiæ uel ignorantiæ eius nullam placuit admitti rationem. *Septima replicatio est:* Nisi is qui mandatu alterius seruum emit, antequam ex causa mãdati traderet, eum manumisit. *Hæc replicatio approbatur l. 2. C. de his qui à non dom. his uerbis:* Felicissima, quam mandante te seruum emisse dicis, si dominium serui quem manumisit, nondum ad te transtulerat: frustra petis, ut denegata libertate, eius quem manumissum dicis, possessio tibi tradatur. *Octaua replicatio est:* Nisi pater domini manumisit. *Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: quoniam seruus filiisfamiliàs, seruus patris esse dicitur iure peculij. cuius replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi filius sui sit iuris. *quæ duplicatio approbatur l. Iulianus. 6. C. de his qui à non domino. cuius uerba uide ĩ. repl. 11. dupl. 1. Secunda duplicatio est:* Nisi seruus sit castrẽsis peculij. *quæ duplicatio approbatur l. serui. 17. ff. de manumissionib. his uerbis:* Serui quos filiisfamiliarum in castris adquirũt, non in patris familia computabũtur. nec enim pater tales filij seruos inanumittere poterit. *Concordat l. proponebatur. 9. § deniq. ff. de castrensi peculio. cuius uerba uide ĩ. lib. 16. cap. 3. quæst. 3. reg. 2. Huius duplicationis triplicatio hæc est:* Nisi seruo à patre manumisso, filius intestatò mortuus sit. *tunc enim cõfirmatur manumissio. quæ triplicatio approbatur d. § deniq. Concordat l. de hereditate. 19. § pater. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. replic. 13. distinct. 2. Nona replicatio est:* Nisi tutor uel curator domini seruos eius manumisit. *Hæc replicatio reprobatur l. ult. in prin. ff. de curatorib. furioso. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. officio 3. reg. 10. except. 2. Concordat l. nec fideic 6. C. qui manumittere non possunt, his uerbis:* Nec fideicommissariam libertatem à pupilla sua seruis debitam tutorem posse præstare, certi iuris est. Vnde si hos quos tu rogata fueras manumittere, tempore certo ætatis tuæ ad libertatem non produxisti, sed tutor manumisit: remãserunt in seruitute. *Concordat item l. curator. 22. ff. qui & à quib. manumißi, his uerbis:* Curator furiosi seruũ eius manumittere non potest. *Concordat item l. seruus. 13. ff. de manumiß. his uerbis:* Seruus furiosi ab adgnato curatore manumitti nõ potest: quia in administratione patrimonij manumissio non est. Si autem ex fideicommissi causa debet libertatem furiosus: dubitationis tollendæ causa ab adgnato tradendum seruum, ut ab eo cui traditus esset seruus, manumittatur, Octauenus ait. *Decima replicatio est:* Nisi alius mandatu domini seruum eius manumiserit. *Hæc replicatio approbatur l. cum proponas. 4. C. de dolo malo. cuius uerba uide ĩ. libro 44. cap. 1. quæst. 1. causa 7. Concordant ea quæ habentur ĩ. repl. prox. Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi generale mandatum sit omnium bonorum administrandorum, uel nisi uindicta fiat manumissio. *quæ duplicatio approbatur l. nec mal. 5. C. de uindicta, his uerbis:* Nec mulierem per maritum, nec alium per procuratorem uindicta manumittere posse, non est ambigui iuris. *Huius duplicationis triplicatio hæc est:* Nisi parens per filium manumittat. *Hæc triplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt § except. 2. repl. 1. Eius autem quadruplicatio uidetur esse:* Nisi filius non sit in potestate parẽtis, cuius mandatu manumittit. *Hæc quadruplicatio reprobatur l. 2. § fin. C. communia de manumiß. his uerbis:* Illud quoq; legi adijcimus, ut exposita antiqua personarum differentia, liceat parentibus tam masculis quàm fœminis, filijs filiabusue suis in sacris constitutis, siue emãcipatis, cuiuscunque gradus, mandatum imponere, quatenus seruos in libertatem perducant, siue apud iudicem, siue in sacris ecclesijs, siue secundùm alium, quem mandator uoluerit, legitimum modum. cum enim & in successionibus, &c. *Vide item ĩ. exception. 32. Vndecima replicatio est:* Nisi alius, uolente & consentiente domino, seruum manumiserit. *quæ replicatio approbatur l. alieno. 31. § fin. ff. de fideicom. libertat. ib. cuius uer-*

ba uide ẽ.lib.33.cap.2.quæſt.3.reg.3.in fine. Concordat l. 1. C.de his qui à non domino. cuius uerba uide ẽ.cap.10. quæſt.13.reg.10. Sed & approbatur per ea quæ proponuntur ẽ.cap.prox.except.3.repl.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi dominus minor uigin ti annis manumiſsioni conſenſerit. Hæc duplicatio approbatur l.ſi pater.6.C.d.tt.his uerbis: Si pater ſeruum ueſtrum, licet uobis minoribus uiginti annis conſentientibus, manumiſit: ei libertatem præſtare non potuit: *Secunda duplicatio eſt*: *Niſi dominus non aliter conſentiat, quàm ſibi prius ſoluatur precium. quæ duplicatio approbatur l.ſi alienare.32.in prin.ff.de fideicom.libertatib.his uerbis*: Si alienare paratus ſit quidem dominus, non antè tamen id uelit facere, quàm ſibi in precium ſatisfiat: non erit manumittere compellendus, ne & ſeruum manumittat, & interim nihil aut minus cõſequatur. *Plures huius replicationis duplicationes uide d.except.3.* *Duodecima replicatio eſt*: *Niſi alius ſeruum à domino pro derelicto habitum manumiſit. Hæc replicatio approbatur l.Sempron.8. ff.pro derelicto, his uerbis*: Sempronius Thetidi ſtatus quæſtionem facere tentabat, quaſi de ſerua ſua nata ſit: qui iam teſtatò conuentus à Procula nutrice Thetidis de ſoluendis alimẽtis, reſpondit, non ſe habere undè eidem alimenta exoluat, ſed debere eam patri ſuo reſtituere Lucio Titio. idq; cùm illa in teſtationem redegiſſet, ut poſtea nullam quæſtionem pateretur ab eodem Sempronio: Lucius Titius Seiæ Proculæ ſolutis alimentis, puellam uindicta manumiſit. quæro, an poſſit reſcindi libertas Thetidis? Paulus reſpondit, quoniam dominus ancillæ, ex qua Thetis nata eſt, Thetidem pro derelicto habuiſſe uideretur: potuiſſe eam à Lucio Titio ad libertatem tunc perduci. *Decimatertia replicatio eſt*: *Niſi is qui alienum ſeruum manumiſit, poſtea dominium ſerui ſit nactus. Hæc replicatio reprobatur l.ſi ſeruo.20.ff.qui & à quibus manumiſſi. cuius uerba uide ẽ.ead.except.in prin.* *Planè admittitur replicatio propoſita primùm, ſi hæres ſeruum legatum manumiſerit, poſteaq; legatarius legatum repudiauerit. de quo dictum ẽ.repl.6.* *Secundò admittitur, ſi pater ſeruum caſtrenſis peculij manumiſerit, poſteaq; filius inteſtatus deceſſerit. quæ diſtinctio approbatur l. de hæreditate.19. ſ.pater. ff. de caſtrenſi peculio, his uerbis*: Pater peculij caſtrenſis filij ſeruum teſtamẽto liberum eſſe iuſſit. inteſtato defuncto filio familiâs, mox patre: quæritur, an libertas ſeruo competat? occurrebat enim, non potuiſſe dominium apud duos pro ſolido eſſe. deniq; filium poſſe manumittere talis peculij ſeruũ, Hadrianus conſtituit. Et ſi teſtamento tam filij quàm patris idem ſeruus accepiſſet libertatem, & utriq; pariter deceſsiſſent: nõ dubitaretur, ex teſtamento filij liberum eſſe eum. Sed & in ſuperiore caſu pro libertate à patre data illa dici poſſunt, nunquid quoad utatur iure conceſſo filius in caſtrenſi peculio, eouſq; ius patris ceſſauerit. Quòd ſi inteſtatus deceſſerit filius: poſtliminij cuiuſdam ſimilitudine pater antiquo iure habeat peculium, retroq; uideatur habuiſſe rerum dominia: non tamen, ſi ut hæres uiuo filio uindictam ſeruo impoſuit, dicatur eũ poſt mortem inteſtati filij ex illa manumiſsione liberum factum eſſe. Quid autem, ſi teſtamẽtum fecerit filius, & non ſit eius adita hæreditas? non tam facile eſt dicere, cõtinuatum patri poſt mortem filij rerum peculij dominium: cùm medium tempus, quo deliberãt inſtituti hæredes, imaginem ſucceſsionis præſtiterit. alioquin & ſi adita ſit ab inſtituto filij hæreditas, dicetur à patre ad eũ tranſiſſe proprietatem, quod abſurdum eſt: niſi in pendenti (ut in alijs) & in hac ſpecie habeamus dominia: ut ex poſt facto retrò tuiſſe, aut non fuiſſe patris credamus. Secundũ quod difficile erit expedire, ſi dum deliberant hęredes, dies ceſſerit legati ſeruo iſtius peculij dati in teſtamẽto eius, ex quo pater nihil capere potuiſſet: an id ad ipſum pertineat, cum utiq; ad hæredem filij pertineat. Facilior tamẽ de libertate ſerui deliberatio eſt in ſpecie, in qua inteſtatus filius deceſsiſſe proponitur. Non eſt ergo ratio reſpondendi, competere libertatem eo tẽpore datam, quo non fuit in dominio patris: fauorabilem tamen ſententiam contrariam in utroq; caſu non negamus. *Concordat l.propone batur.9. ſ.deniq; ſi ſeruo.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.16.cap.2.quæſt.3.reg.2.* *Planè diſtinctionis propoſitæ duplicatio uidetur eſſe: Niſi pater filio ex teſtamento hæres extiterit. uerùm hæc duplicatio reprobatur l.ſed ſi.20.ff.eod.tt. his uerbis*: Sed ſi ponas, filium teſtamentum feciſſe, & patrem hæredem inſtituiſſe: cum utiq; pater teſtamento ſuo, ſeruo filij libertatem dediſſet, qui ad eum ex teſtamento filij pertinere cœperit: uidendum eſt, nunquid ei comparari debeat, qui cum manumitteretur, alienus erat, deinde poſtea adquiſitus eſt. Sed fauorabilius eſt libertatem à patre relictam admittere: & ab initio patris eum eſſe uideri, ex hoc quod poſtea contingit, oſtenditur. *Decimaquarta replicatio eſt*: *Niſi dominus ſerui manumiſſoris, uel eius qui libertatẽ reliquit, hæres exiſtat. Hæc replicatio approbatur l.ſi ab eo.7. C.de liberali cauſa. cuius uerba uide ẽ.cap.prox. quæſt.3. in prin.* *Concordat l.filium.31.ff.de liberali cauſa, his uerbis*: Filium ob hoc, quòd patri hæres extitit, prohiberi à patre ſuum ſeruum manumiſſum in ſeruitutem petere. *Contradicere uidetur l.ſeruo.9.C.de teſtam.manumiſs. cuius uerba uide ẽ.ead.except.11.repl.1.duplic.9.tripl.1.quadrupl.4.* *Decimaquinta*

quinta replicatio eſt: *Niſi decreto iudicis, uel reſcripto principis alieni ſerui manumiſsio ſit confirmata. Hæc replicatio reprobatur l.ſi non.7.C.de his qui à non domino, his uerbis*: Si non à dominis libertas detur mancipio alieno: ſiquidem ab his iudicibus impetrabitur, quib. dandi ius eſt: ſine ulla trepidatione pœnæ facilis diſſolutio eſt. Si uerò iubẽtibus nobis quidquam lege actum eſſe doceatur, & non dominus, ut alienum mancipium manumitteretur, petiſſe probetur: tunc eodem qui in cõſpectu noſtro libertatem mõſtrabitur à non domino conſecutus, ei protinus, ad cuius proprietatem pertinet, reſtituto: is qui mancipium alienum fallendo principis conſcientiam manumiſit, mancipia duo cogatur domino eius dare, eiuſdem ſexus, ætatis atq; artis, cuius conſtiterit eſſe manumiſſum, & alia tria iſco eadẽ ratione ſimilia. Quæ mulcta non ſemper imponitur, ſed potius conquieſcit, ſi fortè manumiſſus inferentẽ ſibi quæſtionẽ ſtatus, obiecta legitima præſcriptione potuerit excludere: cum ſibi amiſſi mancipij damna debeat imputare is, qui in perniciem ſuam geſta taciturnitate firmauit. *Decimaſexta replicatio eſt*: *Niſi à non domino manumiſſus, per uiginti annos in libertate fuerit moratus. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Si fortè manumiſſus inferentẽ ſibi quæſtionẽ ſtatus, obiecta legitima præſcriptione potuerit excludere, &c. *Decimaſeptima replicatio eſt*: *Niſi ſeruum communem unus ex ſocijs manumiſerit. Hæc replicatio iure quidem antiquo reprobatur, eiuſq; diſtinctio talis eſt*: *Niſi cùm duobus idem ſeruus legatus eſſet, & uno deliberante, alter ſeruum manumiſiſſet, poſtea deliberans legatum repudiauerit. quæ diſtinctio approbatur l.ſi miles.31.ff.de militari teſtam. his uerbis*: Si miles Titio & Seio ſeruum legauerit, & eum Titius manumiſiſſet deliberante Seio, moxq; is legatum omiſiſſet, liberandum fore dico: quia & ſi hæres ſeruum alicui legatum interim manumiſiſſet, deinde legatarius repudiaſſet, liber eſſet. *Concordat l.ſi hæres.3.ff.de manumiſſis uindicta. cuius uerba uide ẽ.repl.6.* *Planè iure nouo replicatio propoſita approbatur inſtit.de donationibus.ſ.fin. his uerbis*: Erat olim & alius modus ciuilis adquiſitionis per ius adreſcẽdi, quod eſt tale: Si communẽ ſeruum habens aliquis cum Titio, ſolus libertatem ei impoſuerit uel uindicta, uel teſtamento: eo caſu pars eius amittebatur, & ſocio adreſcebat. Sed cum peſſimum fuerat exemplo, & libertate ſeruum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, ſæuioribus autẽ dominis lucrum accedere: hoc quaſi inuidia plenum, pio remedio per noſtram conſtitutionem mederi, neceſſariũ duximus. Et inuenimus uiã, per quã & manumiſſor, & ſocius eius, & qui libertatẽ accepit, noſtro beneficio fruantur, libertate cũ effectu procedente (cuius fauore antiquos legum latores multa etiam contra communes regulas ſtatuiſſe, manifeſtũ eſt) & eo qui eam libertatem impoſuit, ſuæ liberalitatis ſtabilitate gaudente: & ſocio indemni cõſeruato, precium que ſerui ſecundùm partem dominij, quod nos definiuimus, accipiente. *Concordat l.1.C.de communi ſeruo manumiſſo, his uerbis*: In communes ſeruos, & eorum libertates, & quando cuidam domino pars libertatẽ imponentis adreſcit, nẽcne, & maximè inter milites, qui huiuſmodi imponunt libertatem, ambiguitas multa exorta eſt apud ueteres iuris authores: & inuenta eſt conſtitutio apud Martianum in cõſtitutionibus diui Seueri, per quam idem Imperator diſpoſuit, neceſsitatẽ imponi hæredibus militis comparare partem ſocij, & ſeruũ libertate donare. Sed & alia cõſtitutio diui Seueri & Antonini principũ reperta eſt, ex qua generaliter neceſsitas imponebatur ſocio, partẽ ſuam ſocio uẽdere, quatenus libertas ſeruo imponatur, licet nihil lucri ex ſubſtantia ſocij moriẽtis alij ſocio accedat: precio uidelicet arbitrio prætoris cõſtituendo: ſecũdum ea quæ & Vlpianus libro ſexto fideicõmiſſorũ, & Paulus libro tertio fideicommiſſorum refert: ubi & hoc relatum eſt, quod & Sextus Cæcilius iuris antiqui cõditor definiuit, ſocium per prætorem compelli ſuam partem uendere, quatenus ſeruus liber efficiatur: quod & Marcellus apud Iulianum in eius Digeſtis notat: & hoc Marcellum, cum Iulianũ notaret, retuliſſe palàm eſt. His itaque apud ueteres iuris authores inuentis, decidentes tales altercationes, generaliter ſancimus, ut nulla inducatur differẽtia militis ſeu priuati in ſeruis communibus: ſed in omnibus communib. famulis, ſiue inter uiuos, ſiue in ultima diſpoſitione libertatem quis legitimã imponere cõmuni ſeruo uoluerit, hoc faciat, neceſsitatem habẽte ſocio uendere partem ſuam, quantã in ſeruo poſſidet, ſiue dimidiam, ſiue tertiam, ſiue quantamcunq;. Et ſi plures ſint ſocij, uno ex ijs libertatem imponere cupiẽte, alios omnes neceſsitatem habere partes ſuas, quas in ſeruo poſsident, uendere ipſi qui libertatẽ ſeruo imponere deſiderat, uel hæredi eius: licet & ipſe communis hęres inſtitutus ſit, & hoc moriturus dixerit: ita tamen, ut omnimodò ipſe, qui partes alias cõparauerit, uel hæredes eius libertatẽ imponant. Sin autẽ ſocius uel ſocij recuſauerint precium accipere: licentiam ei damus offerre hoc per publicas perſonas, & ſigillo impreſſo in ędem ſacram deponere, & ſic habere facultatem

ſeruum

seruum libertate donare, & eũ habere pleniſsimã libertatẽ, & ciuitate Romana perfrui,& nullũ timere ex ſocijs. ſibi enim imputent,ſi cum liceret lucrari preciũ, hoc accipere differũt. Sed ne circa peculium ſerui aliqua fiat dubitatio,peculium eius in omnes ſocios peruenire iubemus ex partibus, pro quibus quiſq; & dominiũ ſerui poſsidet:licẽtia concedẽda ei qui libertatem moriẽs imponit, etiam eius peculium quod ei attingit,liberto concedere.iura autẽ patronatus proculdubiò pro ſuo ordine ad eum uenire,qui libertatẽ donauit.Sin autem ſeruus ratiocinijs ſuppoſitus eſt: ne ratiocinia pereant,uel libertas impediatur:præſidem prouinciæ,uel competentem iudicem tempus ſtatuere, intra quod debet ratiocinijs antea factis,& debitis quæ ex his apparuerint,redditis,ita ad libertatẽ uenire. Ne autem quantitas ſeruilis precij ſit incerta, ſed manifeſta:ſancimus,ſerui precium,ſiue ancillæ, ſi nulla arte ſunt imbuti, uiginti ſolidos taxari:ijs uidelicet,qui uſq; ad decimũ annũ ſuæ uenerint ætatis, in decem tãtummodò ſolidis ponẽdis. Sin autẽ aliqua arte præditi ſunt, exceptis notarijs & medicis, uſq; ad triginta ſolidos precium eorum redigi, ſiue in maſculis,ſiue in fœminis.Sin autẽ notarius ſit, uel medicus, ſiue maſculus, ſiue fœmina:notarius quidem uſq; ad quinquaginta, medicus autem uſq; ad ſexaginta taxetur. Sin uerò eunuchi ſint ſerui communes, maiores decẽ annis: ſiquidem ſine arte ſint,in quinquaginta ſolidos cõputentur:ſin autem artifices,uſq; ad ſeptuaginta. Minores etenim decẽ annis eunuchos non amplius triginta ſolidis æſtimari uolumus. Et eorum partem cõpetentem ſocij accipient, & libertatẽ eis per competẽtes iudices imponere compellentur.Sin autem uno ex ſocijs libertatem ſiue imponere, ſiue relinquere ſeruo cupiẽte,& precium dante,alter uel alteri ex ijs ipſi ſe uelle dixerint libertatem imponere, & preciũ dare: melior quidem cauſa erit eius qui primus ad hanc rationẽ pietatis peruenit. Si tamen ſub obtentu libertatis & ipſi ad hoc proſiluerint,tunc iudicem competentem omnes compellere ſine precio ei libertatem imponere:peculio quidem in omnes ſecũdum partem dominij diſtribuẽdo:iura autẽ patronatus ſecundum ſui naturam omnibus qui libertatem impoſuerint,æqualiter habẽtibus. Ius autẽ adcreſcendi,quod antiqua iura in communibus ſeruis manumittẽdis introducebant, eſſe nullius momenti, nec in poſterum frequentari penitus concedimus. *Concordat l.2. C.eod.tt,bis uerbis*:Cum apud omnes iuriſperitos hoc placitum eſt, ut ſeruus communis apud unumquenq; dominũ partim ſit proprius, partim alienus,ut ex hac cauſa poſsit & ipſe legato honorari,& ipſe legari:huiuſmodi incidit quæſtio:Si duo uel plures domini communem ſeruum habebant, ſed unus ex his ipſi ſeruo ſuam partem, quam in eo habebat,legauit: & ſemel accepta dubitationis occaſione, hoc uetuſtas in magnũ extulit certamen. Cum igitur nos ſenſum huius legati crebra indagatione aggredientes,duplicẽ eum eſſe opinamur. Aut enim putauit teſtator, liberũ fieri poſſe ex parte ſeruum, qui huiuſmodi legatũ ei reliquit: aut ſi hoc minimè cogitauit, affectu ſocij fecit, ut ei adquiratur, hæredes autem ſuos eundem ſeruum poſsidere minimè uoluit: ut ſit manifeſtum, à ſuo patrimonio penitus eſſe eum alienatum.In tali itaq; compa ratione nos, qui fautores libertatis ſumus, ſic ambiguam teſtatoris interpretamur uoluntatem, tanquam ſi uoluit eum libertate in ſua parte donare:& cum iam de communibus ſeruis manumittẽdis ſtatuimus, quid in huiuſmodi caſibus fieri oporteat, ex illius ſanctionis tenore,& huiuſmodi ſpecies ſit definita.Fiat itaq; liber ex parte quidem teſtatoris, ſecundum eius uoluntatem: ex altera autem parte, ex noſtra definitione, precio ſecundum prædictæ conſtitutionis tenorẽ, uel ſocio uel ſocijs ab hærede præſtando: uel ſi accipere noluerint, tam eam offerendo, quàm conſignando, & periculo eorum deponendo: cum ſatis abundeq; imperiale eſt,humaniorem ſententiam produrioribus ſequi. *Decimaoctaua replicatio eſt: Niſi maritus ſeruum dotalem manumiſerit. hoc enim caſu, quamuis dominium uideatur dotis eſſe penes uxorem,tamen ualet manumiſsio. quæ replicatio approbatur l.ſeruum.21. ff.de manumiſsionibus. cuius uerba uide §.lib.15.cap.9.quæſt.5.except.12. Concordat l.inteſtato.3. §.1. ibi:ſed etſi dotalem.ff.de ſuis & legitimis hæredibus. cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.1.quæſt.4. reg.3. Item concordat l.ultim.C.de ſeruo pignori dato manumiſſo,his uerbis*: Siue cum nupſiſſes,mancipia in dotem dediſti, ſiue poſt datam dotem de pecunia dotis maritus tuus quædam comparauit: iuris rationibus dominia eorum ad eum peruenerunt. Ideoq; fruſtra quæſtionem ſuper ſtatu manumiſſorum conaris inferre,qui eius facti qui comparauit,uel in dotem accepit,ab eo iure potuerunt manumitti. *Concordat item l.ex pecunia.12.C.de iure dotiũ. cuius uerba uide §.lib.15. cap.9. quæſt.5.except.12. Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi ſeruus dotalis mulieri pignori fuerit obligatus. quæ duplicatio approbatur l.1.C.de ſeruo pignori dato manumiſſo, his uerbis*: Licet dotale mancipium uir, qui ſoluendo eſt, poſsit manumittere: tamen ſi te pignori quoque datum

datum mulieri apparuerit,inuita ea nõ potuiſſe libertatem adſequi, non ambigitur. *Secunda duplicatio eſt: Niſi maritus ſeruum dotalem manumittens, non ſit ſoluendo. quæ duplicatio approbatur l.ſeruum.21. ff.de manumiſsionibus. cuius uerba (ut dictum eſt) uide §.libro 15.cap.9.quæſt.5.except.12. Decimanona replicatio eſt:Niſi manumiſſor ſit ſoluendo.Hæc replicatio reprobatur l.2.ff.quib.ad libertatem proclamare non licet,his uerbis*: Seruum quis per uim à Titio accepit, & teſtamento liberum eſſe iuſsit: quanquam ſoluendo deceſſerit, non erit ille liber.Alioquin fraudabitur Titius, qui non procedente quidem libertate cum hærede eius agere poteſt:& ſi ad libertatem ſeruus peruenerit, nullam actionem habiturus eſt:quia nihil uidebitur hæres ex defuncti dolo conſecutus. *Viceſima replicatio eſt: Niſi ſeruum alienum ab hoſtibus redemptum quis manumiſit. Hæc replicatio approbatur l.in bello.12.§. ſi quis ſeruum. ibi: manumittendo. ff.de captiuis. cuius uerba uide ĩ.libro 50. cap.3. quæſt.5. except.11. repl.1. dupl.3. Hactenus de undecima exceptione,ciuſq; replicationibus ſit dictum.*

XII. *Exceptio: Niſi dominus ſeruum, in quo alius uſumfructum habet,manumiſerit. Hæc exceptio approbatur quidem iure antiquo.cuius replicatio prima hæc eſt: Niſi uſusfructus ſerui tamdiu fuerit relictus, donec manumittatur.quæ replicatio approbatur l.interdum. 85.ff.quib.mod.uſusfr.amitt. cuius uerba uide ĩ.lib.14. cap.2. cauſa 8. Secunda replicatio eſt: Niſi dominus proprietatis uſufructuario hærede inſtituto,libertatem ſeruo reliquerit.quæ replicatio approbatur l.ſi fructi.6. ff.de manumiſs.teſt.his uerbis*: Si fructuarium dominus proprietatis hæredẽ ſcripſerit,& ſeruo ſub cõditione ſit libertas data: quoniam interim ſit hæredis, confuſione facta, uſusfructus: ſi extitit conditio, peruenietad libertatem. *Tertia replicatio eſt:Niſi uſufructuarius conſentiat.quæ replicatio approbatur l.1.§.1.C.communia de manumiſs.cuius uerba uide ĩ.proximè. Huius replicationis prima duplicatio hæc eſt: Niſi fructuarius pupillus manumiſsioni cõſentiat. quæ duplicatio approbatur l.qui in fraudem.27.§.fin.ff.qui & à quibus manumiſſi.cuius uerba uide ĩ.except.prox.repl.1. Secunda duplicatio uidetur eſſe: Niſi fructuarius ſit minor uiginti annis. Hæc duplicatio reprobatur l.2.ff.de manumiſs uindicta. cuius uerba uide §.cap.5.except.5.repl. 16.Hæc de iure antiquo.Planè iure nouo propoſita exceptio reprobatur, nimirum d.l.1.in prin.cum ſequentibus,his uerbis*: Sancimus,ſi proprietarius ſeruo, cuius uſusfructus ad alium pertinebat, libertatem impoſuit: non ſecundum antiquam obſeruationem & libertate carere,& eũ ſine domino eſſe intelligi: ſed nec inueniri perſonam,cui res ad ſe ueniẽtes adquirat. Sed ſi tam proprietarius quàm uſufructuarius libertatem ei conſentientes impoſuerint,pleno iure liberum effici: & ſi quid poſtea ſibi adquiſierit,hoc in bonis ſuis habere.Sin autem proprietarius ſolus libertatem impoſuerit, uſufructuario minimè conſentiẽte: ſit quidem ille qui libertatẽ à proprietario accepit,inter libertos proprietarij cõnumeratus, & ſi quid in medio poſſedit, hoc ſibi adquirat,ſibiq; habeat,& ſuæ poſteritati relinquat: ſaluo patronatus iure per omnia cuſtodiẽdo,niſi & hoc ei legibus fuerit remiſſum. Ipſe tamen libertus quaſi ſeruus apud uſufructuariũ permaneat, donec uſufructuarius uiuit,uel uſusfructus non legitimo modo peréptus eſt. Etenim ſi finem uſusfructus quocunq; modo accipiat: tunc facultas ei tribuatur, quo maluerit degere modo.Si uerò adhuc ſuperſtite uſufructuario ab hac luce fuerit libertus exemptus,hæreditas eius legitimum tramitẽ ſequatur.

XIII. *Exceptio: Niſi dominus ſeruum alij pignori obligatum manumiſerit. Hæc exceptio approbatur l. ſeruum.4.ff.qui & à quibus manumiſſ.his uerbis*:Seruum pignori datũ manumittere non poſſumus. *Cõcordat l.qui in fraudem.27.§.pignori.ff.eod. tt.cuius uerba uide ĩ.repl.prox.dupl.1. Concordat l.1. C.de ſeruo pignori dato manumiſſo. cuius uerba uide §.excep.11.repl.18.dupl.1. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi creditor manumiſsioni conſentiat.Hæc replicatio approbatur l.ſi,ut.4.C.de ſeruo pignori dato manumiſſo,his uerbis*: Si, ut proponis, conſentiente creditore,cui pignoris iure cũ alijs mancipijs obligatus fuiſti, à debitore manumiſſus es:potuiſti ad libertatẽ peruenire.*Concordat l.1.C.de remiſsione pignoris,hiſce uerbis*: Si te manumiſſum, & in libertate moratum,ſciente ea cui pignoris nomine obligatus dicéris,præſidi probaueris: ex conſenſu creditricis remiſſam pignoris obligationẽ apparebit: & per hoc iure te manumiſſum, nec ab hærede creditricis in ſeruitutem peti poſſe,certum eſt. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt:Niſi pupillus creditor ſit.quæ duplicatio approbatur d.§.pignori, his uerbis*: Pignori datus ſeruus,antequam debiti nomine fiet ſatis,ſine cõſenſu creditorum manumitti non poteſt. Sed pupilli creditoris citra tutoris authoritatẽ conſenſus nihil libertati prodeſt: ſicuti nec prodeſt, ſi fructuarius pupillus manumiſsioni ſimiliter cõſentiat. *Secũda replicatio eſt: Niſi ſciente creditore ſeruus fuerit manumiſſus, & in libertate moratus. Hæc replicatio approbatur d. l.1.C.de remiſsione pignoris. Tertia replicatio eſt:Niſi debitum, pro quo ſeruus obligatus eſt, fuerit ſolutum. Hæc replicatio approbatur l.ſi cred.5.in prin. C.de ſeruo pignori dato manumiſſo,his uerbis*:Si creditoribus ſatisfactum fuerit,ancillæ quæ pignori obligatæ à debitore manumiſſæ erant,liberæ fiunt. *Concordat l.pignori.26.ff.qui & à quibus manumiſ,hiſce uerbis*: Pignori obligatũ ſeruum debitoris hæres manumiſit. quæſitum eſt, an liber eſſet? Scæuola reſpõdit,ſecundum ea quæ

ea quæ proponerentur, si etiam pecunia tunc deberetur, non esse manumissione liberum factum. Claudius: Soluta ergo pecunia, ex illius uoluntate liber fit. *Concordat itē l.fratres.33.in fine.ff.de pœnis. cuius uerba uide ȝ.except.17.repl.1.* Quarta replicatio est: *Nisi debitor seruum ita accepit, ut manumittat. Hæc replicatio approbatur l.si quis.6. ff. qui sine manumiß. his uerbis*: Si quis obligatum seruum hac lege emerit, ut manumittat: competit libertas ex constitutione diui Marci, licet bona omnia quis obligauerit, quæ habet habiturusue est. Tantundem dicendum est, & si lege hac emerit ne prostituatur, & prostituerit. *Quinta replicatio est: Nisi debitor locuples sit. Hæc replicatio reprobatur l.seruus.3.ff.de manumiß. his uerbis*: Seruus pignori datus, etsi debitor locuples sit, manumitti non potest. *Concordat l.cum hæredes.5. §.fin.ff.qui & à quibus manumiß. cuius uerba uide ȝ. cap.prox.except.6. repl.17.dupl.3.* Sexta replicatio *est: Nisi non specialiter, sed generaliter cum cæteris bonis seruus pignori sit obligatus. Hæc replicatio approbatur l.general.29.in prin. ff.qui & à quib.manumiß. his uerbis*: Generaliter pignori datus seruus, sine dubio pleno iure est debitoris, & iustā libertatem ab eo consequi potest, si lex Ælia Sentia non impediat libertatem: id est, si soluēdo sit, nec ob id creditores uideantur fraudari. Ait iurisconsultus: Si lex Ælia Sentia non impediat libertatem. *De hac lege uide ȝ. cap.prox. except.6. Concordat l.si quis.6. ff.qui sine manumiß.cuius uerba uide ȝ.repl.4. Item concordat l. ab eo.3.C.de seruo pignori dato manumisso, his uerbis*: Ab eo qui bona sua pignori obligauit, quæ habet, quæq; habiturus esset, posse seruis libertatem dari, certum est. Non idem iuris est in ijs seruis, qui pignoris iure specialiter traditi uel obligati sunt. *Vide insuper ȝ.replic. proxim.* Septima replicatio *est: Nisi non expreßē, sed tacitè priuilegio quodam seruus pignori sit obligatus. Hæc replicatio approbatur l.licet.6. ff.ex quibus causis pignus tacitè contrah. his uerbis*: Licet in prædijs urbanis tacitè soleat conuentum accipi, ut perinde teneantur inuecta & illata, ac si specialiter conuenisset: tamen certæ libertati huiusmodi pignus non officit. Idemq; & Pomponius probat. Ait enim, manumissioni non officere ob habitationem obligatum mancipium. *Concordat l.est diff.9.ff.eod.tit. his uerbis*: Est differentia obligatorum propter pensionem, & eorum quæ ex conuentione manifestaria pignoris nomine tenentur: quòd manumittere mancipia obligata pignori non possumus: inhabitantes autem manumittimus, scilicet antequam pensionis nomine præcludātur. tunc enim pignoris nomine retenta mancipia non liberabimus. Et derisus est Nerua iurisconsultus, qui per fenestras monstrauerat, seruos detentos ob pensionem liberari posse. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi seruus tacitè pignori obligatus, eo nomine, antequam manumittatur, sit retentus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Scilicet antequam pensionis nomine præcludantur, &c. *Secunda duplicatio est: Nisi fraudis consilio seruus sit manumissus. quæ duplicatio approbatur l.2.C.de seruo pignori dato manumisso, his uerbis*: Libertas à debitore fisci seruo data, qui pignori non ex conuentione speciali, sed tātùm priuilegio fisci est obligatus, nō aliter infirmatur, quàm si hoc fraudis consilio effectum detegatur. *Tertia duplicatio est: Nisi tutor seruum pecunia pupillari emptum manumisit. tunc enim, quamuis seruus tacitè pignori pro pecunia sit obligatus, manumißio tamen non uulet. quæ duplicatio approbatur l.si tutor.6.C.d.tt. his uerbis*: Si tutor tuus de pecunia tua seruos emptos manumisit: quoniā huiusmodi serui, sicut cæteræ res pupillarib. pecunijs emptæ, iure pignoris ex cōstitutione diuorum parētum eorum obligati sunt: fauore pupillorū liberi facti nō sunt. *Quarta duplicatio est: Nisi maritus seruum dotali pecunia emptum manumisit. hoc enim casu uidetur idem dicēdum, quod dictū ȝ.duplic.prox. uerūm duplicatio hæc reprobatur l.sine cum.7.C.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.exc.11.repl.18. Hæc de septima replicatione.* Octaua replicatio *est: Nisi in ultima uoluntate seruo pignori obligato libertas sit relicta. quæ replicatio approbatur l.generaliter.24.§.si quis seruo. ff.de fideic.libert. his uerbis*: Si quis seruo pignorato directam libertatem dederit, licet uideatur iure subtili inutiliter reliquisse: attamen & quasi fideicōmissariam libertatem relictam, seruus petere potest, ut ex fideicōmisso liber fiat. fauor enim libertatis suadet ut interpretemur, & ad libertatis præstationē accedere testamēti uerba, quasi ex fideicōmisso fuerit seruus liber esse iussus. Nec ignotū est, quòd multa contra iuris rigorem pro libertate sint constituta. *Planè Accursius hæc uerba interpretatur nō de debitore, sed de creditore manumittente. Quæ interpretatio si uera est, pertinent ad ea quæ proposita sunt ȝ.exc.11.repl.1. dupl.9.tripl.1.quadrupl.4.item d.dupl.9.tripl.2.* Nona replicatio *est*: *Nisi non creditor, sed debitor manumissum ratione propositæ exceptionis in seruitutē reuocet. quæ replicatio approbatur l.si creditorib.5.C.de seruo pignori dato manumisso, his uerbis*: Ipse manumissor, si fraudem se fecisse creditoribus, ut reuocet libertates, audeat dicere: audiri nō debet, nec hæredes eius. *Hæc de decimatertia exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta.*

XIIII. *Exceptio: Nisi seruus alij legatus manumittatur. De hac exceptione uide ȝ.except.11. replic. 5.& 6.*

XV. *Exceptio: Nisi seruus manumitti prohibitus sit manumissus. Hæc exceptio approbatur l.seruus.9. ff.de manumiß. his uerbis*: Seruus hac lege uenditus

ditus ne manumittatur, uel testamēto prohibitus manumitti, uel à præfecto, uel à præside prohibitus ob aliquod crimen manumitti: ad libertatē perduci non poterit. *Concordat l.ille 9.§.fin.ff.qui & à quib.manumiß.his uerbis*: Qui hac lege uenierint ne manumittantur, uel qui testamento prohibiti sunt manumitti, uel iussu præsidis prouinciæ: licet manumittantur, tamen ad libertatem non perueniunt. *Concordat item l. contra. 7. C. de testam.manumiß.his uerbis*: Contra uoluntatem matris tuæ libertatem in eum cōferre, quē illa liberum fieri prohibuit, non debes: ne uidearis iura pietatis uiolare. *Concordat item l.ea quidem.5. C. si mancip. ita fuerit.alienat.ut manu. cuius uerba uide ȝ.lib.42.cap.9.quæst.1.causa 3.except. 4.* Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi causa ob quam manumitti prohibitus est, cessauerit. quæ replicatio approbatur exemplo l.2.C.qui non poß.ad libert.peruenire, his uerbis*: Is quidem qui in testamento uetitus est manumitti, ad libertatem non potest peruenire: sed in proposito interest, utrūmne eos quos cum filio educatos esse testator expresserit, propter familiare ministerium, & usum filiorum ne cessarium, & uenire, & manumitti uetuit, an quasi malè meritis pœnam irrogauerit. nam priore casu, morte eius cui consulebatur, obsequij necessitate finita, libertas potest peruenire: posteriore autem casu id quod pœnæ causa in seruos statutum est, necesse est uires suas obtinere: quando diuis parentibus meis placuerit, eiusmodi testamentorum leges perpetuam seruitutem malè meritis seruis irrogare, ut nec per suppositum emptorem ad libertatem produci possint. *Secunda replicatio est: Nisi tempus, ad quod manumitti prohibitus est, sit finitum. Hæc replicatio approbatur l.1.in fine.C.d.tt. cuius uerba uide ȝ. except. 17.* Huius replicationis duplicatio hæc *est: Nisi tempore manumißionis, tempus prohibitionis nondum sit finitum. quæ duplicatio approbatur d. l.1. in princip. Concordat l.fratres.31.ibi: si autem beneficium.ff.de pœnis. cuius uerba uide d.except.17.repl.1. Recipit autem triplicationem hanc: Nisi cum in testamento libertas seruo relicta esset, tempore mortis testatoris, uel quo dies libertatis cedit, tempus prohibitionis sit finitum. tunc enim, quamuis tempore facti testamenti & libertatis relictæ tempus illud finitum non esset, nihilominus competit libertas. quæ triplicatio approbatur d.l.33. in fine. Concordat l. si priuatus.17. §. fin. ff.qui & à quibus manumiß. his uerbis*: In his quos intra certa tempora non licet manumittere, si testamento acceperint libertates: non testamenti facti, sed competentis libertatis tempus inspiciendum est. *Concordat l. lege Fauia.12. ff.de manumißionibus, his uerbis*: Lege Fauia prohibetur seruus, qui plagium admisit, pro quo dominus pœnam intulit, intra decem annos manumitti. in hoc tamen non testamenti facti, sed mortis tempus intuebimur. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum seruus uenditus esset ne manumitteretur, non emptor, sed alius eum manumiserit. Hæc replicatio reprobatur l.2. in fine. C.qui non poß.ad libert.peruen. cuius uerba uide paulò superius replic.1.* Quarta replicatio *est: Nisi quis in testamento uel contractu non suo, sed alieno seruo legem dixerit, ne manumittatur. Hæc replicatio approbatur l.si quis.9.§.quod constit.ff.de manumiß.testa. his uerbis*: Quod constitutum est, uetitum ad libertatem in testamento perduci, nō posse manumitti: hoc ad eos perrinere puto, qui fuerūt testatoris uel hæredis. seruo enim alieno id irrogari non poterit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæredis seruo testator dictā legē dixerit. quæ duplicatio cōstat ex uerbis propositis hisce*: Vel hæredis. *Quinta replicatio est: Nisi is qui legē, ne seruus manumitteretur, dixit, ipse eū manumiserit. Hæc replicatio approbatur l. Lucius.40.§.fin.ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Lucius Titius Stichum seruum Mæuio legauit, & petijt, ut neque ab eo, neq; ab hærede eius unquam manumitteretur. Paulus respondit, testatorem potuisse postea seruum hunc ad libertatem perducere: quia non sibi legem dixisset, sed legatario. *Sexta replicatio est: Nisi libertate seruo sub conditione relicta, testator adiecerit, Ante conditionem existentem, se nolle seruum ab hærede manumitti. Hæc replicatio uidetur approbari l.ult.§.fin. ff. de manumißis test. his uerbis*: Octauenus aiebat, Si quis in testamento sub qualibet conditione libertate data seruo, ita scripsisset, Ante conditionem nolo eum ab hærede liberum fieri: nihil ualere hanc adiectionem. *Hisce (inquam) uerbis replicatio proposita uidetur approbari: sed dissentit Accursius, interpretando hæc uerba, Nihil ualere, pro Superfluam esse. Septima replicatio est: Nisi seruo manumitti prohibito libertas relicta sit sub hac conditione: Cum per leges licebit. quæ replicatio approbatur l. libertas.38.ff.de manumiß.testam.his uerbis*: Libertas testamento seruo ita dari poterit: Cum per leges licebit, liber esto. *Hæc de decimaquinta exceptione, cuius species sunt exceptiones proximè sequentes.*

XVI. *Exceptio: Nisi seruum cui sub conditione in testamento libertas relicta est, hæres pendente conditione manumiserit. hoc enim casu, sub contraria conditione seruus manumitti uidetur prohibitus. uerum exceptio hæc reprobatur l.unica. §.sed etsi sub. C.de Latina libertate tollenda, his uerbis*: Si sub conditione libertatem seruo suo reliquerit, & adhuc pendente conditione extraneus hæres libertatem ei imponat: non ut antea Latinus, sed ciuis fiat Romanus. Et si quidem conditio defecerit: ipsius hæredis qui libertatem imposuerit, maneat libertus. Sin aūt

fuerit adimpleta conditio:ne eripiatur liberis forsitã & cognatis ius patronatus, Orcinus uideatur,& ad eũ iura patronatus perueniant,cui leges concedunt. *Concordat l.Stauditeros.3.§.si ita sit.ff.de statuliberis. cuius uerba uide ĩ cap.9.except.38.replic.1. dupl.5.Contradicere uidetur l.si cui.31.§.1.ibimee rursus. ff.ad S.C.Trebellian. cuius uerba uide ĩ. lib.34. cap.3. quæst.2. except.18. duplic.2.*

XVII.*Exceptio: Nisi seruus in uincula damnatus, manumissus sit.Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.1.C.qui non possunt ad libertat. peruenire, his uerbis*: Cum diuus Claudius pater meus constituerit à præfidibus prouinciarum, uel qui coercendorum maleficiorum potestatem habent, in perpetua uincula damnatos ad libertatem produci non posse: hi qui intra tempora pœnæ liberi & hæredes esse iussi sunt, aut legatum fideicommissúmue acceperunt, neq; libertatem adipisci, nec quidquam eorum quæ dehis data sunt,capere possunt.Quòd si pœnę tempus compleuerint: iam omni uinculo exoluti, & quasi ad pristinam uel simplicem seruitutis conditionem redacti,& libertatem,& si qua testamentis dominorum illo tempore defunctorum acceperunt, sine ulla quæstione pœnæ præteritæ consequantur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ad tempus in uincula damnato,tempus pœnæ sit finitum. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Quòd si pœnæ tempus compleuerint,&c. *Concordat l.fratres.33.ff.de pœnis,hisce uerbis*: Fratres Impp. rescripserunt: Seruos in temporaria uincula damnatos, libertatem, hæreditatem, siue legatum, postquam tempus expleuerint,consequi:quia temporaria coercitio,quæ descendit ex sententia, pœnæ est abolitio. Si autem beneficium libertatis in uinculis eos inueniat, ratio iuris & uerba constitutionis libertati refragantur. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi manumissio eo tempore fiat, quo tempus pœnæ nondum est finitum. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Si autem beneficium libertatis,&c. *Concordat d.l.1.uerbis suprà propositis hisce*: Hi qui intra tempora pœnæ liberi & hæredes esse iussi sunt,&c.*Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi libertate in testamento relicta,tempus pœnæ finitum sit,cũ dies relictæ libertatis cedit.hoc enim casu,quamuis tempore facti testamenti nondum fuerit finitum,nihilominus libertas utiliter est relicta. quæ triplicatio approbatur d.l.33.in fine,his uerbis*: Planè si testamento libertas data sit, & eo tempore quo aditur hæreditas, tempus uinculorum solutum sit: rectè manumissus intelligitur, non secus ac si pignori datum seruũ debitor manumisisset, eiusq; post liberatũ pignus adita fuisset hæreditas. *Concordant ea quæ dicta sunt ĩ. except.15. replic.2. duplic.2. triplic.2.*

XVIII. *Exceptio: Nisi seruus relegatus sit manumissus. Hæc exceptio approbatur l.2. ff. qui & à quibus manumissi, his uerbis*: Seruo competere non potest libertas, si relegatus moratus sit in urbe.

XIX. *Exceptio: Nisi seruus in metallum damnatus,manumissus sit. Hæc exceptio approbatur l.generaliter.24.§.si seruus.ff.de fideic.libert.his uerbis*: Si seruus in metallum fuerit damnatus,libertatem sperare non poterit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi fideicommissaria libertas eirelicta sit. quæ replicatio approbatur ibidem,his uerbis*: Quid ergo, si fideicommissaria libertas relicta sit, & pœna metalli indulgentia principis.sit liberatus? & est rescriptum ab Imperatore nostro,hũc in dominium prioris domini non restitui:cuius tamen sit,non adijcitur.certè cum fisci efficiatur,sperare potest fideicommissariam libertatem.

XX. *Exceptio: Nisi seruus plagij nomine damnatus, sit manumissus. Hæc exceptio approbatur l. lege Fabia.12. ff.manumissionibus. cuius uerba uide §. except.15.repl.2.dupl.2.*

XXI. *Exceptio: Nisi seruus uenditus ut exportetur,manumissus sit. Hæc exceptio approbatur l.ancilla.3. C.si seruus exportandus uenerat, his uerbis*: Ancilla quæ exportanda uenit, nec exportata est,sed ab emptore in eadẽ ciuitate morãte empta & manumissa est: aduersus legem venditionis libera fieri non potuit. Etideo aditus à te procurator meus, partibus suis fungetur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi post exportationẽ,antequam seruus ad locum interdictum redierit,emptor seruũ manumiserit. quæ replicatio approbatur l.1.C.d.tt.his uerbis*: Lege uenditionis exportata mancipia sub denunciatione manus injiciendæ,libertatem ab emptore,uel qui successit in locum eius, antequam fides rũpatur,accipere possunt. Quæ tamen à fisco post manumissionẽ uindicantur, & in perpetuã seruitutem eadem lege ueniunt, cum in ijs ciuitatibus conuersantur,quas contrahentes excepérit. Ante manumissionem uerò injiciendę manus facultas non denegatur:atq; ideo non petuntur in publicum.

XXII. *Exceptio: Nisi liber homo manumissus sit. Hæc exceptio approbatur l.2.C.de uindicta,his uerbis*: Nihil ciuitati Romanæ semel præstitæ uel addere,uel detrahere secundam manumissionem potuisse,certissimum est. *Concordat l.2. C.de ingenuis manumissis. cuius uerba uide ĩ. lib. prox.cap.1.quæst.3.causa 1.exc.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi libero homini fideicommissaria libertate relicta, is tempore mortis testatoris, uel conditionis existentis,inueniatur seruus. quæ replicatio approbatur l.generaliter.24.§.si homini.ff.de fideic.libert. cuius uerba uide §. except.11.repl.1.dupl.4.*

Secunda

Secunda replicatio est: Nisi ex damnata in metallũ conceptus & natus sit. quæ replicatio approbatur d.l.24. §.ex damnata,his uerbis: Ex dãnata in metallũ cõcepto & nato fideicõmissaria libertas dari poterit: quid mirũ,cũ etiã uenũdari eum posse quasi seruum,diuus Pius rescripserit?

XXIII. *Exceptio: Nisi seruus manumissus,ex familia latronum descendat.Hæc exceptio approbatur l. 2.C.quib.ad libert.proclam.non licet, his uerbis*: De latronum familia descendentibus, ex largitione principali, uel authoritate fiscali seruis factis,retrò principes libertatem denegari decreuerunt.

XXIIII. *Exceptio: Nisi seruo qui est apud hostes,libertas sit relicta. Hæc exceptio reprobatur l.si serui.30.ff.de manumiss.test.his uerbis*: Si serui qui apud hostes sint,liberi esse iussi sunt, ad libertatem perueniunt: quamuis neq; testamenti, neque mortis tempore in potestate testantis,sed hostium fuerunt.

XXV. *Exceptio: Nisi seruus furiosus sit manumissus. Hæc exceptio reprobatur l.ultim.ff.de manumissionibus,his uerbis*:Seruum manumissum furiosum omni genere ad libertatem perduci posse,Labeo putat.

XXVI. *Exceptio: Nisi minor annis seruus sit manumissus. Reprobatur hæc exceptio l.2.C.communia de manumiss.his uerbis*: Si quis seruo suo libertatem imponat,siue in ecclesia, siue in æde sacra, siue ad qualecũq; tribunal, uel apud eum iudicem qui libertatem imponere legibus habet licentiam, siue in testamento, uel alio ultimo elogio, directam uel fideicommissariam: nullo coartetur modo eorum,qui ad libertatem ueniunt,ætatem requirere. neq; enim eum tantummodò ciuitatem Romanam adipisci uolumus, qui maior triginta annis extitit: sed quemadmodum in ecclesiasticis libertatibus nõ est huius ætatis differentia: ita in omnibus libertatibus, quæ à dominis imponuntur,siue extremis dispositionibus, siue periudices, uel alio legitimo modo, hoc obseruari sancimus, ut sint omnes ciues Romani cõstituti.ampliandam enim magis ciuitatem nostram,quàm esse minuendam, cẽsemus.

XXVII. *Exceptio: Nisi infans seruus manumittatur.Et hæc exceptio reprobatur l.penult.ff.de manumiss.his uerbis*: Iuris ratio efficit, ut infantibus quoq; competat libertas.

XXVIII. *Exceptio: Nisi ei qui adhuc in utero est,libertas detur. Et hæc exceptio reprobatur l.cũ inter.14.C.de fideic.libert.his uerbis*: Cum inter ueteres dubitabatur,si fideicommissariam libertatem posibile esset relinqui seruo qui adhucin uentre portaretur, & homo fieri speraretur: nos uetus iurgium decidentes, libertatis fauore cẽsemus, & fideicommissariam, necnon directam libertatem suam firmitatem habere, siue in masculo, siue in fœmina, qui quæúe adhuc in uentre uehitur: ut cum libertate solẽ respiciat,etsi mater sua adhuc in seruitute constas eum uel eam ediderit. Sin autem plures creati uel creatæ sint,siue unius fecit mentionem, siue pluraliter nũcupauit: nihilominus omnes ad libertatem à primis ueniant cunabulis: cum in ambiguis sensibus melius sit (& maximè in libertate,fauore eius) humaniorem amplecti sententiam.

XXIX. *Exceptio: Nisi incertæ personæ libertas sit relicta.Hæc exceptio approbatur Inst.de legatis.§. libertas,his uerbis*: Libertas quoq; incertæ personæ non uidebatur posse dari:quia placebat nominatim seruos liberari. *Ait Imp.*Nominatim. *Hoc uocabulum definitur l.nominatim. 37.ff.de manumissis testam.his uerbis*: Nominatim codicillis manumissus uidetur seruus, cuius nomen testamento continetur. *Item definitur l.nominatim.24. ff.eod.tt. his uerbis*: Nominatim uidentur liberi esse iussi, qui uel ex artificio, uel officio, uel quolibet alio modo euidenter denotati sunt: ueluti dispensator meus,cellarius meus,cocus meus, Philili serui mei filius. *Huius exceptionis replicatio hæc est*: Nisi incerto ex certis libertas sit relicta. *Hæc replicatio approbatur Inst.d.tt.§.sub certa.cuius uerba uide ĩ.lib.32.cap.3.except.11.repl.1.Eiusq; exemplum proponitur l.fideicõmissa.46.§.fin. ff.de fideic. libert.his uerbis*: Quidam,cum tres seruos legasset,fidei hęredis sui cõmisit,ex his duos quos uellet manumittere. fideicommissa libertas ualebit,& quos ex his uolet hęres, manumittet. Quare si eos uindicarit legatarius,quos hæres uult manumittere: exceptione doli mali repelletur. *Aliud exemplum proponitur l.testam.51.in prin. ff.de manumiss.testam. his uerbis*: Testamento suo centurio seruos suos uenire prohibuit,ac petijt,prout quisque meruisset,eos manumitti.libertates utiliter datas, Papinianus respondit: cum si nemo eorum offenderit,omnes ad libertatem peruenire possint. quibusdam autem per offensam exclusis, residui in libertatẽ perueniunt. *Huius replicationis duplicatio uidetur esse talis: Nisi cum à duobus libertas esset relictæ duobus,quos uoluissent,ex certis: unus rogatorum latitet,soluq; alter eligat. Hæc duplicatio reprobatur l. à duob.22.§.1.ff.de fideic.libert. his uerbis*: A duobus hæredibus,qui tres seruos habebat, petijt,ut duos ex his,quos uoluissent, manumitterent. altero hæredum latitante,alter declarat quos uelit manumittere.potest dici fieri liberos, ut perinde libertas competat, ac si præsens solus manumittere potuisset.Quòd si ex seruis unus decesserit:siue ex iusta causa absit hæres, siue fari non possit,à quo petitum est: decernente prætore,

duos qui supersunt, fieri liberos conuenit. *Planè exceptio proposita iure nouo sublata est, ut patet ex uerbis §. cæd. exc. in prin. propositis hisce*: Libertas quoq; incertæ personæ non uidebatur posse dari. *Sed de hac mutatione dixi ff. lib. 32. cap. 3. except. 11. in fine.*

XXX. *Exceptio: Nisi plures simul manumittantur. Hæc exceptio reprobatur l. etiam. 15. §. plures. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: Plures uindictæ pariter manumitti possunt: & sufficit præsentia seruorum, ut uel plures manumitti possint.

XXXI. *Exceptio: Nisi quis omnes seruos suos testamento manumiserit. Hæc exceptio lege quidem Fusia Caninia approbatur, mutatur autem & reprobatur Instit. de lege Fusia Caninia toll. his uerbis*: Lege Fusia Caninia certus modus constitutus erat in seruis testamento manumittendis: quam quasi libertates impedientem, & quo dammodò inuidam tollendam esse cẽsuimus: cum satis fuerat inhumanũ, uiuos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediat libertatem: morientibus autem huiusmodi licentiam adimere. *Ait Imp.* Tollendam esse censuimus. *Scilicet l. unica. C. cod. tt. his uerbis*: Seruorum libertates in testamento relictas, tam directas, quàm fideicommissarias, ad exemplum inter uiuos libertatum indistinctè ualere censemus, lege Fusia Caninia decæterò cessante, nec impediente testantium pro suis seruis clementes dispositiones effectui mancipari.

DE RELIQVIS ADVERSVS MANUMISSIONEM EXCEPTIONIBUS, quæ quidem ipsi manumissioni insunt.
Cap. VII.

HActenus duo genera exceptionũ aduersus manumissionem ipsi manumissioni adhærentium proposita sunt: unum quidem earum quæ sumuntur ex persona manumissoris, alterum uerò earũ quæ sumuntur ex persona manumissi: quanquam utriusq; generis plures adhuc species sunt, sed post manumissionem contingentes, camq; ab initio utilem ex pòst facto uitiantes. de quibus dicetur ff. cap. prox. Nũc reliquæ exceptiones, quæ statim ab initio manumissionem inutilem reddunt, proponentur.

XXXII. *Exceptio*: Nisi per aliũ, puta per procuratorem, manumiserit. *De hac exceptione dictũ est §. except. 11. repl. 10. dupl. 1. Sed & huius replicatio proponitur l. manumissio. 23. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: Manumissio per lictores hodie domino tacente expediri solet: & uerba solẽnia, licet non dicatur, ut dicta accipiuntur.

XXXIII. *Exceptio*: Nisi apud non competentem iudicem manumiserit. *Hæc exceptio approbatur simul & declaratur l. apud. 4. C. de uindicta, his uerbis*: Apud concilium nostrum, uel apud consules, prætores, præsules, præsides, magistratusue earum ciuitatum, quibus huiusmodi ius est, adipisci potest patronorum iudicio sedula seruitus libertatem. *Ait Imp.* Vel apud consules. *Huic concordat l. unica, in prin. ff. de officio consulis, hisce uerbis*: Officium consulis est, consilium præbere manumittere uolentib. *Ait insuper*: Prætores. *Huic concordat l. 1. ibi*: quippe cum apud eum. *C. de officio prætorum. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 13. quæst. 3. reg. 1. Sanè iam enumeratis connumeratur proconsul eiusq; legatus, l. apud. 17. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: Apud proconsulem, postquam urbem egressus est, uindicta manumittere possumus. Sed & apud legatum eius possumus manumittere, ex quo prouinciam ingressus est. *Cõcordat, quoad proconsulem, l. 2. in prin. ff. de officio procõsulis. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 15. reg. 1. except. 2. Quoad legatum proconsulis, contradicit d. l. 2. in fine. cuius uerba uide d. cap. 15. de legato, reg. 3. Iam dictis connumeratur etiã præfectus Aegypti, l. apud. 21. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: Apud præfectum Aegypti possum seruum manumittere ex constitutione diui Augusti. *Sed & propositæ exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes.*

XXXIIII. *Exceptio: Nisi par apud parem ma numittat. Hæc exceptio approbatur l. apud. 14. ff. de manumissionib. his uerbis*: Apud eum cui par imperium est, manumittere non possumus. Sed prætor apud consulem manumittere potest. Imperator, cum seruũ manumittit, non uindictam imponit: sed cum uoluit, fit liber is qui manumittitur ex lege Augusti. *Concordat propositæ exceptioni l. apud. 18. ff. de manumissis uind. his uerbis*: Apud collegam suum prætor manumittere nõ potest. *Huius replicatio proponitur l. unica. §. fin. ff. de officio consulis, cuius uerba uide ff. except. 39. in fine.*

XXXV. *Exceptio*: Nisi apud unum, non utrũq; *consulem manumiserit. Hæc exceptio reprobatur l. unica. §. 1. ff. de officio consulis, hisce uerbis*: Consules & seorsum & singuli manumittere possunt. Sed non potest, qui apud alterum nomina ædidit, apud alterum manumittere. separatæ enim sunt manumissiones. Sanè si qua ex causa collega non potest manumittere, infirmitate scilicet uel alia causa impeditus: collegam posse manumissionẽ expedire, senatus censuit.

XXXVI. *Exceptio: Nisi apud alium, quàm apud quem nomina ædidit, manumisit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur uerbis iam propositis hisce*: Sed non potest, qui apud alterum nomina ædidit, &c.

XXXVII. *Exceptio*: Nisi apud alterius prouinciæ præsidem manumiserit. *Hæc exceptio reprobatur l. etiam. 15. §. fin. ff. de manumiss. uindicta, his uerbis*: Qui in Italia uel alia prouincia domicilium habent, apud alterius prouinciæ præsidem,

sidem, cõsilio adhibito, manumittere possunt. *Concordat l. emancipari. 36. §. etiam. ff. de adoptionibus, his uerbis*: Etiam apud proconsulem in ea prouincia, quam sortitus non est, & manumitti, & in adoptionem dari posse, placet.

XXXVIII. *Exceptio: Nisi apud eum cui successum est, manumiserit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio proponitur l. si fortè. 17. ff. de officio præsidis. cuius uerba uide §. lib. 17. cap. 4. quæst. 2. except. 3.*

XXXIX. *Exceptio: Nisi consul uel prætor apud seipsum manumiserit. Hæc exceptio reprobatur l. an apud. 5. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: An apud se manumittere possit is qui cõsilium præbet, sæpe quæsitum est. Ego quidem (Paulus) memini Iabolenum præceptorem meum in Africa seruos suos manumisisse, cùm consilium præberet. Et ego exemplo eius secutus, & in prætura & cõsulatu meo quoldam ex seruis meis uindicta liberaui: & quibusdam aliis prætoribus consulentibus me, idem suasi. *Concordat l. si rogatus. 20. §. fin. ff. cod. tt. his uerbis*: Consul apud se potest manumittere, etiamsi euenerit ut minor uiginti annis sit. *Cõcordat item l. 2. ff. de officio præsidis. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 8. quæst. 2. except. 25. Ait iurisconsultus*: Etiamsi euenerit ut minor uiginti annis sit. *Hisce Vlpiani uerbis contradicit l. unica. §. fin. ff. de officio consulis, ubi idem Vlpianus*: Consules seruos suos manumittere apud se posse, nulla dubitatio est. Sed si euenerit, ut minor uiginti annis consul sit: apud se manumittere non potest, cum ipse sit qui ex senatusconsulto consilij causam examinat: apud collegam uerò causa probata, potest. *Hæc sententia probabilior est.*

XL. *Exceptio: Nisi filius apud patrem manumiserit. Hæc exceptio approbatur l. apud filium. f. 18. in fine. ff. de manumiss. uindicta, his uerbis*: Filius uoluntate patris apud patrem manumittere non poterit.

XLI. *Exceptio: Nisi pater apud filium manumiserit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 18. in prin. his uerbis*: Apud filiumfamiliâs magistratum pater manumittere potest, etiamsi filiusfamiliâs manumittere non potest. *Concordat l. 1. ff. de officio præt. hisce uerbis*: Apud filiumfamiliâs prætorẽ potest pater eius manumittere.

XLII. *Exceptio: Nisi pupillus apud tutorem eo authore manumiserit. Et hæc exceptio reprobatur l. 1. ff. de manumissis uindicta, his uerbis*: Apud prætorem eundemq; tutorem posse pupillum ipso authore manumittere, constat.

XLIII. *Exceptio*: Nisi non uindicta fiat manumissio. *Hæc exceptio ipso quidem iure, præsertim antiquo, approbatur: uerùm eius aliquot proponuntur replicationes Inst. de libertinis. §. multis, hisce uerbis*: Multis modis manumissio procedit, aut ex sacris constitutionibus in sacrosanctis ecclesijs, aut uindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet ultimam uoluntatem. Sed & alijs multis modis libertas seruo competere potest, qui tam ex ueteribus, quàm ex nostris constitutionibus introducti sunt. *Ait Imperator*: In sacrosanctis ecclesijs. *Hisce uerbis prima replicatio proponitur. Cui concordat l. 1. C. de his qui in ecclesijs manumit. his uerbis*: Imp. Constantinus A. ad Protogenem episcopum: Iamdudum placuit, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistibus, id faciant: ut propter facti memoriam uice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi uice testium signent. Vnde quoq; à uobis ipsis non immeritò dandæ & relinquendę sunt libertates, quo quisque uestrûm pacto uoluerit: dummodò uestræ uoluntatis euidens appareat testimonium. *Concordat item l. 2. C. cod. tt. his uerbis*: Qui religiosa mente in ecclesiæ gremio seruis suis meritam concesserint libertatem, eam eodem iure donasse uideantur, quo ciuitas Romana solennitatibus decursis dari consueuit. Sed hoc dũ taxat ijs, qui sub aspectu antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, ut cùm suis famulis tribuunt libertatem, non solùm in conspectu ecclesiæ & religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur, uerumetiam cùm postremo iudicio dederint libertates, seu quibuslibet uerbis dari præceperint, ita ut ex die publicatæ uoluntatis sine aliquo iuris teste uel interprete competat directa libertas. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est*: *Nisi inter amicos dominus seruum manumiserit. quæ approbatur d. §. multis, uerbis superius propositis hisce*: Aut inter amicos. *Huic concordat l. unica. §. sed & si. C. de Latina libert. toll. his uerbis*: Sed & si quis inter amicos libertatem dare seruo suo maluerit: licebit ei similiter, quinq; testibus adhibitis, suam explanare uoluntatem, & quòd liberum eum esse uoluerit dicere: & hoc, siue inter acta fuerit testificatus, siue testium uoces attestationem sunt amplexæ, & literas tam publicarum personarum quàm testium habeant: simili modo serui ad ciuitatem Romanam perducantur, quasi ex codicillis similiter libertatem adipiscentes. *Tertia replicatio est*: *Nisi per epistolam manumiserit. quæ approbatur supradictis uerbis hisce*: Aut per epistolam. *Huic concordat d. l. unica. §. sancimus, his uerbis*: Sancimus, si quis per epistolam seruum suum in libertatem perducere maluerit: licere ei hoc face-

re, quinq; testibus adhibitis, qui post eius literas siue in subscriptione positas, siue per totum textum effusas, suas literas supponentes fidem perpetuam possint chartulæ præbere. Et si hoc fecerit, siue per se scribendo, siue per tabularium: libertas seruo competat, quasi ex imitatione codicilli delata: ita tamen, ut & ipso patrono uiuente, libertatẽ & ciuitatem Romanã habeat. *Quarta replicatio est*: Nisi in testamento manumiserit. *quæ replicatio approbatur uerbis d. §. multis, s̃. propositis bisce*: Aut per testamentum. *Quinta replicatio est*: Nisi in codicillis uel per fideicommissum manumiserit. *quæ replicatio approbatur ibidem, bisce uerbis*: Aut per aliam quamlibet ultimam uoluntatem. *Concordat l. libert. 43. ff. de manumiss. testam. his uerbis*: Libertates directæ & testamento, & codicillis testamento confirmatis, rectè dantur: fideicommissariæ & ab intestato, & codicillis non confirmatis relinqui possunt. *Concordat item l. libertates. 16. ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide s̃. cap. prox. except. 11. repl. 1. Concordat item Inst. de singulis reb. per fideicom. §. libertas. cuius uerba uide d. repl. 1. Sexta replicatio est*: Nisi Imperator manumittat. *Hæc replicatio approbatur l. apud eum. 14. in fine. ff. de manumissionib. cuius uerba uide s̃. except. 34. Septima replicatio est*: Nisi in spectaculo, populo acclamante, manumittat. *Hæc replicatio reprobatur l. diuo. 3. C. qui manumittere non possunt, his uerbis*: Diuo Marco authore amplissimus ordo censuit, ne quis spectaculo, quod edatur, actorem suum, aliumúe seruum manumitteret: & si factum esset, pro infecto haberetur. *Concordat l. si priuatus. 17. in prin. ff. qui & à quibus manumissi. cuius uerba uide J. except. 49. Octaua replicatio est*: Nisi dominus seruum apud acta filium nominauerit. *quæ replicatio approbatur l. unica. §. similiq́;. C. de Latina libert. toll. cuius uerba uide s̃. cap. 4. causa 12. Nona replicatio est*: Nisi dominus instrumenta seruitutis seruo reddiderit uel fregerit. *Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l. unica. §. ille etiam nouissimus. C. de Latina libert. toll. his uerbis*: Ille etiam nouissimus antiquæ Latinitatis modus in ciuitatem Romanam translatus, eligendus est: si quis instrumenta, ex quibus seruus ostendebatur, uel dederit seruo, uel corruperit. Sed ne furandi occasio seruis forsitan detur, & sua malignitate in libertatem perueniant: talis modus certa & indubitata probatione manifestetur, ut testibus præsentibus non minus quinq;, dominus instrumenta uel det famulo suo, uel deleat, aut alio modo corrumpat. Et ex eo igitur modo ciuitatem Romanam ei competere cẽsemus, saluo iure patronatus tam in hac specie, quàm in cæteris: nisi ubi specialiter hoc patronis denegauimus. His tantummodò casibus ex omni iure Latinitatis antiquæ electis, cæteri omnes modi, qui libris prudentum uel constitutionibus enumerati sunt, penitus conquiescant: nec Latini ab eis procedant, sed maneant (ut dictum est) serui in sua conditione, nec tali remedio abuti concedantur.

XLIIII. Exceptio: *Nisi uerba solennia in manumissione dicta non sint. Hæc exceptio reprobatur l. manumissio. 23. ff. de manumissis uindicta. cuius uerba uide s̃. except. 31.*

XLV. Exceptio, *sumpta ex uerbis quibus libertas in testamento uel per fideicommissum relicta est, reprobatur per ea quæ dicta sunt J. lib. 32. cap. 6. except. 74. Concordat l. directas. 14. C. de testam. manumiss. his uerbis*: Directas libertates Græcis uerbis liceat in testamentis relinquere, ut ita libertates directæ datæ uideantur, ac si legitimis uerbis eas testator dari iussisset. *Alia huiusmodi species est*: *Si testator petijt, ne seruus amplius seruiat, uel ne alij seruiat, uel deniq; ne alienetur. quæ species proponitur l. generaliter. 24. §. si petitum. ff. de fideicom. libert. his uerbis*: Si petitum à testatore fuerit, ne postea Stichus seruiret: placuit, fideicommissariam libertatem datam uideri. nam qui hoc petit, ne postea seruiat: uidetur petere, ut libertas ei præstetur. *Concordat l. rogo. 21. ff. eod. tt. his uerbis*: Rogo, ne Stichus alterius seruitutem experiatur. intelligi datam fideicommisso libertatem, placuit principi. quid enim tam cõtrarium est seruituti, quàm libertas? nec tamẽ quasi post mortẽ hæredis data uidebitur. Quod eò pertinet, ut si uiuus eum alienauerit, confestim libertas petatur? nec prosit ad impediendam libertatis petitionem, si redemerit eum, cuius semel conditio extitit. Idem probandum est, & si non uoluntaria alienatio ab hærede facta est. nec refragabitur, quòd nõ per ipsum alienatio facta est. fuit enim quasi statuliber, & quacunq; ratione conditio impleta est. *Concordant item ea quæ habentur J. cap. 9. except. 53. Itẽ concordat l. quidam. 10. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Quidam in testamento scripserat: Illum & illũ seruos meos uenire nolo. Si ideo eos noluit uenundari, ut si ueneant, ad libertatem perueniant: præstãda erit libertas. nam & illi uidetur libertas relicta, de quo ita scriptum est: Nolo alij quàm tibi seruiat. Secundum hoc igitur, quoquo modo uendere tentauerit seruũ, confestim poterit peti libertas: nec quo minus præstet libertatem, proderit hæredi, si eum redemerit: quia semel extitit cõditio. *Concordat l. generaliter. 24. §. sed etsi ita. ff. eod. tt. his uerbis*: Si ita scripsit, Ne eum alienes, ne eum uendas: placuit, fideicommissariã libertatẽ datam uideri, si hoc animo fuerit adscriptũ, quòd uoluerit testator eũ ad libertatẽ perduci. Cæterùm si alia mẽte id scripsit: utputa quia consilium dabat hæredi retinere talem seruum, uel quia coercere uoluit seruum, & cruciare ne meliorem dominum experiretur, uel alia mente, non tribuendæ libertatis animo: dicendum est, cessare libertatis præstationem. & ita Celsus libro XXIII. Digest. scribit. Non tantùm enim uerba fideicommissi, sed & mẽs testatoris tribuere solet libertatẽ fideicommissariam. Sed cum ex pręsumptione libertas pręstita esse uideatur: hæredis est, contrariã uoluntatẽ testatoris probare. *Concordat item l. Imp. 12. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Imp. Antoninus, cum Firmius Titiano tragœdos tres legasset, & adiecisset, Quos tibi commendo, ne cui alij seruiant: publicatis bonis Titiani, rescripsit debere eos publicè manumitti. *Alia species propositæ exceptionis reprobatæ est*: *Si per modũ causæ libertas sit relicta. cuiusmodi species proponitur l. test. 60. ff. de manumiss. testam. his uerbis*: Testamento ita cauit: Εὐλογίῳ βούλομαι δοθῆναι νομίσματα χίλια, ἐπεὶ ἔφθασεν γεννηθῆναι μετὰ τὸ τὴν μητέρα αὐτοῦ γενέσθαι ἐλευθέραν (id est, uolo ut Eudoni dentur mille solidi, eo quòd primò sit genitus, posteaquam mater eius ad libertatẽ peruenit.) quæro, an non Eudo, si probet se post manumissionem matris suæ natum, possit his uerbis testamenti libertatem cõsequi? Scæuola respondit, non oportere huiusmodi consultationem præiudicium parare. *Alia itẽ species est*: *Si sub conditione manumitti prohibeatur seruus. tunc enim sub contraria conditione libertas ei relicta creditur. quæ species proponitur l. si quis ita. 13. §. fin. ff. de statuliberis, bisce uerbis*: Hæc scriptura: Stichus, cum erit annorum triginta, liber esto: Stichus, si decem non dederit, liber ne esto. hanc uim habet: Stichus, si decem dederit, & ad annos triginta peruenerit, liber esto. nanq; ademptio libertatis uel legati sub conditione facta, incipit conditionem contrariam legato uel libertati, quæ prius data erat, iniecisse. *Ait Iurisconsultus*: Quæ prius data erat. *Ex his uerbis replicatio propositæ speciei elicitur, hæc scilicet*: *Nisi libertas prius non fuerit adscripta. tunc enim ademptio uel prohibitio libertatis sub conditione facta, non inducit sub contraria conditione dationem libertatis. Cui concordat l. Titia. 59. §. fin. ff. de manumiss. test. his uerbis*: Lucius Titius testamento suo ita cauit: Onesiphore, nisi diligenter rationem excusseris, liber ne esto. quæro, an Onesiphorus ex his uerbis libertatem sibi uindicare possit? Scæuola respondit, ex his uerbis quę proponerentur, libertatẽ adimi potius quàm dari. *Alia species est*: *Si libertas per uerbum præteriti temporis relinquatur. quæ species iure tantùm militiæ approbatur l. testam. 49. ff. de manumissis test. his uerbis*: Testamento militis ita manumissum, Samiam in libertate esse iussi: directam libertatem iure militiæ accepisse placuit. *Alia species est*: *Si seruum libertum alicuius esse uelit testator. quæ species proponitur l. si quis. 42. ff. de manumissis testam. his uerbis*: Si quis ita scripserit: Illum illius libertum esse uolo. & seruus libertatem petere potest, & ille ut habeat libertum. *Concordat l. Thais. 41. in prin. ff. de fideicommiss. libertat. his uerbis*: Thais ancilla mea, cum hæredi meo seruierit annis decem, uolo sit liberta mea. quæritur, cum libertam suam esse uoluerit, nec id hæres facere potuerit, nec directa purè data sit libertas, an etiam post decem annos in seruitute remaneret? Scæuola respondit, nihil proponi, cur non Thaidi libertas debeatur. *Planè fallit hæc species in casu, qui proponitur d. l. 41. §. Lucius. cuius uerba uide J specie ultima. Alia species seu forma manumittẽdi testamẽto proponitur l. Paulus. 39. §. Paulus. ff. de fideic. libert. his uerbis*: Paulus respondit, his uerbis: πίστευσόν μοι Ζώιλε, ὅτι τὰς χάριτάς σοι ἀποδώσει ὁ υἱός μου Μαρτιάλιος, καὶ σοὶ καὶ τοῖς παισίν σου (id est: Crede mihi Zoile, gratiam tibi referet filius meus Martialis: imò non tibi solùm, sed etiam filijs tuis) in plena uoluntate defuncti contineri circa benefaciendum coniunctis personis & Zoilum. quid si serui sunt? nihil tam gratum his præstari posse, quàm libertatem. Ideoque præsidem debere sequi uoluntatem defuncti. *Alia species proponitur & reprobatur l. ex uerbo. 12. C. de fideicom. libertat. his uerbis*: Ex uerbo Commendo, testamento uel codicillis non uideri fideicommissariam libertatem relictam esse, authoritate iuris declaratur. *Concordat l. Thais. 41. §. Lucius. ff. eod. tt. his uerbis*: Lucius Titius ita testamento cauit: Medicos tibi commendo illum & illũ. In tuo iudicio erit, ut habeas bonos libertos & medicos. Quòd si ego libertatem eis dedissem, ueritus sum quod sorori meæ charissimæ fecerunt medici serui eius manumissi ab ea, qui salario expleto reliquerunt eam. quæro, an fideicommissaria libertas suprascriptis competere potest? Scæuola respondit, secundũ ea quæ proponerentur, non necessitatẽ hæredibus impositam, sed arbitriũ remissum. *Hæc de quadragesimaquinta exceptione, deq; formis relinquendæ libertatis.*

XLVI. Exceptio: *Nisi non ab hærede, sed à legatario libertas sit relicta. Hæc exceptio reprobatur l. Imperator. 12. §. 1. ff. de fideicom. libert. his uerbis*: Et legatarius non minus quàm hæres rogari potest seruum manumittere: & si ante manumissionem decesserit, successores eius debent manumittere. *Concordat Inst. de singulis rebus per fideicom. §. libertas. cuius uerba uide s̃. cap. prox. except. 11. repl. 1. in prin.*

XLVII. Exceptio: *Nisi error in manumittendo uel in libertate relinquẽda interuenerit. Hæc exceptio*

reprobatur l.si pater.4.§.quotics.ff.de manumiß.uindicta,his uerbis: Quoties manumittit seruum dominus, quamuis existimet alienum esse eum: nihilominus uerum est, uoluntate domini seruum esse manumissum: & ideo liber erit. Et ex contrario, si se Stichus non putaret manumittentis esse: nihilominus libertatem contingere. Plus enim in re est, quàm in existimatione: & utroq; casu uerum est, Stichum uoluntate domini manumissum esse. Idemq; iuris est, & si dominus & seruus in eo errore essent, ut neq; ille dominum se, nec hic se seruum eius esse putaret. *Concordat i.qui hab.54.in prin.ff.de manumiß. test.his uerbis*: Qui habebat seruum Cratinū, testamēto ita cauit: Seruus meus Cratistus liber esto. quæro, an seruus Cratinus ad libertatem peruenire possit, cum testator seruum Cratistum non habeat, sed hunc solū Cratinum? Scæuola respondit, nihil obesse, quòd in syllaba erraſſet. *Concordat item l.Paulus.39.in prin.ff.de fideicom.libert.cuius uerba uide ꝛ. cap.prox.except.11.repl.1.dupl.7.*

XLVIII. *Exceptio: Nisi in fraudem creditorum dominus seruos suos manumisit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ꝛ cap.5.except.6.*

XLIX. *Exceptio: Nisi dominus coactus seruum manumiserit. Hæc exceptio approbatur l.si priuatus.17.in prin.ff.qui & à quib.manumißi, his uerbis*: Si priuatus coactus à populo manumiserit: quamuis uoluntatem accommodauerit, tamen non erit liber. nam & diuus Marcus prohibuit, ex acclamatione populi manumittere. *Concordat l.ille.9.in prin.ff.eod.tt.bis uerbis*: Ille seruus liber non erit, qui coëgerit, ut eum dominus manumittat, & ille perterritus scripserit liberum esse eum. *Concordat itē l.diuo.3.C.qui manumitt.non poß. cuius uerba uide ꝛ. except.43.repl.7.*

L. *Exceptio: Nisi non manumittendi animo factum sit. Hæc exceptio approbatur l.sicut.20.C.de liberali causa,his uerbis*: Sicut semel præstitam libertatem reuocari non licet: sic per ea quæ non manumittendi causa domini cum seruis proprijs agunt, nihil sibi detrahunt. *Huius exemplum proponitur l.generaliter.24.§.sed etsi ita.ff.de fideicommiß.libertatib. cuius uerba uide ꝛ. exc.45.in prin. Aliud exemplum proponitur l.si priuatus.17.§.1.ff.qui & à quib.manumißi, his uerbis*: Nō fit liber, si mentitus dominus, ne à magistratibus castigaretur, dixit esse liberum. non enim fuit uoluntas manumittendi.

LI. *Exceptio: Nisi seruus ob id, ne quæstio de eo haberetur, uel ut crimini subtraheretur, sit manumissus: uel nisi seruus, de quo quæstio habenda est, manumittatur. Hæc exceptio approbatur l.qui pœnæ.8.§. fin.ff.de manumißionib.his uerbis*: Ne illos quidem ad iustam libertatem peruenire diuus Hadrianus rescripsit, qui ideo manumissi sunt, ut crimini subtrahātur. *Cōcordat l.prosp. 12.in prin.ff.qui & à quib.manumißi, his uerbis*: Prospexit legislator, ne mancipia per manumissionem quæstioni subducantur, idcircoq; prohibuit ea manumitti: certumq; diem præstituit, intra quem manumittere nō liceat. Ipsa igitur quæ diuertit, omnes omnino seruos suos manumittere uel alienare prohibetur: quia ita uerba faciunt, ut ne eum quidem seruum, qui extra ministeriū eius mulieris fuit, uel in agro, uel in prouincia, possit manumittere uel alienare. quod quidem perquàm durum est: sed ita lex scripta est. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi seruus in ministerio mulieris, in quam torquendus est, non fuerit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Quia ita uerba faciunt, ut ne eum quidem seruum, &c. *Secunda replicatio est: Nisi mulier adultera, in quam seruus torquendus est, post commissum demum adulterium, uel post factum diuortium, seruum comparauerit. Et hæc replicatio reprobatur d.l.12.§ sed & si post, his uerbis*: Sed & si post diuortium seruum mulier parauit, aut alia ratione adquisiuit: æquè (quod ad uerba attinet) manumittere non poterit: & ita quoque Sextus Cæcilius adnotat. *Tertia replicatio est: Nisi non mulieris, in quam torqueri debet, seruus sit manumissus, sed alterius. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi seruus in usum & ministerium mulieris à domino fuerit concessus. quæ duplicatio approbatur d.l.12.§. pater. cum sequentibus, his uerbis*: Pater uerò, in cuius potestate filia fuerit, ea tantùm mancipia prohibetur manumittere alienaréue, quæ in usum filiæ fuerunt tributa. Matrem quoque prohibuit manumittere alienaréue ea mancipia, quæ in ministerium filiæ concesserat. Sed & auum & auiam prohibuit manumittere: cum horum quoque mancipia quæstioni postulari posse, lex uoluerit. *Quarta replicatio est: Nisi post sexagesimum diem à tempore diuortij numerandum, seruus sit manumissus. Hæc replicatio approbatur l. quòd si.13.ff.d.tt.qui & à quib. manumißi, his uerbis*: Quòd si ultra sexagesimum diem manumiserit, seruus statim liber erit. *Concordat l. prospexit.12.§.Sextus.ff.d.tt.his uerbis*: Sextus Cęcilius rectè ait, angustissimum tempus legem præstituisse alienandis manumittendisue seruis. finge (inquit) ream adulterij postulatam intra sexagesimum diem. quæ cognitio tam facilè poterit adulterij expediri, ut intra sexagesimum diem finiatur? & tamen licere mulieri (quamuis postulatæ adulterij) seruum suspectum in adulterio, uel quæstioni necessarium (quod ad uerba legis attinet) manumittere. *Planè huius*

huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cœpta cognitione seruus quæstioni fuerit destinatus. quæ duplicatio approbatur d.§.Sextus, his uerbis: Sanè in hunc casum subueniendum est, ut destinati serui, quasi conscij, uel quasi nocentes, non debeant manumitti ante finitam cognitionem: cum pater mulieris, uel mater, si intra sexagesimum diem decedat, ex his seruis, quos in ministerium filiæ dederint, neque manumittere, neque alienare poterunt. *Quinta replicatio est: Nisi pater matérue mulieris moritura, seruo libertatem relinquat. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Cum pater mulieris, uel mater, &c. *Sexta replicatio est: Nisi maritus mulieris accusator decesserit. Et hæc replicatio reprobatur l.sed si.14.in prin.ff.d.tt.bis uerbis*: Sed si maritus intra sexagesimum diem decesserit: an manumittere uel alienare iam possit suprascriptas personas, uideamus? & non puto posse, quamuis accusari mulier desinat à marito, cum pater accusare possit. *Septima replicatio est: Nisi non maritus à muliere, sed contrà mulier à marito diuerterit. Hæc replicatio reprobatur d.l.14.§.1. his uerbis*: Et simpliciter lex quidem mulierem prohibuit intra sexagesimum diem diuortij manumittere. Siue autem diuertit, siue repudio dimissa sit: manumissio impedietur. *Octaua replicatio est: Nisi morte mariti, uel deportatione, uel alia simili pœna, non diuortio, matrimonium sit solutum. Hæc replicatio approbatur d.l.14..§.sed si morte, his uerbis*: Sed si morte mariti solutum sit matrimonium, uel aliqua pœna eius: manumissio non impedietur. *Nona replicatio est: Nisi bona gratia solutum sit matrimonium. Hæc replicatio approbatur ibidem his uerbis*: Sed & si bona gratia finierit matrimonium: dicetur, manumissionem uel alienationem non impediri. *Decima replicatio est: Nisi adhuc constante matrimonio seruus manumittatur. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi in fraudem legis manumißio sit facta. quæ duplicatio approbatur d.l.14.§.penult.his uerbis*: Sed & si constante matrimonio, dum mulier diuortium cogitat, manumittat uel alienet, & dilucidis probationibus fuerit adprobatum: quasi in fraudem legis hoc factum sit, non debet alienatio ualere, uel manumissio. *Vndecima replicatio, sumpta ex genere alienationis, reprobatur d.l.14.§.fin.his uerbis*: Alienationem omnem omnino accipere debemus.

LII. *Exceptio: Nisi mortis causa manumissio sit facta. Hæc exceptio reprobatur l. mortis. 15. in prin.ff.de manumißionibus. cuius uerba uide ꝛ. cap. prox.except.3.*

LIII. *Exceptio: Nisi non gratis, sed accepta pecunia manumissus sit. Hæc exceptio reprobatur l.licet.33.C.de liberali causa,his uerbis*: Licet accepta pecunia dominus te manumisit: tamen tributa libertas rescindi non potuit.

LIIII. *Exceptio: Nisi non coram tribunali, sed in transitu manumißio sit facta. Reprobatur hæc exceptio Inst.de libertinis §.serui,his uerbis*: Serui autem à dominis semper manumitti solent, adeò ut uel in transitu manumittantur: ueluti cum prætor, aut præses, aut proconsul in balneum, uel in theatrum eunt. *Concordat l. non est.7.ff. de manumiß. uindicta, his uerbis*: Non est omnino necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerunque in transitu serui manumitti solent: cum aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit prætor, aut proconsul, legatusúe Cæsaris. *Concordat l. ego.8. ff. eod. tt. his uerbis*: Ego cum in uilla cum prætore fuissem, passus sum apud eum manumitti, etsi lictoris præsentia non esset.

LV. *Exceptio: Nisi emptor serui, nondum soluto precio, eum manumiserit. Hæc exceptio reprobatur l.Paulus.38.§.quæsitum.ff.de liberali causa,his uerbis*: Quæsitum est, an emptor seruo rectè libertatem dederit, nondum precio soluto? Paulus respondit, seruum quem uenditor emptori tradidit, si ei pro precio satisfactum sit: & nondum precio soluto in bonis emptoris esse cœpisse.

LVI. *Exceptio: Nisi in testamento iniusto, rupto uel irrito effecto, libertas sit relicta, uel in irritis codicillis. Hæc exceptio approbatur l.testam.23. in prin.ff.de manumiß.test.his uerbis*: Testamento manumissus ita demum sit liber, si testamentum ualeat, & ex eo adita sit hæreditas: uel si quis omissa causa testamenti, ab intestato possideat hæreditatem. *Concordat l.generaliter.24.§.ex testamento. ff.de fideicommiß. hæredit. his uerbis*: Ex testamento quod adgnatione posthumæ ruptum est, neque directas libertates competere, neq; fideicommissarias deberi, quas non à legitimis quoq; hæredibus paterfamiliàs reliquerit, satis constat. *Concordat item l.si iure.11.C.de testam.manumiß.his uerbis*: Si iure non subsistit testamentum: in hoc nec libertates (cum non fuisse adiectum, ut pro codicillis scriptum ualeret, proponas) rectè datas constabit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ab intestato quoq; libertas sit relicta. Hæc replicatio cōstat ex uerbis iā propositis hisce*: Cū non fuisse adiectum, ut pro codicillis scriptum ualeret, proponas. *Concordat d.§.ex testamento, uerbis superius propositis hisce*: Quas non à legitimis quoq; hæredibus paterfamiliâs reliquerit. *Secunda replicatio est: Nisi hæreditas ab intestato ad eos, à quib. libertas relicta est, peruenerit. Hæc replicatio reprobatur l.si pater.47.in prin. ff.de fidicom.hæredit.his uerbis*: Si pater duos filios

hæredes

hæredes instituerit,& adgnatione posthumi ruptum testamentum fuerit: quàuis hereditas pro duabus partibus ad eos pertineat, tamen fideicommissæ libertates præstari non debent, sicuti nec legata quidem aut fideicommissa præstare coguntur. *Planè admittitur replicatio proposita primùm, si quis omissa causa testamenti iusti, ab intestato hæreditatem adierit. quæ distinctio approbatur uerbis l.testamẽto.23. in prin. ff.de manumiss.test.paulò superius propositis bisce*: Vel si quis omissa causa testamenti,ab intestato possideat hæreditatem. *Deinde admittitur replicatio proposita,si filij testamento imperfecto existente, ab intestato succedentes alumnam patris testatoris manumittere fuerint rogati. quæ distinctio approbatur l.in testam. 38. ff.de fideicom.libert. bis uerbis*:In testamento quod perfectum nõ erat, alumnæ suæ libertatem & fideicommissa dedit. Cum omnia ueluti ab intestato filij egissent: quæsijt Imp.an ex causa fideicommissi manumissa fuisset? & interlocutus est,etsi nihil ab intestato pater petijsset:pios tamen filios debuisse manumittere eam,quam pater dilexisset. Pronunciauit igitur rectè eã manumissam, &c. *Tertia replicatio est: Nisi serui ex iniusto testamento manumissi,per quinquennium in libertate fuerint morati. Hæc replicatio approbatur l.uxorem.29.ff.de manumiss.test.his uerbis*:Vxorem prægnantem repudiauerat, & aliam duxerat. prior enixa filium exposuit. hic sublatus,ab alio educatus,nomine patris uocitatus,usque ad uitæ tempus patris,tam ab eo,quàm à matre,an in uiuorũ numero esset,ignorabatur. mortuo patre,testamentoq; eius,quo filius neque exhæredatus,neq; institutus fuit,recitato: filius & à matre,& ab auia paterna agnitus,hæreditatẽ patris ab intestato quasi legitimus possidet. quæsitum est,hi qui in testamento libertatem acceperunt, utrum liberi,an serui sint? Scæuola respondit,filiũ quidem nihil præiudicij passum fuisse,si pater eum ignorauit. Et ideo,cũ in potestate ignorantis patris esset,testamentũ non ualere. Serui autem manumissi, si per quinquennium in libertate morati sunt: semel datam libertatem infirmari,cõtrarium studium fauori libertatis est. *Quarta replicatio est: Nisi libertas per errorem præstita sit,uitio testamenti nondum apparente.tunc enim,quamuis testamentum rescindatur,uel falsum pronuncietur,non reuocatur libertas,sed pro singulis manumissis uiginti solidi sunt soluendi. quæ replicatio approbatur l.cũ ex. 47.ff.d.tt.his uerbis*: Cũ ex falsis codicillis per errorẽ libertas,licet non debita, præstita tamen ab hærede fuisset: uiginti solidos à singulis hominib.inferẽdos esse hæredi,princeps constituit.Sed & si cõditionis implendæ gratia seruũ instituius manumiserit, ac postea filius de inofficioso agendo obtinuerit,uel testamentum falsum fuerit pronũciatũ: consequẽs erit,idem & in hac specie fieri,quod in falsis codicillis constitutũ est. *Concordat l.2.C.de fideicommiss. libertat. his uerbis*: Quãuis codicilli, quibus auunculo defunctæ legatus esse uideris, falsi pronunciati sunt:tamen si ante motã criminis quæstionẽ iustam libertatẽ es à legatario consecutus, posterior euentus non infirmat ita datam libertatem.Planè secundũ diui Hadriani constitutionẽ datur hæredi uiginti aureorũ repetitio. *Concordat itẽ l.si filius.23.§.cũ ex. ff.de iure patronatus,his uerbis*: Cũ ex falsis codicillis,qui ueri aliquo tempore crediti sunt, hæres ignorans quasi ex fideicommisso libertatẽ seruis præstitisset: rescriptũ est à diuo Hadriano, liberos quidem eos esse, sed æstimationẽ sui præstare debere. Et hos libertos manumissoris esse, rectè probatur: quia saluum est etiam in his libertis ius patroni. *Quinta replicatio est: Nisi hæres codicillos irritos, in quibus libertas relicta est, ratos habens, libertatem ex ijs præstiterit.Hæc replicatio approbatur l. cum quasi. 30. §.fin.ff. de fideicom. libertat. his uerbis*: Quanquam ex irritis codicillis libertates non debentur: attamen si hæres hos codicillos ratos habeat, & ex his quædam præstiterit, & seruos præstandæ fideicommissæ libertatis gratia in libertate morari uoluerit: ad iustam libertatem eos peruenisse, rescripto Imperatoris nostri & diui patris eius declaratur.

LVII. Exceptio: *Nisi in codicillis testamento non confirmatis libertas sit relicta. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi fideicommissaria libertas ab intestato codicillis sit relicta. quæ replicatio approbatur l.libertates.41.ff. de manumiss. testam. cuius uerba uide §. exception. 43.repl.5.*

LVIII. Exceptio: *Nisi in codicillis à testatore minore uiginti annis confirmatis, libertas sit relicta. Hæc exceptio reprobatur l. 1. C.de testam. manumiss. his uerbis* : Si codicillos maior uiginti annis fecisset : confirmationis tempus libertati non nocere,certum est. nec enim potestas iuris,sed iudicij consideratur.

LIX. Exceptio : *Nisi ad tempus libertas sit relicta. Hæc exceptio approbatur l.libertas.32.ff.de manumiss.test.his uerbis* : Libertas ad tempus dari non potest. *Planè tempus adiectum hoc casu non uiciat libertatis dationem,sed pro non scripto habetur.quod approbatur ibidem lege sequente,bis uerbis* : Ideoq; si ita scriptum sit,Stichus usque ad annos decem liber esto:temporis adiectio est superuacua. *Vel si ita libertas relicta sit, Ad annum liber esto : accipi debet ita, Post annum liber esto. Quod approbatur l.qui duos.18.§.sed multò magis.ff.eod.tt,cuius uerba uide ĩ.prox. Concordat l. Thais.*

Thais.41.§.hærede.ff.de fideic.libert.cuius uerba uide ĩ.cap.prox.quæst.10.reg.5.

LX. Exceptio: *Nisi ex die uel sub conditione libertas data sit.Hæc exceptio reprobatur l.testamento.23.§.testamento.ff.de manumiss.test. cuius uerba uide ĩ.cap.10.quæst.10.reg.4.. Concordat l.quod autem. 7.§.fin.ff. de donat.inter uirũ & uxorem. cuius uerba uide ĩ.lib.35.cap.8.excep.10. Concordat itẽ l.qui duos. 18. §.hæc conditio. ff. de manumiss. testam . his uerbis*: Hæc conditio,Cum moriar,liber esto: uitæ tempus amplectitur, & idcirco inutilis esse uidetur . Sed melius est uerba benignius interpretari.ut post mortem suam uideatur testator ei libertatem reliquisse. Sed multò magis hæc, Ad annum liber esto: ita accipi potest: uel, Post annum quàm moriar,liber esto.Et licet hoc modo accipiatur, Post annum quàm hoc testamentum factum erit, liber esto : si euenerit ut intra annum testator decederet,inutilis non erit.

LXI. Exceptio: *Nisi cum ex die libertas testamento esset relicta,dies uiuo testatore ueniat. Hæc exceptio elici potest ex uerbis d. §. hæc conditio , iam propositis, præsertim bisce*: Post annum quàm hoc testamentum factum erit, liber esto: si euenerit ut intra annum testator decederet,inutilis non erit.Ergo si non intra annum testator decesserit, inutilis erit talis scriptura. *Planè huius exceptionis replicatio proponitur d. l.18 . in princip . cuius uerba uide ĩ . cap.9. excepti.58.*

LXII. Exceptio: *Nisi seruus post annos liber esse iussus sit, numero annorum non definito . Hæc exceptio reprobatur l. libertas.17. §. fin. ff. de manumissis test.his uerbis*: Post annos indistinctè liber esse iussus,post biennium liber erit: idq; & fauor libertatis exigit,& uerba patiuntur:nisi aliud sensisse patremfamiliãs, manifestissimis rationibus is, à quo libertas relicta est, probauerit.

LXIII. Exceptio: *Nisi in ultimum uitæ serui tempus libertas ei sit relicta . Hæc exceptio approbatur d.l.17.in prin.his uerbis*: Libertas quæ in ultimum uitæ tempus conferturueluti,Cum Stichus morietur, liber esto: nullius momenti existimanda est. *Concordat l.ult.in prin. ff.eod.tt. bis uerbis*: Scio quosdam testatores efficere uolentes,ne serui unquam ad libertatem perueniant, hactenus scribere solitos: Stichus, cum morietur, liber esto . Sed & Iulianus ait, libertatem quæ in ultimum uitæ tempus conferatur, nullius momenti esse : cum testator impediendæ magis, quàm dandæ libertatis gratia ita scripsisse intelligatur . Et ideo etiamsi ita sit scriptum,Stichus, si in Capitolium non ascenderit,liber esto: nullius momenti esse,si apparet, in ultimum uitæ tempus conferri libertatem testatorem uoluisse: nec Mutianæ cautioni locum esse. Et si ita in testamento scriptum fuerit, Stichus, si Capuam ierit , liber esto : aliter liberum non esse, quàm si Capuam ierit. *Concordat item l. cum hæres.4. §.1. ff.de statuliberis,bis uerbis*: Non est statuliber, cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore , qui manumissus est,uiuere non possit: aut si tam difficilem , imò penè impossibilem conditionem adiecerit.ut alicũde ea libertas obtingere non possit: ueluti si hæredi mille dedisset,aut cum morerctur,liberum esse iussisset. Sic enim libertas inutiliter datur, & ita Iulianus scribit:quia nec animus dandę libertatis est.

LXIIII. Exceptio: *Nisi sub difficili uel penè impossibili conditione libertas sit relicta: uel in tam longum tempus collata , quo seruus non est uicturus . Hæc exceptio approbatur uerbis d . l.4. §.1. iam propositis.*

LXV. Exceptio: *Nisi seruo libertas relicta sit sub hac conditione , Si eum hæres alienauerit . Quæ exceptio approbatur l. Stichus.39. ff.de manumiss. testamen.bis uerbis*: Stichus seruus meus,si eum hæres alienauerit, liber esto : inutiliter dabitur libertas, cum in id tempus differatur, quo alienus futurus sit: nec contrarium est, quòd statuliber, etiamsi uenierit, ex testamento libertatem consequitur: quippe utiliter libertas data facto hæredis non perimitur. At quid in legato eo modo dato dicemus? diuersum enim nulla dicetur ratione:nam inter libertatem & legatum (quantum ad hanc causam) nihil distat. Igitur nec si directò dabitur libertas , Si hæredis mei esse desierit , liber esto : quia nullum casum utilem habet. *Ait iurisconsultus*: Cum in id tempus differatur, quo alienus futurus sit. *Hæc est ratio propositæ exceptionis,de qua ratione dictum ĩ.cap.prox.except.11.*

LXVI. Exceptio: *Nisi seruus hæredis liber esse iussus sit sub hac conditione , Si rem hæredis dederit. Hæc exceptio reprobatur l. si quis. 13. §. penult. ff. de statuliberis , bis uerbis*: Seruus hæredis , rem ipsius hæredis dare iussus & liber esse, ad libertatem perueniet: quia potest testator & sine ulla dandi conditione hęredis seruum manumitti iubere.

LXVII. Exceptio: *Nisi sub hac conditione , Si codicillis seruum liberum esse non uetuero : libertas sit relicta. Hæc exceptio reprobatur l.Stichus.28.ff.de manumiss.testamen.his uerbis*: Stichus,si codicillis eum non uetuero liberum esse , liber esto:si est,ac si diceret,Si in Capitolium nõ ascendero,liber esto.nam & hæres sic instituti potest.

LXVIII. Exceptio: *Nisi sub conditione non faciendi seruo libertas sit relicta . hoc enim casu uidetur datio libertatis inutilis , secundum ea quæ dicta*

dicta sunt s̃.except.63.quia hæc conditio non nisi mortuo seruo impleri uidetur. uerùm exceptio hæc reprobatur exemplo l.libertas.17.§.1.ff.de manumiß.testam. his uerbis: Hæc scriptura, Stichus, si Capitoliū non ascenderit, liber esto: ita accipienda est, si cum primùm potuerit, non ascenderit. isto enim modo perueniet Stichus ad libertatem, si facultate data ascendendi Capitolium, abstinuerit. Planè admittitur exceptio proposita, si testator ideo adiecerit huiusmodi conditionem, quòd libertatem in ultimum uitæ tempus uoluerit conferre. quæ distinctio approbatur l. ultim. §.& ideo etiam.ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.d. except.63.

LXIX. Exceptio: Nisi libertas in arbitrium eius à quo relicta est, sit collata. hoc enim casu ad libertatem præstandam hæres non tenetur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. fideicommisso.46. §. quòd si ita. ff. de fideicommiß. libertat. his uerbis: Quòd si ita scriptum sit, Si hæres uoluerit: non ualebit: sed ita demum, si totum in uoluntate fecit hæredis, si ei libuerit. Cæterùm si arbitrium illi quasi bono uiro dedit: non dubitabimus, quin libertas debeatur. nam & eam libertatem deberi placuit, Si tibi uidebitur, peto ut manumittas. ita enim hoc accipiendum, Si tibi quasi bono uiro uidebitur. Nam & ita relictum, Si uoluntatem meam probaueris: puto deberi: quemadmodum, Si te meruerit quasi uirum bonum: uel, Si te non offenderit quasi uirum bonū: uel, Si comprobaueris: uel, Si nō reprobaueris: uel, Si dignum putaueris. Nam & cum quidam Græcis uerbis ita fideicommissum reliquisset: τῷ δεῖνι ἐὰν δοκιμάσῃς, ἐλευθερίαν δοθῆναι βούλομαι, id est: Illi, si probaueris, libertatem dari uolo. à diuo Seuero rescriptum est, fideicommissum peti posse. Concordat d.l.46.§.quanquam. cuius uerba uide paulò inferius. Item concordat l.Thais.41. §.Lucius Titius. ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃. except.45. in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non in meram hæredis uoluntatem, sed in boni uiri arbitrium libertas sit collata. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis. Cui concordat d.l.46. in prin. his uerbis: Fideicommissaria libertas ita dari potest: Hæres, si uolueris, fidei tuæ committo, ut Stichum manumittas. quamuis nihil aliud in testamento potest ualere ex nutu hæredis. Hæc uerba interpretanda sunt per uerba eiusdem legis sequentia, paulò superius ead. except. proposita. Secunda replicatio est: Nisi tempus tantùm, quo libertas præstanda sit, in arbitrio hæredis sit positum. Hæc replicatio approbatur d. l.46. §.quanquam, his uerbis: Quanquam autem in hæredis arbitrium conferri, an debeatur, non possit: quando tamen debeatur, conferri potest. Concordat l.Claudius.17. ff.eod.tt.his uerbis: Claudius notat, Cum tibi uisum fuerit manumittere: utiliter datur fideicommissaria libertas. Tertia replicatio est: Nisi cum in arbitrium alicuius hæredis libertas esset collata, is postea hæres non existat. Hæc replicatio approbatur per ea quæ proponuntur j. cap.9. except.38. repl.21. Sed & plura de exceptione proposita uide j. lib.32.cap.6. except.79.

LXX. Exceptio: Nisi ita libertas sit relicta: Stichus, si uoluerit, liber esto. Hæc exceptio reprobatur l. fideicommissa.46. §.1.ff.de fideicommiß. libertat. his uerbis: Planè & ita, Si Stichus uoluerit: poterit ei libertas adscribi.

LXXI. Exceptio: Nisi libertas in uoluntatem tertij sit collata. Hæc exceptio reprobatur d.l.46. §. sed & si, his uerbis: Sed & si ita scriptum sit, Si Seius uoluerit, Stichum liberum esse uolo: mihi uidetur posse dici, ualere libertatem, quia conditio potius est: quemadmodum si mihi legatum esset, si Titius Capitolium ascenderit. Plura de hac exceptione uide j.lib.32. cap.6.except.80.

DE EXCEPTIONIBVS ADVERSUS manumißionem & libertatis dationem post eam contingentibus. Cap. VIII.

HActenus exceptiones aduersus manumißionem propositæ, ipsi manumißioni insunt, & statim ab initio eam inutilem reddunt: cuius generis plures licet uidere j. lib.32. cap.3. cum aliquot sequentibus. Sequuntur nunc alterius generis exceptiones, quæ post manumißionem demum, uel libertatis dationem accidunt, quæq; libertatis dationem ab initio utilem, postea irritam efficiunt. Cuius generis exceptiones perinde ac præcedentes desumuntur partim ex persona manumissoris, uel eius qui libertatem reliquit, partim ex persona eius à quo libertas relicta est, partim ex persona manumißi, partim deniq; ex alijs huiusmodi locis & circumstantijs.

I. Exceptio: Nisi manumissor seruus postea sit pronunciatus. Hæc exceptio reprobatur l.competit.19.ff. qui & à quibus manum. cuius uerba uide s̃. cap.5. except.3.repl.3.

II. Exceptio: Nisi memoria testatoris libertatem relinquentis sit damnata. Hæc exceptio approbatur l. 2.C.de testam.manumiß.his uerbis: Ex testamento defuncti libertates præstari non possunt, hæreditate nō adita: uel si rei memoria propter crimen, quod morte non intercidit, damnata est.

III.Exceptio: Nisi is qui libertatem reliquit uel pactus est, uoluntatem mutauerit. Hæc exceptio approbatur l. mortis.15. ff. de manumißionibus, his uerbis: Mortis causa seruum manumitti posse, non est dubitandum. Quod non ita intelligendum est, ut ita liber esse iubeatur, ut si conualuerit dominus, non fiat liber: sed quemadmodum si uindicta eum liberaret absolutè, scilicet quia moriturum se putet, mors

eius

eius expectabitur. Similiter & in hac specie in extremum tempus manumissoris uitæ confertur libertas, durante scilicet propter mortis causa tacitam conditionem uoluntate manumissoris: quemadmodum cum rem ita tradiderit, ut moriente eo fieret accipientis. quę ita demum alienatur, si donator in eadem permanserit uoluntate. Concordat l.ult.in fine.C.si mancipium ita fuerit alienatū, ut manum. cuius uerba uide j.except.29.repl.1.dupl.2. Item concordat l.si hominem.30.ff.mandati. cuius uerba uide j.lib.43. cap.13.quæst.1.causa 4. Concordat item l.si quis.3.ff.de seruis exportandis. cuius uerba uide j.repl.prox. Item concordat l.si quis.27.§.1.ff.mandati, his uerbis: Si seruum ea lege tibi tradidero, ut eum post mortem meam manumitteres: constitit obligatio. Potest autem & in mea quoq; persona agendi causa interuenire: ueluti si pœnitentia acta, seruum recuperare uelim. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi is qui libertatē seruo excepit pactúsue est, uel reliquerit, sit mortuus. tunc enim facultas mutandæ uoluntatis ad hæredem non transit. quæ replicatio approbatur l.si quis.3. ff.de seruis exportandis, hisce uerbis: Si quis hac lege uenit, ut intra certum tempus manumittatur: etsi non sit manumissus, liber fit: si tamen is qui uendidit, in eadem uoluntate perseueret. hęredis enim uoluntatem non esse exquirendam. Concordat l.eum qui.3.ff.qui sine manumiß.his uerbis: Eum qui ita uenit, ut intra tempus manumitteretur: cum dies præstandæ libertatis uenerit, uiuente uenditore, & perseuerante in eadē uoluntate, perinde haberi, ac si ab eo, à quo debuit manumitti, manumissus esset. Mortuo autem uenditore, non esse hæredum eius uoluntatem explorandam, diuus Marcus cum filio suo rescripsit. Secunda replicatio est: Nisi seruus sit manumissus. tunc enim pœnitētiæ locus amplius nō est. quæ replicatio approbatur l.quæsitum.8.ff.de seruis exportādis, his uerbis: Quęsitum est, si quis seruum proprium uendidisset, & ut manumitteretur intra certum tempus præcepisset, ac postea mutasset uolūtatem, & emptor nihilominus manumisisset: an aliquam actionem eo nomine haberet? Papinianus dixit, ex uēdito actionem manumisso seruo, uel mutata uenditoris uoluntate, euanuisse. Concordat l.qui manumittitur.12.C. de operis libertorum. cuius uerba uide j.lib.proxim. cap.4.reg.15. Tertia replicatio est: Nisi cum dominus ita uendidisset seruum, ut intra certum tempus manumittatur, post tempus elapsum mutauerit uoluntatem. tunc enim, quia ipso iure seruus liber effectus est, perinde ac si manumissus esset, pœnitentiæ amplius locus non est. quæ replicatio approbatur l.1.ff.qui sine manumiß. his uerbis: Si seruus uenditus est, ut intra certum tempus manumittatur: etiamsi sine hęrede decessisset & uenditor & emptor, seruo libertas competit: & hoc diuus Marcus rescripsit. Sed etsi mutauerit uoluntatē uenditor, nihilominus libertas competit.

IIII.Exceptio: Nisi testator seruum, cui libertatem legauit, postea alienauerit. Hæc exceptio approbatur l.Seruius.35.ff.de manumiß.testament.his uerbis: Seruius existimabat, his posse seruis dari testamento directam libertatem, qui utroq; tempore, & quo testamētum factum est, & quo moritur, in testatoris fuerint potestate. quę sententia uera est. Concordat Inst.de singulis rebus per fideicommiß. relictis. §.non alius, his uerbis: Non alius ullus directò ex testamento libertatem habere potest, quàm qui utroq; tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Huius exemplum est, si testator seruum, cui libertatem in testamento reliquit, postea alij legauit. quod exemplum proponitur j.lib.32.cap.5.except.63.replic.5. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi seruus alienatus, ante aditam hæreditatem rursus testatoris uel hæreditarius sit factus. quæ replicatio approbatur l.uerum.58.ff.d.tt. his uerbis: Verum est, eum qui liber esse iussus est, alienatum à testatore, si ante aditā eius hæreditatem rursus hæreditarius fieret, mox adiretur hæreditas: ad libertatē peruenire.

V.Exceptio: Nisi testator seruum, cui libertatem reliquit, postea uinxit. Hæc exceptio approbatur l.fideicom.43.ff.de fideicommiß.libertat. his uerbis: Fideicommissaria libertas non debetur ei, quem postea uinxit dominus.

VI.Exceptio: Nisi hæreditas eius qui libertatem reliquit, fisco sit uindicata. Hæc exceptio reprobatur l. diuus.12.§.fin.ff.d.tt.his uerbis: Diuus Antoninus & Pertinax rescripserunt, hæreditate fisco uindicata, quoniā tacitè quis rogatus erat ei qui capere non poterat, restituere hæreditatem: & directò, & per fideicommissum datas libertates deberi.

VII. Exceptio: Nisi hæreditas eius qui libertatem reliquit, ex testamento non sit adita. Hæc exceptio approbatur l.testamento.23.in prin. ff.de manumißis testamen. cuius uerba uide s̃.cap.prox.except.56. Concordat l.2. C.de testamen.manumiß. cuius uerba uide paulò superius except.2. Concordat l.1.C.de fideicommiß.libertat.his uerbis: Cum proponas, hæreditatem eius testatoris aditam non esse, à quo tibi fideicommissariam libertatē relictam dicis, & ab intestato alium quàm qui scriptus est, hæreditatem possedisse: si non à legitimo quoq; hærede fideicommissaria libertas repetita est, nullo iure præstari ea ab eo qui rogatus non est, desideras. Planè si pecunia accepta hæredem institutum omisisse hæreditatem docueris: libertatem tibi præstare cogetur. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ab intestato quoq; repetita libertas sit, & ab intestato adita. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce: Si non à legitimo

quoq; hærede fideicommissaria libertas repetita est. De qua uide item ſ.cap.prox.except.56. replic.1. *Secunda replicatio est: Nisi scriptus hæres accepta pecunia hæredibus ab intestato concesserit hæreditatem. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.1.iam propositis hisce:* Planè si pecunia accepta hæredem institutum omisisse hæreditatem docueris: libertatem tibi præstare cogetur. *Tertia replicatio est: Nisi scriptus hæres cum hærede ab intestato collusione facta, omiserit hæreditatem. quæ replicatio approbatur l.si hæred.11.C.de testamen.manumiß.his uerbis:* Si hæredes iure facto testamento solenniter adierint hæreditatem: ex testamento libertas tibi quæsita, postea colludentibus tam scriptis hæredibus, quàm ab intestato uindicantibus successionem, adimi non potuit. Quòd si spontè repudiauerint sibi delatam successionē: omnia quę in testamento fuerant scripta, defecisse conuenit. Si uerò, ut uos defraudarent hæredes libertate, collusisse hos præses animaduerterit: secundum hæc quæ diuus Pius Antoninus constituit, libertatibus consuli prouidebit. *Quarta replicatio est: Nisi hæres scriptus, omissa causa testamenti, ab intestato posßideat hæreditatē. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt ſ.lib.33.cap.14. Quinta replicatio est: Nisi necessarius hæres institutus, repudiauerit hæreditatem. quæ replicatio approbatur l.sciendum.34.ff.de manumiß.testamen.his uerbis:* Sciendum est, necessario hærede existente, quamuis se abstineat, tamen libertates competere: si modò non in fraudem Æliæ Sentiæ datæ fuerint. *Sexta replicatio est: Nisi institutus, à quo seruo libertas simul & hæreditas per fideicommissum est relicta, antequam adiret hæreditatem, decesserit. Hæc replicatio approbatur l.Anton.42. ff.de fideicommiß.libertat. his uerbis:* Antoninus Pius Augustus noster, quo militum suorum per omnia rata esset suprema uoluntas, cum & institutus & substitutus in continenti, priusquam adirent hæreditatem, decesßissent: eos quibus ab his & libertas & hæreditas à milite per fideicommissum data erat, perinde liberos & hæredes, &c. *Septima replicatio est: Nisi quis bona defuncti libertatis conseruandæ gratia petat sibi addici. Hæc replicatio approbatur Institut. de eo cui libertatis causa bona addicuntur, in princ. his uerbis:* Accesßit nouus casus succesßionis ex constitutione diui Marci. Nam si ij qui libertatē acceperunt à domino in testamento, ex quo non aditur hæreditas, uelint bona sibi addici libertatum conseruandarum causa: audiuntur. Et ita diui Marci rescripto ad Pompilium Rufum continetur. Verba rescripti ita se habent: Si Verginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona eius esse cœperunt, ut uenire

De eo cui liber tatis causa bona addicunt.

debeant: is cuius de ea re notio est, aditus rationē desiderij tui habebit, ut libertatum tam earum quæ directò, quàm earum quæ per speciem fideicōmissi relictæ sunt, tuendarum gratia addicantur tibi: si idoneè creditoribus caueris de solido, quod cuiq; debetur, soluendo. Et ij quidem quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hæreditas adita esset. Ii autem, quos hæres manumittere rogatus est, à te libertatem consequentur: ita, ut si non alia conditione uelis tibi bona addici, quàm ut ij etiam qui directò libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam uolūtati tuæ, si ij quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accommodamus. Et ne huius rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat: si fiscus bona agnoscere uoluerit, & ij qui rebus nostris attendunt, sciant cōmodo pecuniario præferendam esse libertatis causam: & ita bona cogenda, ut libertas ijs salua sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hæreditas ex testamento adita esset. Hoc rescripto subuētum est & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus posßideantur & ueneant. Certè si fuerint hac de causa bona addicta, cessat bonorum uēditio: existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cauet. *Concordat l.si hæred.6.C.de testam.manumiß.his uerbis:* Si hæreditas eius, à quo testamēto dicis te esse manumissum, ob æs alienum spernitur ab hæredibus: conseruandæ libertatis gratia non iniusta ratione creditoribus hæreditarijs satis offerens, iudicium testatoris obseruari tibi postulabis: maximè cum id etiam à diuo Marco consultisßimo principe sit constitutum: quod in extranei quoq; persona obseruari oportet. *Ait Imp.Marcus:* Nemine successore ab intestato existente. *Ex his uerbis elicitur prima propositæ replicationis duplicatio, hæc scilicet: Nisi ab intestato hæredes hæreditatem agnoscant. Cui concordat Inst.eod.tt.§.in primis.ibi: tunc enim, his uerbis:* Tunc constitutioni locum esse uerba ostēdunt, cum nemo successor ab intestato existat. *Secunda duplicatio est: Nisi incertum sit, utrum hæres extiturus sit, nécne. Hæc duplicatio approbatur Instit. eod.tt. §.in primis, in fine, his uerbis:* Quamdiu incertum erit, utrum existat hæres, an non, cessabit constitutio. Si uerò certum esse cœperit neminem existere, tunc erit constitutioni locus. *Concordat l.ergo.4.in prin.ff.de fideicommiß.libertat. his uerbis:* Quamdiu incertum est, utrum existat successor, an non, cessabit constitutio. Cum certum esse cœperit, tunc erit constitutioni locus. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi is abstinuerit se hæreditate, qui in integrum restitui potest. tunc enim, quamuis incertum sit, hæres extiturus sit nécne: tamen constitutioni est locus. quæ triplicatio approbatur d.l.4.§.1. his uerbis:* Si is qui in integrum restitui potest, abstinuerit se hæreditate: an quamdiu poterit in integrum restitui, existimamus constitutionem cessare? quia non est certum, ab intestato neminem successorem extare? est tamen uerius, admittendam constitutionem. Quid ergo, si post addictionem libertatum conseruandarum causa factam in integrum sit restitutus? Vtiq; non erit dicendum, reuocari libertates, quæ semel competierunt. *Concordat Inst.de eo cui libertatis. §.si is qui, his uerbis:* Si is qui in integrum restitui potest, abstinuerit hęreditate: an quamuis potest in integrum restitui, posßit admitti constitutio, & bonorum addictio fieri? Quid ergo, si post addictionem libertatum conseruandarum causa factam, in integrum sit restitutus? Vtiq; non erit dicēdum, reuocari libertates: quia semel competierunt. *Tertia propositæ replicationis duplicatio est: Nisi cæteris hæredibus repudiantibus, fiscus bona agnouerit. Hæc duplicatio reprobatur Inst.d.tt.§.& ne huius. cuius uerba uide ſ.ead.replic.in prin. Concordat d.l.4.§.eadem, his uerbis:* Eadem constitutio prospexit, ut si fiscus bona admiserit, ęquè libertates competant. Ergo siue iaceant bona fisco spernente, siue agnouerit: constitutio locum habet. Cæterùm si alia ratione agnoscat, apparet cessare debere constitutionem. Quare & si qua ducis legionis bona delata sunt, idem erit probandum. *Ait iurisconsultus:* Cæterùm si alia ratione agnoscat, apparet cessare debere constitutionem. *Hisce uerbis introducitur distinctio, sub qua duplicatio proposita approbatur, hæc scilicet: Nisi non ob id, quòd hæres scriptus nolit hæres esse, sed ob aliam causam bona defuncti iacentia fiscus agnoscat. tunc enim propositæ replicationi locus nō est. Cui concordat l.quod diuo.50.in prin.ff.de manumißis test. his uerbis:* Quod diuo Marco pro libertatibus conseruandis placuit, locum habet irrito testamento facto, si bona uendita sint. Alioquin uacantibus bonis fisco uindicatis, non habere constitutionem locum, apertè cauetur. *Sed & secundò admittitur duplicatio proposita, si in fraudem creditorum libertas relicta sit, eiusq; bona à fisco sint agnita. quæ distinctio approbatur l.ergo.4.§.si in fraudem.ibi: certè si fiscus. ff.de fideicom. libertat. cuius uerba uide ſ.dupl.5. Quarta duplicatio est: Nisi ex alia causa, quàm quòd hæres institutus hæreditatem repudiauerit, bona defuncti iaceant. Hæc duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt paulò superius dupl.prox.distinct.1. Quinta duplicatio est: Nisi is qui soluendo non est, in fraudem creditorum libertates reliquerit. Hæc duplicatio reprobatur d.l.4.§.si in fraudem, his uerbis:* Si in fraudem creditorum libertas data sit ab eo qui

mortis tempore soluendo non est: an competat? & siquidem fiscus bona non agnouerit, fortè cōpetet libertas: quia solidum creditori offertur. Atquin si hæreditas adita fuerit, non competet. Certè si fiscus agnouerit hæreditatem, facilius probabitur cessare libertatem: nisi quis uerba constitutionis secutus, dixerit ipsum sibi imputare debere, qui addici sibi hac conditione bona uoluerit, ut libertates competant. Si quis autem exemplum aditæ hęreditatis fuerit secutus: directæ libertates non competent, si consilium & euentus fuerit fraudandorum creditorum: nec fideicommissæ præstabuntur, si euentu fraudantur creditores. *Ait Iurisconsultus:* Certè si fiscus agnouerit hæreditatem, facilius probabitur cessare libertatem. *Hisce & uerbis sequentibus conditio, sub qua proposita duplicatio approbatur, proponitur, hæc scilicet: Nisi fiscus bona eius qui in fraudem creditorum libertates reliquit, agnouerit. Sexta duplicatio est: Nisi minor uiginti annis libertatem reliquerit. Hæc duplicatio reprobatur d.l.4.§.item si minor. cuius uerba uide ſ.cap.5.except.5.repl.14. Septima duplicatio est: Nisi non testamento, sed ab intestato libertates sint relictæ. Hæc replicatio reprobatur Instit.de eo cui libertatis caus.§.in primis, hisce uerbis:* In primis hoc rescriptum toties locum habet, quoties testamento libertates datæ sunt. Quid ergo, si quis intestatus decedens, codicillis libertates dederit, neq; adita sit ab intestato hæreditas: an fauor constitutionis debebit locum habere? Certè si intestatus decesserit, & codicillis dederit libertatem: competere eam, nemini dubium est. *Concordat l.2.ff.de fideicom.libertat.his uerbis:* Si quis intestatus decedens, codicillis dedit libertatem, neq; adita est ab intestato hæreditas: fauor constitutionis diui Marci debet locum habere & hoc casu: quæ iubet libertatem competere seruo, & bona ei addici, si idoneè creditoribus cauerit de solido, quod cuiq; debetur, soluendo. *Octaua duplicatio est: Nisi non proprio, sed alieno seruo libertas sit relicta. Hæc duplicatio reprobatur l.ergo.4.§.si alienos. ff.d.tt. his uerbis:* Si alienos seruos rogauerit hęredem manumittere: utrum dicimus constitutionem locum habere, an uerò cessabit constitutio? & magis est, ut locus sit constitutioni. addictis enim bonis, redimere & præstare libertatem cogitur à prætore. *Nona duplicatio est: Nisi non hæres, sed legatarius rogatus sit manumittere. Hæc duplicatio itidem reprobatur d.l.4. §.si non hæres, his uerbis:* Si non hæres, sed legatarius rogatus fuerit manumittere: nunquid cesset constitutio, quòd legatis non debitis, nec libertates possunt deberi? magisq; est, ut idē fauor sit. omnibus enim generaliter uoluit libertatem præstari, quibus competeret, si

hæreditas adita fuisset. *Decima duplicatio est: Nisi non ultima uoluntate libertas sit relicta, sed inter uiuos ab eo qui soluendo non est, data. Hæc duplicatio reprobatur Instit. de eo cui libertatis causa. §. hæc constitutio. ibi: quid ergo. cuius uerba uide §. dupl. proxim. Vndecima duplicatio est: Nisi nulla omnino libertas sit relicta. Hæc duplicatio approbatur d. §. hæc constitutio, his uerbis:* Hæc constitutio libertatum tuendarum causa introducta est. Ergo si libertates nullæ sunt datæ, cessat hæc constitutio. Quid ergo, si uiuus dederit libertates, uel mortis causa: & ne de hoc quæratur, utrum in fraudem creditorum, an non factum sit? idcirco uelint sibi addici bona: an audiendi sint? & magis est ut audiri debeant, etsi deficiant uerba constitutionis. *Duodecima duplicatio est: Nisi non purè, sed ex die uel sub conditione libertas sit relicta, nec dies uenerit, neque conditio extiterit. quæ duplicatio approbatur sub conditione l. ergo. 4. §. si ex die, cum sequentib. ff. de fideicomm. libertat. his uerbis:* Si ex die data sit libertas, an dies expectandus sit? & puto expectandum. Antè ergo non addicentur. Quid deinde, si sub conditione data sit libertas? & siquidem aliquæ purè, aliquæ sub conditione: utique addici statim possunt. Si omnes sub conditione: quid consequens erit dicere? utrum expectandum est, ut conditio existat: an uerò statim addicimus, & tunc demum competitura sit libertas, si extiterit conditio? quod magis erit probandum. Addictis itaq; bonis, directæ libertates purè datæ, statim competunt: ex die, cum dies uenerit: conditionales, cum conditio extiterit. Nec erit ab re existimare, etiam pendente conditione libertatum (licet omnes sub conditione datæ sint) constitutionem locum habere. ubi enim libertatis spes est, ibi dicendum est uel modica data occasione (quod sine damno creditorum futurum est) addictionem admittendam. *Decimatertia duplicatio est: Nisi hæres qui sese abstinuit, postea in integrum restituatur. Hæc duplicatio reprobatur per ea quæ dicta sunt §. duplic. 2. tripl. 1. Concordat l. quod diuo. 50. in fine. ff. de manumiss. testamen. cuius uerba uide §. dupl. 15. Decimaquarta duplicatio est: Nisi bona sint uendita. Hæc duplicatio reprobatur sub conditione l. cum constit. 15. in princ. C. de testam. manumiss. his uerbis:* Cum constitutio diui Marci declaret, si quis condito testamento, uel sine testamento moriens, ut locus fiat ab intestato successioni, libertates reliquerit, nemo autem adire uelit defuncti hæreditatem, eo quòd suspecta esse uideatur, & fuerint libertates forsitan & sine scriptis fideicommissariæ relictæ: licere uel cuilibet extraneo, uel uni ex seruis, qui & ipse libertate donatus est, & pro sua periclitatur conditione, adire hæreditatem sub hac conditione & satisdatione, quòd & creditoribus omnibus satisfaciat, & libertates imponat his quibus uoluit testator: uariæ dubitationes ex hac constitutione emerserunt. Nam si res hæreditariæ, hærede minimè inuento, uenierint: an & post uenditionem earundem rerum possibile sit, uel seruum, uel quemlibet alium adire, & recuperare quidem ab emptoribus res, satisfacere autem libertatibus & creditoribus, quærebatur. Et licet diuus Seuerus semel rebus uenditis hoc non admisit: nobis tamen Vlpiani sententia admodum placuit (maximè propter libertates, ne depereant) & post uenditionem rerum annale remedium dare diui Marci constitutioni, intra quod & creditoribus omnibus satisfiat, & emptores nihil noui patiantur, qui annalem sæpe sentiebant rescissionem: & licere seruo qui libertate donatus est, uel alij cuidam extraneo, uel ante uenditionem rerum, uel post uenditionem, intra annale tamen tempus, adire hæreditatem, & res recuperare, prius satisdatione danda, ut tam libertatibus quàm creditoribus satisfiat. *Hisce uerbis duplicatio proposita reprobatur, sub hac tamen conditione: Si intra annum post bonorum uenditionem quis bona libertatum conseruandarum causa petat sibi addici. Ergo duplicatio proposita admittitur, si post annum à uenditione bonorum numerandum quis bona sibi addici petat: hoc enim casu audiendus amplius non est. Decimaquinta duplicatio est: Nisi is qui bona sibi addici petit, creditoribus hæreditarijs non idoneè caueat de solido, quod illis debetur, soluendo. quæ duplicatio approbatur uerbis d. l. 15. iam propositis hisce:* Sub hac conditione & satisdatione, quòd & creditoribus omnibus satisfaciat, & libertates imponat his quibus uoluit testator. *Item uerbis hisce:* Prius satisdatione danda, ut tam libertatibus quàm creditoribus satisfiat. *Concordat Instit. de eo cui libertatis causa, in prin. ibi:* Si idoneè creditoribus cauerit de solido, quod cuiq; debetur, soluendo. *cuius reliqua uerba uide §. ead. repl. in prin. Item concordat l. quod diuo. 50. §. seruos. ff. de manumiss. testam. his uerbis:* Seruos testamento manumissos, ut bona suscipiantur, iure cautionem offerre idoneam, non minus quàm cæteros defuncti libertos aut extraneos, diuus Marcus declarauit. Quod beneficium minoribus annis hæredibus scriptis, auxilium bonis præstitum more solito desiderantibus, non aufertur. *Concordat item l. ergo. 4. §. addici, cum sequentibus. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Addici ita demum bona uoluit, si idoneè creditoribus cautum fuerit de solido, quod cuique debetur. Ergo cauendum est idoneè. Quid est idoneè? satisdatò utique, aut pignoribus datis. Sed & si ei fides habita fuerit

fuerit promittenti sine satisdatione, idoneè cautum uidebitur. Creditoribus autem caueri quemadmodum debet: utrum singulis, an uerò omnium nomine uni ab ipsis creato? & oportet officio iudicis constitui, conuenire creditores, unumque creare, cui caueatur omnium nomine. Illud uidendum est, an caueri debeat creditoribus, & sic addici bona: an uerò sub cõditione hæc sunt addicenda, si fuerit cautum? & puto sic comprehendendum decreto, si omnia ex constitutione diui Marci facta sunt. De solido utiq; sic accipiemus, de sorte & usuris debitis. *Decimasexta duplicatio est: Nisi non de solido quod debetur, sed de parte tantùm is qui bona sibi petit, addici creditoribus caueat. Hæc duplicatio ex iam dictis quidem constat, uerùm eius triplicatio hæc est: Nisi creditores consentiant. quæ triplicatio approbatur l. cum constitutio. 15. §. sin autem libertas. C. de testamen. manumiss. his uerbis:* Si libertatibus quidem omnibus satisfacere quis pollicea tur, creditoribus autem non in solidum, sed in parrem soluere creditum: illi autem huiusmodi pactionem admiserint: sancimus & in huiusmodi casu cõsultissimi principis locum habere constitutionem, & eum omnibus modis admittendum esse censemus: maximè cum ex uoluntate creditorum hæc interponitur. Nolentibus etenim creditoribus, admitti talem pactionem nullo modo concedimus. *Decimaseptima duplicatio est: Nisi non de omnibus seruis, quibus libertas relicta est, manumittendis caueat is qui bona sibi addici petit: uel non omnes manumittat. Hæc duplicatio constat ex ijs quæ proposita sunt §. dupl. 15. in prin. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi non omnes serui liberi esse uelint. quæ triplicatio approbatur d. l. 15. §. sin uerò quidam, his uerbis:* Sin uerò quidam ex seruis libertatem amplexi fuerint, alij autem censuerint esse respuendam: & in hunc casum extendenda est diui Marci oratio, & proculdubiò & in hac specie audiendus est petitor hæreditatis: & maneat liberum arbitrium seruorum, siue ad libertatem uenire uolent, siue in seruitute manere. Licet enim Romanam ciuitatem recusare nemini seruorum licitum sit: tamen in hoc casu, ne propter quorundam indeuotionem alij maneant in seruitute: nolentibus quidem omnibus seruis licere in libertatem peruenire, nolentibus autem quibusdam, uel recusantibus, spontaneam seruitutem imminere oportet: & quem patronum habere noluerint, dominum suum, & forsitan acerbum sentiant. *Decimaoctaua duplicatio est: Nisi non certiorato fisci præfecto bona sint addicta. Hæc duplicatio approbatur simul & distinguitur l. ergo. 4. §. si bona. ff. de fideicomm. libertat. his uerbis:* Si non certioratis præfectis ærario bona fuerunt libertatis conseruandæ causa addicta: uidendum est, an constitutioni locus sit? & siquidem talia fuerunt, ut agnosci debuerint, addictio cessat: si uerò non fuerint, addictioni locus est. *Decimanona duplicatio est: Nisi ij quibus libertas relicta est, non fuerint præsentes. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 4. §. illud uideamus, his uerbis:* Illud uideamus, utrum præsentes esse debeant qui libertatem acceperunt, an uerò non? & cùm inuitis alijs possint bona propter libertatem addici, utiq; etiam absentibus quibusdam poterunt addici. Quid ergo, si præsentes sint quidam, quidam absentes? uideamus, an etiam absentibus competat libertas? & potest dici, exemplo aditæ hæreditatis, competere libertatem etiam absentibus. *Vicesima duplicatio est: Nisi non is cui libertas relicta est, sed alius uel extraneus bona sibi addici petat. Hæc duplicatio reprobatur l. cum constitutio. 15. §. penult. ibi: quod priuilegium. C. de test. manumiss. his uerbis:* Hoc priuilegium damus non solùm seruo qui libertate donatus est, sed etiam ei cui nulla libertas relicta est: ut aliquid uenustum eueniat, ut per eum cui libertas relicta non est, alijs libertas imponatur. *Concordat d. l. 15. in prin. ibi: licere uel cuilibet. cuius uerba uide §. duplic. 14. Item concordat l. si hæreditas 6. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. repl. 6. in prin. Item concordat l. quod diuo. 50. §. seruos. ff. de manumiss. testam. cuius uerba uide §. duplic. 15. Vicesimaprima duplicatio est: Nisi ij quibus libertas relicta est, nondum sint manumissi. nam per solam bonorum addictionem liberi non efficiuntur. Quæ duplicatio approbatur l. ergo. 4. §. hi qui fideicom. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Hi qui fideicommissam libertatem acceperunt, non statim, ubi bona addicta sunt, liberi sunt: sed fideicommissam libertatem possunt consequi, hoc est, manumittendi sunt ab eo cui addicta bona sunt. *Concordat Instit. de eo cui libertatis causa. §. & ij quidem. cuius uerba uide §. ead. repl. 6. in prin. Huius duplicationis triplicatio est: Nisi directa, non fideicommissaria libertas sit relicta. Quæ triplicatio approbatur simul & distinguitur d. §. & ij quidem. Concordat d. l. 4. §. hi qui ad. cuius uerba uide paulò inferius effectu 2. Hactenus, an bona libertatum conseruandarum causa*

addicenda sint, & an ijs addictis libertas competat ex eius testamento, cuius hæreditas non est adita, tractatum est. Nunc, si plures bona libertatum conseruandarum causa sibi addici petant, quibus potissimùm ea sint addicenda, dispiciendum. Quæ quidem quæstio definitur l.cum constitutio.15. §.sed hoc quidem. C.de testam.manumiss.his uerbis: Sancimus, si non unus ueniat hæreditatis petitor, sed plures: siquidem uno momento uterque, uel ampliores, omnibus detur licentia communiter hæreditatem adire: prius satisdatione ab omnibus danda, ut creditoribus & libertatibus satisfaciant. Sin autem per interualla temporum hoc fiat: qui primus uenit, habeat prærogatiuam, si etiam satisdationem præstare potest. Illo autem cessante hoc facere, alij gradatim secundum tempora petitionis succedant: & hoc intra annale tempus obseruetur. Sin autem uno pollicente quosdam liberos facere, non autem totos, alius emerserit satisdationem paratus idoneam præstare, quòd omnibus creditoribus & omnibus libertatibus satisfaciat: æquissimum est eum admitti, ut omnes libertates indistinctè celebrentur. Quod priuilegium damus non solùm seruo qui libertate donatus est, sed etiam ei cui nulla libertas relicta est: ut aliquid uenustum eueniat, ut per eum cui relicta libertas non est, alijs libertas imponatur. Sed siquidem, antequam prior hæreditarias res & libertatem accipiat, hoc eueniat: secundo petitori, uel tertio, uel deinceps ampliores libertates pollicentibus fieri locum censemus. Sin autem iam rebus seruo, qui primus petijt hæreditatem, datis, & libertatibus ab eo quibusdam seruis hæreditarijs impositis, quidam seruus alius hæreditarius, uel quilibet extraneus hoc facere maluerit: licebit quidem hoc ei impetrare, & sub maioribus pollicitationibus & satisdationibus hæreditatem accipere: sed prior in libertate petitor maneat, licet res ab eo distrahantur: & his omnibus intra annum (secundum quod dictum est) celebrandis, ex quo prior petitor iudicem adierit.

Restat ut uideamus, qui sint addictionis propositæ effectus. Primus autem effectus est, quòd libertates competant perinde ac si hæreditas ab hærede instituto adita fuisset: de qua re in superioribus est dictum. Secundus effectus est, quòd ius patronatus in ijs quibus libertas relicta est, competat ei cui bona sunt addicta. qui effectus approbatur simul & distinguitur l.ergo.4. §.hi qui ad. ff.de fideicommiss.libert. his uerbis: Hi qui ad libertatem peruenerũt, quorum liberti fiant, constitutio ostendit: ut qui directam libertatem acceperunt, Orcini sint liberti: nisi fortè is qui sibi addici bona desiderat, ita uelit addici, ut etiam hi qui directam libertatem acceperunt, ipsius liberti fiant. Qui autem uolunt ipsius liberti fieri, utrum manumittendi sunt ab eo: an uerò ipsa addictione hoc comprehendendum, hac conditione sibi addici bona, ut hi etiam qui directam libertatem acceperunt, ipsius fiant liberti? & puto hoc esse probandum, ut ipsa addictione hoc comprehendatur: idque uerba constitutionis admittunt. *Concordat instit.de eo cui libertatis causa.§.& ij quidem. cuius uerba uide §.replic.proposita 6.in princ. Tertius effectus*: *Tutela eorum quibus libertas relicta est, ad eum cui bona addicta sunt, pertinet. Qui effectus approbatur d.l.4.§.cum autem, his uerbis*: Cùm autem seruus libertatem nactus est: utique etiam tutelam eius habebit, cui bona addicta sunt. *Quartus effectus*: *Bonis addictis, cessat bonorum uenditio. Qui effectus approbatur instit.de eo cui libertatis. §. hoc rescripto. cuius uerba uide §. replic.proposita 6.in prin. Quintus effectus*: *Bonis addictis, utilis actio creditoribus hæreditarijs aduersus eum cui addicta sunt, competit. Qui effectus approbatur l.in quem.3 ff.de fideicommiss.libertatibus, his uerbis*: In quem etiam utiles actiones plerunque creditoribus competunt. *Limitatur hoc quodammodò l.ergo.4. §.penult. ff.eod.tt. his uerbis*: Videamus, an conueniri à creditoribus possit hæreditarijs actionibus: an uerò non nisi ex cautione, quam interposuit? magisque est, ut non aliter conueniatur, quàm ex ea cautione, quam interposuit. *Sextus effectus*: *Bonis addictis, fiscus bona agnoscere amplius non potest. Qui effectus approbatur d.l.4.§.si bona, his uerbis*: Si bona fuerint à fisco non agnita, eaque addicta libertatis conseruandæ gratia: an possit fiscus postea agnoscere? & magis est, ne possit. *Huius effectus exceptio hæc est*: *Nisi non certioratis fisci præfectus bona sint addicta. Quæ exceptio approbatur ibidem, uersi. planè si non. cuius uerba uide paulò superius duplic.18. Septimus effectus*: *Ius sepulchri competit ei, cui bona sunt addicta. Quæ effectus approbatur d.l.4. §.is autem, his uerbis*: Is cui bona addicta sunt, bonorum possessori adsimilari debet: & secundum hoc & iura sepulchrorum poterit habere. *Octauus effectus*: *Bonis non uni, sed pluribus addictis, communio bonorum nascitur, eiusque iura competunt. Qui effectus approbatur d.l.4.§.fin.his uerbis*: Si duobus pluribusue addicta fuerint bona: & communem rem, & communes libertos habebunt, & secum familiæ erciscundæ iudicio experientur. *Hactenus de septima posterioris generis exceptione, & per digressionem de bonorum addictione libertatum conseruandarum causa, sit dictum.*

VIII. Exceptio: Nisi unus tantùm ex pluribus hæredibus institutis, hæreditatem adierit. hoc enim casu, quasi hæreditate non adita, libertates euanescere uidentur. Hæc exceptio reprobatur l.si legato.11.§.fin.ff.de manumiss.testam. his uerbis: Cùm testamento seruus liber esse iussus est: uel uno ex pluribus hæredibus institutis adeũte hereditatem, statim liber est. *Concordat l.testamento.23.§.testamento.ff.eod.tt.cuius uerba uide 3.cap.10.quæst.10.reg.4.*

IX. Exceptio: Nisi hæres, antequam adierit hæreditatem, cum creditoribus hæreditarijs pactus sit de parte debiti non petenda. Hæc exceptio reprobatur l. qui habebat.54.§.scripti. ff.de manumiss.testam. cuius uerba uide §.cap.5.except.6.repl.1.in prin.

X. Exceptio: Nisi hæres, postquam adierat hæreditatem, in integrum sit restitutus. Hæc exceptio reprobatur l.libertas.3.C.de testam.manumiss. his uerbis: Libertas testamento defuncti data, adita hæreditate contingit: & licet hæres scriptus per in integrum restitutionem abstinuerit hæreditate, tamen nihil ea res libertati obest.

XI. Exceptio: Nisi hæredibus scriptis, hæreditas ab hæredibus ab intestato uenientibus sit euicta. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt: §.except.7.in prin. Eius autem replicatio hæc est: Nisi hæredibus scriptis colludentibus sit euicta. Quæ replicatio approbatur l.si hæredes.11. C.de test.manumiss. cuius uerba uide §.d.except.7.repl.3.

XII. Exceptio: Nisi seruo uendito ut intra annum manumitteretur, emptor intra annum seruus sit pronunciatus. Hæc exceptio reprobatur l.Caius.21. ff.de manumissionib.his uerbis: Caius Seius Pamphilam hac lege emit, ut intra annũ manumitteretur, deinde intra annũ Seius seruus pronunciatus est. quæro, an lege uenditionis finito anno Pamphila libertatem consecuta sit? Paulus respondit, cum ea conditione an illam emptam domino adquisitam, cum qua uenisse proponeretur.

XIII. Exceptio: Nisi bona eius qui manumittere rogatus est, ad fiscum peruenerint. Hæc exceptio reprobatur l.non tantùm.51. in princ. ff. de fideicom.libert. his uerbis: Non tãtùm qui rogatus est manumittere, ad libertatẽ perducere potest: sed & successores eius, siue emptione, siue quo alio modo successerint. Sed & si nemo successor extiterit: ad fiscum ita tranfit, ut libertas ab eo præstetur.

XIIII. Exceptio: Nisi manumittere rogatus, hæreditatem uel legatum sibi relictum non adquirat. Hæc exceptio approbatur l.cum cui.8.ff.de fideicom.libert. his uerbis: Eum cui mille numi legati fuissent, si rogatus fuisset uiginti seruum manumittere: non cogi fideicommissam libertatem præstare, si legatum non caperet, constat. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est, Quòd quamuis is qui rogatus est, hæreditatem uel legatum repudiauerit: tamen alius, ad quem postea hæreditas uel legatum peruenit, cogi possit ad præstandam libertatem. Quæ replicatio approbatur l.cum uerò.26.§.si pro non.ff.de fideicom.libert.his uerbis*: Si

pro non scripto habitus sit seruus alicui legatus, cui seruo per fideicommissum libertas adscripta est: quæstionis est, nũ fideicõmissa libertas debeat intercidere: & an, si seruus petat fideicommissam libertatẽ ab eo, penes quem remansisset, &c. *Concordat l. post legatum.5.§.si seruum ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide §.cap.6.except.11.repl.1.dupl.8. Concordat l.peculium.67.§.fin. ff.de leg.1.his uerbis*: Titio Stichus legatus post mortem Titij libertatem accepit: & legatum adita hereditate, & libertas post mortem Titij competit. Idémque est, etsi moriente Titio liber esse iussus est. Si tamen Titio ex parte hærede instituto, seruus legatus, & post mortem eius liber esse iussus sit: siue adierit hæreditatem Titius, siue non adierit, post cuius mortem libertas ei data est, defuncto eo libertas competit. *Concordat item l.si pater.47.§.fin.ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Quædam, cum in extrema esset ualetudine, præsentibus honestis uiris cõpluribus & matre sua, ad quã legitima eius hæreditas pertinebat, ita locuta est: Ancillas meas Mæuiam & Seiam liberas esse uolo. & intestata decessit. quæro, si mater ex senatusconsulto legitimam eius hæreditatem non uindicasset, & hæreditas ad proximum cognatũ pertinuisset, an fideicommissa libertas debeatur? Iulianus respondit, deberi. nam eam quæ in extremis dixisset, Ancillas meas illam & illam liberas esse uolo: uideri ab omnibus qui legitimi hæredes, aut bonorũ possessores futuri essent, petijsse ut hoc fieri possit. *Concordat item l.Lucius.14. ff.eod.tt.his uerbis*: Lucius Titius testamẽto facto Seiam uxorem suam, item Titiam filiam cõmunem æquis partibus scripsit hæredes. Item alio capite: Erotem seruum meum, qui & Pyllus uocatur, liberum esse uolo, si uxori meæ placeat. Cum itaq; Seia uxor Lucij Titij abstinuerit ab eadem hæreditate, & ex substitutione portio eius ad Titiã filiã peruenerit: quæro, an Eroti, qui & Pyllus uocatur, ex his uerbis suprascriptis libertas competat? Modestinus, Eroti, quòd uxor testatoris hereditate se abstinuisset, nõ obesse respõdit. Item quæro, an Seia uxor, quæ se hereditate abstinuit, petenti Eroti libertatem iustè cõtradicere possit? Modestinus respondit, Seię dissensum nullius momẽti esse. *Concordat item l.cum proponas.8.C.eod.tt.his uerbis*: Cum proponas, fideicommissariã libertatẽ ita tibi datã, si uxori testatoris placuisset: licet ea non adeunte hæreditatem, pertinere cœperit ad filiam solida hæreditas: non refragante tamen uxore testatoris, potes petere libertatem. *Propositiæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæreditas rogato relicta ad hæredes ab inte-*

reprobatur l.Titia.59.§.puram.ff.de manumiss.testam. his uerbis: Puram & directam domini sui testamento libertatem Stichus acceperat. ex hæreditate multa per fraudem amouisse dicitur. quæsitum est, an antè in libertatē proclamare debeat, quàm ea quę ex hæreditate amouisse probari potuerit ab hęredibus, restituerit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, eum de quo quæritur, liberum esse. Claudius: Videtur absoluisse & id de quo quæritur. nam hæredibus satis consultum est edicto de furtis. Concordat l.fideicom.23.in prin.ff.de fideicom.lib. his uerbis: Fideicommissaria libertas prætextu expilatæ hæreditatis aut rationis gestæ nō differtur. Planè admittitur exceptio proposita, si seruus sub conditione rationum reddendarum liber esse iussus sit. Quæ distinctio approbatur l.Sticho.40. in prin.ff.de statuliberis, hisce uerbis: Sticho libertas data est: Ab hæredibus meis peto, fideique eorum committo, ut rationibus redditis Stichum manumittant. Quæsitum est, cùm ampla pecunia exacta post mortem testatoris sibi commissa reliquatus sit, & quasdam summas à colonis exactas rationibus non intulerit, hæreditatemq; spoliauerit, apertis clàm horreis, sublataq; supellectili & ueste, & apothecis exhaustis: an non prius fideicommissa libertas ei debeatur, quàm ea quę mala ratione & reliquatus & furatus est, reposuerit? Scęuola respondit, non prius ei fideicommissam libertatem præstandam, quàm & reliqua, & omnia quæ per eum abessent, restituisset.

XXII. *Exceptio: Nisi is qui in libertatem proclamat, nondum rationes reddiderit. Hæc exceptio approbatur l.Imp.34. ff. de liberali causa, his uerbis:* Imperator Antoninus constituit, non aliàs ad libertatem proclamationem concedendam cuiquam, nisi prius administrationum rationem reddidisset, quas cum in seruitute esset, gessisset. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi seruus libertatem fideicommissariam petat. Quæ replicatio approbatur l.si purè.37. ff.de fideicom.libertat. his uerbis:* Si purè data sit fideicommissa libertas, & is seruus rationes administrasse dicatur: diuus Marcus rescripsit, moram libertati non esse faciendam. Ex continenti tamen arbitrum dandum esse, qui computationem ineat. Verba rescripti ita se habent: Æquius uidetur, Trophimo ex causa fideicommissi præstari libertatem, quam sine conditione rationum reddendarum datam esse constat. neque humanū fuerit, ob rei pecuniariæ quęstionem libertati moram fieri: qua tamen repræsentata, confestim arbiter à prætore erit dandus, apud quē rationem, quam administrasse eum apparuit, ex fide reddat. Tantùm igitur rationem reddere cogetur: sed an & reliqua restituere debeat, nihil adijcitur: nec puto cogendum. Nam de eo quod in seruitute gessit, post libertatem cō ueniri nō potest. Corpora planè rationum, etsi quas res uel pecunias ex his detinet, cogendus est per prętorem restituere: item de singulis instruere. *Concordat l.fideicommissaria.23.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide s̄.except.prox. Concordat item l.si cognati.21. in prin.C.negociorum gestorum. cuius uerba uide j. cap.10. quæst.13. reg.9. Planè admittitur exceptio proposita in seruo communi ab uno ex socijs manumisso, l.1.§.fin autem seruus. C.de communi seruo manumisso. cuius uerba uide s̄. cap.6.except.11.repl.17.*

XXIII. *Exceptio: Nisi statuliber pœnæ seruus sit effectus. Hæc exceptio approbatur l.si statulibera. 6.in prin. ff. de statuliberis. cuius uerba uide s̄.cap.3. causa 1.except.5.repl.5. Concordat l.generaliter.24.§. si seruus.ff.de fideicom.libertat.cuius uerba uide s̄.cap. 6.except.19. Huius autem exceptionis replicatio est: Nisi pœna postea sit liberatus. Quæ replicatio approbatur d.§.si seruus. Concordat l.Aristo.46.ff.de manumiss.testam. his uerbis:* Aristo Neratio Apiano rescripsit, Testamento liber esse iussus, cum annorum triginta esset, si antequam ad eam ætatem peruenisset, in metallum damnatus sit, ac postea reuocetur: sine dubitatione cum libertate legatum ad eum pertinere, neque metallorum pœna ius eius mutari. Nec aliud, si hæres esset sub cōditione institutus: futurum enim eum etiā necessarium.

XXIIII. *Exceptio: Nisi seruus ab hostibus captus, & ibidem manumissus, ad suos reuertatur. tunc enim iure postliminij recidit in potestatem ueteris domini. Quæ exceptio approbatur l.in bello.12.§.si quis seruum.ibi: certè apud hostes.ff.de captiuis.cuius uerba uide j.lib.50.cap.3.quæst.5.except.11.repl.1.dupl.2.*

XXV. *Exceptio: Nisi seruus cui libertas relicta est, ob participandum preciū se uenire patiatur. Hæc exceptio approbatur l.Licin.4.ff.quib.ad libertat.proclamare non licet, his uerbis:* Licinius Rufinus Iulio Paulo: Is cui fideicommissa libertas debebatur, post uicesimum annum se uenire passus est. quæro, an denegandum sit ei ad libertatem proclamare? mouet me exēplum cuiusuis liberi hominis. nam & si, cū consecutus esset libertatem, se uendidisset: denegaretur ei ad libertatem proclamare. Nec debet meliore loco intelligi, qui in seruitute constitutus, passus est se uenundari, quàm si esset libertatem consecutus. Sed econtrariò mouet me, quòd in hoc de quo quæritur, uenditio constitit, & est qui ueneat: in libero autem homine neq; uenditio cōstitit, & nihil est quod ueneat. Peto itaq; me ut plenissimè instruas. Paulus respōdit: Venditio quidem tam serui quàm liberi contrahi

contrahi potest, & de euictione stipulatio contrahitur. Non enim de eo loquimur, qui sciens liberum emit. nam aduersus hūc nec ad libertatem proclamatio denegatur. Sed is qui adhuc seruus est, etiam inuitus uenire potest: quamuis & ipse in eo malus sit, quòd de conditione sua dissimulat: cum in sua potestate habeat, ut statim ad libertatem perueniat. Quod quidem non potest ei imputari, cui nondum libertas debetur. Pone statuliberum passum se uenundari, nemo dicturus est, superueniente conditione, quę non fuit in eius potestate, libertatis petitionem ei denegandam. Idem puto, & si in ipsius potestate fuerit conditio. Sed in proposito magis probandum est, ut denegetur ei libertatis petitio, qui potuit petere libertatem, & maluit se uenundari: quia indignus est auxilio prætoris fideicommissarij. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruus, qui patitur se uenundari, nondum libertatē petere potuit. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quod quidem non potest ei imputari, cui nondum libertas debetur. Pone statuliberum, &c. *Secunda replicatio est: Nisi non participatus sit precium seruus, qui se uenire passus est. Quæ replicatio approbatur l.1.in fine.C.quibus ad libert.proclamare.cuius uerba uide s̄.cap.3.causa 3.except.1.replic.3. Tertia replicatio est: Nisi non uendi, sed donari, uel in dotem dari se passus est seruus. Hæc replicatio reprobatur l.si usumfructum.23.§.1.ff. de liberali causa. cuius uerba uide d.except.1. replic.8. Reliquas replicationes uide s̄.d.causa 3.*

XXVI. *Exceptio: Nisi seruus liber hæresq; esse iussus, hæres non existat. Hæc exceptio reprobatur l.si seruus.4.§.sed hoc quantum. ff.de reb.iudicis author. possid. cuius uerba uide s̄.lib.8.cap.6. quæst.1. causa 4. Concordat l.2.§.penult. ff. de statuliberis. cuius uerba uide j.except.28.distinct.2. Item l.diuus.26.ff.de manumiss.test.his uerbis:* Diuus Pius & diui fratres fauorabiliter rescripserunt, cùm seruo cum libertate substituto legatum erat, si hæres nō esset, non adscripta libertate: perinde haberi, atq; si adscripta ei esset libertas. *Item cōcordat l.2. ff. eod.tt. cuius uerba uide j.cap.prox. except.38.repl.13. Item concordat l.cum seruus.14.ff.cod. tt.cuius uerba uide j.d.repl.13. Item concordat l.Antoninus.42. ff.de fideicom.libert. cuius uerba uide s̄.except. 7.repl.6.*

XXVII. *Exceptio: Nisi seruus cui libertas relicta est, sit alienatus. Hæc exceptio reprobatur l.generaliter.24.§.quoties.ff.de fideicom.libertat. cuius uerba uide j.cap.10.quæst.6.reg.2. Concordat l.statuliberis.13. C.de testam.manumiss.cuius uerba uide s̄.except.18. Itē concordat l.2.in princip.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Qui statuliberi causam adprehēdit, in ea cōditione est, ut siue tradatur, salua spe libertatis alienetur: siue usucapiatur, cū sua causa usucapiatur: siue manumittatur, non perdat spem orcini liberti. Sed statuliberi causam non prius seruus nanciscitur, nisi adita uel ab uno ex institutis hæreditate. Cæterùm ante aditionē siue traditur, siue usucapitur, siue manumittitur: spes statutæ libertatis intercidit. *Concordat item l.statul.9.in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Statuliberum medio tempore seruū hæredis esse, nemo est qui ignorare debeat. Eapropter noxæ dedi poterit. Sed deditus sperare adhuc libertatem poterit: nec enim deditio spem illi adimit libertatis. *Concordat d.l.9.§.1.cuius uerba uide j.cap.10. quæst.6. reg.2. Item concordat l.non tantùm.51.§.cui per.ff.de fideicom.libertat.his uerbis:* Cui per fideicommissum libertas debetur, liberi quodāmodò loco est, & statuliberi locū obtinet: uel eo magis, quòd nec in alium transferendus est, ut aut libertas eius impediatur, aut iura patronorum grauiora expediatur. *Planè admittitur exceptio proposita primùm, si testator seruum alienauit. de qua re uide s̄.eod.cap.except. 4. Deinde admittitur exceptio proposita, si creditor seruum sibi pignori obligatum uēdidit. Quæ distinctio approbatur l.posteaq.51.ff.de fideicom.libert. his uerbis:* Posteaquam à creditore alienati sunt serui, quibus fideicommissa libertas adscripta est: non nisi ex iusta causa aduersus hæredem subueniri eis posse, Vlpianus scribit. *Sed & plures distinctiones, quib. exceptio proposita admittitur, uide j.except.prox. Sed & plura de ea uide j.cap.10.quæst.6.reg.2.*

XXVIII. *Exceptio: Nisi seruus, cui libertas relicta est, sit usucaptus. Hæc exceptio reprobatur l.generaliter.24.§.quoties. ff.de fideicom.libert. cuius uerba uide j.cap.10.quæst.6.reg.2. Concordat l.statuliberis. 13.C.de testam.manumiss. cuius uerba uide s̄.except.18. Item concordat l.2.in prin.ff.de statuliberis.cuius uerba uide suprà except. prox. in prin. Planè admittitur exceptio proposita primùm, si nondum adita hæreditate, seruus cui libertas relicta est, usucaptus sit. Quæ distinctio approbatur d.l.2. in princ. his uerbis:* Sed statuliberi causam non prius seruus nanciscitur, nisi adita uel ab uno ex institutis hæreditate. Cæterùm ante aditionem siue traditur, siue usucapitur, siue manumittitur: spes statutæ libertatis intercidit. *Planè hoc casu, adita postea hæreditate, spes libertatis, quæ per usucapionem intercidit, redintegratur: quod notandum pro prima propositæ distinctionis replicatione. quæ approbatur l.statul.9.§.fin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliberi conditio ita demū immutabilis est, si adita hęreditas fuerit. Cęterùm ante aditam hæreditatem in propriam usucapitur seruitutem, libertatisq; spes infringitur. Sed adita postea hæreditate, spes libertatis fauore sui redintegrabitur. *Concordat l.sed & si.55.§.fin.ff.de fideicom.libertatib. cuius uerba uide s̄.cap.3. causa 1. except.13. repl.1.duplic.1. Secunda iam dictæ distinctionis replicatio est:* Nisi

Nisi cum seruus in tabulis pupillaribus libertatem accepisset, post aditā patris hæreditatē, uiuo adhuc pupillo sit usucaptus, uel alienatus. hoc enim casu, quāuis pupilli hæreditas nondū sit adita, nihilominus cum sua causa usucapitur & alienatur. Quæ replicatio approbatur *d.l.2.§.1.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Sed & si in tabulis impuberis seruo sit libertas adscripta: an uiuo pupillo, uidelicet post aditionem hęreditatis patris, statuliber sit? Cassius negat: Iulianus contrà existimat. Quæ sententia uerior habetur. Plus scripsit Iulianus, & si legatus sit seruus ab hærede patris, liber esse iussus in pupillaribus tabulis, præualere libertatis dationem. *Concordat d.l.2.§.fin. his uerbis*: Quocunq; gradu pupillo seruus cum libertate substitutus sit, necessarij causam obtinet. quæ sententia utilitatis causa recepta est, & à nobis probatur. Celsus quoque putat libro XV. cum libertate substitutum statuliberi causam obtinere. *Concordat item l.in tab.36.ff.eod.tt.his uerbis:* In tabulis secundis filio seruum data libertate substitutum, iure statuliberi prudentes munierunt. Quod utilitas recipit, scilicet ut cum sua causa alienetur, ne patris testamentum puer filius rescindat. Quæ iuris authoritas citra delectum ordinis ad secundum quoque uel tertium substitutum porrecta est. *Hæc de prima distinctione, qua exceptio proposita admittitur, eiusq; replicationibus sint dicta. Secundò admittitur exceptio proposita: Si seruus sub conditione cum libertate pro parte hæres institutus, usucaptus sit. Quæ distinctio approbatur l.2.§.si in primis.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Si in primis tabulis sub conditione seruus cum libertate ex parte dimidia hæres sit institutus, an statuliberi causam obtineat, ut adeunte cohærede cum sua causa usucapiatur? & cum à semetipso libertatem acceperit, non potest statuliberi causam obtinere. *Huius distinctionis replicatio hæc est: Nisi conditio institutionis defecerit. Quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Planè si conditio hæreditatis deficiat (quo casu secundum Iulianum libertatem adipiscitur) dicendum est, statuliberi causam obtinere: eo quòd non à semetipso, sed à cohærede accepisse libertatem creditur. *Tertiò admitti uidetur exceptio proposita, si seruo alij legato libertas sub conditione relicta sit. Sed hæc distinctio reprobatur l.Stichum.39.in prin.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Stichum Attio do lego: & si is numos ei centum dederit, liber esto. si seruus ex testamento numos Attio dedisset, eos repetere hæredem nō posse, Labeo existimat: quia Attius eos à seruo suo acceperit, non ab hæredis seruo. Eum autem statuliberum esse, Quintus Mutius, Gallus, & ipse Labeo putant: Seruius, Ofilius, non esse. Superiorem sententiam probo: ita tamen, ut is seruus hæredis, non legatarij sit: utpote cum legatum statuta libertate tollatur.

XXIX. Exceptio: *Nisi libertate seruo relicta, uel eo uendito ita ut manumittatur, manumissus non sit. Hæc exceptio approbatur l.si seruus.11.C.de fideicom. libertat.his uerbis:* Si seruus fuisti, ac tibi per fideicommissum libertas relicta fuit: prouides, sine manumissione te ad libertatē peruenire non potuisse. Quapropter si uerbis precarijs constitutus seruus libertatem accepisti: adire præsidem prouinciæ te oportet, ut causa cognita, si tibi deberi libertatē prospexerit, ad manumittendum eum qui debet urgeat: uel si latitet, cōtra latitantem interposito decreto tibi prospiciat. *Concordat l.ergo.4.§.hi qui fideicommissum.ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.except.7.repl.6.dupl.21. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruo alienato ita ut intra certum tempus manumittatur, tempus illud extiterit. tunc enim, quamuis manumissus non sit, ipso tamen iure sit liber. Quæ replicatio approbatur l.seruum.8.in fine.ff.de iure patronatus, hisce uerbis:* Seruus non manumissus libertatem consequitur (scilicet) is qui ea lege distractus est, ut manumittatur intra tempus: quod superueniens, licet non manumittatur, facit tamen libertum emptoris. *Concordat l.2.C.si mancip. ita fuerit alienatum, ut manumitt.his uerbis:* Si ea lege Chrestes seruum, sed naturalem filium uenūdedit, ut emptor eum manumitteret: quamuis non est manumissus, ex constitutione diuorum Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum, liber est. *Concordat item l.eum qui.3.ff.qui sine manumiß. cuius uerba uide s̃.except.3.repl.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi tempus manumißionis non sit adiectum. Hæc duplicatio reprobatur l.ult.ff.qui sine manumiß. ad libert.peruen. cuius uerba uide j. cap.10. quæst.10. reg.10. Concordat l.ei qui.4.ff.eod.tt.his uerbis:* Ei qui hac lege emptus sit, ut à uiuo emptore manumittatur: statim mortuo eo, competit libertas. *Secunda duplicatio est: Nisi ita sit alienatus, ut si nō manumittatur, liceat uēditori manus inijcere, uel alia pœna sit adiecta. Hæc duplicatio reprobatur l.causam.20.§.puellam.ff.de manumiß.his uerbis:* Puellam ea lege uendidit, ut post annum ab emptore manumitteretur: quòd si non manumisisset, cōuenit ut manum inijceret, aut decem aureos emptor daret. Non seruata fide, nihilominus ex sententia constitutionis liberam fieri, Papinianus respondit: quoniam manus iniectio plerunque auxilij ferendi causa interuenit. Itaque nec pecunia petetur, cum emolumentum legis uoluntate uenditoris secutum sit. *Concordat l.si puellam.6.C.si mancip.ita aliena.ut manu.his uerbis:* Si puellam ea lege uendidisti, ut manumitteretur, & si manumissa non esset, centum aurei

aurei præstarētur: nō seruata fide, nihilominus eam raptam ex uestigio seruitutis ad libertatē, quæ præstari potuit, cōstitit, nec pecunia quasi rupta fide suscepta rectè petetur: cùm non mutata uenditoris uoluntatē, conditionis potestatem post manumittentis factum repræsentari optima ratione placuit. *Item concordat l.qui Romæ.122.§.Flauius, in fine.ff.de uerb.obligationib.his uerbis:* Flauius Hermes hominē Stichum manumissionis causa donauit, & ita de eo stipulatus est, &c. *Tertia duplicatio est: Nisi uenditor uoluntatem manumittendi mutauerit. Hæc duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Cum non mutata uenditoris uoluntate. *Concordat l.1.ibi: si modò.C.eod.tt. cuius uerba uide j.duplic.5. Item concordat l.mancipia.8.ff.qui sine manumiß.his uerbis:* Mancipia mater filiæ donauerat, ut filia curaret ea post mortem suam libera esse. Cum donationis legi non esset obtemperatum, ex sententia constitutionis diui Marci libertatem obtingere matre consentiente, Papinianus respondit: quòd si ante filiam mater uita decesserit, omnimodò. *Plura de hac duplicatione uide s̃.eod.cap.except.3. Quarta duplicatio est: Nisi non in ipsa emptione, sed pòst, ut manumittatur, conuenit. Hæc duplicatio approbatur l.Paulus.38.in prin.ff.de liberali causa, his uerbis:* Paulus respondit, si (ut proponitur) post perfectam sine ulla conditione emptionem postea emptor ex uoluntate sua literas emisit, quibus profiteretur se post certum tempus manumissurum eum quem emerat: non uideri eas literas ad constitutionem diui Marci pertinere. *Quinta duplicatio est: Nisi non uenditus, sed ex alia causa traditus sit seruus, ut manumittatur. Hæc duplicatio reprobatur l.1.C.si mancip.ita alienat.ut manumit.his uerbis:* Si posteaquam te Patroclus Hermiæ donationis causa dedit, lege dicta, ut si quindecim annis continuis seruisses, ad libertatem perducereris, ita ut ciuis Romanus esses: tempore peracto (si modò Patroclus non contrariæ uoluntatis fuerit, aut etiamsi iam decesserit) ad libertatem peruenisti: quoniam placuit, non solùm ad uenditos, sed etiam ad donatos eam legem, ut manumitterētur, pertinere. Nec te potuit, translato semel dominio in Hermiam, postea alij Patroclus uendere. Et ideo non de præstanda tibi libertate, quam ex constitutione iam fueras adeptus, litigare debuisti: sed libertatem quam obtinueras, defendere. *Concordat l.mancipia.8.ff.qui sine manumis. cuius uerba uide s̃. duplicat.3. Sexta duplicatio est: Nisi uxori à marito seruus ita sit donatus, ut manumittatur. Hæc duplicatio approbatur l.quod autem.7.§.uxori.ff.de donat.inter uirum & uxor.his uerbis:* Vxori quis donauit seruum ita, ut eum intra annum manumitteret. an si mulier non obtemperet uoluntati, constitutio diui Marci imponat ei libertatem, siue uiuit, uel etiam diem suum obijt? Et ait Papinianus, cùm Sabini sententia sit recepta, qui putat tunc fieri seruum eius cui donaretur, cum libertas cœperit imponi: ideóque nec si uelit mulier, post exactum tempus possit manumittere: rectè dici, non esse constitutioni locum, nec uoluntatem mariti posse cōstitutioni locum facere, cum proprium seruum ipse possit manumittere. Quæ sententia mihi quoq; probatur: quia uenditor siue donator non sibi legem uolunt imponere, nec possunt, sed ei qui accepit. Dominio igitur penes se remanente, nequaquam effectum habebit constitutio. *Septima duplicatio est: Nisi seruus alij sit obligatus. Hæc duplicatio reprobatur l.si quis.6.ff.qui sine manumiß. cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide s̃. cap.6.except.11.replic.4. Octaua duplicatio est: Nisi tempus manumittendi in mortem emptoris sit collatum. Hæc duplicatio reprobatur l.ult.ff.de seruis exportandis, hisce uerbis:* Cum uenderet Pamphilam & Stichum, uēditioni inseruit pactum conuētum, ut ne ea mancipia Pamphila & Stichus, quos minori precio uendidit, alterius seruitutem quàm Seij paterentur, post mortemq; eius in libertatem uocarentur. quæsitum est, an hæc mancipia, de quib. inter emptorem & uenditorē conuenit, post mortē emptoris iure ipso liberata sint? Scęuola respondit, secundum constitutionem diui Hadriani super hoc prolatam, Pamphilam & Stichū, de quibus quæreretur, si manumissi non sint, liberos non esse. Claudius: Diuus Marcus ex lege dicta libertatis in uendendo (quamuis non manumissos) fore liberos in semestribus constituit: licet in tempus mortis emptoris distulit uenditor libertatem. *Nona duplicatio est: Nisi tam emptor quàm uenditor sine hærede decesserit. Hæc duplicatio reprobatur l.1.ff.qui sine manumiß.his uerbis:* Si seruus uenditus est, ut intra certū tempus manumittatur: etiamsi sine hærede decessisset & uenditor & emptor, seruo libertas cōpetit. Et hoc diuus Marcus rescripsit. *Decima duplicatio est: Nisi ita conuenit, ut seruus uenditus post certū tempus liber esset, non ut eum emptor manumitteret. Hæc duplicatio reprobatur l.si iusta.3.C.si mancip.ita fuerit alienatū, ut manum. his uerbis:* Si Iusta Saturnino puellā nomine Firmam, agētem tunc annos septem, hac lege uendiderit, ut cū haberet annos uigintiquinq;, libera esset: quamuis factū ab emptore præstandæ libertatis pacto non sit insertū, sed ut libera esset expressum: tamen constitutioni diuorum Marci & Cōmodi in semestribus scriptę locus est. Ideoq; impleto uicesimoquinto anno, Firma libera facta est: nec obest ei,

quòd uicesimoseptimo anno manumissa est, quæ iam ex constitutione libera erat, & is quę post uicesimũquintũ annũ ex te conceptum enixa est. *Vndecima duplicatio est: Nisi multò post tempus, quo manumitti debuit, elapsum, seruus se manumitti petierit. Hæc duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Nec obest ei, quòd uicesimoseptimo anno manumissa est, &c. *Duodecima duplicatio est: Nisi à minore seruus uenditus sit, ut manumitteretur. Quæ duplicatio approbatur l. uerùm de dolo. 11. §. quid si minor. uers. & magis est. ff. de minor. 25. annis. cuius uerba uide ĩ. lib. 49. cap. 4. quæst. 4. except. generali 4. rep. 3. Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi dominus pro libertate serui pecunia acceptà, seruũ nõ manumiserit. hoc enim casu seruus ipso iure liber efficitur. Quæ replicatio approbatur l. Paulus. 38. §. 1. ff. de liberali causa, his uerbis:* Paulus respondit, cõstitutionem quidem diui Marci ad eorum mancipiorum libertatẽ pertinere, quæ hac lege uenissent, ut post tempus manumitterentur: sed eundem fauorem libertatis cõsequendæ causa etiam eam mereri, pro qua dominus precium accepisset, ut ancillã suam manumitteret: cũ idem etiã libertam habiturus esset. *Concordat l. si is qui. 4. C. si mancipiũ ita fuerit alien. ut manum. his uerbis:* Si is qui precium pro te acceperat, ut statuto tempore te libertati donaret, moram repromissæ libertati præstitit: ex eo tempore te liberam esse effectam manifestũ est, ex quo, cum posit dari libertas, non est præstita: & ideo ex te natos ingenuos uideri, non incertæ opinionis est. *Tertia replicatio est: Nisi is qui ex causa fideicommissi libertatem debet, latitet, uel aliàs manumittere nolit. tunc enim decreto prætoris interposito, seruus liber efficitur sine manumissione. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ĩ. lib. prox. cap. 1. quæst. 4. reg. 8. except. 1. Quarta replicatio est: Nisi directa in testamẽto libertas sit relicta. nam nec hoc casu manumissione alia est opus. Quæ replicatio approbatur l. ergo. 4. §. bi qui ad. ibi: qui autem uolunt. ff. de fideicom. libertatib. de qua re uide item suprà eod. cap. except. 7. replic. 6. dupl. 21.*

XXX. *Exceptio: Nisi instrumentum manumissionis nullũ interuenerit: uel id quod interuenit, amissum sit. Hæc exceptio reprobatur l. sicut. 25. C. de liberali causa, his uerbis:* Sicut instrumẽta prætermissa manumissionis rectè factæ nullũ adferunt præstitæ libertati præiudicium: ita si seruũ ad libertatem produxisti, instrumentorum amissio nihil ei nocere potest.

XXXI. *Exceptio: Nisi testamentum, in quo libertas relicta est, ruptum uel irritum sit factum. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ĩ. cap. proxim. except. 16.*

XXXII. *Exceptio: Nisi cum mortis causa seruus manumissus esset, manumissor conualuerit. Hæc exceptio reprobatur l. mortis. 15. §. ff. de manumissionib. cuius uerba uide ĩ. except. 3.*

XXXIII. *Exceptio: Nisi causa ob quam manumissio facta est, non sequatur. Hæc exceptio reprobatur exemplo l. nõ tantùm. 51. §. fin. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Si matrimonij causa quis manumittere rogatus est, non est cogendus eam uxorem ducere: sed sufficit fideicommissa libertas.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi cum alicui tanquam pedissequæ libertas relicta esset, ea mortis testatoris tempore pedissequa esse desierit. Hæc exceptio reprobatur l. Titia. 59. in princip. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Titia seruis quibusdam & ancillis nominatim directas dedit libertates, deinde ita scripsit: Et pedissequas omnes, quarum nomina in rationibus meis scripta sunt, liberas esse uolo. quęsitum est, an Eutychia, quæ testamenti facti tempore inter pedissequas libertatem acceperat, mortis autem tempore inueniatur factori in contubernio tradita, ex generali capite pedissequarum libertatem cõsequi posit? Scæuola respondit, nihil impediri libertatem pedissequæ, quæ mortis demùm tempore pedissequa esse desijt.

XXXV. *Exceptio: Nisi ancilla, quæ cum filijs libera esse iussa est, filios non habeat uel ij quos habet, ad libertatem peruenire non possint. Hæc exceptio reprobatur l. si ita. 15. §. sed & si. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Si ancilla cum filijs libera esse iussa sit, etsi nullos habet, erit libera: uel si habeat quidem, filij autem eius ad libertatem peruenire non possunt. Idem erit dicendum, etsi ipsa libera esse non posit, ut filij eius ad libertatem perueniant. nam hæc adiectio, CVM FILIIS, non facit conditionem: nisi mihi proponas aliam sententiam testatoris fuisse. tunc enim pro conditione erunt hæc uerba accipienda. Conditionem autem non facere, argumento est edictũ prætoris, quo ita cauetur: Ventrem cum liberis in possessionem esse iubebo. Placet enim, etsi nulli de liberis sint, uentrem tamen ex edicto in possessionem esse mittẽdum. *Plura de exceptione proposita uide ĩ. lib. 34. cap. 5. quæst. 2. specie 4.*

XXXVI. *Exceptio: Nisi cum libertas seruo relicta esset, cum alius, puta Titius, sedecim annorum esset: Titius mortuus sit, antequam sedecim annorum sit factus. Hæc exceptio reprobatur l. si ita. 16. ff. de manumiss. testam. his uerbis:* Si ita scriptum fuerit, Cum Titius annorum triginta erit, Stichus liber esto, eiq; hæres meus fundum dato: & Titius antequam ad annum tricesimum peruenerit, decesserit: Sticho libertas competet, sed legatum non debebitur. nam si fauore libertatis id receptum est, ut mortuo

tuo Titio tempus superesse uideatur, quo impleto libertas contingat: circa legatũ defecisse conditio uidetur. *Concordat l. fideicommissaria. 23. §. etiam. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Etiam fideicommissaria libertas à filio post certam ætatem eius data, si ad eam puer nõ peruenit, ab hærede filij præstituta die reddetur. Quam sententiã iure singulari receptam, ad cætera fideicommissa relicta porrigi non placuit. *Concordat item l. Thais. 41. §. libertatem, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. libro 34. cap. 7. condit. 8. reg. 2. except. 4. repl. 3. Concordat itẽ l. si seruus. 19. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si seruus liber esse iussus sit, & legatum ei datum, Si filius decimumquartum annum compleuerit: & filius ante decesserit: libertas fauore competet die ueniente, legati autem conditio deficit. *Concordat item l. fideicom. 10. C. de fideicom. libertat. his uerbis:* Fideicõmissaria quidem libertas ita tibi relicta, Cum testatoris filius ad annum uicesimum quintum perue nisset, non intercidit, licet hæredem intra præstitutum ætatem decessisse proponas. tempore quidem, quo si uiueret, præfinitã ætatem impleturus foret, spem libertatis non intercidere, uetus placitum est. *Ait Imp.* Tempore quidem, quo si uiueret, &c. *Huic concordant ea quæ habentur ĩ. lib. 33. cap. 8. reg. 3. except. 2. cum sequentib. Sed propositã exceptio replicatio potius est ĩ. except. 38. repl. 23. notanda.*

XXXVII. *Exceptio: Nisi cum post mortem Titij tanquam hæredis libertas relicta esset, Titius hæres non existat. Hæc exceptio reprobatur l. peculium. 67. in fine. ff. de leg. 2. cuius uerba uide* ĩ. except. 14. repl. 1.

DE EXCEPTIONIBVS ADVERsus manumissionem & libertatis dationem, sumptis ex ijs quæ circa conditionem, sub qua libertas relicta est, contingunt. Cap. IX.

XXXVIII. *Exceptio: Nisi conditio, sub qua libertas relicta est, defecerit, uel nondum exiterit. Hæc exceptio approbatur l. statulib. 3. in prin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliberos conditioni parère oportet, si nemo eos impediat, & sit cõditio possibilis. *Concordat l. scio. 61. §. & si ita in testamento. ff. de manumiss. testam. cuius uerba uide* ĩ. *cap. 7. except. 63. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non per eum cui libertas relicta est, sed per alium steterit, quo minus conditio impleatur. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si nemo eos impediat. *Concordat d. l. 3. in prin. his uerbis:* Sed si in hæredis persona iussus sit parère conditioni: quid dici debeat? & si quidem paruit conditioni: statim liber est, etiam inuito hærede. Quòd si non patitur hæres pareri: puta, offert decem quæ dare iussus erat: proculdubiò liber est: quia per hæredẽ stare uidetur, quo minus conditioni pareatur. *Concordat item d. l. 3. §. non solùm, his uerbis:* Non solùm autem si hæres mora facit libertati, sed & si tutor, uel procurator, uel alius quiuis, in cuius persona conditioni parendum est, libertatem competere dicemus. Et sanè hoc iure utimur in statulibero, ut sufficiat, per eum non stare, quo minus conditioni pareat. *Concordat item d. l. 3. §. si quis hæredi. cuius uerba uide* ĩ. *except. 55. replic. 1. Concordat item d. l. 3. §. fin. his uerbis:* Item si hæredi seruire iussum statuliberum hæres uendidit, & tradidit: credo statim ad libertatem peruenire. *Item concordat l. cum hæres. 4. §. si duobus, in fine. ff. de statuliberis. cuius uerba uide paulò superius. Concordat item l. si peculiũ. 20. §. is cui, in fine ff. eod. tt. cuius uerba uide* ĩ. *repl. 7. Item concordat l. si hæreditas. 28. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ĩ. *except. 55. repl. 1. Concordat item l. dedi tibi. 3. §. fin. ff. de condict. dati causa non secuta, his uerbis:* Quanquam permissum est statulibero, etiam de peculio dare implendæ conditionis causa: si tamen uult hæres numos saluos facere, potest eum uetare dare. sic enim fiet, ut statuliber perueniat ad libertatem, qua ĩpleta cõditione, cui parère prohibitus est: & nũmi nõ peribũt. sed is quẽ testator accipere uoluit, aduersus hæredem in factũ actione agere potest, ut testatori pareatur. *Sed & plures propositæ replicationis species & exempla uide in Replicationibus proximè sequentibus. Planè huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi per alium quàm hæredem stet, quo minus conditioni pareatur. Hæc duplicatio reprobatur l. statuliberos. 3. §. nõ solùm autem si hæres. ff. de statuliberis. cuius uerba uide paulò superius. Planè admittitur duplicatio proposita primùm, si alieno seruo libertas sub conditione relicta sit, ab hærede redimẽdo. tunc enim, quamdiu nec per seruum, neque per hæredem, sed per aliũ stat quo minus conditioni pareatur: non habetur ea*

pro impleta. Quæ distinctio habetur l.libertate.55.ff. de manum.test. his uerbis: Libertate sub conditione data, huc iam decursum est, ut si per statuliberum non stet, quo minus conditioni pareat: quamuis ne per hæredem quidē stet, tamen ad libertatem perueniat. Quod credo responderi oportere, etsi per fideicommissum utique hæreditarijs seruis libertas data fuerit. Non absurdè & de hæredis seruis idem dicetur. De his autem quos redimendos habebit, non iniustè dubitamus: siquidem eo casu iniquum erit, hæredem perinde compelli debere redimere eos, atq; si conditio impleta esset: quòd fortè dominus prohiberet conditioni parere, ut precium perciperet, nec conditionem prorogaret. *Secundò admittitur duplicatio proposita, si per tutorem eius cui dandum est, stet quo minus detur, seruusq; cum eo colludat. Quæ distinctio approbatur l.qui filium.22.§.nam quod alioquin.ff.de manumiss.testam. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.7. cond.8. reg.2.except.2.repl.3. Secunda duplicatio est: Nisi conditio non in dando, neq; in faciendo, sed in aliquo casu consistat. Hæc duplicatio reprobatur l.si filius. 31.§.1.ff.de fideicom.libert. cuius uerba uide ĩ.lib proxim.cap.1.quæst.4.reg.8.except.1.repl.2. Tertia duplicatio est: Nisi hæres, per quem stat, quo minus conditioni pareatur, filius sit defuncti. Quæ duplicatio itidem reprobatur d.l.31.§.imò etiam. cuius uerba uide ĩ.d.repl.2. Quarta duplicatio est: Nisi cum seruus annua, bima, trima die dena conditionis implendæ causa dare iussus esset: primo tantùm anno per hæredem steterit, quo minus decem oblata acciperet. Quæ duplicatio approbatur l.statuliberos.3.§.Stichus. ff.de statu liberis, his uerbis:* Stichus annua, bima, trima die denos aureos hæredi si dederit, liber esto si iussus est. si prima pensione steterit per hæredem, quo minus acciperet decem, expectandam esse trimā pensionē placet: quia & tempus adiectum est, & adhuc supersunt duæ pensiones. Sed si eadem decē sola habeat, quæ obtulit ad primā pensionem: an etiam ad sequentem quoq; prosit, si offerat decem: an & ad tertiā, si sequens pensio nō sit accepta? Et puto sufficere hæc eadem, & pœnitentiæ hæredis locum non esse. quod & Pomponius probat. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi triginta simul offerens, seruus ab hærede non admittatur. Quæ triplicatio approbatur d.l.3.§.quid si seruus. cuius uerba uide ĩ.except.60.repl.1. Quinta duplicatio est: Nisi non solùm cōditio, sed etiam tēpus libertati sit adiectū, uel tacitè insit. tunc enim, quamuis non per seruū stet, quo minus cōditioni pareat: tamen tempus quoq; est expectādum, ut liber fiat. Quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quia & tempus adiectum est, &c. *Concordat d.l.3.§.si ita fit, his uerbis:* Si ita fit libertas seruo data, Si quinquennio hæredi meo seruierit deinde cum hæres manumiserit: statim liber sit, quasi per eum sit effectum, quo minus ei seruiat: quamuis si non pateretur eum sibi seruire, non statim perueniret ad libertatem, quasi quinquēnium præterijsset. Ratio huius rei euidens est: manumissus enim amplius seruire non potest. at is quem quis non patitur sibi seruire, postea pati potest intra quinquennij tempus. Atquin iam quinquennio ei seruire non potest: sed uel minus potest. *Concordat l.si peculium.20.§.quædam. ibi: sed etsi hæres. ff.cod.tt. cuius uerba uide ĩ.except.60. Concordat item ĩ.repl.7.dupl.5. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi cum seruo ita libertas esset relicta, Si hæredi per quinquennium seruierit: hæres seruum manumiserit. Quæ triplicatio ex uerbis d.§.si ita fit, iam propositis constat. Secunda triplicatio est: Nisi cum ancillæ libertas esset relicta ita, si tres peperisset, per hæredē primus partus sit impeditus. tunc enim non expectatur tēpus tertij partus. Quæ triplicatio approbatur d.l.5.§.penult. his uerbis:* Iulianus libro XVI. Digestorum scripsit Arescusæ: Si libertas ita sit data, si tres seruos peperisset, & per hęredem stetisset, quo minus pāreret (puta quòd ei medicamentum dedisset, ne conciperet) statim liberam futurā esse. quid enim expectamus? Idemq;, si egisset hæres, ut abortum faceret: quia & uno utero potuit tres edere. *Sexta duplicatio est: Nisi remota eius mora, hæredis seruus per id quod offert, conditionem implere non posset. Hæc duplicatio approbatur exemplo l.seruus.34.§.imperator. ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Imperator Antoninus rescripsit, iussum rationes reddere, & liberū esse: si hæres causabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore. Quod rescriptū ità accipi debet, ut si reliqua non trahat, liber sit. Quòd si trahat: ita demum, si obtulerit eam quantitatem, quæ refundi debuit ex fide ueritatis. Non enim libertati sufficit hæredē in mora fuisse, si non id hac per statuliberū, quod remota mora libertati āditum daret. Quid enim, si ita manumissum Damam, Si in Hispaniam profectus, anno proximo fructus coegerit, liber esto: Romæ retineat hæres, neque proficisci patiatur: nunquid dicturi sumus, statim ante fructus coactos liberum fore? nam & cum Romæ stipulatio concipiatur ita, Centum in Hispania dare spondes? inesse stipulationi tempus, quo possit in Hispaniam peruenire, nec antè iure placuit agi. Sed si hæres, acceptis rationibus, & reliquis computatis, donare se ea statulibero non habenti quod inferat, proscribat, aut etiam literis ad eum missis palàm faciat: conditio libertatis impleta uidebitur. Quid ergo, si neget se reliqua cōtraxisse, atq; ideo, quia per hæredem steterit ut accipiat rationes, liberum factum: hæres autem neq; se fecisse mo-

ram, & reliqua debere statuliberum contendat? Apud eum qui de libertate cognoscit, an conditio sit impleta, constabit: cuius officio continebitur de mora considerare, nec minus computare rationes: & si reliqua trahi compererit, non esse liberū pronunciare. Sed si nunquam negauit reliqua debere: cum autem conueniat hæredem, & rationes offerre professus sit, & refusurus quidquid in reliquis esse constiterit, & eius pecuniæ reum numerare paratum idoneum obtulerit, & hæres in mora fuerit: sententia pro libertate dicetur. *Huius duplicationis exemplum aliud proponitur l.si triennium.18.ff.cod.tt.his uerbis:* Si triennio dare decem iussus, primo anno uiginti obtulerit: non accipiente hærede, nō statim liber est: quia etsi accepisset hæres, nondum liber esset. *Propositæ duplicationi species sunt superiores duæ duplicationes proximæ, ubi etiam huius triplicationes proponuntur. Septima duplicatio est: Nisi non impediendæ libertatis causa hæres conditioni moram fecerit. Hæc duplicatio approbatur l.non omne.38.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Non omne ab hæredis persona interueniens impedimentum statulibero pro expleta conditione cedit: sed id duntaxat, quod impediendæ libertatis causa factum est. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi cum conditio in dando consisteret, seruus obsignatum illud quod dare iussus est, deposuerit. Quæ triplicatio approbatur l.cum hæres.4.in prin. ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Cum hæres reipublicæ causa abesset, & pecuniam statuliber haberet: uel expectare debet, donec redeat is cui dare debet: uel deponere in ædē pecuniam consignatam oportet. quō subsecūto, statim ad libertatem peruenit. *Octaua duplicatio est: Nisi hæres postea pœnitentia ductus, ut cōditioni pareatur, impedimento amplius non sit, nec seruus conditioni tunc uelit parēre. Hæc duplicatio reprobatur l.statuliberos.3.§.Stichus, in fine. ff.de statuliberis. cuius uerba uide ĩ.dupl.4. Planè admittitur duplicatio hæc, si cum in parte hæres impedimento fuisset, in reliqua parte impedimento amplius non sit. Quæ distinctio approbatur exemplo d.l.3.§.si ita fit. ibi: at is quem quis. cuius uerba uide ĩ.dupl.5. Vide item ĩ.except.55.repl.1.dupl.1.tripl.1. Nona duplicatio est: Nisi hæres seruum, decem conditionis implendæ causa ex peculio dare uolentem, prohibeat. Hæc duplicatio reprobatur d.l.3.in prin. ff.de statuliberis. cuius uerba uide ĩ.repl.in prin. Concordant ea quæ habentur ĩ.except.44. Decima duplicatio est: Nisi cum ita libertas Stichо esset relicta, Si Titius Capitolium ascenderit: Titius ascendere nolit. Hæc duplicatio approbatur l.cum hæres.4.§.penult. ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Ita liber esse iussus, Si Titius Capitoliū ascenderit: si Titius noluerit ascendere, impeditur libertas. Idem-q; iuris est in similib. causis & cōditionibus. *Vndecima duplicatio est: Nisi cū duo idem facere iussi essent, unus solidū fecerit: uel cū testator utrūq; facere uoluisset, alter cessset. tunc enim in alterius quoq; persona deficit conditio. quæ replicatio approbatur l.si ita.13.in prin. ff.de manum. testam. cuius uerba uide ĩ. except.40. Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione sint dicta. Sed & plura eius exempla, necnon duplicationes uide in proximè sequentibus replicationibus. Secunda replicatio est: Nisi cùm seruo sub conditione dandorum decem libertas esset relicta, hæres nolit uel soluere seruo, uel à debitoribus peculiaribus exigere, ut seruus decem soluere possit. Hæc replicatio species est præcedentis, approbaturq; l.statuliberos.3.§.inde quæritur. ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Quæritur, si fortè debeatur pecunia huic seruo uel ab hærede, quòd in domini rationem plus erogauerit, uel ab extraneo: nec uelit hæres debitorē conuenire, uel statulibero soluere pecuniam: an debeat ad libertatē peruenire, quasi moram per hæredē patiatur? & aut legatū huic statulibero fuit peculium: aut si non legatum fuit peculium, Seruius scribit, moram eū libertatis passum ob hoc ipsum, quòd ei aliquid ex ratione dominica deberetur, nec ei ab hærede præstaretur: quam sententiam & Labeo probat. Idem Seruius probat, etsi in eo moram faciat hæres, quòd nolit exigere à debitoribus. nam peruenturum ad libertatem ait. Mihi quoq; uidetur uerum quod Seruius ait. Cum igitur ueram putemus sententiam Seruij: uideamus, an etsi non fuerit peculiū prælegatum seruo, idem debeat dici? constat enim statuliberum de peculio posse dare, uel ipsi hæredi dare iussum, uel alij. Et si eum dare impediat, peruenietstatuliber ad libertatē. Denique etiam remedij loco hoc monstratur hæredi domino statuliberi, ut eum extraneo iussum dare prohibeat, ne & numos perdat cum statulibero. Proinde defendi potest, etsi non uult exigere, uel ipse soluere, ut hic habeat, unde conditioni pareat: libertatem competere. Et ita quoq; Cassius scribit. *Tertia replicatio est: Nisi cum libertas seruo relicta esset sub conditione dandorum decem, seruus sine peculio sit uenditus, uel uenditor peculium retinuerit. Hæc replicatio approbatur d.l.3.§.si quis iussum, hisce uerbis:* Si quis iussum seruum decem dare, & liberum esse, uendiderit sine peculio: utrum statim liber fit, quasi prohibitus uideatur de peculio dare, hoc ipso quòd sine peculio distractus est: an uerò, cum fuerit prohibitus peculium tangere? Et puto, tunc demum liberum fore, cum uolens dare prohibeatur, non statim ubi uenit. *Concordat l.non uideb.35.ff.cod.tt.his uerbis:* Non uidebitur per statuliberum stare, quo minus conditio libertatis existat, si de peculio quod apud uenditorem seruus habuit, pecuniam

conditionis offerre non posſit. ad alienũ enim peculium uolũtas defuncti porrigi nõ potuit. Idem erit, etsi cum peculio seruus uenierit, & uenditor fide rupta peculium retinuerit. quãquam enim ex empto sit actio: tamen apud emptorẽ peculium seruus non habuit. *Quarta replicatio est: Nisi decẽ dare iussus, operari à domino prohibeatur. Hæc replicatio reprobatur d.l.3.§.si quis seruum. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si quis seruum iussum decem dare, & liberũ esse, operari prohibeat: uel si, quod ex operis suis meretur, hæres ei abstulerit: uel si, quod ex mercedibus suis coegit, hæredi dederit: an ad libertatẽ perueniat? & puto, siquidẽ ex operis dederit, uel undecunq; dederit, ad libertatem perueturum. Quòd si prohibeatur operari, non fore liberum arbitror: quia operati domino debet. Planè si ei allata fuerit pecunia ex operis collecta: liberũ fore arbitror, quia de peculio dare prohibetur. Planè *admittitur replicatio proposita, si testator uel ex operis ut det decem det iussit. quæ distinctio approbatur ibidem, his uerbis:* Sanè si testator uel ex operis ut det iussit: prohibitum operari ad libertatẽ peruenturũ, non dubito. *Quinta replicatio est: Nisi dominus seruo sub conditione dandorum decem manumisso, id quod ex operis meretur, abstulerit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Planè si ei ablata fuerit pecunia ex operis collecta: liberũ fore arbitror, quia de peculio dare prohibetur. *Sexta replicatio est: Nisi cum libertas seruo relicta esset sub hac cõditione, Si hæredi seruierit: hæres seruũ uendiderit. Hæc replicatio approbatur l. statuliberos. 3. §. fin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si hæredi seruire iussum statuliberũ hæres uendidit, & tradidit: credo statim ad libertatẽ peruenire. *Septima replicatio est: Nisi is cui conditionis implendæ causa dandum uel faciendũ fuit, decesserit. Hæc replicatio approbatur l. si peculium. 20. §. is cui. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Is cui seruus pecuniã dare iussus est, & liber esse, decesit. Sabinus ait, si decem habuisset parata, liberum fore: quia non staret per eũ, quo minus daret. Iulianus autẽ ait, fauore libertatis cõstituto iure hũc ad libertatem peruenturum, etiamsi postea habere cœperit decẽ. Adeò autẽ constituto potius iure, quàm ex testamento ad libertatem peruenit, ut si eidem & legatũ sit: mortuo eo cui dare iussus est, ad libertatem quidem perueniat, non autẽ & legatum habiturus sit. Idq; & Iulianus putat, ut in hoc cæteris legatarijs similis sit. Diuersa causa est eius quẽ hæres prohibet conditioni parẽre. hic enim ex testamẽto ad libertatẽ peruenit. *Concordat l. Stichum. 39. §. si Stichus. ff. eod. tt. his uerbis:* Si Stichus Attiæ mille numos dederit, liber esto. Attia uiuo testatore decesserat non posse statuliberũ esse, Labeo & Ofilius responderunt. Trebatius, si ante testamentum factum Attia decessisset, eundem postea liberum futurum. Labeonis & Ofilij sententia rationem quidem habet: sed hoc iure utimur, ut is seruus ex testamento liber sit. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi tempore mortis eius cui dare iussus est, seruus decem non habuerit. *Hæc duplicatio reprobatur uerbis d. §. is cui, iam propositis. Secunda duplicatio uidetur esse: Nisi uiuo testatore mortuus sit is, cui conditionis implendæ causa pecunia fuit danda. Et hæc duplicatio reprobatur uerbis d. §. si Stichus, iam propositis. Tertia duplicatio est: Nisi persona, cui dare iussus est seruus, non sit proprio nomine demonstrata, sed hæredi uel simili dare iussus sit. hoc enim casu etiam hærede mortuo, eius hæredi dandum est. quæ duplicatio approbatur l. seruus. 34. in prin. ibi: prior causa. ff. de statuliberis, cuius uerba uide §. cap. proxim. excepti. 56. repl. 9. Concordant ea quæ habentur §. except. 41. repl. 4. Quarta duplicatio est: Nisi is cui dare uel facere iussus est, in testamẽto suo cauerit, ut hæredibus suis detur uel fiat. hoc enim casu morte eius, cui dare iussus est seruus, non excusatur. quæ duplicatio approbatur l. Sticho. 40. §. Pamphilo. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Pamphilo liberto, quem hæredem ex parte instituerat, Stichum seruum prælegauerat, & ei libertatem his uerbis dederat: ita, ut si tibi ex die mortis meæ per annos continuos quinque, menstruos sexagenos dederit, tunc eũ manumittas. Pamphilus ante quinquennium moriens, hæredibus institutis filio & uxore, de eodẽ Sticho ita cauit: Stichus seruus, qui mihi testamento patroni mei certa conditione relictus est, iubeo dari, præster filio & uxori meæ sine ulla controuersia, & eum peracto tempore manumittant. quæsitum est, si Stichus sexaginta menstruos non præstiterit, an impleto quinquennio fideicommissa libertas ei debeatur? Scæuola respondit, nisi præstitisset, fideicommissam libertatem non deberi. *Quinta duplicatio est: Nisi libertatis datio non solùm conditionem, sed & tempus habeat adiectum. tunc enim non nisi tẽpore illo expleto competit libertas. Hæc duplicatio approbatur l. cum hæres. 4. §. seruire. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Seruire Titio anno, & liber esse iussus, Titio mortuo non statim liber fiet, sed cũ annus transierit: quòd uidetur non tantùm sub cõditione, sed etiam ex tempore data libertas. Etenim absurdum est, maturius eum liberum fieri, cum conditionem non implet: quàm liber futurus foret, si ea expleret. *Concordat l. Paulus. 38. §. fin. ff. de liberali causa, his uerbis:* Caius Seius Stichum seruũ Lucio Titio uẽdidit, ita ut Titius Stichum post triennium manumitteret, si cõtinuo triennio seruisset. Sed nondum exacto tempore triennij, Stichus fugit, & post aliquantulum temporis defuncto Titio reuertitur. quæro, an obstet Sticho

Sticho ad consequendã ex uẽditione libertatem, quòd ante triẽnium discesserit? Paulus respondit, secũdum ea quæ proponuntur, expleto tẽpore, post quod Stichus manumitti debuit, libertatem ei competisse. *Similem duplicationem uide §. repl. 1. dupl. 5. Sexta duplicatio est: Nisi ante mortem eius cui dandum uel faciendum fuit, mora à seruo facta sit, quo minus datum uel factum sit. Hæc duplicatio ipso quidem iure reprobatur: uerùm eius triplicatio est in eo, qui cum seruire debebat, fugerit. quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis. Cuius ratio est, quòd etiam post fugam seruiendi tempus & conditio posit impleri, secundum ea quæ proponuntur §. except. 56. repl. 1. Octaua duplicatio est: Nisi seruus ab eo cui dare iussus est, sit alienatus. hoc enim casu ei cui alienatus est, dare tenetur, quamuis alter sit mortuus. quæ duplicatio approbatur per ea quæ habentur §. except. 41. repl. 5. Hæc de septima replicatione, eiusq; duplicationib. sint dicta. Octaua replicatio est: Nisi seruus uoluntate uel alia iusta causa sit impeditus, quo minus conditioni paruerit. Hæc replicatio approbatur l. cum hæres. 4. §. Stichus. ibi: sed etsi quibusdam. ff. de statuliberis, cuius uerba uide §. except. 56. repl. 3. Nona replicatio est: Nisi is cui pecunia conditionis implendæ causa danda est, eam seruo remiserit. Hæc replicatio approbatur l. seruus. 34. in prin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Seruus si hæredi decem dederit, liber esse iussus est. Statuliberum eum hæres manumisit, ac postea defunctus est. hæredis hæredi danda pecunia non est, quod enim placuit, hæredis hæredi dari oportere, tunc memineris locum habere, cum prior hæres dominus acceptus suis pecuniam fuerit. Quæ causa facit ambulatoriam (ut ita dixerim) conditionem. Duæ sunt enim causæ, per quas in hæredis primi persona conditio impletur: dominij ratio, item demonstratio personę. prior causa transit in omnem successorem, ad quem peruenerit statuliber per dominij translati continuationem: sequens personæ duntaxat eius qui demonstratus est, adhæret. *Concordat d. l. 34. §. sed si hæres. cuius uerba uide §. repl. 1. dupl. 6. Decima replicatio est: Nisi seruus fideiussores dederit de conditione implenda. Hæc replicatio reprobatur l. statul. 5. §. fin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliber, qui nõ rationes reddere, sed pecuniam iussus est dare: numerare debet, nõ fideiussores dare. *Ait Iurisconsultus:* Qui non rationes reddere. Ergo *si rationes reddere iussus seruus fideiussores obtulerit de reliquo soluendo post rationes redditas, audiendus est. quod approbatur etiam l. seruus. 34. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. replic. 1. duplic. 6. Vndecima replicatio est: Nisi seruus hæredi decem dare iussus, in tantum locupletiorem fecerit hæreditatem. Hæc replicatio approbatur l. mortuo. 15. in prin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Mortuo hærede, si statuliber locupletiorem hæreditatem tanta pecunia, quantam dare iussus fuit, fecerit: ueluti creditoribus soluendo, cibaria familiæ dando: statim eum ad libertatem esse uenturum, Africanus existimauit. *Duodecima replicatio est: Nisi is cui seruus dare iussus est, seruo tantum debeat. Hæc replicatio approbatur l. si peculium. 20. §. quod si hæredi. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si hæredi dare iussus est decem, & eam summam hæres debeat seruo: si uelit seruus eam pecuniam compensare, erit liber. *Decimatertia replicatio est: Nisi sub conditione hæres simul & liber esse iussus sit. tunc enim etiam deficiente conditione fit liber, quamuis non hæres. quæ replicatio approbatur l. 2. §. si in primis. ibi: planè si conditio. ff. de statuliberis. cuius uerba uide §. cap. prox. excepti. 8. distinct. 2. Concordat l. si seruus. 4. §. sed hoc quantum. ff. de reb. iud. auth. posid. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 6. quæst. 2. causa 4. Concordat item l. diuus Pius. 26. ff. de manumiss. test. cuius uerba uide §. cap. proxim. except. 26. Concordat item l. 2. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quis ita hæredem instituerit: Titius hæres esto. Si Titius hæres non erit, Stichus hæres esto: Stichus liber esto. nõ esse Stichum libertum Aristo ait, Titio hærede existente. Mihi uidetur posse dici liberum fore quasi non utiq; alio gradu acceperit libertatem, sed dupliciter, quo iure utimur. *Concordat item l. cum seruus. 14. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum seruus purè liber scribitur, & hæres sub cõditione: placet, deficiente conditione habere eum libertatem. *Decimaquarta replicatio est: Nisi conditio à seruo libero facto sit implenda. hoc enim casu deficiens conditio eum in seruitutem non reuocat. Hæc replicatio approbatur l. impp. 52. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Impp. Seuerus & Antoninus Missenio Frontoni: Testamento militis his uerbis adscripta libertate, Stephanum seruum meum liberum esse uolo uel iubeo: adita hæreditate libertas competit. Et ideo ea quæ postea adiecta sunt: Sic tamẽ, ut cum hærede meo sit, quo adusq; iuuenis sit. Quod si noluerit, aut contempserit, iure seruitutis teneatur, ad reuocandam libertatem, quæ competijt, non sunt efficacia. Idem & in paganorum testamentis obseruatur. *Concordant ea quæ habentur §. except. 51. Decimaquinta replicatio est: Nisi cum libertas seruo relicta esset sub hac conditione, Si institutus hæres existeret: libertas à substituto repetita sit sine conditione. Hæc replicatio approbatur in casu l. ult. ff. de fideicommiss. libertat. his uerbis:* Lucius Titius testamento ita cauit: Si quos codicillos reliquero, ualere uolo. Si quis mihi ex Paula, quæ uxor mea fuit, intra decem menses natus natáue erit, ex semisse hæredes sunto. Caius Seius ex semisse hæres esto. Stichum & Pamphilũ seruos meos & Erotem & Diphilum peto, & fidei hæredum committo, ut cum ad pubertatem liberi mei peruenerint, manumittant.

Deinde nouissima parte ita cauit: Quòd si mihi liberi nati non erunt, aut intra pubertatem decesserint, tunc hæredes ex paribus partibus sunto Mutius & Mæuius. Legata quæ priore ex testamento, quo filios & Seium hæredes institui, reliqui, præstari uolo & à sequentibus hæredibus. Deinde codicillis ita cauit: Lucius Titius hæredibus primis & substitutis Salutẽ. Peto ut ea quæ testamento caui, legaui, & ea quæ codicillis cauero, legauero: præstetis. Quæro, cum liberi Lucio Titio nati non sint: an Sticho, & Pamphilo, & Eroti, & Diphilo seruis confestim fideicommissa libertas præstari debeat? Marcellus respondit, conditionem, quæ libertati eorum, de quibus quæreretur, si filij hæredes extitissent, apposita esset, repetitam non uideri: ideoq; confestim libertatem præstandam esse, & à primis, & à substitutis hæredibus. Nam (ut suprà scriptum est) petijt, ut quæ testamento cauisset, præstarentur. Cauit autem de libertate eorum seruorum: atquin sub conditione cauit: & si alterius generis conditio adesset, expectanda esset. Sed non est uerisimile, ut hoc in ista conditione cogitauerit, cum hæredi substitutorum committeret, qui admitti ad hæreditatem non possent, si implerẽtur conditio. *Decimasexta replicatio est: Nisi sub pluribus conditionibus libertate relicta, quædam extiterint. De hac re uide ff.except.66. Decimaseptima replicatio est: Nisi cum libertas relicta esset sub hac conditione, Si æs alienum solutum fuerit, creditoribúsue satisfactum: hæres locuples sit. Hæc replicatio reprobatur l.Stichum.39.§.1. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Stichus liber esto, quando æs alienum meum solutum, creditoribúsue meis satisfactum erit. Quamuis hæres locuples extitisset: non tamen prius Stichum liberum futurum, quàm creditores pecuniam aut satis accepissent, alióue quo modo sibi cauissent, Labeo & Ofilius responderunt. *Decimaoctaua replicatio est: Nisi sub modo, non sub conditione libertas sit relicta. Hæc replicatio approbatur l.causam.20.§.fin.ff.de manumissionibus, his uerbis*: Tempore alienationis conuenit, ut homo libertatis causa traditus, post quintum annum impletum manumitteretur, & ut certam mercedem mẽstruam interea præberet. Conditionem libertatis mercedes non facere, sed obsequio temporariæ seruitutis modum præstitutum esse, Papinianus respondit. neque enim in omnibus libertatis causa traditum comparari statulibero. *Decimanona replicatio est: Nisi aliud uolente eo cui dare iussus est, conditionis implendæ causa dederit. Hæc replicatio approbatur exemplo l.fideicommissaria.21.§.fin. ff.de fideicomm.libertat. his uerbis*: Seruum à filio post quinque annos, si eo tempore diurnam mercedem filio præstitisset, manumitti uoluit. biennio proximo uagatus non præstiterat. conditione defectus uidebatur. si tamen hæres filius, aut tutores eius ministerium serui per biennium elegissent: eam rem (præterito quòd per hæredem stetisset) impedimento residuæ conditioni non esse constitit. *Vicesima replicatio est: Nisi sub iurisiurandi conditione libertas sit relicta. Hæc replicatio reprobatur l.si quis.12. ff.de manumiss.testam. de qua cum alijs uide ff. libro 34. cap.6. except.4.repl.4. Vicesimaprima replicatio est: Nisi cum ita libertas relicta esset, Si uxori pro parte hæredi placuerit: uxor hæres non exisiat. tunc enim, quamuis dissentiat, nihilominus libertas debetur. quæ replicatio approbatur l.Lucius.14. ff.de fideicomm. libert. cuius uerba uide ẽ.cap.prox. except.14. repl.1. Concordat l.cum proponas.8.C.eod.tt. cuius uerba uide d. repl.1. Vicesimasecunda replicatio est: Nisi cum ita libertas esset relicta, Si illi placuerit: illi non placuerit contra boni uiri arbitrium. Hæc replicatio approbatur l.Thais.41.§.sorore sua. ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Sorore sua hærede instituta, de seruis ita cauit, &c. *Concordat l.fideicommisso.4.6. §. quod si ita ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.7. except. 69.in prin. Vicesimatertia replicatio proponitur ẽ. cap.prox.except.16. Vicesimaquarta replicatio est: Nisi conditio sit impleta, datumúe uel factum quod conditione comprehensum est. Hæc replicatio approbatur l.si quis.13.in prin.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si quis ita libertatem dedisset, Stichus, si hæres meus eum testamento suo non manumiserit, liber esto: secundum uolũtatem defuncti hoc significari uidetur, si testamento suo hæres non adscripserit ei libertatem. Quare siquidem hæres libertatem seruo suo testamento dederit, defectus conditione uidebitur: si non dederit, impleta conditione ultimo uitæ tempore hæredis ad libertatem perueniet. *Concordat l.statuliberos.3.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.replic.1.in prin. Concordat item l.Neratius.7. ff.de manumiss.testam.bis uerbis*: Neratius scribit, Eius cui libertas sic data est, Si filius nullus mihi erit cum moriar, Stichus liber esto: impediri libertatem posthumo nato. Sed dum speratur nasci, utrũ in seruitute remanere dicimus: an uerò ex pòst facto respondemus, retrò liberum fuisse nullo filio nato? quod magis arbitror probandum. *Item concordat l.testam.18. ff.de fideicom.libert.bis uerbis*: Testamento ita cauit, Pamphilus, si bene se gesserit in rationibus meis, liber esto. quæsitum est, cùm manente eodẽ testamento post aliquot annos decesserit, nec ulli querelæ locus de Pamphilo circa rationes patroni sit, an ex testamento libertatem sit consecutus? Scæuola respondit, nihil proponi cur non sit consecutus. *Planè propositæ replicationis duplicationes sunt exceptiones proximè sequentes. Hactenus igitur de tricesimaoctaua exceptione, eiusq; replicationibus sit dictum.*

XXXIX. *Exceptio: Nisi aliùs quàm is qui in conditione libertatis comprehensus est, conditionem impleuerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.Stichum.39. §.fin. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si seruus extraneo operas præstare iussus esset, nullus nomine serui suas operas dando liberare seruum potest. Quod in pecunia aliter obseruatur: utpote cum & extraneus pro eo seruo dádo pecuniam, seruum liberaret. *Concordat l.si ita.13.in prin. ubi faciendo tamen. ff.de manumiss. testam. cuius uerba uide ff. except.prox. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi in dando, non in faciendo conditio consistat, tunc enim etiam per alium impleri potest. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Quod in pecunia aliter obseruatur; &c.

XL. *Exceptio: Nisi cum plures conditionis implendæ causa dare facere iussi essent, unus tantùm dederit uel fecerit. Hæc exceptio reprobatur d.l.13.in prin. usque ad §.sed etsi ancilla. ff.de manumiss. test. his uerbis*: Si ita fuerit seruis duobus libertas data, Si insulam ædificauerint, uel si statuam posuerint: diuidi hæc conditio non poterit. Sokummodò illud habebit dubitationem, an altero satisfaciente, satisfactum uoluntati uideatur, ideoq; ad libertatem perueniat? quod magis est, nisi aliud expresserit testator. Faciendo tamen sibi conditionem impleuit, non alteri. quinimò extinguitur ei conditio. non enim amplius conditioni pare̅re potest, cũ semel expleta sit. Idem quæri potest, & si fabris duobus uel pictoribus, si membrum depinxissent, uel fabricassent nauem, quid adscriptum sit. nam uoluntatis erit quæstio, num alteri alterius facti conditionem iniunxerit. Quæ res efficit, ut si alter cessat, alteri quoq; qui facere paratus est, conditio deficiat. Quòd si ex his quæ scripsit uel dixit, ostendatur contentus esse testator, uel alterum facere: res erit expedita. Nam alter faciendo aut sibi & socio proderit, aut sibi tãtùm, prout uoluisse testatorem apparuerit. Quæstio hæc & in eo tractatur, si quis libertatẽ dedit seruis duobus, si rationes reddiderint. Iulianus autem tractat, si alter reddere sit paratus, alter non sit: an alter per alterum impediatur? Et rectissimè ait, siquidem separatim rationes gesserunt, sufficere ad libertatem adipiscendã ei qui rationes suas reddit: si uerò simul, non aliàs uideri alterum paruisse, nisi utriusque reliqua exoluerit. In reliquis accipere debemus, ut & ipsa rationum uolumina reddantur. *Planè admittitur exceptio proposita, si testator utrumq;, non alterum tantùm facere uoluerit. quæ distinctio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi aliud expresserit testator. *Sed & admittitur exceptio proposita, si alter partem, non solidum dederit uel fecerit. quæ distinctio uidem ex uerbis iam propositis constat, deq; ea uide plura ff.except.48. replic.2. dupl.1. & 2. Sed & uide de exceptione proposita ff. lib. 34.cap.5.membr.1.except.5.*

XLI. *Exceptio: Nisi alij conditionis implendæ causa datum uel factum sit, quàm ei cui dari uel fieri testator uoluit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ habentur ff.lib.48. cap.8. in prin. Eius autem replicatio prima hæc est: Nisi filiofamiliâs dare iussus, patri dederit. Hæc replicatio approbatur l.statuliberum.6.§. si filiusfamil. ff.de statulib. his uerbis*: Si filiusfamiliâs hæres sit institutus, & statuliber filio dare iussus est, & liber esse: siue filio, siue patri dando peruenit ad libertatem, quia ad patrem emolumentum hæreditatis peruenit. Sed & si post mortem filij patri detur, quasi hæredis hæredi liber erit. Nam & si quis extraneo dare iussus sit, & liber esse, deinde hæredi hæres extiterit: non quasi in extranei persona, sed quasi in hæredis conditioni parebit. *Secunda replicatio est: Nisi uoluntate eius cui dare debet, alij dederit. Hæc replicatio approbatur d.l.6.§. si seruus, his uerbis*: Si seruus tuus statuliberum emerit: tibi datur quod hæredibus dare iussus est. Sed & si tuo seruo dederit, si modò is peculiari nomine eum emit, neque si tu peculium ademisti: puto liberum fore, scilicet, ut eo modo tibi dedisse intelligatur, perinde ac si tua uoluntate cuiuis alij seruorum tutorum dedisset. *Concordat l.mortuo.15. in fine. ff.eod.tt. his uerbis*: Sed & si hæres legem dixisset talem, ut extraneo alicui pecuniam statuliber daret: Africanus respondit, & hoc casu conuentionem ualere: quia hæredi uideatur soluere, qui uoluntate eius alij soluat. *Tertia replicatio est: Nisi hæredi dare uel facere iussus, tutor hæredis dederit uel fecerit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi tutor & seruus in fraudem pupilli hæredis colluserint. quæ duplicatio approbatur l.qui filium.12. in prin.ff.de manumiss. testamento. cuius uerba uide ff. libro 34. cap.7. conditione 8.reg.2. except.2. replic.3. Quarta replicatio est: Nisi hæredi dare iussus, hæredis hæredi dederit. Hæc replicatio approbatur l.si peculium.20.§. hæredi. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Hæredi dare iussum, etiam hæredis hæredi dare posse, diuus Hadrianus rescripsit. Sed & si hoc sensit testator, etiam in legatario dicendum est. *Concordat l.statuliberum.6. §.si filiusfamiliâs. ibi: sed & si post. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. repl.1. Concordat item l.Stichus.34.in princ. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.except.18. repl.9. Quinta replicatio est: Nisi ei dederit seruus, cui ab eo cui dare iussus est, est alienatus. Hæc replicatio approbatur d.l.6.§. statuliber. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Statuliber parendo conditioni in persona emptoris peruenis

peruenit ad libertatem. Et sciendum, hoc ad statuliberos omnis sexus pertinere. Non solùm autem si euenerit hæc conditio, ad eum transit qui emit: uerùm etiam ad omnes, quicunque quoquo iure dominium in statulibero nacti sunt. Siue igitur legatus sit tibi ab hærede statuliber, siue adiudicatus, siue usucaptus à te, siue traditus, uel quo alio iure tuus factus: sine dubio dicemus, pareri conditioni in persona tua posse. Sed & in hærede emptoris idem dicitur. *Concordat item l.si is.27.ff.eod.tt.his uerbis*: Si is cui dare iussus est, redemit statuliberum, eumq; rursus alij uendiderit: nouissimo emptori dabit. Iam enim, cum ad eum cui dare iussus est, dominium quoq; serui peruenerit: si eum alienet, conditionem quoq; ab eo ad emptorem transire, Iuliano placuit. *Concordat item l.Stichus.34.in prin. ibi: duæ sunt enim. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.38.repl.9. Concordat item l.ita liber.8.§.1.ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.except.49. Planè propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi partem ei cui dare iussus est, antequam alienaretur, dederit. hoc enim casu uidetur, quòd postea reliquam partem dando ei cui alienatus est, non liberetur. Hæc duplicatio reprobatur l.statulibera. 6. §.statuliber. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Statuliber decem dare iussus, & liber esse: si quinq; datis distractus sit, residua quinq; emptori dabit. *Planè si duobus hæredibus dare iussus, ab uno cui quinque soluit, sit alienatus, emptori quinq; dando non liberatur. quæ distinctio approbatur l.si duob.32. ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.duplic.7. Secunda duplicatio est: Nisi statuliber seruo alienatus, domino emptoris uel ipsi seruo dederit. Et hæc duplicatio reprobatur d.l.6. §.si seruus. cuius uerba uide §.replic.2. Tertia duplicatio est: Nisi non in dando, sed in faciendo conditio consistat. Hæc duplicatio approbatur d.l.6. §.si quis, his uerbis*: Si quis non dare decem, sed rationibus redditis liber esse iussus sit: an ad emptorem hæc conditio transeat, uideamus? Et aliàs sciendum est, eas demum conditiones ad emptorem transire, quæ sunt in dando. Cæterùm hæ quæ sunt in faciendo, non transeunt: utputa, Si filium eius literas edocuerit. hæ enim personis eorum cohærent, quibus adscribuntur. Rationum autem reddendarum conditio (quod ad reliqua quidem attinet) in danda pecunia consistit: quo autem ad ipsa uolumina rationum tradenda, percontandasq; & examinandas rationes, & dispungendas atque excutiendas, factum habet. Nunquid ergo reliqua quidē & emptori dando perueniat ad libertatem: cætera in persona hæredis consistant? Puto igitur & ad emptorem reliquorum solutionem transmitti. Sic fiet, ut diuidatur conditio. & ita Pomponius libro nono ex Sabino scribit. *Quarta duplicatio est: Nisi non dominium, sed usus fructus tantùm statuliberi sit alienatus. Hæc duplicatio approbatur l.usus fruct.7.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Usus fructus alienatio conditionem statuliberi secum non trahit. *Quinta duplicatio est: Nisi hæres in alienatione exceperit, ut sibi detur. quæ duplicatio approbatur l.mortuo.15.§.hæres.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Hæres, cum statuliberum decem dare iussum uenderet, conditionem pronunciauit, & traditioni legem dixit, ut sibi potius quàm emptori ea decem darentur. quærebatur, utri eorum statuliber pecuniam dando libertatem consequeretur? Africanus respondit, eum dare debere hæredi. *Sexta duplicatio est: Nisi hæres in alienatione exceperit, ut non emptori, sed alij detur. Hæc duplicatio approbatur d.l.15. §.fin. cuius uerba uide §.replic.2. Septima duplicatio est: Nisi pro parte tantùm seruus sit alienatus, uel ab uno tantùm ex pluribus quibus dare iussus est: partemq; ante alienationem soluerit ei à quo est alienatus. tunc enim reliquum emptori dando non implet conditionem. quæ duplicatio approbatur l.si duob.32. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si duobus hæredibus institutis, seruus liber esse iussus sit, si decem hæredibus dederit: & ab altero ex hæredibus quinque datis uenierit, & traditus fuerit: pro parte alteri ex hæredibus, à quo non uenierit, dando pecuniam liber erit. *Hæc de quinta replicatione. Sexta replicatio est: Nisi hæres cui dare iussus est, hæreditate se abstinuerit. tunc enim ei dando, cui bona libertatis conseruandæ causa addicta sunt, implet conditionem. quæ replicatio approbatur l.ergo.4. §.si sub.ff.de fideicomm.libertatibus, his uerbis*: Si sub conditione dandorum decem libertas data sit, siue hæredi dare iussus sit qui libertatem accepit, siue non sit dictum cui: an dando ei cui bona addicenda sunt, perueniat ad libertatem, quæri potest? Et magis est, ut ei dari debeat, cui bona addicta sunt, quasi conditio translata uideatur. Certè si alij quàm hæredi dare iussus sit: ipsi cui iussus est, dabit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi alij quàm hæredi dare sit iussus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Certè si alij quàm hæredi, &c. *Septima replicatio est: Nisi in conditione non sit adiectum, cui dandum. Hæc replicatio reprobatur l.ita liber.3. in princ.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Ita liber esse iussus, Si decem dederit, liber esto: hæredi dare debet. nam qui non habet cui det, hæredi dando ad libertatem peruenit. *Concordat l.Labeo. 21. ibi: ueluti si certam. ff. eod.tt.cuius uerba uide ȝ.except.70. Concordat item l.qui pecuniam.22. in princ. ff.eod.tt. his uerbis*: Qui pecuniam dare iussus est, nisi adiectum sit cui det: hæredibus dare debet pro partibus hæreditarijs. pro ea enim parte quisque accipere debet, pro qua dominus est. Hæc

de quadragesimaprima exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Sed & plura de ea uide ȝ.lib.34. cap.5.membr.5.except.7.

XLII. Exceptio: *Nisi hæredi dare iussus, hæredi scripto uel ab intestato, contra quem pronunciatum est, dederit. Hæc exceptio approbatur l.statuliberi.29. ff. de statuliberis, hisce uerbis*: Quintus Mutius scribit, Paterfamilias in testamento ita scripserat: Si Andronicus seruus meus hæredi meo decem dederit, liber esto. Deinde de his bonis cœperat controuersia esse. Qui se lege hæredem aiebat esse, is eam hæreditatem ad se pertinere dicebat: alter qui hæreditatem possidebat, aiebat testamento se hæredem esse. Secundum eum sententia dicta erat, qui ex testamento aiebat se hæredem esse. Deinde Andronicus quærebat, si ipsi hæredi scripto decem dedisset, quoniam secundum eum sententia dicta esset, futurúsne esset liber: an nihil uideretur sententia, qua uicerat, ad eam rem ualere? quapropter si decem hæredi scripto dedisset, & res contra possessorem iudicata esset, illum in seruitute fore. Labeo hoc quod Quintus Mutius scribit, ita putat uerum esse, si reuera lege ab intestato fuit hæres is qui uicit. nam si iniuria iudicis uictus esset scriptus uerus hæres ex testamento, nihilominus eum paruisse conditioni ei dando, & liberum fore. Sed uerissimum est quod Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam hæredi ab intestato, secundum quem sententia dicta est: quoniam lex XII. Tabularum emptionis uerbo omnem alienationem complexa uideatur: nec interfit, quo genere quisq; dominus eius fieret. & ideo hunc quoque ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est: & liberum futurum eum, qui ei dedisset pecuniam. Hunc autem, id est possessorem hæreditatis, cui data esset summa, si uictus esset hæreditatis petitione, cum cæteris eam quoque pecuniam uictori restituere debere.

XLIII. Exceptio: *Nisi hæredi, qui se hæreditate abstinuit, conditionis implendæ causa datum sit. Hæc exceptio approbatur l.Thais.41.§.Stichus. ff.de fideicom.libert.cuius uerba uide ȝ.except.50.*

XLIIII. Exceptio: *Nisi seruus decem dare iussus, ex peculio dederit. Hæc exceptio reprobatur l.statuliberos 3.in prin. ff.de statuliberis. cuius uerba uide §. except.38.repl.1.in prin. Concordat l.si quis.13.§.1. ff. eod.tt. his uerbis*: Seruus communis liber esse iussus ita, si decem dederit: ex peculio dare potest, quocunq; modo id adquisitum habuerit: nec refert, apud hæredē id, an apud socium fuerit: & hæredi, an extraneo iussus sit dare. nam per omnia causę statuliberi adplicatur, qui conditionis implendæ gratia alienare peculiares numos potest. *Concordat l.si intra.22.in fine. ff.eod.tt.his uerbis*: Si rationes reddidisset, liberum esse iussum, non patitur hæres rebus peculiaribus uenditis reliqua soluere. perinde liber est, quasi conditioni paruisset. *Concordat item l.si inuitis.108. ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba cum alijs concordantibus uide ȝ.except.64. Planè admittitur exceptio proposita primùm, si deducto eo quod seruus domino debet, nihil amplius habiturus sit in peculio. tunc enim ex peculio dando liber non fit. quæ distinctio approbatur l.si decem.17. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si decem hæredi dedisset, liber esse iussus est. decem habet, & tantundem domino debet. dando hæc decem non liberabitur. Nam quod statulibero ex peculio suo dare explendæ conditionis causa concessum est: ita interpretari debemus, ut non etiam ex eo dare possit, quod extra peculium est. Nec me præterit, hos numos peculiares posse dici: quamuis si nihil præterea seruus habeat, peculium nullum sit. Sed dubitari non oportet, quin hæc mens fuerit constituentium, ut quasi ex suo patrimonio dandi eo nomine seruo potestas esset: quia id maximè sine iniuria dominorum concedi uideatur. Quòd si ultrà quis progrediatur: non multum aberit, quin etiam eos numos, quos domino subripuerit, dando, statuliberum conditioni satisfacturum existimem. *Secundò admittitur exceptio proposita, Si cum ita libertas relicta esset, Seruus cum rationes reddiderit, cum contubernali sua liber esto: seruo mortuo, contubernalis eius reliqua soluat conditionis implendæ causa. hoc enim casu ex suo peculio soluendo non implet conditionem. quæ distinctio approbatur l.si seruo. 51.§.fin.ff.de statuliberis. cuius uerba uide ȝ. libro 14. cap.5.quæst.2.sprecte 4.*

XLV. Exceptio: *Nisi seruus numos ab eo cui dat, sibi datos, conditionis implendæ causa dederit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.si hæres.11. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si hæres pecuniam donasset statulibero, ut sibi eam daret, & liber esset: non fieri liberum, Aristo ait. sed si in plenum ei donasset, fieri liberum. *Concordat l.Stichum.39.§.si hæres.ff.eod.tt.his uerbis*: Si hæres seruo pecuniam ad negociādum dedisset: statuliberum eam ipsam numerando liberari ex testamento non posse, Labeo & Trebatius responderunt: quia reddere eam magis, quàm dare uideatur. Ego puto, si peculiares numi fuerunt, ex testamento eum liberum futurum. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ita numi dati sint, ut serui fierent. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Ego puto, &c. *Item hisce*: Sed si in plenum, &c.

XLVI. Exceptio: *Nisi numos alij subreptos, conditionis implendæ causa dederit. Hæc exceptio approbatur l.statuliberos.3.§.sed & si argēto. ff.de statuliberis, hisce*

biſce uerbis: Si argento ſubtracto, uel rebus aliis diſtractis, nùmos corraſos dederit, peruenietne ad libertatẽ: quamuis ſi numos ſubtractos dediſſet, ad libertatem non peruenire. nec enim uideretur dediſſe, ſed magis reddidiſſe. Sed nec ſi alij ſubripuerit numos, & hæredi dederit, ad libertatem peruenietne: quia auelli numi ei qui accepit, poſſunt. Planè ſi ſic conſumpti fuerint, ut nullo caſu auelli poſsint: competet libertas. Concordat *l.ſi decem.17.in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide* §.*except.44.diſtinct.1.* *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt*: *Niſi aliàre quàm pecunia ſubtracta eã uendidit, & numos ex uenditione rei ſubtractæ redactos ſoluerit. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis biſce*: Si argento ſubtracto, &c. *Altera replicatio eſt*: *Niſi numi ab eo cui dedit, ſint conſumpti, ut auelli ab eo amplius non poſsint. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce*: Planè ſi ſic conſumpti fuerint, ut nullo caſu auelli poſsint: competet libertas.

XLVII. *Exceptio*: *Niſi plus quàm iuſſus eſt, ſeruus conditionis implendæ cauſa dederit. Hæc exceptio reprobatur l.ſtatuliberos.3.§.ſi plus. ff.de ſtatuliberis, biſce uerbis*: Si plus quàm iuſſus erat, dederit ſtatuliber: puta decem iuſſus erat dare, uiginti dedit: ſiue numerauit, ſiue in ſacculo dedit; peruenit ad libertatẽ, & ſuperfluum poteſt repetere.

XLVIII. *Exceptio*: *Niſi ſeruus minus quàm iuſſus eſt, conditionis implendæ cauſa dederit uel fecerit. Hæc exceptio approbatur d.l.3.§.ſi decem, his uerbis*: Si decem iuſſus dare, & liber eſſe, quinque det: ad libertatem non peruenit, niſi totum det. Iuxta igitur iudicare quinque numos dominus eorũ poteſt. Sed ſi reſiduum fuerit ſolutum: tunc etiam id alienatum eſt, cuius antè dominium non erat trãslatum. Et ita pendebit præcedentis ſummæ alienatio: ſic tamen, ut non retrò numi fiant accipientis, ſed tunc, cùm reſidua ſumma fuerit ſoluta. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt*: *Niſi poſtea reliquum quoq; fuerit ſolutum. quæ replicatio ex uerbis iam propoſitis conſtat. Secunda replicatio eſt*: *Niſi cùm duobus libertas ſub conditione eſſet relicta, unus pro ſua parte dederit. hoc enim caſu, quamuis alter ſuam partem non ſoluat, nihilominus is qui dedit, quamuis non ſolidum, fit liber. quæ replicatio approbatur l.ſi legato.11.§.1.ff.de manumiſs.teſt. his uerbis*: Si Stichus & Pamphilus decem dederint, liberi ſunto. poteſt alter quinque dando liber eſſe, quamuis alter non dederit. *Concordat l.ſi ita.13.§.quæſtio. ibi*: *ſiquidem ſeparatim. ff.eod.tt. cuius uerba uide* §.*except.40. Concordat item l.ſi quis.13.§.ſi duo. ff.de ſtatuliberis. cuius uerba uide paulò inferius. Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt*: *Niſi conditio non in dando, ſed in faciendo conſiſtat. Hæc duplicatio approbatur l.ſi ita.13.in prin. ff.de manumiſs.teſtam. his uerbis*: Si ita fuerit ſeruis duobus libertas data, Si inſulam ædificauerint, uel ſi ſtatuam poſuerint: diuidi hæc conditio non poterit. *Reliqua uerba uide* §.*except.40. Secunda duplicatio eſt*: *Niſi cùm duobus ſeruis libertas ſub conditione rationum reddendarum relicta eſſet: non ſeparatim, ſed communiter, uel ſimul rationes geſſerint. tunc enim alter pro ſuâ tantùm parte rationes reddendo, & reliqua ſoluendo, non implet conditionem. Hæc duplicatio approbatur l.ſi quis.13.§.ſi duo. ff. de ſtatuliberis, biſce uerbis*: Si duo ſerui rationibus redditis liberi eſſe iuſſi fuerint, & ſeparatim rationem geſſerint: non dubiè ſeparatim quoq; conditioni parẽre poterunt. Sed ſi actus eorum communiter geſtus, ita miſtus fuerit, ut ſeparari non poſsit: neceſſariò alter ceſſando alterius libertatem impediet: nec uidebitur conditio in perſona alterius impleta, niſi id quod computatione rationum habita reliquum fuerit, aut uterque, aut alter totum ſoluerit. *Concordat l.ſi ita.13.§.quæſtio. ff.de manumiſs.teſt. cuius uerba uide* §.*except.40. Tertia propoſitæ exceptionis replicatio eſt*: *Niſi cùm duobus decem dare iuſſus eſſet, altero quinq; oblata accipere recuſante, alteri poſtea eadem quinq; ſint data. tũc enim, quamuis non decem, ſed quinq; tantùm data ſint, impletur conditio. quæ replicatio approbatur l.cum hæres.4.§.ſi duobus. ff.de ſtatuliberis, biſce uerbis*: Si duobus decem datis, liber eſſe iuſſus ſit, & unus quinq; accipere noluerit: melius eſt dicere, poſſe eum eadem quinq; alteri offerentem ad libertatem peruenire. *Quarta replicatio eſt*: *Niſi cùm duobus hæredibus decem dare iuſſus eſſet, unus ſe hæreditate abſtinuerit. hoc enim caſu uidetur exemplo iam dictæ replicationis, alteri quinq; tantùm datis, conditio impleri. uerùm replicatio hæc reprobatur l.Thais.41.§.Stichus. ff.de fideicomm.libert. cuius uerba uide* §.*except.50. Quinta replicatio eſt*: *Niſi cùm annua, bima, trima die dena dare iuſſus eſſet ſeruus, primo die decem oblata hærede accipere recuſante, eadem decem ſecundo die uel tertio obtulerit, & ita non triginta, ſed decem uel uiginti tantùm dederit. hoc enim caſu nihilominus impletur conditio. Quæ replicatio approbatur l.ſtatuliberos.3.§.Stichus. ff.de ſtatuliberis. cuius uerba uide* §.*except.38. replic.1.duplic.4. Species propoſitæ exceptionis eſt* §.*except.56.*

XLIX. *Exceptio*: *Niſi pluribus hæredibus conditionis implendæ cauſa dare iuſſus, ſingulis non pro hæreditarijs, ſed pro uirilibus partibus dederit. Hæc exceptio approbatur l.ita liber.8. ff.de ſtatuliberis, biſce uerbis*: Si partes ſuas quiſq; hæredum diuerſis ementibus uendiderint: quas portiones ſtatuliber dare hæredibus debuit, eaſdem dabit emptoribus. Labeo autem ait, Si nomina duntaxat hæredum in teſtamento poſita ſunt: uiriles partes eis dandas. ſi uerò ita, Si hæredibus dederit: hæreditarias. *Concordat l.qui pecuniam.22.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide* §.*except.41.repl.7. Huius exceptionis replicatio prima*

tio prima hæc eſt: *Niſi hæredibus dare iuſſus ſit, nominibus hæredum expreſsis. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce*: Labeo ait, Si nomina duntaxat hæredum in teſtamento poſita ſunt: uiriles partes eis dandas. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt*: *Niſi non omnium hæredum, quibus dare iuſſus eſt, nomina ſint expreſſa, ſed quorundam tantùm. quæ duplicatio approbatur l.ſi quis.12.ff.eod.tt.his uerbis*: Si quis teſtamento libertatem acceperit ſub conditione, Si rationem reddiderit: debet pro hæreditaria parte hæredibus reliqua ſoluere, etiamſi nomina quorundam hæredum ſint in conditione poſita. *Concordat l.quì pecuniam.22.§.ſi quidam. ff.eod.tt.his uerbis*: Si quidam ex hæredibus, quibus dare debet, nominati ſint: dabit his pro hæreditarijs portionibus. Si hæredibus nominatis etiam extraneus iunctus ſit: extraneo uirilis, cæteris hæreditarię dari debent. Et ſi non ſolum Titium, ſed etiam alios adieciſſet: hos uirilem partẽ habituros, cohæredes autem hæreditarias, Iulianus ſcribit. *Secunda replicatio uidetur*: *Niſi hæredibus extraneus quoq; ſit iunctus. Verùm replicatio hæc reprobatur uerbis iam propoſitis biſce*: Si hæredibus nominatis etiam extraneus, &c.

L. *Exceptio*: *Niſi cùm pluribus dare iuſſus eſſet, uni tantùm ſolidum dederit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio hæc eſt*: *Niſi cùm duobus hæredibus dare iuſſus eſſet, unus ſe ſe hæreditate abſtinuerit. tunc enim alteri ſolidum dando conditionem implet. quæ replicatio approbatur l.Thais.41.§.Stichus. ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Stichus ſeruus meus iubeo ut det præſtet & filiæ & uxori meæ hæredibus meis ſine ulla controuerſia tot aureos: & ut ipſum manumittant, fidei eorum committo. quæſitum eſt, cum uxor ab hæreditate abſtinuerit, utrũ duabus, an filiæ præſtare debeat? Scæuola reſpondit, filiæ quæ hæres ex aſſe extitiſſe proponeretur, pro ſolido dandum.

LI. *Exceptio*: *Niſi cùm ſeruo libertas ex tempore eſſet relicta ſub hac conditione, Si hæredibus diurnum quiddam præſtitiſſet*: *illud præſtitum uſq; ad tempus adeptæ libertatis, poſtea amplius non præſtet. Hæc exceptio reprobatur l.Titius.10.C.de operis libertorum, his uerbis*: Titius ſi, cum teſtamentum faceret, ſeruo ſuo Caio libertatem cum conditione hac dedit: Caium ſeruum meũ à die mortis meę annis tribus peractis manumitti uolo, ita ut præſtet hæredibus meis, ſicut me uiuo præſtabat. & cum idem ſeruus teſtatori diurnum quiddã præſtaret, & poſt mortem eius uſq; ad diem præſtandæ libertatis etiam hæredibus præſtiterit: manifeſtum eſt, quòd adeptus libertatem, ad eandem præſtationem compelli non poſſit. *Concordant ea quæ dicta ſunt* §.*except.38.repl.14.*

LII. *Exceptio*: *Niſi aliud quàm dare iuſſus eſt, conditionis implendæ cauſa ſeruus dederit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio hæc eſt*: *Niſi uoluntate eius cui dare iuſſus eſt, aliud dederit. Hæc replicatio approbatur l.fideicommiſſaria.23.§.fin. ff.de fideicom.libert. cuius uerba uide* §. *except.38.repl.19.*

LIII. *Exceptio*: *Niſi cum libertas ſeruo eſſet relicta, Si fuiſſet alienatus*: *non uoluntate hæredis, ſed neceſsitate ſit alienatus. Hæc exceptio approbatur l.cum fidei.9.ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Cum fidei hæredis commiſſum ſit, ne ſeruus alienam ſeruitutem patiatur: experiri poteſt confeſtim ut fuerit alienatus, & petere libertatẽ. Vbi uerò alienatio non eſt uoluntaria, ſed neceſsitas alienandi ex cauſa teſtatoris pẽdet: propè eſt ut nondum debeat præſtari fideicommiſſum, quòd poteſt uideri defunctum nihil ſenſiſſe de huiuſmodi caſu alienationis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt*: *Niſi neceſsitas alienandi non ex cauſa teſtatoris, ſed hæredis pendeat. quæ replicatio electitur ex uerbis iam propoſitis biſce*: Sed neceſsitas alienandi ex cauſa teſtatoris pendet. *Concordat l.rogo.21.ff.eod.tt.his uerbis*: Rogo, ne Stichus alterius ſeruitutem experiatur. intelligi datam fideicommiſſo libertatẽ, placuit principi. quid enim tam contrarium eſt ſeruituti, quàm libertas? nec tamen quaſi poſt mortem hæredis data uidebitur. Quæ eò pertinet, ut ſi uiuus eum alienauerit, confeſtim libertas petatur: nec proſit ad impediendam libertatis petitionem, ſi redemerit eum, cuius ſemel conditio extitit. Idẽ probandum eſt, etſi non uoluntaria alienat o ab hærede facta eſt: nec refragabitur, quòd non per ipſum alienatio facta eſt. fuit enim quaſi ſtatuliber, & quacunq; ratione conditio impleta eſt. *Concordat item l.imperator.12. in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide* §. *cap.7.except.45. Secunda replicatio eſt*: *Niſi cùm à teſtatore ſeruus iuſſet pignori obligatus, cui ſub conditione alienationis libertas eſt relicta, per hæredem ſtet quo minus eum redimat. Hæc replicatio approbatur l.Thais.41.§.1.ff. de fideic.libert. his uerbis*: Lucius Titius ita cauit: Mæui fili chariſsimè, te rogo, ut ſi Stichus & Dama & Pamphilus te promeruerint, ære alieno liberes, ne alterius quàm tuam ſeruitutem experiantur. Quæro, an ſi per hæredem ſteterit, quo minus æs alienum exolueret, ex cauſa fideicommiſſi libertatem conſequi poſsint? Scæuola reſpondit, non quidem imputandum hæredi, ſi pro commoditatibus rei ſuæ adminiſtrandæ æs alienum tardius exoluerit. uerùm ſi manifeſtè ſtudium non ſoluentis ei rei paratum, ut libertatibus mora fieret, probaretur: repræſentandas libertates.

LIIII. *Exceptio*: *Niſi cùm ſeruo libertas eſſet relicta, Si decem dediſſet*: *dederit quidem decem, ſed ex*

alia causa. Hæc exceptio approbatur l.seruus.14.in prin.ff.de statuliberis, hisce uerbis: Seruus qui testamento domini, cum decem hæredi dedisset, liber esse iussus erat, hæredi mercedem referre pro operis suis solebat. Cũ ex mercede hæres amplius decem recepisset, seruus se liberum esse aiebat. de ea re consulebatur. Vlpianus respondit, non uideri liberũ esse. non enim pro libertate, sed pro operis eam pecuniam dedisse: nec magis ob eam rem liberum esse, quàm si fundum à domino conduxisset, & pro fundi fructu pecuniam dedisset. *Alia huius exceptionis exempla uide suprà except.45 & 46.*

LV. Exceptio: *Nisi intra certum tempus dare iussus, post tempus conditionis implendæ causa dederit. Hæc exceptio approbatur l.si intra.23.in prin.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si intra quinquennium Stichus centum dederit, liber esto. nec Titio, uel hæredi, uel emptori post quinquennium dabit. *Concordat l.Thais.41.§.intra.ff.de fideic.libert.his uerbis*: Intra certa tempora conditioni reddendarum rationum non parueranr, postea parati erant. quæsitum est, an perueniant ad libertatem? Scæuola respondit, si per ipsos stetisset, quo minus intra tẽpora præscripta conditionibus parérent: non idcirco liberos fore, quòd postea rationes uelint reddere. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non per seruum steterit, quo minus intra tempus conditioni paruerit. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Si per ipsos stetisset, &c. *Cõcordat l.si hæred.28.in prin. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si hæreditas eius qui seruum intra triginta dies mortis suæ, si rationes reddidisset, liberum esse iusserat, fortè post dies triginta adita est: iure quidẽ stricto ita manumissus liber esse non potest, quoniam conditione deficitur. Sed fauor libertatis eò rem produxit, ut responderetur expletam conditionem, si per eum cui data esset, non staret quo minus expleretur. *Concordat item l.Stichus.40.§.Titius.ff.eod.tt.cuius uerba uide ĩ.replic.proxim. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi postquam per hæredem uel alium stare desijt, quo minus conditioni pareatur, seruus in mora fuerit. Hæc duplicatio approbatur l.statuliberos.3.§.si quis hæredi. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si quis hęredi in diebus triginta proximis morti testatoris dare iussus fuerit, deinde hæres tardius adierit: Trebatius & Labeo, Si fine dolo malo tardius adierit, dantẽ eum intra dies triginta aditę hęreditatis, ad libertatẽ peruenire. Quę sententia uera est. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi hæres data opera impedierit, quo minus cõditioni pareatur. Hæc triplicatio approbatur ibidẽ, his uerbis*: Sed quid si data opera traxit: an ob id statim ut adita est hæreditas, ad libertatem perueniet? quid enim si tũc habuit, post aditã hęreditatẽ habere desijt? sed & hic expleta uidebitur conditio: quoniam per eũ non stetit, quo minus impleatur. *Concordant triplicationi propositæ ea quæ habẽtur ĩ. exc.38.repl.1.dupl.8. Sed & plura de replicatione proposita uide ĩ.d.repl.1. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi tẽpus non conditionis gratia sit additũ, sed cunctationis euitãdæ causa. Hæc replicatio approbatur l.Stichus.40.§.Titius.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Titius testamento seruos actores singulos diuersis personis legauit cum adiectione, Si rationes reddiderint hæredi. deinde proprio capite ita scripsit: Omnes actores, quos legaui uel manumisero, intra quartum mortis meæ mensem rationes reddere uolo, & dominis quibus à me infrà legati sunt, reddi. deinde alios actores liberos esse iussit æquè cum hac adiectione, Si rationes hęredi reddiderint. quæro, cum per hæredem fiat, quo minus reddantur, utrum statuliberi esse desinant: an nihilominus quandoq; possint, reddita ratione & reliquis illatis, libertatem ex testamento consequi? Scæuola respondit, legata quidem & libertates non aliàs competere, quàm rationes redditæ essent, aut per hæredem staret, quo minus redderentur. Verùm iudicaturo æstimandum, utrum tempus conditioni legatorum libertatúmque additum uideatur: an libero tempore reddere uolentibus reliqua hæredibus, quatuor menses adpositi sint, sollicito testatore cunctationem & moram eorũ proscribente. Melius autem est, præsumptionem pro statuliberis esse. *Tertia replicatio proponitur ĩ.except.prox.*

LVI. Exceptio: *Nisi certo tẽpore, puta anno uel biennio, seruire iussus, & liber esse, non omni tempore anni seruierit. Hæc exceptio approbatur l.cũ hæres.4.§.fin.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Cassius ait, ei qui seruire iussus est anno, illud tẽpus quo in fuga fit, uel in controuersia, pro libertate non procedere. *Concordat l.seruus.14.§ seruus.ff.eod.tt.bis uerbis*: Seruus, cum hæredi annorũ septem operas dedisset, liber esse iussus erat. Is seruus fugerat, & annum in fuga fecerat. Cum septem anni præterijssent, Vlpianus respõdit non esse liberum. nõ enim fugitiuum operas domino dedisse. quare nisi totidẽ dies, quot abfuisset, seruisset: nõ fore liberũ. Sed & si ita scriptũ esset, ut tũc liber esset, cũ septẽ annis seruisset: potuisse liberũ esse, etsi post tẽpus fugæ reuersus seruisset. *Cõcordat itẽ l.Stichũ.39.§.Dama.ff.eod.tt.bis uerbis*: Dama seruus, cum hęredi meo annorum septem operas soluerit, liber esto. cum is seruus intra septem annos in iudicio publico esset, & septimus annus præterijsset: Seruius

Seruius ait, eũ non liberari debere. Labeo, & si postea soluisset annorum septem operas, liberum futurum. quod uerũ est. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post tempus seruiendi interruptum rursus seruierit, ut tempus quo seruire iussus est expleatur. quæ replicatio approbatur uerbis d.§.seruus, ita propositis hisce*: Quare nisi totidem dies, quot abfuisset, seruisset: non fore liberum. Sed & si ita scriptum esset, ut tunc liber esset, cum septem annis seruisset: potuisse liberum esse, etsi post tẽpus fugæ reuersus seruisset. *Concordat d.§ Dama, uerbis ita propositis hisce*: Labeo, & si postea soluisset annorum septem operas, liberum futurum. quod uerum est. *Concordat itẽ l.Paulus.18.§.fin.ff.de liberali caus. cuius uerba uide ĩ.except.28.repl.7.dupl.5. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum anno seruire iussus & liber esse, seruierit trecentis sexagintaquinq; diebus. tunc enim, quamuis diem bisextilem non compleuerit seruiendo, nihilominus fit liber. quæ replicatio approbatur l.cũ hæres.4.§.Stichus.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Stichus, si hæredi meo anno seruierit, liber esto. quærendum est, annus quomodo accipi debeat: an qui ex continuatis diebus trecentis sexagintaquinq; constat, an qui bisextro: Sed superius magis intelligẽdum, Pomponius scribit. *Tertia replicatio est: Nisi ualetudine aut alia iusta causa seruus impeditus, nõ totum tempus seruierit. Hæc replicatio approbatur d.§. Stichus his uerbis*: Sed & si quibusdam diebus aut ualetudo, aut alia iusta causa impedimento fuerit quo minus seruiat: & hi anno imputandi sunt. Seruire enim nobis intelligũtur etiam hi quos curamus ægros, qui cupientes seruire, propter aduersam ualetudinem impediuntur.

LVII. Exceptio: *Nisi cum libertas esset relicta sub hac conditione, Si mihi filius nullus sit cum mortar, Stichus liber esto: post mortem testatoris postbumus sit natus. Hæc exceptio approbatur l.Neratius.7.ff.de manumiss.test. cuius uerba uide* ĩ.except. 8.repl.21.

LVIII. Exceptio: *Nisi uiuo testatore cõditio extiterit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt* ĩ. *lib.34. cap.5. quæst.3. except.17. Concordant ea quæ dicta sunt suprà cap.7.except.61. Sed & eius replicatio hæc est: Nisi libertate post mortem hæredis relicta, hæres uiuo testatore decesserit. quæ replicatio approbatur l.qui duos.18.in prin.ff.de manumissis testam. his uerbis*: Qui duos hæredes instituebat, post alterius mortem seruum liberũ esse iusserat. is cuius ex morte libertas pendebat, uiuo testatore decesserat. Sabinus respondit, liberum futurum.

LIX. Exceptio: *Nisi decem dare iussus, per partes offerat. Hæc exceptio reprobatur l.cum hæres.4.§.item si decẽ.ff.de statuliberis, his uerbis*: Si decem hæredi dare iussus fuerit: hæres etiam per partes accipere, fauore libertatis cogẽdus est. *Concordat l.si peculium.20.§.quædam.ibi: igitur etsi ff.eod.tt.cuius uerba uide* ĩ.except.prox.

LX. Exceptio: *Nisi id quod separatim & diuersis temporibus erat dandum uel faciendum, simul datũ uel factum sit. Hæc exceptio approbatur d.§.quædã, his uerbis*: Quædam conditiones natura sui non possunt eodem tempore impleri, sed necessariam habent temporis diuisionem, ueluti cum decẽ operas iussus est dare: quia operæ per singulos dies dantur. Igitur etsi singulos aureos det statuliber, potest dici eum implesse conditionẽ. Alia causa est operarum: quia hæ necessariò singulæ ædẽdæ sunt. Sed & si hæres accipere noluerit, non statim liber erit: sed cum tẽpus transierit, per quod operarum quantitas consumatur. Idem dicẽdum est, si iussum Capuã ire, & liberum esse, hæres ire prohibeat. tũc enim erit liber, cum peruenire Capuã potuerit. Inesse enim uidetur tempus tam operarum præstationi, quàm itineri. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi conditio quæ in plura tẽpora collata est, in dando, non in faciendo consistat. tunc enim eodem tempore totum dando seruus liberatur. quæ replicatio approbatur l.statuliberos.3.§.quid si seruus.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Quid si seruus, qui annua, bima, trima die iussus est dena dare, tota simul offerat hæredi, nõ expectata die: uel decẽ primo anno datis, secundo anno uiginti obtulit? benignius est, eum in libertatem peruenire, cùm utriusq; prouidentia infertur: & serui, quatenus maturius in libertatẽ perueniat: & hæredis, quatenus dilatione interempta, illicò accipiat, quod post tempus consequi poterat. *Cõcordat l.si ita.41.§.sed si ita.ff.de manumiss. test. cuius uerba uide* ĩ.*cap.prox.quæst.6.reg.7.*

LXI. Exceptio: *Nisi cum ita libertas esset relicta, Si promiserit uel iurauerit se quid daturum uel facturum: promiserit quidem uel iurauerit, sed promissum non præstet. Hæc exceptio reprobatur l.penult.in fine.ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si quis liber esse iussus fuerit, si decem hæredi promisisset: quanquam ea promissio nullam rem habitura est, tamen promittendo liberabitur. *Concordat l.Stichus.24.ff.eod.tt.bis uerbis*: Stichus, si hæredi meo decẽ promiserit, uel operas se daturum iurauerit, liber esto. potest expleri hæc conditio, si promiserit. nam spopondisse aliqua significatione dici potest, etiamsi non sit secuta obligatio. *Concordat itẽ l.si quis.13.§.qui ita ff.eod.tt.bis uerbis*: Qui ita liber esse iussus est, Si iurauerit se Capitoliũ ascensurum: confestim ut iurauit, quamuis Capitolium non ascenderit, liber erit. *Concordat item l.de seruo.36.ff.de manumiss. testamen. bis uerbis*: De seruo testamento ita manumisso, Si iurauerit se Cornelio filio meo decẽ operas daturum, liber esto: quæritur quid iu-

ris sit? & sciendum est, iurando seruum conditionem implere: sed non teneri operarum nomine: quia nisi post manumissionem iuret, non obligatur.

LXII. *Exceptio: Nisi cum libertas ita relicta esset, Cum decem dare poterit: posit quidem dare, sed non det. Hæc exceptio approbatur l. statuliberos. 3. §. si quis sic. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si quis sic acceperit libertatem, Cum decem dare poterit, liber esto: Trebatius ait, licet habuerit decem, uel idoneus fuerit ad adquirendū & conseruandum peculium: tamen non aliàs ad libertatem peruenturum, nisi dederit, aut per eum nō steterit quo minus det. quæ sententia uera est.

LXIII. *Exceptio: Nisi cum seruo libertas relicta esset sub hac conditione, Si hæredi peculium dederit: dedit quidē, sed domino plus debeat quàm in peculio est. Hæc exceptio reprobatur l. Sticho. 40. §. Pamphilus. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Pamphilus liber esto, peculio suo hęredibus uerè dato. quęsitū est, cū domino plus debeat quàm in peculio habeat, & omnes res quas in peculio habebat, bona fide hæredib. dederit: an libertas ex testamento cōperat? Scæuola respondit, nihil proponi cur non cōpeteret.

LXIIII. *Exceptio: Nisi sub conditione dandorū decē liber esse iussus, inuito uel ignorante hærede domino decē ex peculio dederit. Hæc exceptio reprobatur l. si peculium. 20. §. de illo. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* De illo quæritur, si decem ex peculio cōditionis implendæ causa inuito hærede det, aut nesciente: an faciat numos accipiētis? & Iulianus rectè existimat, ex hac causa concessum uideri statuliberis alienationē numorū etiam inuito hærede: & ideo facere eos pecuniā accipientis. *Concordat l. statuliberos. 3. §. inde quæritur. ibi: deniq; etiam. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. exc. 38. repl. 2. Item concordat l. si inuitis. 108. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Si inuitis hæredibus ex peculio statuliber pecuniam Titio det, liber quidem fit: sed Titius, qui inuitis hæredibus sciens acceperit, pro possessione uidetur eam pecuniam possidere: ut auocare eam hi qui inuiti fuerūt, possint. *Concordant itē ea quæ habētur §. exc. 44.*

LXV. *Exceptio: Nisi cum ita libertas esset relicta, Si uti frui desisset seruo is cui eius ususfructus erat legatus: legatarius æstimationem legati acceperit. hoc enim casu nō quasi uti frui desierit, & cōditio extiterit, libertatē cōpetere dicendū est. Hæc exceptio approbatur l. si ususfructus. 42. §. ususfructus. ff. de usufructu & quemadmodum, his uerbis:* Usus fructus serui mihi legatus est: isq;, cum ego uti frui desissem, liber esse iussus est: deinde ego ab hærede æstimationē legati tuli. nihilomagis eum liberum fore, Sabinus respondit. nanque uideri me uti frui homine, pro quo aliquam rem habeam. conditionē autem libertatis eius eandem manere, ita ut mortis meæ uel capitis deminutionis interuentu liber futurus sit.

LXVI. *Exceptio: Nisi cum sub pluribus conditionibus libertas esset relicta, non omnes extiterint. Hæc exceptio approbatur l. quod uulgò. 45. ff. de manumiss. testam. his uerbis:* Quod uulgò dicitur, sub pluribus conditionibus data libertate, leuissimam conditionem spectandam esse: ita uerum est, si separatim conditiones sunt datæ. Quòd si coniunctim datæ sunt: nisi omnibus paruerit, liber non erit. *Concordat l. si quis. 13. §. fin. ff. de statuliberis. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 45. specie 4. Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi separatim, non coniunctim conditiones libertati sint adscriptæ. tunc enim sufficit uel leuissimā impleri. quæ replicatio approbatur uerbis iā propositis. *De qua re cū aliis ad propositā exceptionē pertinentibus uide ȝ. lib. 34. cap. 5. quæst. 3. except. 11.*

LXVII. *Exceptio: Nisi cum libertas seruo relicta esset ita, Si fuisset alienatus: fuerit quidem alienatus, sed postea rursus redemptus. Hæc exceptio reprobatur l. quidam. 10. in prin. ibi: nec quo minus. ff. de fideicommiss. libert. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 45. in prin. Concordat l. rogo. 21. ibi: nec profit. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 53. repl. 1.*

LXVIII. *Exceptio: Nisi libertate ita seruo relicta, Si promeruerit: nihil quidem libertate indignum fecerit, sed non talia præstiterit officia, quibus quis libertatem mereri solet. Hæc exceptio reprobatur l. seruos. 20. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Seruos legauit, & cauit ita: Rogo te, si promeruerint, dignos esse libertate existimes. Prætoris hæ partes sunt, ut cogat libertatem præstari: nisi quid tale hi serui admiserint, ut indigni sint quo libertatem consequantur: non etiam ut talia officia ab his exigantur, pro quibus libertatem mereri debeant. Arbitrium tamē eius erit qui rogatus est, quo tempore quemque uelit manumittere: ita ut, si uiuus non manumisisset, hæres eius statim libertatem præstare cogatur. *Concordat l. testamento. 51. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide supra cap. 6. except. 19. repl. 1.*

LXIX. *Exceptio: Nisi cum ita seruis libertas esset relicta, Serui qui sine offensa fuerunt, liberi sunto: quosdam ex ijs aut pœna coercuit testator, aut ab administratione remouerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 51. §. cum ita, his uerbis:* Cum ita testamento adscriptum esset, Serui qui sine offensa fuerunt, liberi sunto: conditionem adscriptā uideri placuit, cuius interpretationem placuit talem faciēdam: ut de his in libertate danda cogitasse nō uideatur, quos aut pœna coercuit, aut ab honore administrandi, uel administrandæ rei negocio remouit.

LXX. *Exceptio: Nisi cum ita libertas esset relicta, Si diligenter rationes tractasse uidebitur: diligenter quidem tractauerit rationes seruus, in suum tamen non in domini commodum. Hæc exceptio approbatur l. si ita. 8. ff. de manumissis testam. his uerbis:* Si ita fit scriptum, Stichus, si diligenter rationes tractasse uidebitur, liber esto: diligentia considerandā quæ domino, non quæ seruo erit utilis, coniuncta bonæ fidei & in reliquis quoq; reddendis. *Concordat l. Labeo. 21. ff. de statuliberis, his uerbis:* Labeo libris posteriorum ita refert: Calenus dispensator meus, si rationes diligenter tractasse uidebitur, liber esto, suaq; omnia sibi habeto. diligentiam eam desiderare debemus, quæ domino, nō quæ seruo fuerit utilis. Erit autem ei diligentiæ coniuncta bona fides, non solùm in rationibus ordinādis, sed etiam in reliquo reddendo. Et quod ita scriptum est, Videbitur: pro hoc accipi debet, Videri poterit. Sic & uerba legis XII. Tabul. ueteres interpretati sunt, Si aqua pluuia nocet: id est, nocere porerit. Sed si quæretur, cui eam diligētiam probare eum oporteat, hæredum arbitratu, an boni uiri? morem agētium sequi debebimus. ueluti si certam pecuniam dedisset, liber esse iussus est, non adscripto eo, cui: si dedisset, eo modo potuit liber esse, quo posset, si ita fuisset scriptum, Si hæredi dederit.

LXXI. *Exceptio: Nisi libertas non solùm conditionem, sed etiam tempus habeat adiectum. tunc enim, quamuis impleta sit conditio, tempus tamen expectandum est. quæ exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt supra except. 38. repl. 1. duplic. 5. item repl. 7. dupl. 5. Huius replicatio est: Nisi ita libertas sit relicta, Si intra annum decem dederit, liber esto. iūc enim statim decem datis liber sit. quæ replicatio approbatur l. si ita. 41. §. fin. ff. de manumiss. test. cuius uerba uide de ȝ. cap. prox. quæst. 10. reg. 4. except. 1. repl. 1.*

LXXII. *Exceptio: Nisi cum ita libertas esset relicta, Si diligenter rationes tractasse uidebitur: diligenter quidem rationes tractauerit, sed illud non uidebitur hæredi. Hæc exceptio approbatur uerbis d. l. 21. iam propositis hisce:* Sed si quæretur, cui eam diligentiam probare eum oporteat, hæredum arbitratu, an boni uiri? &c. *Huic uidetur quodāmodò contradicere l. fideicommisso. 46. §. quod si ita. ibi: nam & eam. ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide supra cap. 7. except. 69. in prin.*

LXXIII. *Exceptio: Nisi cum statuliber ad hostes transfugisset, apud hostes eo constituto conditio extiterit. hoc enim casu, quamuis fuerit reuersus, liber tamen non efficitur. l. postliminium. 19. §. si statuliber. ff. de captiuis. cuius uerba uide ȝ. lib. 50. cap. 3. quæst. 5. except. 2. repl. 1. dupl. 1. Hæc de exceptionibus sumptis ex ijs quæ post libertatis dationem circa conditionem, sub qua libertas data est, contingunt. Nam de ijs quæ sumuntur ex ipsa qualitate conditionis, dictum est supra cap. 7. except. 60. cum sequentibus.*

Replicationes præcedentium exceptionum generales.

Hactenus exceptiones aduersus manumissionem & libertatis dationem enumeratæ sunt, tam eæ quæ ipsi manumissioni, libertatisq; dationi insunt, quàm eæ quæ ex postea contingentibus oriuntur: de quibus alijsq; similibus uide item ȝ. lib. 34. cap. 5. cum duobus sequentibus. Planè harum omnium exceptionum replicationes aliquot sunt generales, quæ proponentur ȝ. cap. 11. quæst. 1. causa 1. except. 1. cum sequentibus. An igitur manumissio & libertatis datio sit utilis, & ex ea libertas competat, hactenus aliquot capitibus est discussum atque tractatum. Quibus autem, & à quibus, item quando ex ea competat libertas, necnon qui sint manumissionis effectus, tractabitur 1. cap. prox. Nam nunc actiones quæ tam pro libertate, quàm contra libertatem ex causis suprà enumeratis competunt, sunt proponendæ.

DE LIBERALI CAVSA, ET si seruus in libertatem proclamat. Cap. X.

I. VTER SIT ACTOR IN liberali iudicio?

DEfinitur hæc quæstio *l. liberis. 7. §. si quis. ff. de liberali causa, his uerbis:* Si quis ex seruitute in libertatem proclamet: petitoris partes sustinet. Si uerò ex libertate in seruitutē petatur: is partes actoris sustinet, qui seruum suum dicit. Igitur cum de hoc incertum est, ut possit iudicium ordinem accipere; hoc antè apud eum qui de libertate cogniturus est, disceptatur, utrum ex libertate in seruitutem, an contrà agatur. Et si fortè apparuerit, eum qui de libertate sua litigat, in libertate sine dolo malo fuisse: is qui dominum se dicit, actoris partes sustinebit, & necesse habebit seruum suū probare. Quòd si pronunciatum fuerit, eo tempore quo lis præparabatur, in libertate eum non fuisse, aut dolo malo fuisse ipse qui de sua libertate litigat, debet se liberum probare. *Concordat l. non ideo. 5. in fine. C. eod. tt. his uerbis:* Probationis sanè onus, cum ex seruitute in libertatem adseritur, ad se recipit: quę si affirmationem suam non impleat, inconcussum possessionis ius obtinebis. *Ex uerbis iam propositis duplex regula constat. Prima est, Quòd si is qui seruus dicitur, in possessione sit libertatis, actoris partes sustineat is qui se dominum eius esse dicit. Cui concordat l. uis. 15. C. de probationibus, his uerbis:* Vis eius qui se dominum contendit, ad imponendum onus probationis seruo minimè prodest. Cum igitur aufugisse te de domo Seueri profiteatis, uerùm nec ab illo iustè te initiò, sed per uiolentiam detentum adseueras: inquisito prius, an in possessione libertatis sine dolo malo constitutus sis: tunc etiam onus probationis quis debeat subire, per huiusmodi euentum declarabi-

tur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi dolo malo seruus in possessione libertatis sit constitutus. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* An in possessione libertatis sine dolo malo constitutus sis. *Concordat d.l.7.§.si quis,in fine,uerbis paulo antè propositis hisce:* Aut dolo malo fuisse. *Concordat item l.eam quæ.21.C.de liberali causa,his uerbis:* Eam quæ in possessione libertatis non sine dolo malo reperitur,in seruitute constitutæ simile habere prætor iudicium, edicto perpetuo cauetur. Sed si controuersia erit,utrum ex seruitute in libertatem petatur,an ex libertate in seruitutē:fui conceptione manifestè probatur,nec quidquam ancillæ dolus iuris proprijs dominis aufert. *Hæc exceptio declaratur l.quod ait.10.cū duabus legibus sequentibus.ff.de liberali causa, his uerbis:* Quod autem diximus, In libertate fuisse, sic est accipiendum, ut non se liberum doceat is qui liberale iudicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo fuisse. Quid si ait sē Sine dolo malo,uideamus. Nam Iulianus ait,omnes qui se liberos putant, sine dolo malo in libertate fuisse, si modò se pro liberis gerant, quamuis serui sint. Varus etiam scribit, eum qui se liberū sciat, dum in fuga sit, non uideri sine dolo malo in libertate esse: sed simulatq; desierit quasi fugitiuus se celare, & pro libero agere,tunc incipere sine dolo malo in libertate esse. Etenim eum ait qui scit se liberū, deinde pro fugitiuo agit: hocipso quòd in fuga sit,pro seruo agere. Licet etiam fugæ rēpore pro libero se gesserit: dicemus tamē, eum in eadem causa esse. Igitur sciendum est,& liberum posse dolo malo in libertate esse,& seruū posse sine dolo in libertate esse. Infans subreptus bona fide in seruitute fuit,cum liber esset: deinde cū de statu ignarus esset,recessit,& clàm in libertate morari cœpit. hic non sine dolo malo in libertate moratur. Potest & seruus sine dolo malo in libertate morari: utputa testamento accepit libertatem, quod nullius momenti esse ignorat: uel uindicta ei imposita est ab eo quem dominum esse putauit,cū non esset: uel educatus est quasi liber,cū seruus esset. Et generaliter dicendum est,quoties quis iustis rationibus ductus,uel non iustis, sine calliditate tamē,putauit se liberum, & in libertate moratus est: dicendū est, hunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit, atq; ideo commodo possessoris fruatur. Probatio autem ad id tempus refertur, cum sine dolo malo in libertate fuerit, quo primùm in ius aditū est. *Secunda propositiæ regulæ exceptio est: Nisi liberum se putans, in fuga sit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Varus etiā scribit,eum qui se liberū sciat, dum in fuga sit, non uideri sine dolo malo in libertate esse, &c. *Tertia exceptio est:Nisi tempore suscepti iudicij non moretur,uel dolo malo moretur in libertate. hoc enim casu,quamuis antea in ea moratus sit, nihilominus actoris partes sustinet.quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Probatio autem ad id tempus refertur, cum sine dolo malo in libertate fuerit,quo primùm in ius aditum est. *Concordat l.liberis.7.§.fin.ff.de liberali causa. cuius uerba uide ē. eod. quæst.m prin. Huius exceptionis replicatio est:Nisi eius qui se dominum dicit, in seruitutē sit retractus. quæ replicatio approbatur ī. reg. proxim. except.* 1. *Quarta exceptio est:Nisi ultrò is qui in possessione libertatis est,onus probandi suscipiat. quæ exceptio approbatur l. cui necess. 39. in prin. ff. de liberali causa, his uerbis:* Cui necessitas probandi de ingenuitate sua non incumbit: ultrò si ipse probare desideret, audiendus est. *Secunda regula est:* Quòd si is qui se liberum dicit,*tempore iudicij accepti in libertate non moretur, uel dolo malo in ea moretur: is actoris partes sustinet,eiq; probandi onus incumbit.quæ regula approbatur d.l.7.§.fin. Concordant ea quæ dicta sunt ē.reg.prox.except.1.2.& 3. Huius autem regulæ exceptio hæc est:Nisi per uim eius qui se dominū dicit, in seruitute moretur. quæ exceptio approbatur l.si quis.20.ff.de probationibus,his uerbis:* Si quis liberum hominem ui rapuerit, inúe uinculis habuerit, is indignissimè commodum possessoris consequetur: quia probari non poterit, hominem eo tempore,quo primùm lis ordinaretur,in libertate fuisse. *Concordat l.uis eius.15.C.eod.tt. cuius uerba uide ē.reg.prox.in prin. Porrò ex ijs quæ hactenus proposita sunt,constat,liberalem causam esse duplicē. unam,si ex seruitute in libertatem proclametur: alteram, si contrà ex libertate in seruitutē homo petatur. De prima causa cum ijs quæ utriusq; causæ communia sunt,in hoc capite dicetur: de altera in capite sequēte.*

II. CAVSAE EX QVIBVS EX SERuitute in libertatem fit proclamatio.

Causa huius actionis uel iudicij est: Si quis se liberum dicat,uel sibi libertatem deberi. Ex quibus autem causis libertas seruo debeatur,ostensum ē.eod.lib.cap.4. Inter eas autem causas numeratur etiam manumissio: de qua cum eius exceptionibus dictum est ē.cap.5. cum quatuor capitibus sequentibus.

III. SI *eidem libertas sæpius uel in pluribus scripturis relicta sit: ex qua potissimùm agendum,definitur l.1.ff.de manumissis testam. his uerbis:* Cum sæpius donatur seruo libertas: placet eam fauore ualere, ex qua peruenit ad libertatē. *Definitur item l.in libert.5.ff.eod.tt. his uerbis:* In libertatibus leuissima scriptura spectanda est: ut si plures sint, qua manumissio facilior fit,ea leuissima intelligatur. Sed & in fideicōmissarijs libertatibus nouissima scriptura spectatur. *Sed & alia huius loci regula proponitur*

positur l.si quis.56.ff.eod.tt.his uerbis: Si quis seruo testamento reliquerit libertatem,& directò, & per fideicommissum: in potestate serui est,utrum uelit ex directo,an fideicōmisso ad libertatem peruenire. Et ita Marcus Imperator rescripsit.

IIII. CAVSA EX QVA SOLuitur hoc iudicium.

Soluitur morte eius qui se liberum dicit. quæ causa approbatur l.2. C.de adsertione tollenda, his uerbis: Expeditam antea quæstionem,in præsenti autem ex nostra lege, quam de adsertione tollenda posuimus, in quandam difficultatem incidere periclitantem,compendioso remedio fulciendam esse censemus. Cum etenim per adsertores super libertate iudicium agitabatur,si in medio,adserto re litem agente, adsertus ab hac luce fuerat subtractus,necessitas imponebatur nihilominus adsertori litem implere: ut emptor (si uictus erat, & pro libertate fuerat pronunciatū) habeat regressum aduersus uenditorem, ut ei quasi liberæ personæ uenditor reddat id quod emptionali instrumento continebatur, uel natura contractus exigebat. In præsenti autem,quia adsertorum uana nomina reiecta sunt:si persona,pro cuius cōditione lis agitur,mortua fuerit: quē admodum iudicium potest adimpleri, una tantùm persona in iudicium uenientes? Sancimus itaq;,in præsenti casu licentiam esse emptori aduersus suum auctorem uenire, quatenus uel ostendat uenditor seruum se uendidisse:uel(si non potuerit) quasi libera persona uendita, euictionis periculum ad eum reuertatur.

V. QVIBVS COMPETAT PROclamatio proposita.

I. *Regula, De seruo contra dominum proclamante,proponitur l.de libert.44.ff.de fideicommiss.libertat. his uerbis:* De libertate fideicommissaria præstanda seruus cum domino rectè cōtendit. *Concordat l.in libertatib.5.ff.de manumiss.cuius uerba uide ē.cap.4.causa 15.in prin.*

II. *Regula, De alio quàm eo de cuius conditione agitur. Huic regulariter proposita actio non datur.cuius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi *ad iniuriam eius qui agit pertineat, eum de cuius conditione quæritur, in seruitute morari. Hæc exceptio approbatur simul & declaratur l.1.cum lege sequente.ff.de liberali causa, his uerbis:* Si quando is qui in possessione seruitutis constitutus est, litigare de conditione sua non patitur (quòd fortè sibi suoque generi uelit aliquam iniuriam inferri) in hoc casu æquum est quibusdam personis dari licentiam pro eo litigare: utputa parenti, qui dicat filium in sua potestate esse. nam etiamsi nolit filius,pro eo litigabit. Sed etsi in potestate non sit parentis,dabitur hocius: quia semper parētis interest,filium seruitutem non subire. Versa etiam uice dicimus, liberis parētum etiam inuitorum eandem facultatem dari: nec enim modica filij ignominia est, si parentem seruum habeat. Idcirco iussum est,cognatis etiam hoc dari debere: quoniam seruitus eorum ad dolorem nostrum, iniuriamq; nostram porrigitur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi *non legitimus,sed naturalis parens pro filio litiget. Hæc replicatio reprobatur l.amplius.3.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Amplius puto, naturalibus quoq; hocidem præstandum, ut parens filium in seruitute quæsitū & manumissum,possit in libertatem uindicare. *Secunda replicatio est:* Nisi *is qui agere uult, miles sit. Et hæc replicatio reprobatur d.l.3.§.1.his uerbis:* Militi etiam pro necessarijs sibi personis de libertate litigare permittitur. *Tertia replicatio est:* Nisi *fœmina sit,quæ pro seruo agere uelit. Et hæc replicatio reprobatur d.l.1.§.cum uerò, his uerbis:* Cum uerò talis alius nemo est qui pro eo litiget: tunc necessarium est,dari facultatem etiam matri,uel filiabus,uel sororibus eius, cæterisq; mulieribus quæ de cognatione sunt,uel etiam uxori,adire prætorem,& hoc indicare, ut causa cognita inuito ei succurratur. *Secunda exceptio est:* Nisi *uxor eius qui in seruitute est,pro eo litiget. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel etiam uxori,&c. *Tertia exceptio est:* Nisi *patronus eius qui seruus dicitur, pro eo litiget. Hæc exceptio approbatur d.l.3.§.fin. his uerbis:* Sed & si libertum meum uel libertam dicam, erit idem dicendum. *Concordat l.sed tunc.4.cum lege sequente.ff.eod.tt. his uerbis:* Sed tunc patrono conceditur pro libertate liberti litigare, si eo ignorante libertus uenire se passus est. Interest enim nostra,libertos libertasque habere. *Concordat item l.principal.19.C. de liberali causa, his uerbis:* Principaliter causam eius de quo supplicas, esse, quàm tuam prospicimus.nam cùm te eum ad libertatem produxisse profitearis: illius interest magis,solenniter suum tueri statum. & consequenter tua etiam agetur causa. Nam si ab eo cōtra quem fundis preces, seruus dicatur, eique libertas ex manumissione tua uindicetur: probatio seruitutis originis, & beneficium manumissionis libertatem illi adsignans,tuum etiā ius patronatus tuetur. Si uerò consentiat seruituti: tunc iure concesso, adito præside prouinciæ, eū inuitum etiā defendere poteris. *Quarta exceptio est: Nisi infans uel furiosus sit is qui seruus dicitur.quæ exceptio approbatur l.benign.6.ff.de liberali causa, his uerbis:* Benignius aūt hoc sequēdum est,etsi furiosus uel infans sit,qui in seruitutem tra

hitur: ut non solùm necessarijs personis, sed etiã extraneis hoc permittatur. *Quinta exceptio est: Nisi dominus eius cui libertas relicta est, agat ad eum redimendum & manumittendũ. Hæc exceptio approbatur l.sed si.32. §.si fortè. ff.de fideicommiß.libert. cuius uerba uide ĵ.lib.33.cap.1.quæst. 3. reg. 3. in fine. Sexta exceptio est: Nisi ita libertas seruo sit legata: Stichum Titij libertum esse uolo. tunc enim Titius quoq; pro libertate serui agere potest. quæ exceptio approbatur l.si quis.42. ff.de manumißis testamen.cuius uerba uide s̃.cap.7.except.45. specie penult.*

III. *Regula, De pluribus proposita actione agere uolentibus. Hoc casu potius danda est actio ei, de cuius conditione agitur, quàm alij. quod approbatur l.principaliter.19.C.de liberali causa. cuius uerba uide suprà reg.proxim.except.3. Sin uerò ille agere nolit, tunc ex alijs eliget prætor qui agat. quæ regula approbatur l. interest.5.ff de liberali causa, his uerbis:* Quòd si plures ex memoratis personis existant, qui uelint pro his litigare: prætoris partes interponendæ sunt, ut eligat quem potisſimùm in hoc esse existimet. Quod & in pluribus personis obseruari debet.

IIII. *Regula: Si cum plures Stichi essent, testator Sticho libertatẽ reliquerit, nec appareat de quo senserit: nulli dabitur actio. quæ regula approbatur l.cũ ex.31.ff.de manumiß.testam.his uerbis:* Cũ ex pluribus eodẽ nomine seruis unus liber esse iussus, non appareat quis sit: nullus liber est.

V. *Regula: Si ita libertas sit relicta, Stichus, imò Pãphilus liber esto: Pamphilo, non Sticho actio danda est. quæ regula approbatur l.Stichus.21. ff.d.tt.his uerbis:* Stichus, imò Pamphilus liber esto. Pamphilum liberum futurum, Africanus respõdit. quodammodò enim emendasse errorem suum testatorem. Idemq; iuris fore, etsi ita scriptum fuerit: Stichus liber esto, imò Pãphilus liber esto.

VI. *Regula: Si cùm pedissequis libertas esset relicta, quædam ex pedissequis mortis tempore pedissequa esse desierit: nihilominus huic quoq; danda est actio. quæ regula approbatur l.Titia.59.in prim.ff.de manumiß.testam.cuius uerba uide s̃.cap.8.except.34.*

VII. *Regula: Si unum uel duos ex pluribus, quos hæres uellet, manumitti iußit testator: ei uel eis quos hæres uoluerit, debetur libertas. quæ regula approbatur l.fideicommisso.46.§.fin.ff.de fideicommiß.libert. cuius uerba uide s̃.cap.6.except.29. Huius regulæ exceptio prima uidetur esse talis: Nisi cum ita libertas esset relicta, Quos hæredes mei uoluerint, manumitti iubeo: non omnes hæredes uelint. Hæc exceptio reprobatur l.si legatario.22.§.1.ff.de fideicom.libertat.cuius uerba uide s̃.cap.6.except.29.repl.1.dupl.1. Secunda exceptio est: Nisi hæres, cum poßit, non eligat: uel antequam, quos manumitti uelit, declarauerit, sit mortuus. hoc enim casu omnes erunt liberi. quæ exceptio approbatur l.si quis.16.C.de fideic.libert.his uerbis:* Si quis in testamẽto suo rogauerit suum hæredem, ex liberis ancillæ suæ, quam nomina uerit, unum quem elegerit, ad libertatem perducere: & cùm ancilla unum uel plures enixa est, hæres neq; dum superest, in libertatem aliquem perduxerit: uel cum deliberat quis ad libertatem perducendus est, ab hac luce fuerit subtractus: dubitabatur ab antiquis, utrúmne omnes, an quidam, an nemo ex ijs ad libertatem perueniat. Sed ueteris quidem iuris altercatio multa sanè huiusmodi casibus resonuit. Nos autẽ hæredis coercentes malignitatem, si non testatoris uoluntatem adimpleuerit, & mox cum potuerit, non elegerit unum ex liberis ancillæ, & eum libertate donauerit: sancimus, compelli non solum eum, sed etiam hæredes uel successores eius, omnes ancillæ liberos in libertatem perducere. neque enim hoc contrarium est sententiæ testatoris. Cum enim omnimodò quẽdam ex his liberum esse disposuerit, & non ad certum corpus, sed ad omnes respexerit: si non pareatur eius uoluntati, sine dubio ex sententia testatoris omnes ad libertatem perueniunt. Similemq; esse definitionem censemus, etsi non ab hærede, sed à legatario uel fideicommissario testator rogauerit libertatem imponi. Sic etenim iusto timore hæredes & legatarij uel fideicommissarij perterriti, & uoluntatem testatoris adimplere procurent, & sibi non ex omnium libertate quãdam adferri patiantur iacturam. Quòd si reclamauerint: sibi tale dispendium imputent, non ex nostra lege, sed ex sua lugentes instantia.

VIII. *Regula: Si ijs qui promeruerint, uel qui sine offensa fuerint, libertas sit relicta: quibus detur actio, definitur per ea quæ proposita sunt s̃.cap.prox. except.68 & 69.*

IX. *Regula: Si cũ ei qui in uẽtre esset, libertas relicta esset, plures sint nati: omnibus libertas debetur. quæ regula approbatur l.cum inter.14.in fine.C.de fideicom.libert.cuius uerba uide s̃.cap.6.except.28.*

X. *Regula: Si dominus ancillam manumiserit, eãq; in uxorem duxerit: etiam liberis ex ea antea natis libertas debetur. quæ regula approbatur* Nouel.*c.78.§. cæterùm si quis.ibi: unde etsi. cuius uerba uide s̃. lib. 14.cap.3.except.35.repl.3.*

XI. *Regula: Si cum quis plures manumittere rogatus esset, minus à defuncto perceperit, quàm æstimatio est omnium seruorum: quosdam tantùm tenetur manumittere, non omnes. Qui autem potißimùm hoc casu sint manumittendi, definitur l.generaliter.24.§. quod si legatũ.ibi: quis ergo statuet. ff.de fideic.libert. cuius uerba uide s̃.cap.8.except.14.repl.3.dupl.1.*

VI. ADVERSVS QVOS COMPETAT ACTIO PROPOSITA, & à quibus libertas debeatur?

I. *Regula, De successoribus eius qui manumittere est rogatus. Hi quoq; ad præstandam libertatem tenentur. quæ regula approbatur l.fideicom.23.§.1.ff.de fideicom.libertat.his uerbis:* Fideicommissariam libertatem ab hærede non præstitam, cogẽdus est hæredis hæres, qui restituit ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatẽ, præstare: si eius personã eligat, qui manumittẽdus est. *Concordat l.Imperator.12.§.& legatarius. ff.eod.tt.cuius uerba uide s̃.cap.7.except.46. Itẽ concordat l.si quis.16.C.de fideicom.libert.cuius uerba uide s̃.quæst.prox.reg.7. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæreditatẽ ex senatusconsulto Trebelliano restituerint. quæ exceptio reprobatur uerbis iã propositis hisce:* Qui restituit ex Trebelliano senatuscõsulto hæreditatẽ. *Cõcordat l.apud.20. ff.eod.tt.cuius uerba uide ĵ.reg.prox. Secũda exceptio uidetur esse: Nisi non sit uniuersalis successor, sed tantùm specialis in seruũ. Et hæc exceptio reprobatur l.nõ tãtùm.51.in prin.ff.de fideic.libert. cuius uerba uide s̃.cap.8.excep.13. Sed de hac re uide itẽ ĵ.reg.prox.*

II. *Regula, De rogato manumittere, & eo cui rogatus seruum alienauit. Vterq; ad manumittendum tenetur: & est in arbitrio ipsius serui, à quo uelit potißimùm manumitti. quæ regula approbatur l. generaliter.24.§.quoties.ff.de fideic.libert.his uerbis:* Quoties fideicommissaria libertas relinquitur efficaciter, in ea causa est, ut neq; alienatione, neque usucapione extingui poſsit. Ad quemcunq; enim peruenerit is seruus, cui fideicommissa libertas relicta est, cogi eum manumittere: & ita sępisſime constitutum est. Cogetur igitur is ad quẽ seruus peruenerit, fideicommissam libertatem pręstare, si hoc maluit is qui rogatus est. Latius enim acceptum est, ut etsi sub conditione sit ei libertas relicta, & pendente conditione alienatus sit: attamen cum sua causa alienetur. Quòd si nolit manumitti ab eo, sed potius ab eo uelit ad libertatem perduci, qui erat rogatus manumittere: audiri eũ oportere, diuus Hadrianus & diuus Pius rescripserũt. Quinimò & si cum manumissus est, uelit tamen potius eius libertus fieri, qui erat rogatus eum manumittere: audiẽdum eum, diuus Pius rescripsit. Sed & si ex persona manumissoris, uel quacũq; causa manumissus, ostendere potest ius suũ manumiſsione esse læsum: succurri ei ex his constitutionibus oportet, ne contra uoluntatẽ defuncti durior eius conditio cõstituatur. Planè si ea sit defuncti uolũtas, ut uel à quocunq; manumitti uoluerit: dicendum est, constitutiones suprascriptas cessare. *Concordat l.is qui.15.ff.eod.tt.his uerbis:* Is qui ex causa fideicõmiſsi manumissurus est, nullo modo deteriorem eius serui conditionem facere potest. Ideoq; nec uẽdere eum interdũ alij potest, ut ab eo cui traditus est, manumittatur: & si tradiderit, redimere illũ cogitur & manumittere. Interest enim nõnunquam, à sene potius manumitti, quàm à iuuene. *Item concordat l.apud.20.ff.eod.tt.his uerbis:* Apud Iulianum ita scriptum est: Si hæres rogatus manumittere seruũ, ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatẽ restituerit: cogi debebit manumittere. Et si latitauerit, uel iusta ex causa aberit: prętor, causa cognita, secundũ senatusconsulta ad eas causas pertinẽtia pronunciare debebit. Si uerò seruum susceperit is cui hæreditas restituta fuerit: ipsum conuenit manumittere. Et eadẽ in persona eius obseruari cõueniet, quæ circa emptores custodiri solent. An hæc uera putas? Nam ego discendi cupiditate, quam solã uiuendi rationẽ optimam in octauum & septuagesimũ annum ætatis duxi, memor sum eius sentẽtiæ, quam dixisse fertur: κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῷ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην (id est: Etsi alterum pedẽ in tumulo haberẽ, tamen addiscere quid uelle.) Et bellisſimè Aristo & Octauenus putabant, hũc seruũ, de quo quæreretur, fideicõmissariæ hęreditatis nõ esse: quia testator rogado hæredẽ, ut eum manumitteret, non uideretur de eo restituendo sensisse. Si tamen per errorẽ ab hęrede datus fuerit: ea dicẽda sunt, quæ Iulianus scribit. *Concordat item propositæ regulæ l.fideicommissaria.23.§.1.ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.reg.prox.in prin. Itẽ concordat l.si quis.29.ff. eod.tt. cuius uerba uide ĵ. lib.20.cap.1.quæst.4.reg.8. except.1.repl.12. Itẽ concordat l.inuitus.34.in prin.ff. eod.tt.his uerbis:* Inuitus is, cui fideicommisso libertas est relicta, non est tradẽdus alij, ut ab eo manumittatur, & fiat alterius libertus, quàm qui rogatus est manumittere. *Itẽ cõcordat l.non tantùm.51.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide s̃.cap.8.except.13. Item concordat d.l.51.§.emptor.cuius uerba uide ĵ.lib.prox.cap.1.quæst.4.reg 8. except.1.repl.21. Concordat itẽ l.statuliberũ.9.§.1.ff de statuliberis, hisce uerbis:* Si statuliberũ non eadẽ conditione hæres uẽdat, causa eius immutabilis est, & luere se ab eo potest simili modo ut ab hærede. Si tamen suppresserit conditionẽ statuliberi: & ex empto quidẽ tenetur. Grauiores aũt & stellionatus crimẽ important ei, qui sciens disſimulata conditione statutæ libertatis simpliciter eum uẽdiderit. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi seruus, postquam ab uno manumissus est, alterius uelit esse libertus. hoc enim casu uidetur electio ei perempta. uerùm exceptio hæc reprobatur l.generaliter. 24.§.quoties.ibi: quinimò.ff.de fideic.libert. cuius uerba uide s̃.ead.reg.in prim. Concordat l.Titius.43.cum duab.legib.sequentibus. ff.de actionib.empti, his uerbis:* Titius, cũ decederet, Seiæ Stichũ, Pamphilũ & Arescusam per fideicõmissum reliquit, eiusq; fidei cõmisit, ut omnes ad libertatẽ post annũ perduceret. Cùm legataria fidei-

fideicommissum ad se pertinere noluisset, nec tamen hæredē à sua petitione liberasset: hæres eadem mancipia Sempronio uēdidit, nulla commemoratione fideicōmissæ libertatis facta. Emptor, cùm pluribus annis mancipia suprascripta sibi seruissent, Arescusam manumisit. Cum cæteri quoq; serui, cognita uoluntate defuncti, fideicommissam libertatem petijssent, & hæredem ad prætorē perduxissent: iussu prætoris ab hærede manumissi sunt. Arescusa quoque, nolle se emptorē patronum habere, respondebat. Cum emptor precium à uenditore empti iudicio Arescusæ quoq; nomine repeteret: lectū est Domitij Vlpiani responsum, quō continebatur, Arescusam pertinere ad rescriptum sacrarum cōstitutionum, si nollet emptorē patronum habere: emptorem tamen nihil posse post manumissionē à uenditore cōsequi. Ego tum memini Iulianum in ea sententia esse, ut existimaret, post manumissionē quoq; empti actionē durare. quero, quæ sententia uera est? Illud etiam in eadē cognitione nomine emptoris desiderabatur, ut sumptus quos in unū ex his quem erudierat, fecerat, ei restituerentur. Ité quæro, Arescusa quæ recusauit emptorē patronum, cuius sit liberta constituta? & an possit uel legatariam, quæ eam non liberauit, uel hæredē patronum habere: cum cæteri duo ab hærede manumissi sunt? Paulus respondit: Semper probaui Iuliani sententiam, putantis manumissione ex empto actionem eo modo nō amitti. De sumptibus uerò, quos in eruidendo hominem emptor fecit, uidendum est. Nā empti iudicium ad eā quoq; speciem sufficere existimo. non enim precium continet tantùm, sed omne quod interest emptoris, seruum non euinci. Planè si in tantū preciū excessisse proponas, ut non sit cogitatum à uēditore de tanta summa: ueluti si ponas agitatorē postea factū, uel pantomimum eiectū esse eum qui minimo uenijt precio: iniquum uidetur in magnam quantitatem obligari uenditorē. Africanus: Cum fortè idem mediocrium facultatum sit, non ultra duplum periculū subire eum oportet. Paulus: Idéq; Iulianum agitasse, Africanus refert. Quod iustū est: sicut & minuitur præstatio, si seruus deterior apud emptorē effectus sit, cum euincitur. Illud expeditius uidebatur: si mihi alienam aream uendidexis, & in eam ego ædificauero, atq; ita eam dominus euincat. nam cum posim petentem, nisi impensam ædificiorum soluat, doli mali exceptione submouere: magis est, ut ea res ad periculū uenditoris non pertineat. Quod & in seruo dicendū est, si in seruitute, & non in libertate euincatur: ut dominus mercedis impēsas præstare debeat. Quòd si emptor non possideat ædificium, uel seruum: ex empto habebit actionem. In omnibus tamen his casibus, si sciens quis alienum uendiderit, omnino teneri debet. Superest tertia deliberatio, cuius debeat esse liberta Arescusa, quæ recusat emptorem? Et non sine ratione dicetur, eius debere effici libertam, à quo uendita est: quia & ipse ex empto actione tenetur. Sed hoc ita, si non Arescusa elegerit emptoris patronatum. tunc enim illius remanet liberta, & ille ex empto actionem non habet: quia nihil eius interest, cum eam libertam habeat. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi defunctus seruum à quocunq; uoluit manumitti. tunc enim non est in electione serui, à quo uelit manumitti. quæ exceptio approbatur l. generaliter. 24. §. fin. ff. de fideicō. libertat. cuius uerba uide §. cod. reg. in prin. Tertia exceptio est: Nisi hæres qui uendidit seruum, sine hærede decesserit, seruumq; malit defuncti heredis, quàm emptoris esse libertum. Hæc exceptio approbatur l. si hæres. 25. ff. d. tt. his uerbis:* Si hæres qui uendidit seruum, sine successore decesserit, emptor autem extet: & uelit seruus defuncti libertus esse, nō emptoris: non esse audiendum eum, Valens scripsit, ne emptor & precium & libertum perdat. *Quarta exceptio uidetur esse: Nisi antequam rogatus in mora manumittendi esset, non uoluntate rogati, sed necessitate alienatio seruicum cæteris rogati bonis sit facta. Hæc exceptio reprobatur l. cum uerò. 26. in prin. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Cum uerò is qui rogatus est alienum seruū manumittere, mortalitatis necessitate, uel bonorum publicatione ad alium seruum perduxit: magis opinor constitutionibus esse locum, ne deterior conditio fideicommissariæ libertatis fiat. Nam & cum quidam rogatus esset, cum moreretur, seruum manumittere, isq; decessisset libertate seruo non data: perinde eum habendum constitutum est, atque si ad libertatem ab eo perductus esset. potest enim eo testamento dare libertatem: utiq; cum dictum sit, ut quoties quis libertatem accepit fideicommissariam, si ab alio quàm qui erat rogatus, manumittatur: auxilium constitutionum habeat, perindeque habeatur atque si ab eo manumissus fuisset: quoniā fideicommissarijs libertatibus fauor exhibetur, nec intercidere solet destinata fideicommissi libertas. qui enim ea donatus est, in possessione libertatis interim esse uidetur. Apparet igitur, subuentum fideicommissarijs libertatibus, ut in rem mora facta esse his uideatur.

III. *Regula: Si seruo legato fideicommissaria libertas*

libertas sit relicta, tam hæres quàm legatarius ad eum manumittendum tenetur. quæ regula approbatur l. si legato. 11. in prin. ff. de manumiss. testam. his uerbis: Si legato seruo fideicommissaria libertas relicta est: uel hæres uel legatarius eum cogitur manumittere.

IIII. *Regula: Si hæredi manumittere rogato adnascatur cohæres, uterq; ad manumittendum tenetur. quæ regula approbatur l. alieno. 11. §. 1. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Cum intestatò moriturus fidei filij commisisset, ut seruum manumitteret, & posthumus ei natus fuisset: diui fratres rescripserunt, quia diuidi non potest, ab utroq; præstandam. *Contradicit l. qui grauiter. cum legibus sequentib. item l. penult. ff. de iure codicillorū. quarum legum uerba cum alijs huc pertinentibus uide §. lib. 33. cap. 2. reg. 1. excepti. 1. repl. 9. dupl. 1.*

V. *Regula: Si hæres rogatus sit seruū legatarij manumittere, tam hæres quàm legatarius ad manumittendum tenetur. quæ regula approbatur l. si te. 13. C. de fideicom. libertat. his uerbis:* Si te donatam ante matrimonium uxori suæ, postea ei legato relicto, testamento manumisti, seu codicillis, seu uerbis precarijs à successoribus uoluit: tam eos ad redemptionem & manumissionem, quàm eam quæ in capiendis relictis consensit iudicio, teneri, tibiq; fideicommissariam deberi libertatē, non ambigitur. *Concordant ea quæ proposita sunt §. cap. 6. excepti. 11. repl. 1. dupl. 9. tripl. 1.*

VI. *Regula: Si quis sua manu seruum sibi legatum scripserit, & manumittere se rogatum: ab omnibus hæredibus is seruus est manumittendus. quæ regula approbatur l. cum quidam. 17. ff. ad l. Cornel. de falsis, his uerbis:* Cum quidam sua manu seruum sibi legatum scripsisset, & eum manumittere rogatus esset: senatus censuit, ab omnibus hæredibus eum manumittendum.

VII. PER QVOS DATVR actio proposita?

Per procuratorem non datur actio proposita. quæ regula approbatur l. 1. in prin. C. de adseruatione tollenda. his uerbis: Lites super seruili conditione mouendas, ad clementiorem tam examinationem quàm terminum transferimus, iubentes, si quis uel adhuc seruiens liberū se esse dixerit, uel in libertate commorans ad seruitutem uocatus fuerit: adsertoris difficultatē in utroq; casu cessare, ipsumq; per se ad intentionem eius qui dominum sese adserit, respondere: & si ex possessione libertatis ad seruitutem ducitur, etiam procuratorem dare minimè prohiberi: quod ijs qui ex seruitute ad libertatem prosiluerint, penitus interdicimus: illis legibus, quæ dudum & secunda & tertia uice adsertorias lites examinari præcipiebant, in posterum conquiescentibus: cum sitiustum, primam definitionem in suis manere uiribus, cū prouocatio nulla oblata fuerit: quia porrecta, ad similitudinem aliorum negociorum iudex, ad quē res ex prouocatione ducitur, eam examinabit: cuius & ipsius iudicium ad secundam exquisitionem minimè deducetur occasione legum, quæ super adsertorijs litibus positæ sunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non ex seruitute in libertatem seruus proclamet, sed contrà ex libertate in seruitutem petatur. tunc enim per procuratorem potest causam status defendere. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Etsi ex possessione libertatis ad seruitutem ducitur, &c. *Secundæ exceptionis loco notandum, quòd is qui de statu suo litigat, quamuis ex seruitute in libertatem proclamet, pubet ad alias suas causas (status causa excepto) procuratorem dare. quæ exceptio approbatur l. seruum. 32. §. cum uerò qui. ff. de procuratorib. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 6. quæst. 4. excepti. 3. repl. 1.*

VIII. QVIBVS PRAESENtibus actio danda?

I. *Regula: Si seruus ad bona fisci pertinens, in libertatem proclamauerit: præsentibus his qui negocij fisci solent interuenire, & aduocato fisci, causa peragenda est. quæ regula approbatur l. non intelligitur. 2. §. diuus Hadrianus. & l. si fiscus. 7. ff. de iure fisci. cuius uerba uide §. lib. 8. cap. 3 excepti. 10.*

II. *Regula: De absentia alterutrius litigatorum uide §. quæst. ult. reg. 1. excepti. 4. item reg. 1. excepti. 5.*

IX. APVD QVEM COMPEtat actio propolita?

I. *Regula: Romæ apud præfectum urbi, in prouincijs apud præsides datur. quæ regula approbatur l. si quis. 5. in prin. ff. de manumissionibus. cuius uerba uide §. cap. 4. causa 15. in prin. Item apud prætorem competit. quæ regula approbatur l. 1. in prin. C. de officio prætorum. cuius uerba uide §. lib. 2. cap. 13. quæst. 1. reg. 1.*

II. *Regula: Apud procuratorem Cæsaris non datur. quæ regula approbatur l. 2. C. ubi causas status agi oporteat, his uerbis:* Procuratores nostros status causas examinare non posse, omnibus notum est. *Huius regulæ exceptio est: Nisi inter fiscum & priuatum agatur. quæ exceptio approbatur l. iamdudum. 5. C. d. tt. his uerbis:* Iam dudum à nobis statutum est, ut si quæ causæ libertinitatis & seruitutis in prouincijs inter fiscum & priuatos exorirentur, ad rationalem uel magistrum priuatæ rei, hoc est, unde motæ essent quæstiones, remitterētur: si quæ uerò ingenuitatis essent, à rectore prouinciæ examinarentur.

III. *Regula: Ibi agenda causa est, ubi domicilium habet is qui se dominum dicit. quæ regula approbatur l. si ex. 4. C. d. tt. his uerbis:* Si ex possessione seruitutis in libertatē quis proclamat: ibi agi oportere statuimus causam, ubi domicilū constitutū habet qui se dominum dicit, nō est ambigui iuris. *Concordat l. 1. C. cod. tt. his uerbis;* Quę à te, cum tibi seruiret, profugit, & in aliā prouin-

prouinciam se contulit, libertatem sibi uẽdicans: non iniuria eo loco litigare cõpellẽda est, undẽ quasi fugitiua recesſit. Ideóque remittere eam in prouinciam, in qua seruiuit, præses prouinciæ, qui eo loco ius repræsentat, curæ habebit: sed non ubi deprehensa est, audiri debet.

X. QVANDO COMPETAT actio proposita?

I. Regula: *Si testator à familia sua necatus esse dicatur: differtur causa proposita, donec illa fuerit finita. quæ regula approbatur l. liberis. 7. §. sunt & aliæ. ff. de liberali causa, his uerbis:* Sũt & alię causę, ex quibus in libertatem proclamatio denegatur: ueluti si quis ex eo testamẽto liber esse dicatur, quod testamentum prætor aperiri uetat, quia testator à familia necatus esse dicatur. Cum enim in eo sit iste, ut supplicio fortè sit afficiendus: non debet liberale iudiciũ ei concedi. Sed etsi data fuerit, quia dubitatur utrum nocens sit, an innocens: differtur liberale iudicium, donec constet de morte eius qui necatus est. Apparebit enim, utrum supplicio afficiendus sit, an nõ.

II. Regula: *Si mater & filius de libertate litigant: aut coniungenda sunt utrorumq; iudicia, aut filij causa differenda, donec de matre constet. quæ regula approbatur l. si usumfructum. 23. §. fin. ff. de liberali causa, his uerbis:* Si mater & filius de libertate litigant: aut coniungenda sunt utrorumq; iudicia, aut differenda est causa filij, donec de matre constet, sicut diuus quoq; Hadrianus decreuit. Nam cùm apud alium iudicem mater litigabat, apud alium autem filius: Augustus dixit, antè de matre constare oportere, sic dein de filio cognosci.

III. Regula: *Si optio serui data sit, uel homo generaliter legatus: nõ potest hæres ante electionem quosdam manumittere. quæ regula approbatur l. si optio. 3. ff. qui & à quib. manumiß. his uerbis:* Si optio hominis data sit, uel indistinctè homo legatus: non potest hæres quosdam seruos uel omnes manumittendo, aut euertere, aut minuere ius electionis. Nam optione siue electione serui data, quodammodò singuli sub conditione legati uidentur. *Concordat l. si cũ. 14. ff. de optione legata. cuius uerba uide* ẽ. *lib. 34. cap. 11. quæst. 1. except. 10.*

IIII. Regula: *Si libertas in testamento relicta sit: statim quàm adita fuerit hæreditas, competit. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. testamento. 23. in fine. ff. de manumiß. testam. his uerbis* : Testamẽto libertas data cõpetit, purè quidem data, statim quàm adita fuerit hæreditas, uel ab uno ex hæredibus. Si autem in diẽ uel sub conditione libertas data est: tunc competit libertas, cum dies uenerit, uel conditio extiterit. *Concordat l. testam. 25. ff. eod. tt. his uerbis:* Testamento liber esse iussus, tunc fit liber, cum adita fuerit hęreditas qualibet ex parte: si modò ab eo gradu, quo liber esse iussus est, adita fuerit, & purè quis manumissus sit. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi in diem uel sub conditione libertas sit relicta. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Et purè quis manumissus sit. *Concordat d. l. 23. uerbis iam propositis hisce:* Si aũt in diem uel sub conditione, &c. *Concordat l. peculiii. 67. §. fin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 8. exc. 14. rep. 1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ita libertas sit relicta, Stichus intra annũ quàm mortuus fuero, liber esto. quæ replicatio approbatur l. si ita. 41. §. fin. ff. de manumiß. test. cuius uerba uide* ĩ. *reg. 7. Secũda exceptio est: Nisi ab uno tantùm ex pluribus hæredibus sit adita. Hæc exceptio reprobatur uerbis d. l. 23. uerbis suprà propositis hisce* : Vel ab uno ex hæredibus. *Concordat l. si legato. 11. §. fin. ff. de manumiß. testam. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 8. except. 8. Tertia exceptio est: Nisi ab alio gradu, quàm quo libertas relicta est, adita sit hæreditas. Hæc exceptio approbatur uerbis d. l. 25. iam propositis hisce:* Si modò ab eo gradu, quo liber esse iussus est, adita fuerit. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide in regulis proximè præcedentibus & sequentibus.*

V. Regula: *Si ex die libertas relicta sit, regulariter à die mortis testatoris tempus numeratur. quæ regula approbatur l. qui duos. 18. §. fin. ff. de manumiß. test. am. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 7. excep. 60. Huius regulæ exceptio proponitur l. Thais. 41. §. hærede. ff. de fideicommiß. libert. his uerbis* : Hærede filio suo ex asse instituto, libertatem dedit in hæc uerba: December dispensator meus, Seuerus uillicus, & Victorina uillica Seueri contubernalis, in annos octo liberi sint, quos in ministerio filij mei esse uolo. Te autem Seuere fili charissime peto, uti Decembrem & Seuerum commẽdatos habeas: quibus præsentem libertatem non dedi, ut idonea ministeria haberes: quos spero te libertos idoneos habiturum. Quæro, cùm eo tempore, quo Titius testamentum faciebat, filius natus annorum fuerit nouem, & Titius post biennium & sex menses decesserit: anni octo, in quos libertas erat dilata, ex testamenti facti tempore, an uerò ex mortis, numerari debeant? Scæuola respondit, posse uideri, testatorem eos annos octo dilatę libertatis comprehendisse, qui computandi sunt à die testamenti facti: nisi aliud uoluisse testatorem probaretur.

VI. Regula: *Certo anno liber esse iussus. statim initio anni liber fit. quæ regula approbatur l. si ita. 41. in prin. ff. de manumiß. test. his uerbis* : Si ita fuerit libertas relicta, Seruus Stichus meus anno duodecimo, postquam ego mortuus ero, liber esto. uerisimile est, in principio duodecimi anni eum esse liberum. nam hoc mortuũ sensisse: & inter hos sermones, Duodecimo anno, & Post duodecim annos, multum interesse. & ita loqui solemus, Duodecimus annus est, cum quantũlibet ex duodecimo anno uenisset, aut præterijsset: & qui duodecimo anno liber esse iubetur, omnibus diebus anni liber esse iussus est.

VII. Regula: *ita liber esse iussus, si intra annum decem dederit: decem datis, statim liber fit, non expecto fine anni. quæ regula approbatur d. l. 41. §. fin. ff. de manumiß. test. his uerbis:* Labeo scribit, Si sic libertas relicta sit, Stichus intra annũ quàm mortuus ero, liber esto: statim eum liberum esse. Nam & si ita sit scriptum, Si intra annũ decem hæredi meo dederit, liber esto: statim soluendo eum liberum sine mora futurum. *Idem dicendum, & si annua, bima, trima die dare iussus, statim dederit totum: tunc enim statim etiam liber fit. quod approbatur d. l. 41. §. sed si ita, his uerbis:* Si ita sit scriptum in testamento, Stichus seruus meus hæredi meo mille numos anno, biennio, triennio, postquam ego mortuus ero, si soluerit, satisue fecerit, liber esto: non non potest is seruus, nisi triennio præterito, liber esse: nisi præsentem eam pecuniam soluat, aut satisfaciat. compensanda enim est hæredi libertatis celeritas præmatura pecuniarum solutione. *Concordat l. amplius. 3. §. quid si seruus. ff. de statuliberis. cuius uerba uide* ẽ. *cap. prox. except. 60. repl. 1.*

VIII. Regula: *Si ita libertas sit relicta, Stichus, si hæres eum non manumiserit, liber esto: statim atque hæres, cum possit, eum non manumiserit, liber fit. quæ regula approbatur l. si ita. 37. ff. de statulib. hisce uerbis:* Si ita scriptum sit: Stichum Titio do, ut eum manumittat. si non manumiserit, liber esto. statim Stichum liberum esse, Caius ait. *Concordat l. multas. 34. §. fin. ff. de fideicom. libert. his uerbis:* Seruus legatus erat Calpurnio Flacco, isq; rogatus erat ut eũ manumitteret: & si non manumisisset, idem seruus Titio legatus erat, & is æquè rogatus erat ut eũ manumitteret: & si nõ manumisisset, libèr esse iussus erat. Sabinus dicit, inutiliter legatum fore, & ex testamẽto eum continuò liberũ futurum. *Ait iurisconsultus,* Statim: *item,* Continuò. *Hoc quomodo intelligendũ sit, declaratur l. si peculium. 20. §. fin. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si ita quis acceperit libertatem, Stichus, si hæres eum nõ manumiserit, liber esto: poterit ab hærede manumitti. Non enim cõtra uolũtatẽ testatoris adimitur ei libertas. Sed non tam continuum tempus ad hoc exigẽdum est, ut præcipitari cogatur hæres, uel ex peregrinatione celerius reuerti ad manumittendum, uel administrationem rerũ necessariarum intermittere: nec rursus tam longũ, ut quamdiu uiuat, protrahatur manumissio: sed modicum, scilicet, quo primo possit sine magno incommodo suo hæres manumittere. *Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tempus intra quod ab hærede sit manumittendus, sit adiectum. tunc enim tempus illud erit expectandum. quæ exceptio approbatur uerbis d. l. 20. §. fin. hisce:* Quòd si tempus adiectum fuerit, illud spectabitur. *Secunda exceptio est: Nisi ita libertas sit relicta, Si testamento suo eum hæres nõ manumiserit. tunc enim mors hæredis expectabitur. quæ exceptio approbatur l. si quis. 13. in prin. ff. de statuliberis. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 9. except. 38. repl. 23.*

IX. Regula: *Si cum libertas seruo relicta esset, si Titius sedecim annorũ esset, Titius ante decimumsextũ annum sit mortuus: tempus quo Titius, si uiueret, sedecim annorum esset, expectandum est. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt* ẽ. *cap. 8. except. 36.*

X. Regula: *Si seruus uenditus sit ut manumittatur, intra duos menses manumittendus. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. Latinus. 9. ff. qui sine manumiß. his uerbis:* Latinus Largus uendidit ancillam, ita ut manumitteretur, non addito tempore. Quęro, quando ex constitutione incipit libertas cõpetere ei, cessante emptore in manumittendo? Paulus respondit: Inspiciendum est quid actum sit, utrum cũ primùm potuisset ut manumitteret, an in potestate esset emptoris, quãdo uellet manumittere. Priore casu tempus facilè comprehendi poterit: posteriore utiq;, moriente emptore, competit libertas. Si non appareat quid conuenerit, fauor inducit priorẽ opinionem: id est, ut intra duos menses, si ambo præstò sint, tam seruus quàm emptor eius. Seruo enim absente, nisi emptor intra quatuor menses imposuerit libertatem, ex constitutionibus ad libertatem eripitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi tempus sit adiectum, intra quod sit manumittẽdus. quæ exceptio ex iam dictis constat. Secunda exceptio est: Nisi uiuo emptore manumitti iussus sit. Hæc exceptio approbatur l. ei qui. 4. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 8. except. 19. repl. 1. dupl. 1.*

XI. ADIVNCTA PROPOSITÆ actionis?

I. Regula: *De prius ordinanda lite, ut sciatur uter actor, & uter reus sit, dictum* ẽ. *quæst. 1. in prin.* *Huc pertinet l. liberalis. 41. in prin. ff. de liberali causa, his uerbis:* Liberalis causa si in obscuro sit, in quo fuerit statu is qui pro libertate sua litigat: prior audiẽdus est, probare uolens seipsum in libertatis possessione esse.

II. Regula: *Ordinata lite, is qui seruus dicitur, liberi loco habetur, & actiones tam intendere quàm excipere potest. quæ regula approbatur l. ordin. 24. ff. de liberali causa, his uerbis:* Ordinata liberali causa, liberi loco habetur is qui de statu suo litigat, ita ut aduersus eum quoque qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quascunq; intendere uelit. Quid enim, si tales sint, quæ tẽpore aut morte intereãt?

quare non concedatur ei litem contestando in tutum eas redigere? quinetiam Seruius ait, in actionibus annuis ex eo tempore annum cedere, ex quo lis ordinata sit. Sed si cum alijs experiri uelit, non est quærendum an lis ordinata sit: ne inueniatur ratio, quemadmodum subiecto aliquo, qui libertati controuersiam moueat, interim actiones excludantur. Aequè enim ex euentu iudicij liberalis, aut utilis, aut inanis actio eius esficietur. Sed si quas actiones inferat dominus, quæritur an cõpellendus sit suscipere iudicium? Et pleriq; existimant, si in personam agat, suscipere ipsum ad litis contestationem: sed sustinendũ iudicium, donec de libertate iudicetur: nec uideri præiudicium libertati fieri, aut uoluntate domini in libertate eum morari. Nam ordinato liberali iudicio, interim pro libero habetur: & sicut ipse ageret, ita cũ ipso quoq; agi potest. Cæterùm ex euentu aut utile iudicium erit, aut nullum, si contra libertatem pronũciatum fuerit. Si is qui in libertatem proclamat, furti aut damni iniuriæ ab aliquo arguatur: Mela ait, interim eum cauere debere iudicio se fisti: ne melioris cõditionis sit, qui dubiæ libertatis est, quàm qui certę. sed sustinendum iudicium, ne præiudicium libertati fiat. eqùe si cum possessore hominis furti agi cœperit, deinde is cuius nomine agebatur, in libertatem proclamauerit: sustinẽdum iudicium, ut si liber iudicatus sit, in ipsum trãsferatur iudicium: & si damnatio facta sit, iudicati actionem potius in eũ dãdam. *Concordat l.lite.14.C.cod.tt.his uerbis*: Lite ordinata, in possessione libertatis is de cuius libertate quæritur, constituitur, & interim pro libero habetur. *Concordat item l.mouear.4.in fine.C.si seruus exportandus ueneat, cuius uerba uide alibi. Concordat item l.si quis.3.C.quibus ad libert. proclamare non licet. cuius uerba uide j. reg. 5. Planè recipit regula proposita aliquot exceptiones, de quibus in regulis sequentibus dicetur.*

III. *Regula: Si is qui de statu suo litigat, hæres sit institutus: an possit compelli, ut iussu eius qui se dominũ dicit, adeat, definitur l.cum aliquis.21. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide j.lib.28.cap.22.reg.3.except.10. Idem constituendum est in quolibet ei qui de statu suo litigat relicto agnoscendo, quod approbatur l. si cui.25.in prin.ff. de liberali causa, his uerbis*: Si cui de libertate sua litiganti optio legata sit: quæcunque de hæreditate ei relicta dicuntur, eadem & de optione tractari possunt.

IIII. *Regula: Qui de statu suo litigat, militare interim non potest. quæ regula approbatur l.qui de.29. ff. de liberali causa, his uerbis*: Qui de libertate sua litigans, necdum sententia data militiæ se dedit, in pari causa cum cæteris seruis habendus est, Nec exonerat eum, quòd pro libero habeatur in quibusdam. Et licet liber apparuerit, erit exauthoratus: id est, militia remotus, castris deijcitur: utiq; qui ex serui tute in libertatem petitus fuit, uel qui non sine dolo malo in libertate moratus est. Qui uerò per calumniam petitus in seruitutem est, in militia retinebitur. Qui ingenuus pronunciatus est, si se militiæ dedit: intra quinquennium retractata sententia, nouo domino reddendus est.

V. *Regula, De peculio, & bonis eorum qui de statu suo litigant sequestrandis, & postea restituendis, proponitur l.1. §. super peculio. C. de adsertione tollenda, his uerbis*: Super peculio eorum qui de statu suo litigant, uel alijs rebus aut causis ueterẽ defensionis obseruationẽ tollimus: præcipientes, illorũ tantùm peculia, qui ex possessione seruitutis super libera conditione litigant, aliasq; res quæ uindicantur, in tuto pro dispositione iudicis collocari. *Concordat l. si quis. 3. C. quibus ad libertatem proclamare, his uerbis*: Si quis in libertatẽ proclamauerit: id quod apud se esse eius qui se dominum dicit, profitebitur, quoniam non de eo dubitatur, reddi ac referri iudex protinus pronũciabit. Quod uerò petitur, si fuerit negatione dubium: per cautionem conseruabitur, ac petitio differetur: ut si fuerit adprobata libertas (quoniã & ipsis qui his rem cõmiserunt, medendum est) gestarum rerum ab eodem ratio, atq; omne quod debetur, reposcatur: ut seruitute depulsa, qui pro domi no quondam fuerat, habeat quod ut seruo dominij iure largitus est, & quæ ex earum rerum quæstu ac fructibus cõgregata sunt, & quæ de furtiuis compendijs obscurè capta ac parata sunt: cũ liberũ esse non oporteat, quod apud seruũ dominus peculij nomine collo cauerat. Ea uerò quæ testamento uel donatione quæsita sunt, aut quæ ex earum rerum emolumentis empta confectaq; sunt, eidem ingenuo deputẽtur. Quæ tamen uniuersa, exacto libertatis iudicio, quatenus à suprascriptis reb. discernantur, in sequestro esse oportet: ut his ab utroque deductis, atque in medio collocatis, ad eorum proprietatem uterque contendat. *Concordat item l.ult.C.de ordine cognitionum. cuius uerba uide §. lib.7.cap.8.quæst.1.reg.6.*

VI. *Regula, De eo quod is qui seruus dicitur, pendente lite adquisiuit, proponitur l.si cui. 25. §. licet. ff. de liberali causa, his uerbis*: Licet uulgò dicatur, post ordinatum liberale iudicium hominẽ, cuius de statu controuersia est, liberi loco esse: si tamẽ seruus sit, certum est, nihilominus eũ, quod ei tradatur uel stipuletur, perinde domino adquirere, atq; si nõ de libertate eius quæreretur. Tantũ de possessione uidebimus, cum ipsum post litem ordinatã desinat

desinat dominus possidere. Sed magis est ut adquirat, licet ab eo nõ possideatur. Et cũ placuit, per fugitiuũ quoq; possessionẽ adquirere nos posse: quid mirũ, etiam per hũc, de quo quærimus, adquiri? *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi nõ intuitu domini, sed eius qui de statu suo litigat, hæres is sit institutus, quæ exceptio approbatur l.cũ aliquis.21.C.de iure deliberãdi. cuius uerba proponentur j.lib.28.cap.22.reg.3.except.10.*

XII. DE PROBATIONIBVS in proposita actione.

I. *Regula: Vtri probandi onus incumbat? Hæc quæstio definita est per ea quæ proposita sunt §. eod. cap. in prin.*

Per quæ probetur libertas?

II. *Regula: Si mater libera sit pronunciata, liberis quoq; prodest ad libertatem suam probandam sententia. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. ult.C. de liberali causa, cuius uerba uide j.quæst.prox. reg.3.except.2.*

III. *Regula, De locatione ei qui seruus dicitur, ab eo qui se dominum dicit, facta. Per hanc libertas non probatur. quæ regula approbatur l.ad prob.18. C.d.tt. his uerbis*: Ad probationem ingenuitatis ab eo, contra cuius successores postulas, facta tibi locatio non sufficit: nec tamen hoc solum ad seruitutis uinculum argumentum est idoneum.

IIII. *Regula: Si is qui seruitutis mouerat quæstionem, destitit: per hoc libertas non probatur. quæ regula approbatur l.si te.7. C.de ingenuis manumissis, hisce uerbis*: Si te & filios tuos ingenuos esse constat: natalium uestras uos tuetur. Nam qui seruitutis mouerat quæstionem, apud acta causę renunciando, ad ingenuitatis probationem nec nocere quidquam, nec prodesse potest.

V. *Regula: Si is qui dominum se dicit, eum cui status quæstionem mouet, liberali nomine appellauerit in suo libello: liber ex eo probatur. quæ regula approbatur l. cum precum.9.C.de liberali causa, his uerbis*: Cum precũ tuarum conceptio, licet eum contra quem supplicas, ex ancilla tua natum esse expresserit: tamen nomini cognomen, quo liberi duntaxat nuncupantur, addiderit, & non seruum esse, sed seruili macula adspersum comprehenderit: contra eum qui seruus non est, supplicasse te intelligis. *Contradicit quod ammodò l.ad recognoscẽdos.10. C.de ingenuis manumissis. cuius uerba uide §. cod. lib.cap.3. causa 7.*

VI. *Regula: Si is qui se dominum dicit, ei quem seruum dicit, antea tanquam decurioni & principali scripserit: ex hoc seruus non probatur liber. quæ regula approbatur l.iubemus.41.C. de liberali causa, his uerbis*: Iubemus omnes epistolas actticis, quas ad Aelium tanquam principalẽ fecerat, inanes ac uacuas esse, atq; in irritum uocari, ac de ingenuitate eiusdem Aelij requiri: nec mulieri id obesse, quòd ad eũ tanquã decurionẽ ac principalẽ scripsit, uel id quòd idẽ se finxerat decurionẽ uel principalẽ: maximè cũ non solùm testium professione & cognationis eius iugum seruile cognoscitur, uerumetiam uoce propria eiusdem Aelij apud alium iudicium patuerat, quòd conditionis seruilis uideretur. *Alias huiusmodi regulas & argumenta, quibus probetur libertas, uide §. eod. lib.cap.4. item lib.7.cap.1. in loco probationum.*

Per quæ probetur seruitus?

VII. *Regula: Si instrumentum ingenuitatis nullũ, uel malè conceptum extet: per hoc non probatur quis seruus. quæ regula approbatur l. imp.8. ff. de statu hominum, his uerbis*: Imperator Titius Antoninus rescripsit, non lædi statum liberorum ob tenorem instrumenti malè concepti. *Concordat l.nec omissa.15.C.de liberali causa, his uerbis*: Nec omissa professio probationem generis excludit, nec falsa simulatio ueritatẽ minuit. Cum itaq; ad examinationem ueri, omnis iure prodita debeat admitti probatio: aditus præses prouincię, solennibus ordinatis, prout iuris ratio patitur, causam liberalem inter uos decidi prouidebit.

VIII. *Regula, De tortura serui, proponitur l.cum seruum.6.C.de seruis fugitiuis, hisce uerbis*: Cum seruum quispiam repetit fugitiuũ, & alius uitandę legis gratia, quę in occultantes mancipia certa pœnam statuit, proprietatẽ opponit, uel in uocem libertatis eum animauerit: illico nequissimus uerbero, super quo ambigitur, tormentis subijciatur, ut aperta ueritate, disceptationis terminus fiat. quod non solùm utrisque iurgantibus proderit, sed etiam seruorum animos à fuga poterit detinere.

IX. *Regula, De confessione eius qui seruus dicitur, proponitur l. nec si. 6. C. de liberali causa, his uerbis*: Nec si uolens scripsisses, seruum te esse, nõ liberum, præiudicium iuri tuo aliquod cõparasses: quanto nunc magis, cum eam scripturam dare compulsum te esse testaris? *Concordat l.nec omissa. 15. ibi: nec falsa simulatio. C. eod.tt. cuius uerba uide paulò superiùs reg.7. Concordat item l.parentes.22.C.eod.tt.his uerbis*: Parentes natales, non confessio adsignat. Quapropter si ex ancilla nata, pòst ad libertatẽ manumissa peruenisti: te seruam professa, uelut ex ancilla altera natam, huiusmodi simulatione uel errore, quæsitam manumissione libertatem amittere minimè potuisti: cum serui nascantur ratione certa, non confessione constituantur. *Item concordat l.interrog.24.C.eod.tt.his uerbis*: Interrogatam & professam apud acta se esse ancillam, huiusmodi factum defensionem libertatis non excludit. *Item concordat l.liberos.39.C.eod.tt.his uer-*

bus: Liberos uelut seruos se profitentes, statum eorum mutare non posse, constat. *Planè confessio iudicialis præiudicat, ex l. iubemus. 41. in fine. C. de liberali causa. cuius uerba uide §. reg. 16.*

X. *Regula: Si quis matrem & fratres seruilis conditionis habeat, ex hoc is non probatur seruus. quæ regula approbatur l. ad probandum. 22. C. de probationib. his uerbis:* Ad probationẽ seruitutis Chasconis, matrem eius ac fratrem seruilia fecisse ministeria non sufficit: cum neq; ingenuorum coniuentia coniunctis necessitudine præiudicet, neq; de seruis ex eadem matre natis libertatem unus adipisci prohibeatur.

XI. *Regula: Confessio cohæredis de statu defuncti, non præiudicat alij hæredi. quæ regula approbatur l. Arianus. 27. C. de liberali causa, his uerbis:* Arianus, si mota sibi quæstione à Leonide, liber fuit pronunciatus, in seruitutem à uicto iterum non rectè petitus est. Cohæres etiã tibi ab Ariano datus, colludens cum eo, siue cohæredibus ipsius, qui status ei mouerat quæstionem, nihil tibi obfuit: nec ea quæ in cõfessione inter eos uenerunt, statum ueritatis, uel nomen substantiæ defuncti mutare potuerunt. *Alias huiusmodi regulas & argumenta, quibus probatur seruitus, uide §. eod. lib. cap. 3.*

XIII. EVENTVS PROPOSITAE actionis & manumissionis.

I. *Regula: Si uictus sit is qui in libertatem proclamauit, punitur. l. 38. §. qui se suis. ff. de pœnis, hisce uerbis:* Qui se suis numis redemptum non probauerit, libertatem petere non potest: amplius eidem domino sub pœna uinculorũ redditur, uel si ipse dominus malit, in metallum damnatur. *Concordat l. 5. ibi: sub ea tamen. ff. de manumissionibus. cuius uerba uide §. cap. 4. causa 15. in prin. Item concordat l. 2. in fine. ff. de fugitiuis. cuius uerba uide ȳ. cap. 12. reg. 9.*

II. *Regula: Si seruus pronunciatus sit, rursus in libertatem proclamanti obstat rei iudicatæ exceptio. quæ regula approbatur l. 1. §. illis legibus. C. de assertione toll. cuius uerba uide §. quæstion. 7. Huius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi non de libertate, *sed de proprietate serui antea sit pronunciatum. quæ exceptio approbatur l. 2. C. de liberali causa, his uerbis:* Si hi quos seruos tuos esse dicis, liberi esse à diuersa parte dicantur: de statu eorũ more solito quæri oportet. nec enim res iudicata, qua de proprietate eorum pronunciatum est, opponi causæ liberali potest. *Secũda exceptio est:* Nisi *ex alia causa, quæ postea superuenit, agatur. Hæc exceptio approbatur l. si cui. 25. §. 1. ff. de liberali causa, his uerbis:* Interdum ex integro datur ad libertatem proclamatio: ueluti ei qui adfirmat, ideo se primo iudicio uictum, quòd statuta libertas nondum ei obtigerat, quam nunc dicit sibi obtigisse. *Tertia exceptio est:* Nisi *cum is qui obtinuit, pro parte tantùm seruum uindicasset, antea aduersus* *cium seruus obtinuerit, & liber sit pronunciatus. Hæc exceptio approbatur l. si pariter. 9. in fine. ff. de liberali causa. cuius uerba uide ȳ. reg. proxim. Concordat l. duobus. 30. ff. eod. tit. cuius uerba uide d. reg. prox. Quarta exceptio est:* Nisi *absente eo, de cuius statu litigabatur, sit pronunciatum. Hæc exceptio reprobatur l. diui fratres. 27. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Quòd si is qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor uerò præsens sit: melius erit, agi causam eius, sententiamque proferri. si enim liquebit, cõtra libertatem dabit. Euenire autem potest, ut etiam absens uincat: nam potest sententia etiam secundum libertatem ferri. *Concordat l. 1. §. omnes uerò. C. de assertione toll. his uerbis:* Omnes qui pro libertate periclitantur, si quidem possunt fideiussorem dare: eum exigi. Sin uerò reuera datio eius impossibilis ei sit, hocque iudici manifestè ostendatur: iuratoriæ cautioni committi, scientes, quòd si post huiusmodi expositionem abfuerint, & edictis citati in absentia nihilominus per unum annum duraurerint: omnimodò seruituti obnoxij erunt, & eius dominio qui litem eis intulit, sine ulla dubitatione adsignabũtur. *Concordat itẽ l. iuxta. 40. C. de liberali causa, his uerbis:* Iuxta edicti nostri continentiam, in liberalibus quoq; negocijs, siue de libertinitate, siue de ingenuitate quæstio moueatur, absente nihilominus una parte, causam discuti, & pro iusticiæ ratione sententiam proferri, nihil prohibet. *Quinta exceptio est: Nisi alius nũc in libertatem proclamet, quàm qui est seruus antea pronũciatus. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio est:* Nisi *matre serua pronunciata, liberi eius tempore litis nati, in libertatem postea proclamẽt. quæ replicatio approbatur l. ult. C. de liberali causa. cuius uerba uide ȳ. reg. prox. except. 2.*

III. *Regula: Si liber sit pronunciatus is, de cuius statu lis erat: non seruitutẽ petẽti eum obstat rei iudicatæ exceptio. quæ regula approbatur l. Arianus. 27. in prin. C. de liberali causa. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg. 11. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi alius status cõtrouersiã faciat, quàm qui prius fecit. Hæc exceptio approbatur l. si pariter. 9. in prin. ff. de liberali causa. cuius uerba uide paulò inferius. Verùm eius replicatio hæc est:* Nisi *cum duo separatim peterent hominẽ in seruitutem, quilibet pro parte tantùm egerit, aliusq; succubuerit, alius obtinuerit. hoc enim casu nihilominus sententia, qua is qui seruus dicebatur, uicit, prodest etiam aduersus alterum, contra quem succubuit: ita tamen, si pro parte ei qui uicit, precium soluat. quæ replicatio approbatur l. duob. 30. ff. de liberali causa, his uerbis:* Duobus petentibus hominem in seruitutem pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero seruus iudicatus est: cõmodissimum est, eousque cogi iudices, donec consentiant. Si id non contingat: Sabinum refertur existimasse, duci seruum de-

bere

bere ab eo qui uicisset. Cuius sententiæ Cassius quoque est, & ego sum. Et sanè ridiculum est, arbitrari eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem eius tueri. Commodius est autem, fauore libertatis liberũ quidem eum esse: cõpelli autem precij sui partem uiri boni arbitratu victori suo præstare. *Concordat l. si pariter. 9. ff. eod. tt. his uerbis:* Si pariter aduersus eũ qui de libertate litigat, consistant fructuarius & proprietarius, si eri potest ut alteruter absit: quo casu, an præsenti soli permissurus sit prætor aduersus eũ agere, dubitari potest? quia non debet alterius collusione aut inertia, alterius ius corrumpi. Sed rectius dicitur, etiam alterutri eorũ permittendum agere, ut alterius ius incorruptum maneat. Quòd si adhuc nondũ finito iudicio superuenerit, ad eundem iudicem mittetur: nisi iustam causam adferat, quare ad eum mitti non debeat: fortè si eũ iudicem inimicum sibi esse adfirmet. Idem dicemus, etsi duo pluresue domini esse dicantur, & quidam præstò sint, quidam abesint. Vnde in utroq; casu dispiciamus, an si, qui prior egit, uictus sit, prosit ei quòd posterior uicerit, uel contrà: id est, ut cum omnino alteruter uicerit, prosit etiam alteri: sicut prodest hæredi liberti, quòd in fraudẽ patroni serui manumissi sunt. Si cui placeat prodesse: consequens est, ut cum idem petat, exceptioni rei iudicatæ obijciatur replicatio. Si cui uerò placeat non prodesse: is habebit sequentem dubitationem, utrũ id in quo quis uictus est, nullius erit: an eius esse debeat, cũ quo actum sit: an potius eius qui uicerit, scilicet ut utilis actio detur ei qui uicit: minimè autem prætor pati debeat, ut pro parte quis seruus sit. *Secunda exceptio est:* Nisi *alius seruus dicatur, quàm qui antea liber est pronunciatus. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio est hæc:* Nisi *matre libera pronunciata, liberi eius in seruitutem petantur. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. ult. C. de liberali causa, his uerbis:* Placuit eos qui nascuntur, matrum cõditionibus uti, quarum mox uisceribus exponuntur. Ante uerò litẽ nati, suo nomine omnes in quæstionem uocentur: quoniam hos solos qui in lite nati erunt, omnem fortunam matrum complecti oportet, aut istis tradi dominis, aut libertate cum lucis authoribus frui. *Tertia exceptio est:* Nisi *perperam à iudice sit iudicatum. Hæc exceptio approbatur l. si seruus. 42. ff. de liberali causa, his uerbis:* Si seruus quem emeras, ad libertatẽ proclamauit, & ab iudice perperã pro eo iudicatũ est, & dominus eius serui post rem contra te iudicatam, te hæredem fecit, aut alio quo nomine is tuus esse cœpit: petere eum tuum esse poteris, nec tibi obstabit rei iudicatæ præscriptio. Labeonis hęc uerba sunt. *Quarta exceptio est: Nisi ex alia causa postea superueniente, seruus petatur, quàm petitus est in priore iudicio. Quæ exceptio approbatur iam d. l. 42. Quinta exceptio est:* Nisi *eo qui status controuersiam facit absente, pro libertate sit pronunciatum. Hæc exceptio reprobatur l. si is. 4. C. de liberali causa. cuius uerba uide ȳ. cap. prox. quæst. 1. causa 1. except. 1. Concordat l. iuxta. 40. C. eod. tt. cuius uerba uide suprà reg. prox. except. 4. Concordat l. diui fratres. 27. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis:* Si ea persona desit cognitioni, quæ alicui status controuersiam faciebat: in eadem causa est qui de sua libertate litigat, qua fuit, priusquam de libertate controuersiam pateretur. Sanè hoc lucratur, quòd is qui eam status controuersiam fecit, amittat suam causam: nec ea res ingenuum facit eum qui non fuit. nec enim penuria aduersarij ingenuitatem solet tribuere. Sed rectè atque ordine iudices puto facturos, si hanc formam fuerint secuti, ut ubi deest is qui in seruitutem petit, electionem aduersario deferant, utrum malit cognitionem circumduci, an audita causa sententiã proferri: & si cognouerint, pronunciare debebunt seruum illius non uideri: neq; hæc res captionem ullam habet, cum ingenuus nõ pronuncietur, sed seruus non uideri. Quòd si ex seruitute in ingenuitatem quis se allegat: melius fecerint, si cognitionẽ circumduxerint, nec sine aduersario pronuncient ingenuũ uideri: nisi magna causa suadeat, & euidentes probationes suggerant secundum libertatẽ pronunciandum, ut etiam rescripto Hadriani contineatur. *Sexta exceptio est: Nisi à sententia sit appellatum. Hæc exceptio approbatur l. si is. 4. in fine. C. de liberali causa. cuius uerba uide ȳ. cap. prox. quæst. 1. causa 1. except. 1.*

IIII. *Regula:* Ex *quo tempore liber pronunciatus, liber existat: utrũ à tẽpore sententiæ latæ, an à tẽpore causæ, ex qua liber est pronunciatus, definitur l. qui se. 67. ff. de iudicijs. cuius uerba uide §. eod. lib. cap. 4. causa 15.*

V. *Regula, De bonis eorum qui liber pronũciatus fuit restituendis, proponitur l. de bonis. 32. ff. de liberali causa, his uerbis:* De bonis eorum qui ex seruitute aut libertinitate in ingenuitatem uindicati sunt, Senatusconsultum factum est, quo cauetur de his quidem qui ex seruitute defuncti essent, ut id duntaxat ferrent, quod in domum cuiusq; intulissent. In eorum autẽ bonis, qui post manumissionẽ repetere originem suam noluissent, hoc amplius, ut quod post manumissionem quoq; adquisissent, nõ ex re manumissoris, secũ ferrent: cætera bona relinquerẽt illi, ex cuius familia exissent. *Concordat l. si quis. 1. C. quib. ad libertat. proclamare, cuius uerba uide §. quæst. 11. reg. 4.*

VI. Regula: *Manumisso regulariter debetur peculium.* Quæ regula approbatur simul & distinguitur *l.unica. C.de peculio eius qui libertat.meruit, his uerbis:* Longè diuersam causam eorũ,qui à superstitib. manumittuntur, item illorũ quib. testamẽto libertas relinquitur, esse,dissimulare nõ debueras:cum sit superiore casu quidem cõcessum tacitè peculiũ,si non adimatur:posteriore uerò, nisi specialiter fuerit datum,penes successorẽ remanere,iuris est euidentissimi. *Concordat l.seruus.3. ff.de manumiß. quæ seruis ad uniuers.pertin.his uerbis:* Seruus ciuitatis iure manumissus,nõ ademptum peculium retinet. Ideoq; debitor soluendo liberatur. *Concordat item l.si Sticho.51.ff.de peculio,his uerbis:* Si Sticho peculium,cum manumitteretur,ademptũ non est,uidetur concessum. Debitores autẽ cõuenire,nisi mandatis sibi actionibus, non potest. *Propositiæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cum manumitteretur,peculium sit ademptum. Quæ exceptio approbatur uerbis d.l.unicæ, iam propositis hisce:* Si non adimatur. *Concordat d.l.53.his uerbis:* Si Sticho peculium, cum manumitteretur,ademptum non est. *Secunda exceptio est: Nisi in ultima uoluntate uel testamento libertas sit relicta. Quæ exceptio approbatur uerbis d. l.unicæ,suprà propositis hisce:* Posteriore uerò, nisi specialiter fuerit datum, penes successorem remanere, iurie est euidentissimi. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi specialiter testamento peculium fuerit concessum.quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Nisi specialiter fuerit datum. *Tertia exceptio est: Nisi pupillus tutore authore manumiserit. Quæ exceptio approbatur l.penult.ff.de manumißis uindicta. cuius uerba uide suprà cap.5.except.4.repl.2. Quarta exceptio est: Nisi seruus ciuitatis sit manumissus. hoc enim casu, cùm respublica æquiparetur pupillo, idem uidetur dicendum, quod iam in pupilli seruo est dictum. uerùm exceptio hæc reprobatur l. seruus.3. ff.de manumiß.quæ seruis ad uniuers.pertin.cuius uerba uide suprà cad.regul.in prin. Quinta exceptio est:Ni si socius seruum communem manumiserit. Quæ exceptio approbatur l.1. §.sed ne circa. C.de communi seruo manumisso.cuius uerba uide suprà cap.6.except.11. repl.17. Sexta exceptio est: Nisi is qui pro seruo possidebatur,in libertatẽ proclamauerit,& liber pronunciatus sit.hoc enim casu peculium illum non sequitur. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. si quis. 3. C. quib.ad libertatem proclamare non licet. cuius uerba uide suprà eod. cap.quæst. 11.reg.5. Septima exceptio est: Nisi actiones peculiares seruo specialiter cessæ & mandatæ non sint.tunc enim debita peculiaria ratione propositæ regulæ exigere non potest. Quæ exceptio approbatur l.si Sticho. 53. in fine. ff. de peculio. cuius uerba uide paulò superius eod. reg. in prin. Concordat l.ult.in prin.ff.de donationibus,his uerbis:* Ad eum quem manumiserat,epistolam misit in hæc uerba: Titius Sticho liberto salutem. Cùm te manumiserim,peculium quoque tuum omne, quidquid habes tam in nominibus, quàm in rebus mouentibus,siue in numerato, me tibi concedere, hac epistola, manu mea scripta,notum tibi facio. Eundem libertum testamento ex besse scripsit hæredem, Sempronium ex triente: nec peculium Sticho legauit,nec actiones præstari iussit. quæsitum est,utrum in asse Sticho actio detur eorundem nominum,quæ in peculio habuit: an utrisq; hæredibus pro portionibus hæreditarijs? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur,utrisque hæredibus pro hereditarijs portionibus competere. *Octaua exceptio est: Nisi seruus domino res peculiares edere iussus,quasdam non ediderit. hæ enim cum alio peculio manumisso concessæ non uidentur. Quæ exceptio approbatur l.cum dom. 19. in prin. ff. de peculio legato, his uerbis:* Cum dominus seruum uellet manumittere, professionẽ edi sibi peculij iussit,atq; ita seruus libertatem accepit.res peculij professioni subtractas non uideri manumisso tacitè concessas apparuit.

VII. *Regula,De manumißionis instrumẽto præstãdo, proponitur l.sicut. 26. C.de liberali causa, his uerbis:* Sicut datam libertatẽ manumissis adimere patronus non potest: ita manumissionis instrumentum præstare cogitur.

VIII. *Regula: Hæres pecuniam legatario conditionis implendæ causa à seruo datam,repetere non potest. Quæ regula approbatur l.Stichum.39. in prin. ff.de statuliberis. cuius uerba uide ẽ. cap. 8. except. 28. distinct.3.*

IX. *Regula: Seruus liber factus, de eo quod in seruitute gessit, non tenetur. Quæ regula approbatur l. Aurelius.28.§.Sticho. ibinemo enim. ff.de liberatione legata,his uerbis:* Nemo ex seruitutis actu post libertatẽ tenetur. *Concordat l.quæ utiliter. 44. §.qui purè.ff.de negocijs gestis, his uerbis:* Qui purè testamento libertatem acceperunt, actus quem uiuentib. dominis administrauerũt, rationẽ reddere non compelluntur. *Concordat l.1. C.an seruus pro suo facto post manumiß.his uerbis:* Quãuis cum statulibero contraxeris,tamen ex antè gesto tenon habere cũ eo post impletam conditionẽ libertatis actionem, scire debes. *Concordat item l.2.C.eod.tt.his uerbis:* Creditoribus tuis, qui tibi in seruitute mutuam pecuniam crediderunt, nulla aduersus te actio cõpetit: maximè cum peculium tibi nõ esse legatũ proponas. *Concordat item l. fi(ut.5.C.eod.tt.his uerbis:* Si(ut allegas)antequã à domino manumittereris, fundos eius coluisti,postea; adepto peculio, libertate donatus es: ob reliqua, si qua pridẽ contracta sunt,res bonorũ,quas postea proprijs laboribus quæsisti, inquietari minimè possunt. *Concordat item l. si cognati. 21. C. negociorum gestorum,*

storũ,his uerbis: Si cognati tui seruos suos manumiserunt: hoc, quòd administrasse eos rem tuam contendis,impedimento eorum libertati fieri non potuit. Quin autem ex actu præcedente, post manumissionem, si utriusq; temporis administratio non connexa,sed separata sit,cõueniri non posse,procul dubio est. *Item concordat l.cùm test.4.in prin. C.de testamen.manumiß.his uerbis:* Cùm testamento directam libertatem pater tuus sit consecutus: quamuis ei hæres extiteris, frustra tamen rationes,quas tẽpore seruitutis gessit,ut reddas compelleris, cum non ea conditione acceperit libertatem. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi fideicommissaria libertas seruo sit relicta. hoc enim casu confestim eo manumisso,arbiter datur ad iucundas rationes,quas in seruitute gessit. Quæ exceptio approbatur l. si purè.27. ff.de fideicommiß.libertatib. cuius uerba cum concordantibus uide ẽ.cap.8.except.22. Sed & concordat l. de his.43.ff.de liberali causa, his uerbis:* De his qui bona eorum quibus seruiebant, intercepissent, deinde ad libertatem proclamassent, Hadrianus Imper.rescripsit: cuius rescripti uerba sunt hæc: Sicut non est æquum,fiducia libertatis,quę ex fideicõmissi causa præstanda est, intercipere hæreditariam pecuniam: ita nec libertati præstandæ moram quæri oportet. Quamprimùm ergo arbitrum dari debere,apud quẽ constaret,quid seruari posset hęredi,antequam ad seruum, &c. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi absente eo à quo fideicommissaria libertas debebatur, præses prouinciæ pronunciauit libertatem seruo deberi. Quæ replicatio approbatur l.hærede.19.in prin. ff.de fideicom.libert.his uerbis:* Hærede instituto marito, per fideicommissum libertatem seruis dedit,in quibus & Sticho actori mariti.quæsitum est, cùm absente marito iste præsidem prouinciæ adijt,ut libertas sibi præstaretur, quasi ex iusta causa hæres abesset,& præses prouincię pronunciauit libertatem deberi: an agi cum Sticho possit,ut rationem actus administrati à se reddere compellatur? Scæuola respondit,non posse. *Secunda exceptio est: Nisi liber homo,qui bona fide seruiebat, conueniatur ex eo,quod dum pro seruo habebatur, gessit. Hæc exceptio approbatur l.igitur.12.§.fin.cum lege sequente.ff.de liberali causa,his uerbis:* Si quod damnum mihi dederit, qui ad libertatem proclamat, illo tempore quo bona fide mihi seruiebat: ueluti si ego bona fide dominus noxali iudicio conuentus & condemnatus, litis æstimationem pro eo obtuli: in id mihi condemnabitur. Illud certum est, damnum hoc solum in hac actione in factũ deduci, quod dolo, non etiam quod culpa factum sit. Ideoque licet absolutus hoc iudicio fuerit: adhuc tamen postea cum eo poterit lege Aquilia agi, cùm ea lege etiam ex culpa teneatur. Item certum est, tam res nostras, quàm res alienas, quæ tamen periculo nostro sunt, in hanc actionem deduci: ueluti commodatas & locatas. Certè depositæ apud nos res, quæ periculo nostro non sunt, ad hanc actionem non pertinent. *Concordat l.liberalis.41.§.iudex.ff.eod.tt.his uerbis:* Iudex qui de libertate cognoscit,etiam de rebus amotis, damnóue magno facto cognoscere debet. fieri enim potest,ut fiducia libertatis & subripere quædam,& corrumpere,atq; consumere ex bonis eorum, quibus seruiebat, ausus sit. *Tertia exceptio est: Nisi non ex contractu,sed ex delicto serui agatur. Quæ exceptio approbatur l.serui. 13. ff.de actionibus & obligationibus, his uerbis:* Serui ex delictis quidem obligantur: & si manumittuntur, obligati remanent. Ex contractibus autem ciuiliter quidẽ non obligantur,sed naturaliter obligãtur & obligant. *Concordat l.licet.4.C.an seruus pro suo facto, his uerbis:* Licet seruitutis tẽpore ea quæ pecuniam matris tuæ subripuisse dicitur, ob eiusmodi admissum conueniri non poterat: ad libertatem tamẽ perductam (nam caput noxa sequitur) furti actione tenetur. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi delictum aduersus dominum sit commissum. Hæc replicatio approbatur l.siue.6. C.d.tt. his uerbis:* Siue serui sunt hi, quorum precibus fecisti mentionem,domi eos conueni: quia inter dominos & seruos iudicium constare nullum potest. siue post delictum manumissi sunt, ex antecedentibus post datam libertatem eos nulla ratio iuris à dominis quondam conueniri patitur. Sanè si post manumissionem quid illicitè commiserunt: hoc apud præsidem prouinciæ argue, accepturus ex iure sententiam. *Planè in ipso liberali iudicio horum quæ domino per seruum absunt, ratio haberi potest: quod duplicationis loco notandum. Quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt suprà except. prox. Quarta exceptio est: Nisi seruus domino,ut manumittatur, quid promiserit. ex eo enim liber factus potest conueniri. Quæ exceptio approbatur l.promissæ.3.C. d.tt. his uerbis:* Promissæ tibi pecuniæ à seruo tuo, ut eum manumitteres: si posteaquam manumisisti, stipulatus ab eo non es: aduersus eum petitionem per in factum actionem habes.

X. *Regula: Si quis alienũ seruum manumiserit, dominus precium serui petere potest. Quæ regula approbatur l.1. C.de his qui à non domino, his uerbis:* Eum qui seruos alienos ac suos manumittit,ut precium eorum dominis, si hoc elegerint,dependat,uel quanti sua interest,sæpe rescriptum est teneri. *Concordat l.alieno.31. §. fin.ff.de fideicomm.libertat. cuius uerba uide ĩ.lib.37. cap.1.quæst.3.reg.3.in fine.*

XI. Regula: *Si matrimonij causa quis manumittere fuerit rogatus: quamuis manumiserit, non tamen erit cogendus eam uxorem ducere. Quæ regula approbatur l. non tantùm. 51. §. fin. ff. de fideicom. libertat. cuius uerba uide ẽ. cap. 8. except. 35.*

DE ACTIONE, SI QVIS EX libertate in seruitutem petatur. Cap. XI.

SPecies liberalis causæ duæ sunt. Vna, *si quis ex seruitute in libertatem proclamauerit: de qua ẽ. capite proximo est dictum.* Altera est, *si quis ex libertate in seruitutem petatur: de qua in hoc Capite dicetur. quanquam multa ad hanc quoq; speciem pertinentia dicta sunt ẽ. cap. prox.*

I. CAVSAE HVIVS Actionis.

I. *Causa: Si quis seruus esse dicatur.* Hæc causa ipso quidem iure subsistit, *uerùm eius exceptio prima hæc est: Nisi semel eo nomine actum sit, liberq; pronunciatus.* Hæc *exceptio approbatur l. si is. 4. C. de liberali causa, his uerbis:* Si is quem in seruitutem petebas, liber (quamuis absente te) causa cognita pronunciatus est: secunda in seruitutem petitio eius dari tibi non debet. Sed si posteaquam cognouisti, de sententia iudicis appellasti: an iure lata sit, in auditorio quæretur. *Plura de exceptione proposita, eiusq; replicationibus uide ẽ. cap. prox. quæst. 13. reg. 2. Secunda exceptio est: Nisi apud consilium manumissus sit is qui seruus dicitur.* Hæc *exceptio approbatur l. 1. C. de uindicta. cuius uerba uide ẽ. cap. 5. except. 5. repl. 1. dupl. 1. Tertia exceptio est: Nisi actor semel lite mota, postea ad alium iudicem transierit.* Quæ *exceptio approbatur l. 1. §. fin. C. de adsertione toll. his uerbis:* Scire eos uolumus, qui aliquem ad seruitutem uocant, quòd si post primam accusationem in quocunq; iudicio uel ex diuali iussione factam, & admonitionem ei oblatam, qui seruus esse dicitur, in alio iudicio eum accusauerint (præterquam si eius occasionem ipse qui seruus esse dicitur, præstiterit) etsi domini sint, ipso iure priuabuntur. *Quarta exceptio est: Nisi is qui seruus dicitur, ante quinquennium sit mortuus.* Hæc *exceptio approbatur l. 1. in prin. ff. ne de statu defunctorum, his uerbis:* De statu defunctorum post quinquennium quærere non licet, neq; priuati, neque fisci nomine. *Concordat l. primus. 4. ff. eod. tt. his uerbis:* Primus omnium diuus Nerua hoc edicto uetuit, post quinquennium mortis cuiusq; de statu quæri. Sed & diuus Claudius Claudiano rescripsit: si per quæstionem nu mariam præiudicium statui fieri uideatur, cessare quæstionem. *Plura de exceptione proposita, eiusq; replicationibus uide ẽ. except. proxim. Quinta exceptio est: Nisi per causam propositam præiudicium futurum est ei, qui ante quinquennium mortuus est.* Hæc *exceptio approbatur l. 1. in prin. ff. ne de statu defunctorum, his uerbis:* Sed nec eius status retractandus est, qui intrà quinquennium decesserit, si per huiusmodi quæstionem præiudicium futurum est ante quinquennium mortuo. Imò nec de uiui statu quærendum est, si quæstio huius præiudicium facit ei qui ante quinquennium decesserit: & ita diuus Hadrianus constituit. *Concordat l. 2. in princ. ff. eod. tt. his uerbis:* Non esse libertatis quæstionem filijs inferendam propter patris uel matris memoriam, post quinquennium à morte non retractatam, conuenit. Nec in ea re quæ publicam tutelam meruerit, pupillis agentibus restitutionis auxilium tribuendum est: quòd quinq; annorum tempus, cum tutores non haberent, excesserit. *Concordat item l. primus. 4. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. prox. Item concordat l. 1. C. de statu defunctorum, his uerbis:* Aditus competens iudex causam præscriptionis examinabit: & si Domitiæ patronum, qui ut ciuis Romanus usquè in diem mortis uixit, annos quinque, antequam lis bonorum mulieris inchoaretur, uita decessisse constiterit, libertæ status ex persona manumissoris non retractabitur. *Concordat item l. 2. C. eod. tt. his uerbis:* Si is qui te hæredem fecit, propter matris conditionem seruus dicitur, & mater ante quinque annos litis motæ uita decesserit, præscriptioni locus erit: cum quæri de statu non possit, nisi de conditione matris tractetur. Hoc ita, si quamdiu uixit sine interpellatione, ut ciuis Romana egit. *Concordat item l. si is. 4. C. eod. tt. his uerbis:* Si is quem seruum tuum fuisse, & à fratre tuo manumissum, atque hæredem scriptum esse proponis, post manumissionem ut ciuis Romanus uixit, nec intra quinquennium post mortem eius status quæstionem mouere cœpisti: intelligis, neque hæredibus ab eo scriptis, neque ijs quos liberos esse uoluit, controuersiam te contra formam senatusconsulti facere posse. Quòd si, priusquam id temporis spacium excederet, agere cœpisti: & peculium eius more iudiciorum persequi, & cum manumissis ordinata lite secundum formam edicti experiri non prohiberis. *Concordat item l. si mater. 6. C. eod. tt. his uerbis:* Si mater tua quasi ingenua communi opinione uixit, & quinquennium à die mortis eius excesserit: potes rempublicam & pupillos, si tibi status quæstionem mouere tentauerint, nota præscriptione repellere. An autem pro ingenua in die mortis egerit, in iudicio requiretur. Quòd si uarietas interueniat, posteriora tempora spectari conuenit. *Contradicere propositæ exceptioni uidetur l. principal. 23. C. de liberali causa, his uerbis:* Principaliter de statu defuncti

defuncti agi non potest. Si uerò ex peculio quondã eius, quem tu bona reliquisse commemoras, res uindicetur, uel eius filijs moueatur status quæstio: hæc omnia solenniter præsidali notione decidi debent. *Planè propositæ exceptionis sunt aliquot replicationes, quarum prima hæc est: Nisi defunctus tempore mortis non sit pro libero habitus. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* An autem pro ingenua, &c. *Secunda replicatio est: Nisi defuncto, dum uixit, status quæstio mota sit.* Hæc *replicatio approbatur l. 2. in prin. C. ne de statu defunctorum. cuius uerba uide paulò superius ead. except. Concordat l. quamuis. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Quamuis defunctus sit maritus quondam tuus, cui status quæstio inferebatur: causa tamẽ etiam post obitum eius propter emolumentum successionis durat, eamq; apud eum qui de hæreditate uel singulis rebus iudicaturus est, decidi oportet. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi apud non competentem iudicem defuncto status quæstio sit mota.* Quæ *duplicatio approbatur l. si pater. 7. C. d. tt. his uerbis:* Si pater tuus uelut ingenuus uixit, nec status cõtrouersiam, quasi fisci seruus esset, apud præsidem prouinciæ, qui super huiusmodi quæstionibus iudicare solet, sed apud procuratorem reipublicæ non competẽrem iudicem passus est, postq; eius mortem quinquennium effluxerit: status tuus ex præscriptione, quæ ex senatusconsulto emanat, protectus est. *Secunda duplicatio est: Nisi prior lis mota, longo silentio sit sopita.* Hæc *duplicatio approbatur l. 2. §. fin. ff. ne de statu defunctorum, his uerbis:* Præscriptio quinque annorum, quæ statum defunctorum tuetur, specie litis ante mortem illatæ non sit irrita, si ueterem causam eo desistente qui mouit, longo silentio finitam probetur. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi intra quinquẽnium à morte eius, cuius statui præiudicium futurum est, lis mota sit.* Hæc *replicatio approbatur l. si is quem. 4. §. fin. C. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. ead. except. in prin. Quarta replicatio est: Nisi actor pupillus fuerit, neque tutores habuerit, & ob id intra quinquennium agere non potuerit.* Hæc *replicatio reprobatur l. 2. in princ. ibi: nec in ea re. ff. ne de statu defunctorum. cuius uerba uide paulò superius ead. except. in prin. Quinta replicatio est: Nisi defunctus tempore mortis in fuga fuit, atque latitauit.* Hæc *replicatio approbatur l. ult. C. eod. tt. his uerbis:* Repetitio peculij rerum serui tui, si nullo iusto titulo intercedente corpora possideantur ab aliquo, nulla temporis præscriptione mutilabitur. nec enim senatusconsultum, quod super non retractandis defunctorum statibus sancitum est, interuenit, si defunctus in fuga conuersatus, atque latitans decesserit. *Sexta replicatio est: Nisi non de seruitute nec manumissione, sed de emancipatione defuncti quæratur, utrum ea iustè facta fit, nécne?* Hæc *replicatio approbatur l. quod est. 5. C. d. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 16. capite 9. quæst. 2. in fine, repl. generali 2. Septima replicatio est: Nisi non in deteriorem, sed in meliorem conditionem status defuncti retractetur.* Hæc *replicatio approbatur l. 1. §. fin. ff. ne de statu defunctorum, his uerbis:* Siquidem deteriorem conditionem faceret, qui statum retractaret: secundum ea quæ dixi, præscribendum est. Quid ergo, si in meliorem, ueluti pro seruo libertus dicatur? quare non admittatur? quid enim, si seruus quis dicatur, quasi ex ancilla natus, quæ ante quinquennij mortua est: quare non liceat probare, liberam fuisse? hæc enim pro mortua est. & Marcellus libro V. de officio consulis, posse scripsit. Ego quoq; in auditorio publico idem secutus sum. *Concordat l. ante. 3. ff. eod. tt. his uerbis:* Ante quinquennium defunctorum status honestior, quàm mortis tempore fuisse existimabatur, iudicari non prohibetur. Idcirco etsi quis in seruitute moriatur, post quinquennium liber decessisse probari potest. Hæc *de quinta exceptione. Sexta exceptio est: Nisi is qui inutiliter manumissus esse dicitur, per quinquennium in libertate fuerit moratus.* Hæc *exceptio approbatur l. uxorem. 29. in fine. ff. de manumissis testam. cuius uerba uide suprà cap. 7. except. 56. replic. 3. Plures propositæ causæ exceptiones uide ẽ. capite 4.*

II. *Causa: Si libertus aduersus patronum fuerit ingratus, in seruitutem ex libertate repetitur.* Quæ *causa approbatur l. alimenta. 6. §. Imperatoris. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis:* Imperatoris Commodi constitutio talis profertur: Cum probatum sit, contumelijs patronos à libertis esse uiolatos, uel illata manu atrocius esse pulsatos, aut etiam paupertate uel corporis ualetudine laborantes relictos: primùm eos in potestatem patronorum redigi, & ministerium præbere dominis iubemus cogi. Sin autem nec hoc modo admoneantur: uel à præside emptori addicentur, & precium patronis tribuetur. *Concordat l. diuus. 5. in princ. ff. de iure patronatus, hisce uerbis:* Diuus Claudius libertum, qui probatus fuerat patrono delatores submisisse, qui de statu eius facerent ei quæstionem: seruum patroni esse iussit. *Item concordat l. 2. C. de libertis & eorum liberis, hisce uerbis:* Si manumissus ingratus circa patronum suum extiterit, & quadam iactantia uel cõtumacia ceruicem aduersus eũ erexerit, aut leuis offensæ contraxerit culpam: à patronis rursus sub imperio ditionej; sententia mittatur, si in iudicio uel apud pedaneos iudices patroni querela exorta ingratum eum ostendat: filijs etiam qui postea nati fuerint, seruituris: quoniã illis delicta parentum non nocent,

quos

quos tunc esse ortos constiterit,dum libertate illi potirentur.Sanè si is qui nostro consilio uindicta liberatus est, post coercitionē ex pœnitentia dignum se præstiterit, ut ei ciuitas Romana reddatur: non prius fruetur beneficio libertatis, quàm si patronus eius oblatis id precibus impetrauerit. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi ob solum obsequium non præstitum, libertus ingratus dicatur. Hæc exceptio approbatur l.solo. 30. C. de liberali causa,his uerbis*: Solo obsequij non præstiti uelamēto, data libertas rescindi non potest. *Secunda exceptio uidetur: Nisi libertus miles sit. Hæc exceptio reprobatur l.libert.4. C.de libertis & eorum liberis, hisce uerbis*: Libertinæ conditionis homines, uel eorum filij,etiamsi militantes docebuntur ingrati: ad seruitutis nexum proculdubiò ducentur. *Tertia exceptio uidetur: Nisi libertus ingenuus sit factus. Hæc exceptio reprobatur Nouell.c.78.§.exhibento,his uerbis*: Exhibento & post hanc nostram constitutionem his qui ad talem ipsos honorem produxerint, omnem reuerentiam,& (ut uocant) obsequiū, & attributum illis à legibus honorem. Porrò & manibus abstinento, & infidijs, & alijs, ex quibus libertini, qui tale quid peragunt, secundum leges de hoc conscriptas reuocationem in seruitutem sustinent, & priori restituuntur fortunæ. Nam si neminem omnino circa eū qui donationes obtulit,ingratum esse permittimus,tametsi ex nobilissimis & maximè ingenuis sit,sed donationes in nostris iussionibus irritas effecimus: quomodo sustineamus, ut patronus, qui se circa libertum perinde ut pater erga filium gerit,ab illo quidquam improbi patiatur? aut ut atroces ille & indecentes forte iniurias,uel uerbera,uel ingens & intolerabile dispendium patrono admoueat? Quin si quid horum legitimis se probationibus passum coarguat is qui libertatē dedit,aut etiam eius filij: post dictas redargutiones libertinum pristinæ formæ & conditioni reddemus,simul ipsa nominū scrupulositate, & exinde proueniente damno in uniuersum omnes liberantes, simul æquabile ius (ut legislatore dignum, & Deo placitum est) undiq; tam liberto quàm ueteri domino conseruantes. *Ait Imperator*: Et post hanc nostram constitutionem. *Eius constitutionis uerba uide ff. lib.prox. cap.2. quæst.1. causa 24.except.5. Quarta exceptio est: Nisi ex causa fideicommissi sit manumissus. Hæc exceptio approbatur per eá quæ habentur ff.lib.proximo,cap.5.quæst.1. except.2. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide ff. d.cap 5.*

III.*Causa: Si uicarius, quem pro sua libertate dedit, manumissus aufugerit: uidetur quòd manumissus in seruitutem sit repetendus. uerùm causa hæc reprobatur l.1. C.de seruis reipub. manumitt. his uerbis*: Si ita ut lege municipali, constitutionibusq; principum comprehenditur, cum seruus publicus esses,ab ordine (consentiente etiam præside prouinciæ)manumissus es:non ex eo, quòd is quem dederas uicarium, in fugam se conuertit,iugo seruitutis,quod manumissione euasisti, iteratò cogeris succedere. *Hæc de causis propositæ actionis,quarum plures uide ff.cap.3.*

II. QVIBVS ACTIO PROposita competit?

I.*Regula: Tutor & curator pupillo quondam suo status quæstionem mouere non potest. Quæ regula approbatur l.cui necessitas.39.§.tutores.ff.de liberali causa, his uerbis*: Tutores uel curatores pupillorum,quorum tutelas uel res administrauerint, postea status quæstionem facere non possunt.

II. *Regula: Contrà tamen is cuius tutela gesta est, tutori quondam suo status quæstionem mouere potest. Quæ regula approbatur l.non idcirco.35.C.de liberali causa,his uerbis*: Non idcirco minus,quòd pupilli res uelut tutor administrasse dicitur, ex eius persona seruitutis pati quęstionem potest.

III. *Regula: Maritus status quæstionem mouere potest. Quæ regula approbatur d.l.39. §.fin. ff.de liberali causa, his uerbis*: Maritus uxori eidémque libertæ status quæstionem inferre non prohibetur.

IIII.*Regula, De eo cui operæ debentur, proponitur l.igitur.12.§.si operæ.ff.d.tt. his uerbis*: Si operæ alicui debeantur, is quoq; liberali iudicio experiri potest.

V. *Regula, De usufructuario, proponitur l.cognitio.8.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Cognitio de liberali causa usufructuario datur, etiamsi dominus quoq; uelit (hoc est, qui se dominū dicit) mouere status controuersiam.

VI. *Regula, De uno ex pluribus, quibus competit actio proposita. Vni quoque, cæteris absentibus,actio proposita non est deneganda. Quæ regula approbatur l.si pariter.9. in princ. ff.d.tt. cuius uerba uide ff.cap. prox.quæst.13.reg.3.except.1.*

III. APVD QVEM COMpetat?

I.*Regula: Si plures seruum uindicent, ad eundem iudicem sunt mittendi. Quæ regula approbatur l.cognitio.8.§.si plures. ff.de liberali causa, his uerbis*: Si plures sibi dominium serui uindicent, dicentes communem: ad eundem iudicem mittendi erunt,& ita senatus censuit. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi singuli in solidum, non pro parte seruum uindicent. Quæ exceptio approbatur d.§.si plures, his uerbis*: Cæterùm si unusquisque suum esse in solidum, non in partem dicat: cessat senatusconsultum, nec enim

nim timor est,ne uariè iudicetur,cum unusquisque in solidum dominium sibi uindicet. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alter totum usumfructum,alter proprietatem serui uindicet. Quæ replicatio approbatur d.l.8.§.fin. his uerbis*:Sed & si alter usumfructum totum, alter proprietatem serui uindicet: item, si alter dominium suum,alter pignoratum sibi dicat: idem iudex erit. & parui refert,ab eodem,an ab alio ei pignori datus sit. *Concordat l.si pariter.9.in prin. ibi: quòd si adhuc. ff.eod.tt.cuius uerba uide ff.cap.prox.quæst.13.reg.3.except.3. Secunda replicatio est: Nisi alter dominium in solidum, alter pignus in seruo sibi uindicet. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Item si alter dominium suum,&c.

II.*Regula: Etiam in proposita actione actor domicilium rei conuenti sequitur. Quæ regula approbatur l.si in.3.C.ubi causas status agi oporteat.cuius uerba uide ff.lib.5.cap.2.quæst.1.except.15,in prin.*

III.*Regula: In prouincijs apud præsides competit, in urbe apud maximos iudices. Quæ regula approbatur l.ult.in fine.C.d.tt. cuius uerba uide ff.lib.prox. cap.3. quæst.4. in fine. Plura de proposita quæstione uide ff.cap.prox.quæst.9.*

IIII. QVANDO COMpetit?

Si pupillo status quæstio moueatur, utrum causa differenda sit in tempus pubertatis nécne, permittitur causæ cognitioni iudicis, l.diui.27. in princ. ff.de liberali causa, his uerbis: Diui fratres Proculo & Munatio rescripserunt: Cum Romulus, de cuius statu quæritur,pupillaris ætatis sit,an exigente uaria Hedone matre, & consentiente eius tutore, ad tempus pubertatis causa differenda sit? Vestræ grauitatis est, ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere.

V. QVAMDIV COMpetat?

Etiam post quinquennium competit. Quæ regula approbatur l.ult. C.ubi causæ status agi oport. cuius uerba uide ff.lib.proxim.cap.5.quæst.4. Plane regula hæc distinguitur per ea quæ proposita sunt ff. quæst.1. causa 1.except.4.& 5.

VI. ADIVNCTA,*& de probationibus in actione proposita,uide ff.cap.prox.quæst.11,& quæst.12.*

VII. EVENTVS.

I.*Regula: Si actor obtinuit,seruum abducere potest, quamuis litis æstimatio ei offeratur. Quæ regula approbatur l.dominus.36. ff.de liberali causa, his uerbis*: Dominus qui obtinuit, si uelit seruum suū abducere: litis æstimationem pro eo accipere non cogetur.

II.*Regula: Si actor non obtinuerit,de calumnia & iniuria potest à reo conueniri. Quæ regula approbatur l.si tibi.31. C.de liberali causa, his uerbis*: Si tibi seruitutis improbè moueatur quæstio; solennibus ordinatis de calumnia uel iniuria (prout uindictæ uiam elegeris) habita contestatione, postea quam seruus non esse fueris pronunciatus, aduersus eam sententiam postulare potes: tunc demum etiam de his quæ direpta probaueris, restitutionem (cum pro libertate fuerit pronunciatum) petiturus. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi actionis de euictione conseruandæ causa status quæstionem mouerit. Hæc exceptio approbatur l.qui ex.26. ff.de liberali causa, his uerbis*: Qui ex libertate in seruitutem perit,si iudicij de euictione seruandi causa contra libertatem agit: iniuriarum actione non conuenietur.

III.*Regula: Quanta pœna calumnia actoris succumbentis punienda,definitur l.cui necessitas.39.§.1.ff. de liberali causa, his uerbis*: Qui de ingenuitate cognoscunt, de calumnia eius qui temerè controuersiam mouit,ad modum exilij possunt ferre sententiam. *Plures propositæ quæstionis regulas uide ff.cap.prox.quæst.13.*

DE SERVIS FVGITIVIS. Cap. XII.

HActenus de iure seruorum in genere actum est. Nunc de quibusdam seruorum speciebus specialiter agendum: primùm quidem de seruis fugitiuis,deinde de statuliberis,postremò de colonis.

I.*Regula,De definitione fugitiui,proponitur l.quis sit.17.in princ. ff.de ædilitio edicto, his uerbis*: Quis sit fugitiuus,definit Ofilius. Fugitiuus est, qui extra domini domum fugæ causa, quo se à domino celaret,mansit. Cælius autem fugitiuum esse ait eum, qui ea mente discedat,ne ad dominum redeat:tametsi mutato consilio ad eum reuertatur. nemo enim tali peccato (inquit) pœniteptia sua nocens esse desinit. Caisius quoq; scribit,fugitiuum esse, qui certo proposito dominum relinquat. *Ait iurisconsultus*: Tametsi mutato consilio ad eum reuertatur,&c. *Hisce uerbis proponitur ac reprobatur prima propositæ definitionis exceptio talis: Nisi ex fuga mutato consilio redierit. Secunda exceptio est: Nisi non ea mente aufugerit,ne redeat. Hæc exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Qui ea mente discedit, ne ad dominum redeat. *Cui concordat d.l.17. §.item apud, his uerbis*: Apud Viuianum relatum est, fugitiuum ferè ab affectu animi intelligendum esse, non utique à fuga. nam eum qui hostem aut latronem, incendium ruinamúe fugeret: quamuis fugisse uerum est, non tamen fugitiuum esse. *Concordat d. l.17.§.idem ait.cuius uerba uide ff.except.8.rep.c.1. Item concordat d.l.17. §.illud enim, his uerbis*: Illud quod plerunq; ab imprudentibus dici solet, eum esse fugitiuū, qui nocte aliqua sine uoluntate domini māsisset, non est uerum:

sed

xerit. libertis quoque artificibus, si sollicitati fuerint, cum eadem forma ciuitati reddendis: ita ut pro fugitiuo seruo, si sollicitudine defensoris non fuerit requisitus & reuocatus, idem defensor duo uicaria mancipia exigatur, nec beneficio principali, nec uenditione in eius persona iam decæterò ualituris. *Plura de hac regula uide ff. lib. 47. cap. 9.*

VI. *Regula, De seruo fugitiuo inquirendo & inuestigando, proponitur l. 1. §. hoc autem. ff. de fugitiuis, hisce uerbis:* Hoc senatusconsulto aditum etiam militi dedit uel pagano ad inuestigandum fugitiuum, in prædia senatorum uel paganorum. Cui rei etiam lex Fauia prospexit, & senatusconsultum Modesto consule factum, ut fugitiuos inquirere uolentibus, literæ ad magistratus denturmulcta etiam centum solidorum in magistratus statuta, si literis acceptis inquirentes nõ adiuuent. Sed & in eum qui quæri apud se prohibuit, eadem pœna statuta est, etiam generali epistola diuorum Marci & Commodi: quia declaratur, & præsides, & magistratus, & milites stationarios dominum adiuuare debere in inquirendis fugitiuis: & ut inuentos redderẽt, & uti apud quos delitescant, puniantur, si crimine contingantur. *Concordat l. diuus. 3. ff. eod. tt. his uerbis:* Diuus Pius rescripsit, eum qui fugitiuum uult requirere in prædijs alienis, posse adire præsidem, literas ei daturum, & (si res ita exegerit) apparitorem quoq;, ut ei permittatur ingredi & inquirere: & pœnam eundem præsidem in eum constituere, qui inquirere non permiserit. Sed & diuus Marcus oratione quam in senatu recitauit, facultatem dedit ingrediendi tam Cæsaris, quàm senatorum & paganorum prædia, uolentibus fugitiuos inquirere, scrutandique cubilia atq; uestigia occultantium. *Concordat item l. 2. C. de seruis fugitiuis, hisce uerbis:* Requirendi fugitiuos potestatem fieri dominis, præsidalis officij est.

VII. *Regula, De fugitiuis apprehensis in publicum deducendis & custodiendis, proponitur l. 1. §. unusquisque. ff. de fugitiuis, hisce uerbis:* Vnusquisque eorum qui fugitiuum apprehendit, in publicum deducere debet. Et meritò monentur magistratus eos diligenter custodire, ne euadant. *Concordat d. l. §. in publicum, usque ad finem legis, hisce uerbis:* In publicum deduci intelliguntur, & qui magistratibus municipalibus traditi sunt, uel publicis ministerijs. Diligẽs custodia etiam uincire permittit. Tamdiu autem custodiuntur, quamdiu ad præfectum uigilum, uel ad præsidem prouinciæ deducantur. Eorumque nomina & notæ, & cuius se quis esse dicat, ad magistratus deferantur, ut facilius agnosci & percipi fugitiui possint. Notæ autem uerbo etiam cicatrices continentur. Idem iuris est, si hæc in scriptis publicè uel in ædes proponantur. *Concordat item l. limenar. 4. ff. eod. tt. his uerbis:* Limenarchæ & stationarij fugitiuos deprehensos, rectè in custodia retinent. Nam & magistratus municipales ad officium præsidis prouinciæ uel proconsulis comprehensos fugitiuos rectè transmittunt.

VIII. *Regula, De nominibus ac notis fugitiuorum deferendis ac proponẽdis, ut agnosci possint, proponitur l. 1. §. fin. ff. de fugitiuis. cuius uerba uide suprà reg. prox.*

IX. *Regula, De pœna fugitiuorum, proponitur l. 2. ff. de fugitiuis, hisce uerbis:* Fugitiui simplices dominis reddendi sunt. Sed si pro liberis se gesserint, grauius coerceri solent. *Alia pœna fugitiuorum proponitur l. si fug. 3. C. de seruis fugitiuis, hisce uerbis:* Si fugitiui serui deprehendantur ad barbaricum transeuntes: aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur. *Hæc de seruis fugitiuis, prima seruorum specie.*

DE STATVLIBERIS. Cap. XIII.

PRima regula, *De definitione statuliberi, proponitur l. 1. in princ. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliber est, qui statutam & destinatam in tempus uel in conditionem habet libertatem. *Huius exemplum proponitur l. si quem. 4. in princ. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quem seruum tuum ad certum tempus statuliberum relinquere uis, nihil interest, utro modo caueas, Si seruierit: an, Si triennio operas dederit, liber esto. *Planè propositæ definitionis exceptio hæc est: Nisi hæreditas nondum fuerit adita. nam ante aditam hæreditatem seruus, cui libertas testamento relicta est, statuliber non est. Quæ exceptio cum alijs quibusdam proponitur §. cap. 8. except. 28.*

II. *Regula, De diuisione statuliberorum, proponitur l. 1. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Fiunt statuliberi uel cõditione expressa, uel ui ipsa. Conditione expressa quid sit, manifestum est. Vi ipsa, cum creditores fraudandi causa manumittuntur. Nam dum incertum est, an creditor iure suo utatur, interim statuliberi sunt: quoniam fraus cum effectu in lege Ælia Sentia accipitur. *De hac lege Aelia Sentia uide §. cap. 5. except. 6.*

III. *Regula:* A' *cæteris seruis statuliberi penè nihil differunt. Quæ regula approbatur l. statul. 29. in prin. ff. de statuliberis, his uerbis:* Statuliberi à cæteris seruis nihilo penè differunt. & ideo quod ad actiones uel ex delicto uenientes, uel ex negocio gesto, uel contractu pertinet: eiusdem conditionis sunt statuliberi, cuius cæteri. Ideo & in publicis quoque

iudicijs easdem pœnas patiuntur, quas cæteri serui. *Concordat l. si debitor. 45. §. fin. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Quoties seruo uel ancillę fideicommissaria libertas relinquitur, in ea conditione est, ut quoad manumittatur, seruilis conditionis sit. & quidem, si nullam moram præstandæ libertati, qui præstare debet, fecit: nihil de statu eorum mutatur. Ideoq; eos interim legari posse, sed cum sua causa, constat. *Concordat item l. statuliberum. 9. in princ. ff. de statuliberis. cuius uerba uide §. cap. 8. except. 27. Huius regulæ exceptio hæc est,* Quòd non nisi cum sua causa statuliber posit alienari, nec eius conditio deterior ab hærede fieri posit. hoc enim casu liberi quodammodò locum obtinet. *Quæ exceptio approbatur l. non tantùm. 51. §. cui. ff. de fideicomm. libertat. cuius uerba cum aliis similibus uide §. cap. 8. except. 27. Sed & plura de hac exceptione uide ff. reg. 7.*

IIII. *Regula: Statuliber alij legatus, interim hæredis, non legatarij seruus est. Quæ regula approbatur l. Stichum. 39. in princ. ibi: ita tamen. ff. de statuliberis. cuius uerba uide §. cap. 8. except. 28. distinct. 1.*

V. *Regula: Statuliber alienari potest. Quæ regula approbatur l. statulib. 25. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliberos uenundari posse, leges XII. tabularum putauerunt. Duris autem conditionibus in uenditione minimè onerandi sunt: ueluti ne intra certa loca seruiãt, néue unquam manumittantur. *Concordat l. si debitor. 45. §. fin. ff. de fideicom. libert. cuius uerba uide §. reg. 3. Huius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi alienatione eius conditio fiat deterior. *Quæ exceptio constat ex uerbis d. l. 25. iam propositis. Concordat d. l. 45. §. fin. item l. non tantùm. 51. §. cui per fideicommissum. ff. de fideicom. libert. cuius uerba cum concordantibus plurib. uide §. cap. 8. except. 27. uide item ff. reg. 7. Secunda exceptio uidetur:* Nisi sub hac cõditione, *Si eum hæres non alienauerit: liber esse iussus sit. Hæc exceptio reprobatur l. si ita. 30. ff. de statuliberis, hisce uerbis:* Si ita liber esse iussus sit: Stichus, si eum hæres non alienauerit, liber esto. etiamsi statuliber est, alienari tamen poterit.

VI. *Regula: Statuliber usucapi non potest. Quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur §. cap. 8. except. 28.*

VII. *Regula: Hæres uel alius seruum manumittere rogatus, eius conditionem deteriorem facere non potest. Quæ regula approbatur l. cum quasi. 30. §. penult. ff. de fideicom. libertat. his uerbis:* Diuus Marcus rescripsit, fideicommissas libertates neque ætate, neq; cõditione, neq; mora non præstantium tardiúsue reddentium corrumpi, aut in deteriorem statum perduci. *Concordat l. is qui. 15. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. ca. 10. quæst. 6. reg. 2. Item concordat l. generaliter. 24. §. fin. ibi: sed etsi ex persona. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. reg. 2. except. 1. Item concordat l. non tantùm. 51. §. cui. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 8. except. 27. Concordat item l. statuliberos. 25. ff. de statuliberis. cuius uerba uide §. reg. 5. Item cõcordat l. statul. 33. ff. eod. tt. his uerbis:* Statulibero iura per hæredem non posse fieri duriora, Papinianus ait. *Hæc de statuliberis, secunda seruorum specie. Sequitur alia species seruorum, scilicet eorum qui prædijs sunt addicti, & similium.*

DE AGRICOLIS ET COlonis. Cap. XIIII.

SVmma seruitutis diuisio hæc est, quòd seruitus debeatur aut personæ, aut rei: & aut à persona, aut à re. Inde quatuor seruitutis genera constituuntur. Primum genus est, quo persona personæ debet seruitutem: de quo genere hactenus in libro proposito est dictum. Alterum genus est, quo persona rei seu prædio, uel operi debet seruitutem: de quo in hoc Capite dicetur. Tertium genus est, quo res personæ seruitutem debet: ut est usus fructus, usus, &c. Postremum genus est, quo res rei seruit: ut sunt seruitutes prædiorum. De hisce duobus posterioribus seruitutis generibus in hoc Libro nihil tractabitur, sed infrà in Parte tertia. Ad secundum igitur genus seruorum pertinent agricolæ & coloni: qui aut originarij sunt, aut adscripticij. quorum iura in hoc Capite proponentur.

I. *Regula:* Coloni respectu domini terræ, serui sunt: respectu aliorum, sunt liberi. *Quæ regula approbatur l. 2. in prin. C. in quib. causis coloni censiti dominos accusare possunt. cuius uerba uide ff. reg. 10. Concordat l. unica. ibi: & licet. C. de colonis Thracensibus. cuius uerba uide §. lib. 11. cap. 4. quæst. 1. reg. 1. except. 2.*

II. *Regula:* Coloni in fundo suo manebunt, nec transibunt ad alios. *Quæ regula approbatur l. unica. C. de colonis Palæstinis, hisce uerbis:* Cum per alias prouincias, quæ subiacent serenitatis nostræ Imperio, lex à maioribus constituta, colonos quodam æternitatis iure detineat, ita ut illis non liceat ex his locis, quorum fructu releuantur, abscedere, nec ea deserere quæ semel colenda susceperunt, neq; id Palæstinæ prouinciæ possessorib. suffragetur: sancimus, ut etiam per Palæstinam nullus omnino colonorum suo iure uelut uagus ac liber exulret, sed exemplo aliorum, &c. *Concordat l. unica. C. de colonis Thracensib. cuius uerba uide d. except. 2. Item concordat l. unica. C. de colonis Illyricanis, hisce uerbis:* Colonos inquilinósque per Illyricum uicinasque regiones abeundi rure, in quo eos originis adgnationisque merito certum est immorari, licentiam habere non posse censemus. Inseruiant terris non tributario nexu, sed nomine & titulo colonorum: ita ut, si abscesserint, & ad alium transierint, reuocati uinculis pœnisq; subdantur. maneat quoque in eos pœna, qui alienum & incognitum recipiendum esse duxerint, tam in redhibitione operarum, & damni, quod locis quæ deseruerant, factum est: quàm mulctæ, cuius modum in authoritate iudicis collocamus:

ita ut etiam dominus fundi, in quo alienus fuisse monstrabitur, pro qualitate peccati, coercitionem subire cogatur: nec sit ignorantiæ locus, cum ad criminis rationem solum illud sufficiat, quòd incognitum sibi tenuerit. Seruum etiam in memoratis regionibus si quis receperit, ignorationis excusatione sublata, quadrupli pœna teneatur: operarum præterea compendijs damnisq; præstitis. In libertis etiam, quos pari usurpatione susceperit, is modus sit, quem circa liberos colonos duximus retinendum. *Concordat item l.cum satis.22.§.cum autem Anastasiana. C.de agricolis & censitis. cuius uerba uide j. reg. 14.except.4. Item concordat d.l.22.§.caueant. ibi: nulla nec tunc. cuius uerba uide j. reg.10. Concordat item l.colonos.15. C.de agricolis & censitis. cuius uerba uide 5.lib.11. cap.5.quæst.2.reg.2. Concordat item Nouell.c.17.§.sed & eos, his uerbis*: Eos qui alienos colonos ad se recipiunt, malè oderis, compellesq; euestigiò mala fide susceptos restituere: ita quidem, ut si prolixo admodum tempore inobedientes permaneant, illorum prædijs omnē depauperationem, quæ exinde in prouincia existit, imponas. Quòd si in alijs prouincijs coloni consistere dicantur, publicis literis utere ad illarum prouinciarum moderatores, ut hi ipsi fugitiui coloni, uel confessi, uel deprehensi dominis restituantur, reducanturque in prouinciam cui præsides: & hi qui dicto nō obtemperant, uehementius tenentur depauperatorum adiectione. Conueniens enim est, ut qui talib. rebus deditus est, quidquid exinde absurditatis aut detrimenti aliorum rebus accedit, id ipse in suis facultatib. experiatur, quo magis inferiore fortuna factus intelligat, quanti constet alijs iniuriàm & malè facere. Atq; hoc ages, siue ipsi prædia per prouinciam possideant, siue prædiorum ad alios pertinentiū procurationem gerāt. Nam & eos qui ipsi possident, ea tantùm tenere oportet, quę lex eis tribuit: & eos qui aliena procurant, his se tantùm præpositos putare, quæ per locationem sibi aut alio modo legitimo tradita sunt, alienis uerò abstinere: neq; dum alijs procurant, alios offendere, & impium sibi exinde lucrū adquirere. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc uidetur esse*: *Nisi colonus sua propria prædia relinquat, & ad aliena transeat. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Atq; hoc ages, siue ipsi prędia per prouincias possideant, siue prædiorum ad alios pertinentium procurationem gerant, &c. *Secunda exceptio est*: *Nisi dominus plura habens prædia, ex uno in aliud colonos transtulerit. Quæ exceptio approbatur l.definimus.11.§.illud. C.de agricolis & censitis, hisce uerbis*: Illud seruandum est, ut si quando utriusq; fundi idem dominus de possessione referta cultoribus ad eam coloniam, quę laborabat tenuitate, colonos transtulerit, ijdemque fundi ad diuersorum iura dominorum qualibet forte transierint: maneat quidem facta translatio, sed ita, ut prædij eius dominus, à quo coloni probantur fuisse traducti, translatorum adgnationem restituat. *Tertia exceptio uidetur*: *Nisi dominus prædium alienauerit, colonis retentis. Hæc exceptio reprobatur l.2. C.d.tt. his uerbis*: Si quis prædium uendere uoluerit, retinere sibi transferendos ad alia loca colonos priuata pactione non possit. qui enim colonos utiles credunt, aut cum prædijs eos tenere debent, aut profuturos alijs relinquere, si ipsi sibi prædium prodesse desperant. *Quarta exceptio est*: *Nisi cum alterius prædij colono uel colona matrimonium contraxerit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.157.cuius uerba uide j.reg.16.in fine. Plura de regula proposita uide j.reg.prox.*

III. *Regula, De colonis fugitiuis reuocandis & compellendis ad sua prædia, proponitur l.omnes.6.C.de agricolis & censitis, hisce uerbis*: Omnes omnino fugitiuos adscripticios colonos uel inquilinos, sine ullo sexus, muneris conditionisq; discrimine, ad antiquos penates, ubi censiti atq; nati educatiq; sunt, prouincijs præsidentes redire compellant. *Concordat l. omnes.8. C.eod.tt. his uerbis*: Omnes profugi in alieno latebras collocantes, cum emolumentis tributarijs, salua tamen moderatione, reuocentur: scilicet, ut si homines apud quos reperiuntur, alienos esse nouerant fugitiuos, & profugis in lucrū suum usi sunt: hoc est, siue excoluerunt agros fructibus dominis profuturos, siue aliqua ab ijsdem sibi iniuncta nouerunt, nec mercedem laboris debitam consecuti sunt ab illis tributa, quę publicis perierunt functionibus, exigātur. Cæterùm si occultato ei profugi, quòd alicui esse uiderentur, quasi sui arbitrij ac liberi apud aliquem se collocauerunt, aut excolentes terras partem fructuum pro solo debitam dominis præstiterunt, cætera proprio peculio reseruantes, uel quibuscunq; operis impensis mercedem placitam consecuti sunt: ab ipsis profugis, quæcunq; debentur, exigantur. nam manifestum est, priuatum iam esse contractum. Si qui uerò inter agricolas (ut adsolet) ex quibuscunque commercijs huiusmodi hominibus esse inueniuntur debitores: coram partibus constitutis iudex ab obnoxijs, quod debetur, exposcat. *Concordat item l.1.C.de fugitiuis colonis patrimon.his uerbis*: Quicunq; paruuli ex municipibus, uel colonijs patrimonialibus, uel saltuensibus, quorum tantùm aui ac patres implicati huiusmodi functionib. fuerint,

rint, conniuentia militaris officij ad stipendium castrense, uel officia diuersa transierint: ad munera patriæ, uel ad agrorum cultus conuentis ducibus, tribunis ac præpositis reuocentur, neque his stipendia data prosint. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi coloni sint priuilegiati. Hæc exceptio reprobatur l.ult. C.d.tt. his uerbis*: Cuiuscunq; adnotationis, uel oraculi dudum impetrati, uel postea eliciendi authoritate submota: omnes quos patrimonialiū agrorum uinculis fortuna tenet adscriptos, sub quibuslibet grādibus militantes, ad prouinciæ moderatoris iudicium illicò sub idonea intercessione mittentur. *Concordat l.orig.11. C.de agricolis & censitis, hisce uerbis*: Originarios colonos nullis priuilegijs, nulla dignitate, nulla census authoritate excusari præcipimus: sed amputatis omnibus, quæ aliquoties per gratiā sunt elicita, domino uel fundo esse reddendos. *Secunda exceptio est*: *Nisi coloni ueterani sint facti. Hæc exceptio approbatur l.ult.C.de mancip.& colonis patrim.his uerbis*: Super patrimonialium refectione fundorum dudum nostris est legibus constitutum, ut hi qui eos colentes solum eorum uertant, nunc ad alia se loca dirigentes, nunc ad militiam contulantes, ad aditas conditiones & propria iura reuocentur. Cæterùm eos qui castrensibus stipendijs ocia quieta meruerunt, ueterani constituti, nequaquam placet telā in usum uomeris & ligonis conuertere. *Tertia exceptio est*: *Nisi colonus per triginta annos in libertate fuerit uersatus. Hæc exceptio reprobatur l. cum sat.22.in prin.C.de agric.& censitis. cuius uerba uide j.reg.5. Concordat l.cum scimus.21.§.illud quoq;. C.eod.tt. cuius uerba uide j.reg.14.except.3. Quarta exceptio est*: *Nisi per triginta annos in colonaria detentus fuerit conditione. Hæc exceptio reprobatur d.l.22. §.cum autem. cuius uerba uide j.d.reg.14. except.4. Quinta exceptio est*: *Nisi per triginta annos in aliquo collegio uel alio corpore fuerit uersatus. Hæc exceptio approbatur l.eum qui.6.C.de fundis rei priuatæ.*

IIII. *Regula, De colonis fugitiuis non suscipiendis nec occultandis, proponitur l.seruos.12. C.de agricolis & colonis, hisce uerbis*: Seruos uel tributarios, uel inquilinos, apud dominos suos uolumus remanere. Nam cùm metu damni deterritus unusquisque, eum quem incognitum habuit, à se cœperit propulsare, uoluntas fugiendi seruis non erit. Nemo enim dominum suum deserit, sciens nusquam latendi locum sibi esse derelictum. sed aut cognitum sibi unusquisq; ingenuum suscipiat: aut eum qui se liberum esse simulauerit, à se submouebit, metuens his quæ statuta sunt, obnoxius fieri. Si quis igitur ex memoratis fugitiuis apud quemlibet fuerit repertus: duodecim libras argenti fisco nostro inferat detentator: ipsi autem cuius fuerit, præter eundem fugitiuum, alterum etiam eiusdem æstimationis inferre decernimus. *Concordat l.cum satis.22.§.fin. C.eod.tt. his uerbis*: Nemini liceat uel adscripticium, uel colonum alienum, scienti prudentique in suum ius suscipere. Sed & si bona fide eum susceperit, &c. *Concordat l.unica.§.fin. C.de colonis Thracensibus, his uerbis*: Si quis alienum colonum suscipiendum retinendúmue crediderit: duas auri libras ei cogatur exoluere, cuius agros transfuga cultor euacuauerit: ita ut eundem cum omni peculio suo & adgnatione restituat. *Concordat item l.unica. §.maneat. C.de colonis Illyricanis. cuius uerba uide 5. reg.2.in princ. Item concordat l.2.C.de fugitiuis colonis patrim.his uerbis*: Quisquis colonum patrimonialem aut sollicitatione susceperit, aut occultatione celauerit: non solùm ipsum restituere, sed etiam libram auri pœnæ nomine inferre cogatur.

V. *Regula, De pœna fugitiuorum colonorum, proponitur l.cum satis.22.in prin. C.de agricolis & colonis, hisce uerbis*: Cum satis inhumanum est, terram, quæ ab initio adscripticios habebat, suis quodammodò membris defraudari, & colonos in alijs terris demorantes; dominos terræ maximis damnis afficere: censemus, quemadmodum in curialium conditione nemo ex temporali cursu liberatur, ita nec adscripticiæ conditioni suppositus, ex annalibus curriculis quanticunq; emanauerint, uel quacunque prolixa negociatione aliquis sibi uindicet libertatem: sed remaneat adscripticius, & inhæreat terræ. & si celauerit, uel separare se conatus fuerit: secundum exemplum serui fugitiui esse diutius insidijs futuri intelligatur, & sit suppositus unà cum omni sobole sua (etsi in alia terra eam fecerit) huiusmodi fortunæ, & capitali illationi, nulla liberatione ei penitus competente. *Alia pœna proponitur l.omnes.8. C.de agricolis & censitis. cuius uerba uide 5.reg.3.*

VI. *Regula*: *Coloni ad nullam militiam nec honorem admittuntur. quæ regula approbatur l.colonos.18. C.de agricolis & censitis, hisce uerbis*: Colonos nulla ratione ad ullum, quāuis humilioris militiæ, locum sinimus admitti: sed nec apparitores magisteriæ potestatis censibus adscriptos probari concedimus: quia in hac parte & dominorum iuri, & publicæ consulimus honestati. *Concordat l.ultim. C.de mancip.& colonis patrimon. cuius uerba uide 5.reg.3.except.2. Concordat item l.1.& l.ult.C.de fugitiuis colonis, quarum uerba uide 5.d.reg.3. Concordat item l.1. C.de agric.& mancip.domi. cuius uerba cum similibus uide 5.lib.11.cap.1.pers.17.reg.1.& 2.*

VII. *Regula*: *Ne coloni ad ullum obsequium extra-*

XV. *Regula, Itidem de liberis colonorũ. Si pater & mater sint diuersæ conditionis, liberi sequuntur conditionem matris, non patris. quæ regula approbatur l. ne diutius. 20. C. de agricolis & censitis, hisce uerbis*: Ne diutius dubitetur, si quis ex adscripticia & seruo, uel adscripticio & ancilla fuisset editus, cuius status sit, uel quę prior fortuna sit, utrum ne adscripticia, an seruilis? sancimus, ea quidẽ quę in anteriorib. legib. cautа sunt pro tali progenie, quę ex mulierib. adscripticijs & uiris liberis progenita sit, in suo statu relinquì, & sic sit adscripticia proles ex tali copulatione procreata. Si qs aũt uel ex seruo & adscripticia, uel ex ancilla & adscripticio fuerit editus: matris suæ uẽtrẽ sequatur, & talis sit cõditionis, qualis & genitrix fuit, siue ancilla, siue adscripticia: quod hactenus in liberis tantũ & seruis obseruabatur. Quę enim differẽtia inter seruos & adscripticios intelligatur, cũ uterq; in domini sui positus est potestate: & possit seruũ cũ peculio manumittere, & adscripticiũ cũ terra dominio suo expellere? *Concordat l. ult. C. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. 12. Propositæ regulæ exemplũ est, quòd si liberi sint nati ex patre adscripticio & matre libera, nõ adscripticij, sed liberi sint. quod exemplũ propositũ est §. reg. prox. except. 1. Planè hoc casu, quãuis ex libera nati, liberi quoq; existant: tamẽ propter patrem adscripticiũ coloni esse cogũtur. quod exceptionis loco notandũ. quæ exceptio approbatur Nouell. c. 62. §. de secũdo, his uerbis*: Ab excellẽtia tua interrogati sumus, an post constitutionẽ nostrã, quæ uult, ut qui ex libera & adscripticio nascuntur, propter conditionẽ matris postea & ipsi liberi sint: arbitrari oporteat, quòd tametsi adscripticij quẽadmodũ olim facti nõ sint, tamẽ omnino coloni existant, propterea quòd alia cõstitutio nostra colonorũ filios nõ sinat terrã relinquere, sed manere colonos iubeat, multoq; id magis esse oporteat hoc loco, quando quidẽ & inter has prorsus personas adscripticiorũ sint prosapiæ? Nosse aũt oportet eos qui legẽ nostrã cõsiderãt, quòd nullo unquã tẽpore concedamus, ut liber uẽter adscripticiũ pariat: sed hãc notã atq; signũ genito post legẽ tũc propositam immitti oporteat, quod omnib. modis liberos ex libera matre progenitos cõdeceat. Si igitur ex libera & adscripticio natus aliqs fuerit, est ille quidẽ liber, neq; maternã ingenuitatẽ ulla ratione abijcit: ostẽdit tamẽ cõstitutio à nobis ꝓposita, quòd talẽs uelit prædiorũ pẽrmanere incolas, & agrorũ cultores, tanquã illic prognatos. hoc enim sibi uult coloni appellatio. Nõ præbemus itaq; ipsis licentiã, ut prædiũ deserãt, & aliò se recipiãt. Quin si omnino aliqui prædio cuipiã deputentur, & ex adscripticia matre nati sint: manifestariũ est, quòd penitus adscripticij futuri sint. Si ex libera, manebũt quidẽ liberi, & quæ adquisierint, in bonis suis habebũt, neq; peculiũ fiet dominorũ: nõ tamen ex eo prædio egredietur, sed hoc excolent: neq; ipsis erit licẽtia, ut hoc deserãt, alterũ obeãt alienũ: nisi fortè ꝓpriæ alicuius possessionis domini fiãt, quæ satis superq; ipsos inibi occupatos tenere possit, neq; ꝓmittat ut alteri præterea fundo colẽdo opẽrã nauẽt, inq; illũ transmigrẽt. Alioquin sancimus, ut omnib. modis in eo prædio maneant, liberi quidem constituti, incolatu tamen detenti.

XVI. *Regula, Itidem de liberis colonorũ. Si pater & mater ad diuersa prædia pertineãt: liberi ad id prædiũ pertinent, cuius mater est adscripticia, nõ cuius pater. quæ regula approbatur l. 2. C. ut nemo ad suũ patrocinium, &c. his uerbis*: Si cuiuslibet tributarius iũxerit sibi tributariã uxorẽ: uel ecõtrario, si cuiuslibet ancilla seruo se iũxerit alieno: tã tributarij, quàm serui filios matrũ sequi conditionẽ, earumq; more genitricũ suarũ dominis subditos esse cẽsemus. *Mutatur hæc regula Nouell. c. 156. his uerbis*: Docuerunt nos, qui sacrosanctæ Apamiẽsis ecclesię negocia gerũt, quòd ad alios quosdã pertinẽtes rustici cum rusticanis mulierib. suis se cõiunxerint, exindeq; ꝓcreauerint filios: petieruntq;, ut & rusticos ipsis assignarẽt, & horũ filios maternũ sequẽtes uterũ. Sed qui hæc petunt, hi sanè constitutionẽ nostrã, quę nuper ꝓdijt, intelligere nõ uidẽtur, quid ea sibi uelit. Nam si liberi aliqui se adscripticijs cõiungant, secundũ rationes cõstitutione cõprehẽsas infantes matrẽ sequẽtur: unde ad libertatẽ nõ peruẽniunt. Si uerò rustici sint, nõ amplius constitutioni illi per omnia locus fit: sed quemadmodum nuper decreuimus, & lege cauimus, proles diuiditur in partes. Et si quidẽ æqualis sit natorũ numerus, in duas partes diuiditur: si inęqualis, aut etiã unus tãtùm natus sit, tunc quod redundat, uẽter habet, ꝓpterea quòd & amplius laborauerit: & unus quidẽ si sit, matrem sequetur. Si uerò tres nati fuerint, duo quidẽ duæuię matrẽ sequẽtur, unus aũt ad ꝓpriatatẽ paterni dominij peruẽturus est: atq; ita semper (ut prædiximus) id quod impar est, habebit uẽter. Et secundũ hæc Apamiẽses quoq; prolẽ partiẽdũ esse cognoscunto, ut quod multis retrò temporib. in cõtrouersia fuit positũ, intelligãt denuò sub nostrã reda ctum sanctionẽ. *Concordat Nouell. cõnst. 162. §. sed neq; illa, his uerbis*: Si adscripticia cum adscripticio aliquo ad alterum pertinente coniugium coeat, quæsitum est de prole, si filij ex ipsis nascantur, utrum eam ad dominum uiri, an ad dominum mulieris pertinere cõueniat? Sancimus igitur, si eius generis aliquid

quid incidat, & diuersorum inter se dominorum adscripticij cõgrediantur: quandoquidem conditionis ratio in controuersia posita non est, cum uenter liber non existat: sunto quidem nati adscripticij, non tamen matri dominóue huius totum dabimus. Sed si quidem unus filius procreetur, uenter sationi præfertor, & quod natum fuerit, esto domini ipsius matris: sin uerò sint duo fortè filij, ambo inter ipsos diuiduntor, electione ductis fortibus celebranda. Si impar filiorum numerus sit, id quod redundat, maternus sinus retineto: ut si tres existant, duo quidem sint matris, unus uerò patris. Rursus si quinque, tres quidem è prognatis domini matris, duo uerò patris sint. secundũ q; hanc incrementi rationem numerus procedat, ut quod æqualiter potest diuidi, id ex æquo distribuat: quod uerò redũdat (quod & gratiosissimum est) hoc attribuat matri. Oportet enim maiore eam studio prosequi, quæ partus doloribus distenta fuit, quę peperit, quæ nutrijt, quàm eũ qui succisiuã tantummodò libidini operam accommodans, filij generationem procurauit. *Hisce uidetur contradicere Nouell. c. 157. his uerbis*: Ex his quæ diuersimodè ad nos relata sunt, didicimus, in Mesopotamia & Osdroëna pronincijs quidpiã delinqui nostris planè temporibus indignum. Cõsuetudinem etenim apud ipsos esse, ut qui ex diuersis originem trahunt prædijs, nuptias inter se contrahãt. Inde sanè conari dominos de facto iam cõtractas nuptias dissoluere, aut procreatos filios à parentibus abstrahere, exindeque totum illum locum miserè affligi, dum & rusticani uiri & mulieres ex una parte distrahuntur, & proles his adimitur qui in lucem produxerunt, & sola nostra opus esse prouidentia. Sancimus igitur, ut prædiorum domini decæterò rusticos suos prout uoluerint conseruent, neque quisquam eos qui iam coniuncti sunt, possit secundum consuetudinem prius obtinẽtem diuellere, aut compellere ut terram ad ipsos pertinentem colant, abstraheréue à parentibus filios prætextu conditionis colonariæ. Sed & siquid fortè huiusmodi iam factum est, corrigi hoc simul & restitui efficies, siue filios abstrahi contigerit, siue etiam mulieres, nempe uel à parentibus, uel contubernij consortibus, eo qui reliquo deinceps tempore huiusmodi aliquid facere præsumpserit, etiam de ipso prædio in periculum uocando. Quare libera sunto contubernia metu, qui dudum ipsis immittitur, & parentes habẽto ex hac iussione filios suos, nequeuntibus prædiorum dominis subtilibus contẽdere rationibus, & uel nuptias contrahentes uel filios abstrahere. Qui enim tale quid facere præsumpserit, etiam de ipso prædio in periculũ ueniet, cui eos uindicare rusticos attentat.

XVII. *Regula, De colono uindicando. Dominus terræ colonum à quocunq; possessum potest uindicare. quæ regula approbatur l. unica, in fine. C. de colonis Palæstinis. cuius uerba uide §. reg. 2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi actor colonũ suum non probauerit. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi actor bonæ fidei possessor fuerit, & ab eo possessus is qui colonus dicitur, aufugerit. quæ replicatio approbatur l. si coloni. 14. C. de agricolis & censitis. cuius uerba uide §. lib. 7. cap. 8. quæst. 7. reg. 2. Secunda replicatio est: Nisi is qui colonus dicitur, colonum se fuerit confessus. Hæc exceptio reprobatur l. cum scimus. 22. in prin. C. eod. tt. his uerbis*: Cum scimus nostra iura nolle præiudicium generare cuiquam circa conditionem, neq; ex confessionibus, neq; ex scriptura, nisi etiam ex alijs argumentis aliquod accesserit incrementum: sancimus, solam confessionem, uel aliam quamcunque scripturam ad hoc minimè sufficere, nec adscripticiã conditionem cuiquam inferre: sed debere huiusmodi scripturæ aliquid aduenire adiutorium, quatenus uel ex publici census adscriptione, uel alijs legitimis modis talis scriptura adiuuetur. Melius etenim est in huiusmodi difficultatibus ex pluribus capitulis conditiones ostendi, & non solis confessionibus neque scripturis homines fortè liberos ad deteriorem detrahi fortunam. Sin autem est scriptura, & post scripturam confessio seu depositio (sine ui & necessitate tamen) interuenerit (quid enim, si conditionale instrumentum, uel aliam chartulam, in qua subscripsit, & intimauit, & inter acta de posuit sese colonum fuisse adscripticium?) tunc ex utroque genere obligationis, id est tam scripturæ, quàm confessionis seu depositionis, talem eum esse credendum, qualẽ & scripsit, & inter acta deposuit. *Hæc de prima exceptione. Plures huiusmodi exceptiones uide §. reg. 2. & regul. 3.*

XVIII. *Regula, De conditione colonaria probanda. Quibus probetur, definitur §. regul. prox. except. 1. repl. 2.*

XIX. *Regula, De deponendis reditibus, si colonus in libertatem proclamauerit, proponitur l. litib. 19. C. de agricolis & censitis. cuius uerba uide §. lib. 5. cap. 9. membr. 2. de sequestrat. quæst. 1. except. 1. Hactenus de iure seruorum.*

DIGESTORVM LIBRI XIX. FINIS.

DIGESTORVM LIBER VICESIMVS:

DE IVRE PATRONATVS & libertorum.

DE IVRE PATRONATVS & libertorum in genere. Cap. I.

I. DEFINITIO LIbertorum.

DEFINIVNTVR *libertini Instit. de libertinis,in prin.hisce uerbis*: Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. *Concordat iisdem uerbis l.libertini.6.ff.de statu hominum.*

II. DIVISIO LIbertinorum.

Diuisio hæc proponitur & reprobatur Instit. d. tt. §. libertinorum, his uerbis: Libertinorum status tripertitus antea fuerat.nam qui manumittebantur, modò maiorem & iustam libertatem consequebantur, & fiebant ciues Romani: modò minorem, & Latini ex lege Iunia Norbana fiebant: modò inferiorem,& fiebant ex lege Aelia Sentia dediticij. Sed quoniam dediticiorum quidem pessima conditio iam ex multis temporibus in desuetudinem abierat, Latinorum uerò nomẽ non frequentabatur: ideoque nostra pietas omnia augere, & in melioré statum reducere desiderans,duabus constitutionibus hoc emendauit, & in pristinum statum reduxit: quia & à primis urbis Romæ cunabulis una atq; simplex libertas cõpetebat,id est, eadem quam habebat manumissor: nisi quòd libertinus sit qui manumittitur,licet manumissor ingenuus sit. Et dediticios quidem per constitutionem nostram expulimus, quam promulgauimus inter nostras decisiones, per quas,suggerẽte nobis Triboniano uiro excelso quæstore nostro, antiqui iuris altercationes placauimus. Latinos autem Iunianos, & omnem quæ circa eos fuerat obseruantiam, alia constitutione per eiusdem quæstoris suggestionem correximus, quæ inter imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos,nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito (sicut iam antea obseruabatur) ciuitate Romana decorauimus: multis modis additis, per quos possit libertas seruis cum ciuitate Romana,quę sola est in præsenti, præstari. *Concordat Institut.de successione libertorum. §.sed hæc de ijs libertinis, usq; ad finem tituli,his uerbis*: Sed hæc de ijs libertinis hodie dicenda sunt, qui in ciuitatem Romanam peruenerunt: cum nec sint alij liberti,simul & dediticijs & Latinis sublatis: cum Latinorum legitimæ successiones nullæ penitus erant: quia licet ut liberi uitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, & quasi seruorum, bona eorum iure quodammodò peculij ex lege Iunia Norbana manumissores detinebant. Postea uerò senatusconsulto Largiano cautum fuerat,ut liberi manumissoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiã superuenit diui Traiani edictum, quod eũdem hominem, si inuito uel,&c. *Ait Imperator*: Duabus constitutionibus. *Harum prima proponitur l.unica.C. de dediticia libertat.toll.his uerbis*: Dediticia cõditio nullo modo in posterũ nostram rempublicam molestare concedatur, sed sit penitus deleta: quia nec in usu esse reperimus, sed uanum nomen huiusmodi libertatis cit cumducitur. Nos enim qui ueritatem colimus, ea tantummodò uolumus esse in nostris legibus,quæ reipsa obtinent. *Altera cõstitutio proponitur l.unica.C.de Latina libertate tollẽda,his uerbis*: Cum dediticij liberti iam sublati sint:quapropter imperfecta Latinorum libertas incertis uestigijs titubata, & quasi per satyram inducta,adhuc remanet,& non inutilis quidẽ pars eius deminuitur: quod autem ex ipsa rationabile est,hoc in ius per fectum deducitur? Cum enim Latini liberti ad similitudinẽ antiquæ Latinitatis, quæ in colonis missa est, uidentur esse introducti, ex qua nihil aliud reipublicæ, nisi bellũ accesit ciuile: satis absurdum est,ipsa origine rei sublata, eius imaginem derelinqui. Cum igitur multis modis & penè innumerabilibus Latinorum introducta est conditio, & leges diuersæ, & senatusconsulta introducta sunt, & ex ijs difficultates maximæ emergebant, tam ex lege Iunia, quàm ex Largiano senatusconsulto,necnon ex edicto diui Traiani, quorum quidem plenæ fuerant nostræ leges, non autem in rebus eorum

eorum fuerat experimentum: studiosissimum nobis usum est, hæc quidem omnia & Latinam libertatem resecare, certos autem modos eligere, ex quibus antea quidẽ Latina competebat libertas,in præsenti autem Romana defertur conditio:ut his præsenti lege enumeratis, & ciuibus Romanis nascentibus, cæteri omnes modi, per quos Latinorum nomen inducebatur, penitus conquiescant, & non Latinos pariant, sed pro nullis habeantur. Quis enim patiatur talem esse libertatem, ex qua ipso tempore mortis in eandem personam simul & libertas & seruitium concurrant: & qui quasi liber moratus est,eripiatur nõ solùm in mortem,sed etiam in seruitutem? *Reliqua huius constitutionis uerba uide §. suis locis, quos demonstrabit Index legum. Sed & eiusdem constitutionis §. illo procul.uerba hæc sunt*: Illo proculdubio obseruando, ut si quis siue in testamento, siue uindicta quendam manumiserit, licet hoc dixerit uel scripserit, quòd uoluerit eum esse Latinum: superuacua adiectio Latinitatis aboleatur,& ita fiat ciuis Romanus,ne modi qui ab antiqua obseruatione in ciuitatem Romanam producebant, per priuatorum uoluntates deminui uideantur. *Item eiusdem constitutionis §.penult.& ult.uerba hæc sunt*: Et ne in posterum aliquod ius Latinæ libertatis nostris legibus incurrat: lex Iunia taceat,Largiano senatusconsulto cessante, fileat edictum diui Traiani, quod ex ea sequebatur: & si qua alia lex uel senatusconsultum, uel etiam constitutio loquitur de Latinis, ea inefficax (quantum ad eam partem) remaneat: & triplex antea uia libertatis, quæ multiplices introducebat ambages, uno directo tramite discat ambulare. Quòd si aliqua lex uel constitutio libertatis faciat mentionem, non autem Latinitatis: ea pro ciuitate Romana loqui intelligatur. Sed si quidem liberti iam mortui sunt, & bona eorum quasi Latinorum ijs quorum intererat, aggregata sunt, uel adhuc uiuunt: nihil ex hac lege innouetur, sed maneant apud eos iure antiquo firmiter detenta & uindicanda: in futuris autem libertis præsens constitutio locum sibi uindicet.

III. CAVSAE EX QVIBVS ius patronatus adquiritur,& libertini fiunt.

1. *Causa est manumissio,& si seruus alicuius liber sit factus,ut patet ex definitione libertinorum §. proposita. Cui concordat l.ingenui.8. C.de ingenuis manumissis,hisce uerbis*: Ingenui nascuntur,libertini manumissione tantùm constituuntur. Pactum autem nec seruis, nec libertinis ingenuitatem adsignat: nec ijs qui transactioni non consenserunt, quidquam præiudicare potest. *Concordat item l.inteſtato. 3. §. 1. ff. de iuris & legitimis hæredibus, his uerbis*: Libertum accipere debemus eum, quem quis ex seruitute ad ciuitatem Romanam perduxit,siue spontè, siue necessitate: quoniam rogatus fuit eum manumittere. Nam ad huius legitimam hæreditatem admittitur. *Ex his patet,quòd is qui seruum manumittit,eius patronatũ adquirat. Cuius prima exceptio uidetur esse talis: Nisi non spontè, sed coactus manumittat. Sed hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Siue spontè, siue necessitate,&c. *Planè admittitur exceptio hæc in casibus,de quibus ſ.except.3. & sequentib. dicetur. item in casu, quando seruus suis nummis redemptus manumittitur. de quo ſ.cap.8.quæſt.1.except.6. Secunda exceptio est*: Nisi non seruus, sed ingenuus manumissus sit.*Hæc exceptio approbatur Instit. de ingenuis. §. fin. his uerbis*: Cum ingenuus aliquis natus fit, non officit ei in seruitute fuisse, & postea manumissum esse. Sæpissimè enim constitutum est,natalibus non officere manumissionem. *Concordat l.2.C.de ingenuis manumissis, hisce uerbis*: Ingenuam natam neque nutrimentorum sumptus,neque seruitutis obsequium faciunt ancillam,neque manumisso libertinam. *Concordat l. 2. C. de uindicta. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.6.except.22. Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi liber homo se uendi passus sit, & ita seruus effectus, postea rursus manumissus sit. *Hæc replicatio approbatur l.homo.21.ff.de statu hominum, his uerbis*: Homo liber, qui se uendidit, manumissus, non ad suum statum reuertitur, quo se abdicauit, sed efficitur libertinæ conditionis. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide §.d. except. 22. Tertia exceptio est*: Nisi seruus ob id quòd necem domini detexit, à prætore liber sit pronunciatus. *Hæc exceptio approbatur l. si necem.4. in princ. ff. de bonis libertorum,his uerbis*: Si necem domini detexerit seruus,prætor statuere solet ut liber sit: & constat, eum quasi ex senatusconsulto libertatem consecutum,nullius esse libertum. *Concordat l.si filius.23.in prin.ff.de iure patronatus. cuius uerba uide ſ.cap.7. quæſt.3.reg.1.except.3. Contradicit l.qui ob necem.5. ff. qui sine manumiss.ad libert.peruen.his uerbis*: Qui ob necem domini detectam præmium libertatis consequitur,orcinus fit libertus. *Contradicit item l.etiam.3.§.quid si necem. ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide ſ. quæſt. prox. reg. 6. Quarta exceptio est*: Nisi seruum ægrotantem dominus domo eiecerit, & ob id seruus liber sit effectus. *nam is nullius libertus est. quæ exceptio approbatur l.unica.§.sed scimus.C.de Latina libert.toll.cuius uerba uide suprà lib. prox.cap. 4.causa 17. Quinta exceptio est*: Nisi cùm ancilla ita uendita esset,ne prostitueretur, prostituta sit à uenditore, & ob id libera effecta. *Hæc enim nullius fit liberta. quæ exceptio approbatur d. l. unica. §. simulq;*

modo.

modo. cuius uerba uide supra d. cap. 4. causa 16. Sexta exceptio est: Nisi is qui libertatem seruo debebat, moram libertati præstandæ fecerit, & ob id seruus decreto prætoris liber sit effectus. tunc enim is qui manumittere debuit, ius patronatus in eo non habet. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ff. quæst. prox. reg. 8. except. 1. Sed & plures propositæ causæ exceptiones uide ff. cap. prox.

II. *Causa: Iuris patronatus est sententia, qua patronus est pronunciatus. quæ causa approbatur l. si iurauero. 14. in fine. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Si iurauero me patronum esse: dicendum est, non esse me (quantum ad successionem) patronum: quia iusiurandum patronum non facit. Aliter atq; si patronũ esse pronunciatum sit: tunc enim sententiæ stabitur.

III. *Causa: Si quis iurauerit se patronum esse. Hæc causa approbatur l. adoptiuum. 8. §. patronum. ibi: aut si iurauit. ff. de in ius uocando. cuius uerba uide §. lib. 6. cap. 1. quæst. 4. reg. 6. in prin. Huius exceptio est quoad successionem. quæ exceptio approbatur uerbis d. l. 14. in fine, i m propositis.*

IIII. *Causa: Si quis infantem expositum educauerit, uidetur quodam eo habeat ius patronatus. quæ causa reprobatur l. sancimus. 3. C. de infantibus expositis. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 3. causa 13. Hæc de causis iuris patronatus adquirendi. De causis uerò huius iuris amittendi dicetur ff. cap. prox.*

IIII. QVIBVS IVS PAtronatus competat?

I. Regula: *Si filiusfamilias seruum manumiserit: patris, non filij fit libertus. quæ regula approbatur l. si quis. 30. §. 1. ff. qui & à quibus manumiss his uerbis:* Si filius meus uoluntate mea manumiserit: an ut ingratum accusandi ius habeam, dubitari poterit, idcirco quia non manumisi? Sed pro eo habendus sum, ac si manumisissem. *Concordat l. filiusfam. 13. ff. de iure patronatus. cuius uerba cum concordantibus uide §. lib. prox. cap. 5. except. 3. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filiusfamilias miles seruum castrensis pecunij manumiserit. quæ exceptio approbatur l. seruum. 8. m prin. ff. de iure patronatus, hisce uerbis:* Seruum à filiofamilias milite manumissum, diuus Hadrianus rescripsit, militem libertum suũ facere, non patris. *Concordat l. etiam. 3. §. si quis filius. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si quis filiusfamilias seruum de castrensi peculio manumiserit: ex constitutione diui Hadriani patronus est, admittique poterit ad contra tabulas bonorum possessionem ut patronus. *Concordat item l. si filiusfam. 22. ff. eod. tt. his uerbis:* Si filiusfamilias miles manumittat: secundum Iuliani quidem sententiam, quam libro XXV. Digestorum probat, patris libertum faciet. Sed quam diu (inquit) militat, præfertur filius in bona eius patri. Sed diuus Hadrianus Flauio Apro rescripsit, suum libertum eum facere, non patris. *Concordat item l. idem erit. 3. §. habent autem. ff. de adsignandis libertis. cuius uerba uide §. regul. 12. except. 7. Item concordat l. intestato. 3. §. miles. ff. de suis legitimis hæredibus, his uerbis:* Miles manumittendo seruum peculiarem, suum faciet libertũ, & ad legitimam hæreditatem eius admittetur. *Concordat item l. si quis. 30. §. sed si castrensem. ff. qui et à quibus, his uerbis:* Si castrensem seruum filius meus manumittat: proculdubiò hoc ius nõ habebo, quia non ipse manumisi. Ipse planè filius poterit accusare. *Concordat item l. si militi. 6. ff. de castrensi peculio. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 3. quæst. 1. except. 1. item concordat l. diuus. 13. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 1. except. 2. replic. 3. Hæc de prima exceptione. Secunda exceptio est: Nisi pater ei qui seruum peculiarem manumisit, peculium in testamẽto prælegauerit. Hæc exceptio approbatur simul et distinguitur l. duo. 7. ff. de manumissi on. his uerbis:* Duo filij familiâs peculiares seruos separatim uterque habebant. Ex his alter seruum suum peculiarem uiuo patre manumiserat, pater utrique testamento peculium prælegauerat. quærebatur, seruus iste utrum amborum, an eius à quo manumissus fuerat, libertus esset? Alfenus respondit, si prius testamentum pater fecisset, quàm filius eum liberum esse iussisset: unius esse libertum, ideo quòd eum in peculio quoque legasse uideretur. Sed si postea testamentum pater fecisset, non uideri eam mentem eius fuisse, ut eum qui manumissus fuisset, legaret: eumque seruum, quoniam prælegatus non esset, mortuo patre amborum seruum fuisse.

II. Regula: *Si socius seruum communem manumiserit, solius manumittentis fit libertus, non etiam alterius socij. quæ regula approbatur l. 1. §. iura autem. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 6. except. 11. replic. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uno ex socijs manumittere uolente, alter quoque socius manumittere sit paratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. penult. cuius uerba uide d. replicat. 17. Secunda exceptio est: Nisi cum unus ex socijs seruo communi libertatem reliquisset ita, Si eum socius manumiserit, liber esto: socius eum manumiserit. tunc enim communis fit libertus. quæ exceptio approbatur l. si socius. 48. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Si socius testamento libertatem ita dederit: Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto. Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atque manumissoris. neq; enim nouum aut incognitum est, uario iure communi mancipio libertatem contingere.

III. Regula: *Si maritus seruum dotalem manumisit: mariti, non uxoris fit libertus. quæ regula approbatur l. 1. §. iura autem. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 6. except. 11. replic. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uno ex socijs manumittere uolente, alter quoque socius manumittere sit paratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. penult. cuius uerba uide d. replicat. 17. Secunda exceptio est: Nisi cum unus ex socijs seruo communi libertatem reliquisset ita, Si eum socius manumiserit, liber esto: socius eum manumiserit. tunc enim communis fit libertus. quæ exceptio approbatur l. si socius. 48. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Si socius testamento libertatem ita dederit: Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto. Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atque manumissoris. neq; enim nouum aut incognitum est, uario iure communi mancipio libertatem contingere.

III. Regula: *Si maritus seruum dotalem manumisit: mariti, non uxoris fit libertus. quæ regula approbatur l. 1. §. iura autem. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 6. except. 11. replic. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uno ex socijs manumittere uolente, alter quoque socius manumittere sit paratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. penult. cuius uerba uide d. replicat. 17. Secunda exceptio est: Nisi cum unus ex socijs seruo communi libertatem reliquisset ita, Si eum socius manumiserit, liber esto: socius eum manumiserit. tunc enim communis fit libertus. quæ exceptio approbatur l. si socius. 48. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Si socius testamento libertatem ita dederit: Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto. Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atque manumissoris. neq; enim nouum aut incognitum est, uario iure communi mancipio libertatem contingere.

III. Regula: *Si maritus seruum dotalem manumisit: mariti, non uxoris fit libertus. quæ regula approbatur l. 1. §. iura autem. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 6. except. 11. replic. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uno ex socijs manumittere uolente, alter quoque socius manumittere sit paratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. penult. cuius uerba uide d. replicat. 17. Secunda exceptio est: Nisi cum unus ex socijs seruo communi libertatem reliquisset ita, Si eum socius manumiserit, liber esto: socius eum manumiserit. tunc enim communis fit libertus. quæ exceptio approbatur l. si socius. 48. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Si socius testamento libertatem ita dederit: Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto. Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atque manumissoris. neq; enim nouum aut incognitum est, uario iure communi mancipio libertatem contingere.

III. Regula: *Si maritus seruum dotalem manumisit: mariti, non uxoris fit libertus. quæ regula approbatur l. 1. §. iura autem. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 6. except. 11. replic. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uno ex socijs manumittere uolente, alter quoque socius manumittere sit paratus. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. penult. cuius uerba uide d. replicat. 17. Secunda exceptio est: Nisi cum unus ex socijs seruo communi libertatem reliquisset ita, Si eum socius manumiserit, liber esto: socius eum manumiserit. tunc enim communis fit libertus. quæ exceptio approbatur l. si socius. 48. ff. de manumissis testamen. his uerbis:* Si socius testamento libertatem ita dederit: Pamphilus, si eum socius manumiserit, liber esto. Seruius respondit, socio manumittente, communem fieri libertum familiæ atque manumissoris. neq; enim nouum aut incognitum est, uario iure communi mancipio libertatem contingere.

patro-

patronus habebitur, & ad legitimam hæreditatem admittetur. *Planè hoc casu maritus dotis iudicio ea quæ occasione libertatis à liberto accepit, restituere tenetur. de quo uide §. lib. 15. cap. 6. except. 25. repl. 1.*

IIII. Regula: *Si alicui libertatum conseruandarum causa bona addicantur: ij quibus directa libertas relicta est, testatoris: quibus fideicommissaria, eius cui bona addicta sunt, fiunt liberti. quæ regula approbatur l. ergo. 4. §. hi qui ad libertatem. ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba cum concordantibus uide §. lib. prox. cap. 8. except. 7. replicat. 6. in fine, effectu 2.*

V. Regula: *Si cum ancillæ libertas in testamento esset relicta, ea antequam adiretur hæreditas, peperit: siquidem hæres ob id tardius adierit, ut id quod natum est lucraretur, partus manumittendus est, non quidem ab hærede, sed à matre, cuius fiet libertus. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt supra lib. prox. cap. 3. causa 1. except. 13. replic. 1. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi mater aut nolit partum manumittere, aut antequam manumittat, decesserit. Quæ exceptio approbatur l. si mater. 54. ff. de fideicommiss. libertat. his uerbis:* Si mater, postquam filium accepit, uel qui in eius locum successit, præstare libertatem nolint: compellendi sunt. Amplius, si mater aut nollet sibi filium tradi, aut in rerum natura esse desijsset: non aliter est dicere, nihilominus ita natis ab hærede libertatem præstari.

VI. Regula: *Si seruus, quòd necem domini detexit, factus sit liber: eius erit libertus, quem prætor demonstrauit: quòd si prætor neminem demonstrauit, eius fiet libertus, cuius fuisset seruus, si liber effectus non esset. Hæc regula approbatur l. intestato. 3. §. quid si necem. ff. de suis hæredibus, his uerbis:* Quid si necem domini detexit, & ex senatusconsulto libertatem meruit? siquidem adsignauit prætor cuius libertus sit: sine dubio eius erit, & ei legitima hæreditas deferetur. Quòd si nõ adsignauit: efficietur quidem ciuis Romanus, sed eius erit libertus, cuius proximè fuit seruus, & ad legitimam hæreditatem ipse admitteretur: nisi ficubi quasi indigno deneganda fuerit hæreditas. *Contradicit l. si necem. 4. in princ. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide §. quæst. prox. causa 1. except. 5.*

§

VII. Regula: *Si directa libertas in testamento sit relicta: ipsius testatoris, eiusq; hæredum efficitur libertus. quæ regula approbatur l. directis. 10. C. de testamen. manumiss. his uerbis:* Directis uerbis iure data libertate, non solùm impositione pilei, sed & adita hæreditate (si nulla iuris impediat constitutio) liberti constituuntur orcini. *Concordat l. ergo. 4. §. hi qui ad libertat. ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide supra lib. proxim. cap. 8. except. 7. replicat. 6. in fine, effectu 2. Concordat Institut. de singulis rebus per fideicommiss. relictis. §. qui autem. cuius uerba uide ff. regul. proxim. Declaratur regula proposita Institut. d. tt. §. penultim. his uerbis:* Directa autem libertas tunc dari uidetur, cum non ab alio manumitti seruum rogat, sed uelut ex suo testamento libertatem ei competere uult. *Eius autem exceptio uidetur esse talis: Nisi seruo directa libertate sub conditione relicta, hæres eum ante existentem conditionem manumiserit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. sed etsi sub. C. de Latina libertate toll. cuius uerba uide supra lib. proxim. cap. 6. except. 16. Directæ autem libertatis relictæ exemplum proponitur l. testamento. 49. ff. de manumiss. testamen. cuius uerba uide supra lib. prox. cap. 7. except. 45. specie 5.*

VIII. Regula: *Si fideicommissaria libertas in testamento relicta sit: eius efficitur libertus, cuius fidei commissum est, ut seruus manumitteretur. quæ regula approbatur l. hi quibus. 7. C. de fideicommiss. libertat. his uerbis:* Hi quibus per fideicommissum libertas supremis iudicijs relinquitur, eorum liberti efficiuntur, à quibus manumittuntur. *Concordat l. qui ex causa. 29. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide ff. cap. 6. quæst. 2. exceptione 2. Item concordat Institut. de singulis rebus per fideicommiss. relictis. §. qui autem, his uerbis:* Qui ex fideicommisso causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris seruus sit: sed eius qui manumittit. At is qui directò ex testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam orcinus appellatur. *Concordat item l. si filius. 35. in prin. ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide infrà cap. 6. quæstion. 2. exceptione 2. replicat. 1. Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi is qui rogatus est, seruum non manumiserit, sed prætoris decreto uel alio modo liber sit factus. Hæc exceptio approbatur l. cum uerò. 26. §. subuentum. ff. de fideicommiss. libertat. his uerbis:* Subuentum libertatibus est senatusconsulto, quod factum est temporibus diui Traiani sub Rubrio Gallo & Cælio Hispone consulibus, in hæc uerba: Si hi à quibus libertatem præstari oporteret, euocati à Prætore adesse noluissent: si causa cognita prætor pronunciasset, libertatem his deberi: eodem iure statum seruari, ac si directò manumissi essent. *Concordat l. in fideicommissarijs. 5. ff. eod. tt. cuius uerba uide infrà replicat. 20. Item concordat l. Stichum. 15. ff. de manumiss. testamen. his uerbis:* Stichum Sempronio do lego. Si Sempronius Stichum intra annum non manumiserit, idem Stichus liber esto. quæsitum est, quid iuris sit? Iulianus respondit, hoc modo libertate data, Si Sempronius non manumiserit, Stichus liber esto: Sempronium, nisi manumiserit, nihil iuris in Stichum habiturum, sed liberum eum futurum. *Concordat item l. si is. 49. ff. de fideicommiss. libert. his uerbis:* Si is cui seruus legatus est, rogatus manumittere latiter: orcinum fieri libertum, Africanus respondit.

gio, aut honestior causa, uel calamitas aliqua, uel maior res familiaris, aut capitis fameue periculum, aut similis causa moretur, Rubriano senatusconsulto continentur: ac ne pupilli quidem, qui tutores non habent, aut eos habent, quos earum quæque causa detinet. Sed nec si hi data opera sui potestatem non faciunt, puto pupillis libertos eripi: quia & iniquum est, facto tutoris, qui forsitan soluendo non sit, pupillum damno afici: & senatusconsulto nō continetur alius, quàm qui ex causa fideicōmissi debet præstare libertatem. Quid ergo est? Dasumaiano senatuscōsulto subuenitur his: quo cautum est de his qui iusta ex causa abessent, ut nec libertas impediatur, nec libertus eripiatur his qui fraude careant. *Concordat l.cum quæsi.30.§.1.ff.eod.tt.his uerbis*: Si infans sit inter eos qui manumittere debent, senatus censuit, cū unius ætas impedierit, ut liberi liberæq; sint thi, quibus libertates ex causa fideicommissi præstari oportet. Hoc idem erit dicendum, etsi solus sit hæres institutus, qui fari non potest. Si uerò pupillus tutorem habeat, isque nolit ad libertatem prestandam authoradesse: adeò non debet impedimento esse neque pupillo, ut libertos non habeat, neq; libertati, ut diui fratres rescripserint, ex causa fideicommissi libertatem præstari debere seruo, perinde atque si ab ipso pupillo tutore autore manumissus esset. Quicunque igitur casus inciderit, quo is qui fari nō potest, fideicommissariæ libertati subiectus est: accommodabimus mentem senatusconsulti, quæ etiam ad hæredem infantem rogatum trahenda est. *Decimaquarta replicatio est: Nisi rogatus furiosus sit. Hæc replicatio approbatur uerbis d.l.36. in prin. iam propositis hisce*: Neque infantes, neque furiosi, &c. *Concordat d.l.30.§.in furiosi.ff.eod.tt.his uerbis*: In furiosi persona diuus Pius rescripsit, fideicommissariā libertatem non impediri sub conditione scripti hæredis, quem compotem mentis non esse affirmatur. Igitur si constiterit, ei rectè datam per fideicommissum libertatem: decretum interponetur, quod idipsum cōplectatur. *Decimaquinta replicatio est: Nisi rogatus mutus uel surdus sit. Hæc replicatio approbatur d.§.in furiosi, in fine, his uerbis*: Ad exemplū infantis & muto & surdo subuenietur. *Decimasexta replicatio est: Nisi pluribus rogatis, quidam ex ijs sint infantes, uel præsentes, uel iusta ex causa absint, uel alia ex causa defendantur. Hæc replicatio, quoad eos qui contumaciter absunt, reprobatur l.cum quæsi.30.§.adeundus.ff.de fideicom. libertat. his uerbis*: Adeundus est autem etiā ex hac causa prætor: præsertim cùm rescripto diui Pij effectum sit, ut si quidam ex rogatis præsentes sint, alij lateant, alij ex causa absint: intercedere infantis persona, nō omnium libertus efficiatur, sed tantùm infantis, & eorum qui ex iusta causa absunt, uel etiam præsentium. *Ait iurisconsultus*: Adeundus est autem etiam ex hac causa prætor. *Scilicet, si infans sit inter eos qui manumittere debent, nihilominus cæteri rogati euocati, uenire ad prætorem debent, alioquin perdunt libertum. Nam de eo casu, quo infans est inter rogatos, loquitur, ut patet ex §.1.d.l.30. cuius uerba uide ſ.repl.13. Concordant ea quæ proposita sunt ſ.repl.10. in prin. Concordat item l.si legatario.22.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Cum is qui fideicommissariam libertatem præstare debet, iusta ex causa abest, aut latitat: aut quidam præsentes sunt, alij ex iusta causa absunt, nonnulli fraudandi fideicommissi causa copiá sui non faciunt: aut ei qui libertatem debet, hæres non extitit, aut si suus hæres hæreditate se abstinuit: prætor pronunciare debet, ex testamento Lucij Titij fideicommissariam libertatem competere id oq; senatusconsulto demonstratum est: quo senatusconsulto comprehensum est, ne dubium & obscurū esset, cuius libertus fieret, &c. *Decimaseptima replicatio est: Nisi cum legatarius rogatus esset seruum manumittere, eum ab hærede nondum acceperit. Hæc replicatio approbatur l.cum uerò.26.§.fin.ff.de fideicom.libert. cuius uerba uide ſ.repl.10. Concordat l.ult.C.eod.tt.cuius uerba uide suprà lib.8.cap.3.except.12. Decimaoctaua replicatio est: Nisi rogatus sine hærede decesserit. Hæc replicatio reprobatur, ita ut seruus fiat libertus orcinus, non rogati, l.cum quæsi.30.§.sed & si.ff.de fideicom.libert. his uerbis*: Si quis sine hærede uel alio successore decesserit, qui fideicommissariam libertatem præstare debebat: adito prætore, libertatem præstandam esse, cēsuit senatus. Sed & si suus hæres se abstinuerit, libertati fideicommissariæ per senatusconsultū subuentum est: tametsi nō est sine hærede, qui suum hæredem habet, licet abstinentem se. Idem dicendum est, etsi minor uigintiquinque annis adierit hæreditatem eius qui libertatem fideicommissariam debebat, & in integrum sit restitutus abstinendi causa. Quærendum est autem, cuius iste libertus sit. Ex constitutione enim fauore libertas perinde competit, atq; si ex testamento libertatem consecutus esset. Erit igitur libertus orcinus, non eius qui fideicommissariā libertatem debebat. *Concordat item l.in fideicommissarijs.5.in fine.ff.eod.tt.his uerbis*: Etsi sine successore hæres decesserit, conseruandam esse libertatem, Senatus Hadriani temporibus censuit. *Planè admittitur replicatio proposita primùm, si is qui sine hærede decessit, cum alio libertatem præstare sit rogatus. quæ distinctio approbatur d.l.30.§.si alter, his uerbis*: Si alter sine successore decesserit, alter ex iusta causa absit: extat rescriptum diuorum Marci & Seueri, pex-

ri, perinde dicentium eum ad libertatem peruenturum, ac si ab eo qui sine successore decessisset, & ab eo qui ex iusta causa abesset, ad libertatem, ut oportuit, perductus esset. *Secundò admittitur replicatio proposita, si adhuc hæres existere possit. de quo ſ.repl.prox. Decimanona replicatio est: Nisi rogato mortuo, hæres de adeunda hæreditate adhuc deliberet. Hæc replicatio approbatur d.l.30.§.eleganter, his uerbis*: Eleganter quæri potest, si is à quo seruum ad libertatē oportuit perduci, sine successore decesserit: utrum expectari debeat, donec certum sit hæredem uel bonorum possessorem nō extaturum: an uerò etiam dum incertum sit, si fortè deliberante hærede scripto possit ad libertatem peruenire? & melius est expectari oportere, quoad certum esse cœperit successorem non extaturum. *Vicesimaprima replicatio est: Nisi hærede manumittere rogato, cohæres non rogatus absit. Hæc replicatio approbatur l.non tantùm.51.§.emptor. ff.de fideicom.libertat. his uerbis*: Emptor quoque ut manumittat, eodem senatusconsulto expressum est: & ut præsens cohæres perinde manumittat, atq; si traditū à cohærede accepisset. quæ & in impuberis cohæredis persona, qui non erat rogatus manumittere, diuum Pium rescripsisse, relatū est: *Concordat l.cum quasi.30.§.si plures. ff. eod.tt. cuius uerba uide* ſ.*lib.prox.cap.6. except.11. repl.1. dupl.9. tripl.1. quadrupl.5. Vicesimasecunda replicatio est: Nisi non fideicommissaria libertas seruo sit relicta, sed hac lege uenditus sit, ut manumittatur. hoc enim casu, quamuis cessante emptore seruus ipso iure liber fiat, tamen emptoris fit libertus. quæ replicatio approbatur l. intestato.3.§.is planè.ff.de suis & legitimis hæredibus, his uerbis*: Is planè, quem hac lege emi ut manumittam, etsi ex constitutiōne diui Marci peruenerit ad libertatem: tamen (ut eadem constitutione expressum est) meus libertus est, & legitima eius hereditas mihi deferetur. *Concordat l.seruum.8.in fine.ff.de iure patronatus. cuius uerba uide* ſ.*lib.prox. cap.8. except.29. replic.1. Planè huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi emptor libertum ut ingratum uelit accusare. hoc enim non potest. quæ duplicatio approbatur l.si quis: 30.in prin.ff.qui & à quibus manumissi, his uerbis*: Si quis hac lege seruum emerit, ut manumittat: & non manumittēte eo, seruus ad libertatem perueniat ex constitutione diui Marci: án possit ut ingratū accusare, uideamus? & dici potest, cum non sit manumissor, hoc ius eum non habere. *Vicesimatertia replicatio est: Nisi cum dominus, qui pro seruo manumittēdo pecuniam accepisset, seruum non manumitteret, seruus ipso iure liber sit factus. hoc enim casu nihilominus ius patronatus domino competit. quæ replicatio approbatur l.Paulus.38.§.1.ff.de liberali causa. cuius uerba uide* ſ.*lib.prox.cap.8.except.29.repl.2. Hæc de octaua regula.*

IX. Regula: *Si hæres seruum, cui sub conditione libertas relicta est, ante existentem conditionem manumiserit: si quidem postea extiterit conditio, orcinus fit libertus: sin defecerit, libertus est hæredis. quæ regula approbatur l.unica.§.sed etsi sub.C.de Latina libertate toll. cuius uerba uide* ſ.*lib.prox. capite 6. except.16.*

X. Regula: *Si ancilla, quòd contra legem uenditionis prostituta sit, libera sit effecta: uenditoris, non emptoris efficitur liberta. quæ regula approbatur l.diuus.7.in prin.ff.de iure patronatus. cuius uerba uide* ſ.*lib.prox. cap.4. causa 16. except.3.*:

XI. Regula: *Patrono mortuo, ius patronatus liberis eius debetur. quæ regula approbatur Instit. de adsignatione libertorum, in prin. cuius uerba uide* ſ. *regula prox. Eius autem regulæ exceptio hæc est: Nisi patronus uni uel quibusdam ex liberis libertum adsignauerit. tunc enim ei uel eis solis, non etiam cæteris liberis ius patronatus cōpetit. quæ exceptio approbatur Inst. d.tt.in prin. Sed plura de hac exceptione, item plures propositæ regulæ exceptiones uide* ſ. *reg.prox.*

XII. Regula: Patrono mortuo, ei uel eis solis ius patronatus competit, quibus patronus libertum adsignauerit, non etiam eius fratribus. *quæ regula approbatur l.1.in prin. ff. de adsignandis libertis, hisce uerbis*: Senatusconsulto quod factum est Claudianis temporibus, Velleio Rufo & Aste-

rio Scapula consulibus, de adsignandis libertis in hæc uerba cauetur: Si qui duos plúresue liberos ex iustis nuptijs quæsitos in potestate haberet, de liberto libertáue sua significasset, cuius ex liberis suis eum libertum eámue libertam esse uellet: ut is eáue, quum is qui eum eámue manumisisset inter uiuos uel testamento, in ciuitate esse desijsset, solus ei patronus, soláue esset patrona, perinde atque si ab eo eáue libertatem consecutus consecutáue esset. utque, si ex liberis quis in ciuitate esse desijsset, neque ei liberi ulli essent: cæteris eius liberis qui manumisisset, perinde omnia iura seruarentur, ac si nihil de eo liberto, eáue liberta is parens significasset. *Concordat Inſt. de adſignatione libertorum, in prin. his uerbis:* Quod ad bona libertorum attinet, admonendi sumus, censuisse senatum, ut quamuis ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant: tamen licere parenti uni ex liberis adsignare libertum, ut post mortem eius solus is patronus habeatur, cui adsignatus est: & cæteri liberi, qui ipsi quoq; ad eadem bona, nulla adsignatione interuenie te, pariter admitterẽtur, nihil iuris in his bonis habeant: sed ita demum pristinum ius recipiant, si is cui adsignatus est, decesserit nullis liberis relictis. *Concordat l. si quis. 30. §. fin. ff. qui & à quibus, his uerbis:* Si pater libertum uni ex filijs adsignauerit: solum eum accusare posse, Iulianus scripsit. solum enim patronũ eum esse. *Declaratur propoſita regula de finitione uerbi Adſignare l. adſignare. 107. ff. de uerb. ſigniſ. his uerbis:* Adsignare libertum, hoc est, testificari, cuius ex liberis libertum eum esse uelit. *Propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi non is qui manumiſit, ſed eius filius, cui etiam libertus fuit adſignatus, eum ſuis rurſus liberis adſignet. Hæc exceptio approbatur l. liberi. 8. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Liberi patroni, quanquam & ipsi in plerisq; causis manumissoris iure censentur, tamen libertum paternum liberis suis adsignare non poterunt, etiamsi eis à parente fuerit adsignatus. Idemq; & Iulianus & Marcellus probant. *Secunda exceptio uidetur eſſe: Niſi plures liberti ſimul adſignentur. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. quamuis. ff. d. tt. his uerbis:* Quamuis singulari fermone senatusconsultum scriptum est: tamẽ & pluribus liberis, & plures libertos libertásue posse adsignari, certum est. *Tertia exceptio eſt: Niſi libertus qui apud hoſtes eſt, ſit adſignatus. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. is quoq;. his uerbis:* Is quoque libertus, qui apud hostes est, potest adsignari. *Quarta exceptio eſt: Niſi non libertus, ſed liberta adſignetur. Hæc exceptio reprobatur inſtit. de adſignatione libertorũ. §. nec tantùm, his uerbis:* Nec tantùm libertum, sed etiam libertam: & nõ tantùm filio nepotiue, sed etiam filiæ neptiue adsignare permittitur. *Quinta exceptio eſt: Niſi pluribus libertus adſignetur. Hæc exceptio reprobatur uerbis §. except. 2. propoſitis. Sexta exceptio eſt: Niſi filio exhæredato libertus ſit adſignatus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. ſed etſi ex. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Sed etsi exhæredato filio libertum quis adsignauerit, nulet adsignatio: nec nocet ei nota exhæredationis, quantum ad ius patronatus. *Septima exceptio eſt: Niſi non filio, ſed nepoti libertus ſit adſignatus. Hæc exceptio reprobatur l. idem. 3. §. poſſe. d. tt. ff. his uerbis:* Posse & nepoti adsignari certum est, & præferri filio nepotem adsignatoris constat. unde quæri poterit, an si filium habeat, & ex eo nepotem, possit quasi duos habeatin potestate, ius senatusconsulti inducere? In qua specie cum placeat, etiam ei qui in potestatem recasurus est, adsignari: quare non admittimus, cum utrunque esse in potestate negare non possumus? An autem ad legitimam hæreditatem admitti possit hic, qui in potestate est, tractari poterit: & cum multi sint casus, quibus & libertum habere qui in potestate est, possit: cur non hoc quoque admittendum erit, ut per eũ pater ad legitimæ hæreditatis admittatur emolumentũ? quod & Pomponio rectè uidetur. Habent autem libertos etiam filijfamiliarum: utputa si castrensem seruum eorum manumiserint. *Octaua exceptio eſt: Niſi emancipato filio libertus ſit adſignatus. Hæc exceptio approbatur inſt. de adſignatione libert. §. penult. his uerbis:* Datur autem hæc adsignandi facultas ei qui duos plurésue liberos in potestate habebit, ut eis quos in potestate habet, adsignare libertum libertámue liceat. Vnde quærebatur, si eum cui adsignauit, postea emancipauerit: num euanescat adsignatio? Sed placuit euanescere. Quod & Iuliano & alijs plerisque uisum est. *Contradicit l. utrum. 9. ff. eod. tt. his uerbis:* Vtrum ei tantùm qui in potestate sit, an etiam emancipato filio adsignare libertum patronus possit, si modò non pauciores quàm duos præterea in potestate habeat, dubitari solet & magis est posse. *Concordat l. filij. 9. in prin. ibi: idem in emancipato. ff. de iure patronatus, cuius uerba uide j. except. 16. Nona exceptio eſt: Niſi hæredi extraneo libertus ſit adſignatus. Hæc exceptio ſatis conſtat ex uerbis ſenatuſconſulti §. ead. reg. in prin. propoſitis. Decima exceptio eſt: Niſi poſthumo adſignatus ſit libertus. Hæc exceptio reprobatur l. teſtamento. 13. §. 1. ff. de adſig. libert. his uerbis:* De liberis qui sunt in potestate, senatus locutus est. Ergo de posthumis nihil hoc senatusconsulto prouisum est. Magis tamen puto, etiam posthumos contineri. *Vndecima exceptio*

exceptio: Niſi non filio, ſed filiæ uel nepti adſignatus ſit libertus. Hæc exceptio reprobatur inſtit. eod. tt. §. nec tantùm. cuius uerba uide §. except. 4. Duodecima exceptio eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, in ciuitate eſſe deſierit, uel mortuus ſit. Hæc exceptio approbatur uerbis ſenatuſconſulti §. ead. reg. in princip. propoſitis hiſce: Vtque, si ex liberis quis in ciuitate esse desijsset, neque ei liberi ulli essent: cæteris eius liberis qui manumisisset, perinde omnia iura seruarentur, ac si nihil de eo liberto, eáue liberta is parens significasset. *Concordat inſtit. eod. tt. in princ. ibi ſed ita demum. cuius uerba uide §. ead. reg. in princ. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, relictis liberis deceſſerit, uel in ciuitate eſſe deſierit. tunc enim illi liberi relicti præferuntur in iure patronatus fratribus eius cui adſignatio facta eſt. quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Neque ei liberi ulli essent. *Huius replicationis duplicatio prima uidetur eſſe talis: Niſi emancipatis liberis relictis, deceſſerit. Hæc duplicatio reprobatur l. idem. 3. §. emancipatos. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Emancipatos quoque filios eius cui adsignatus est libertus, habere commodum senatusconsulti puto: non ut ad legitimam hæreditatem admittantur, sed ad ea quę possunt. Secundum quod liberto intestato defuncto, quoniam ad legitimam hæreditatem admitti nõ possunt, uidendum ne admittatur filius adsignatoris in familia remanens, annon? & puto emancipatos per prætorem præferendos. *Secunda duplicatio uidetur eſſe: Niſi non filijs, ſed nepotibus uel pronepotibus relictis deceſſerit is cui adſignatio facta eſt. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 1. §. penult. his uerbis:* Libros autem eius cui adsignatus est, accipere debemus non solùm filios, uerumetiam nepotes & neptes, & deinceps descendentes. *Tertia duplicatio uidetur eſſe: Niſi duobus adſignatione facta, unus ex iis relictis liberis deceſſerit, cuius portio adcreuerit alteri, qui poſtea ſine liberis etiam deceſſit. hoc enim caſu uidetur, quòd ius patronatus non pertineat amplius ad liberos prioris defuncti, ſed ad familiam patroni redeat. uerum duplicatio iſta reprobatur l. utrum. 5. §. quod ſi liberis. ff. de adſignandis libertis. cuius uerba uide j. repl. prox. Secunda replicatio eſt: Niſi duobus ſimul libertus ſit adſignatus. tunc enim uno ſine liberis mortuo, non redit libertus ad familiam patroni: ſed alteri cui ſimul adſignatus eſt, adcreſcit. quæ replicatio approbatur l. idem. 3. §. fin. cum duabus legibus ſequentibus. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Si quis duobus adsignauerit libertum, & alter in ciuitate esse sine liberis desierit, alter non, uel uiuus hæreditatem ad se liberti pertinere noluerit: utrum portio eius qui in ciuitate esse desijt, uel repudiauit, in familiam redeat: an uerò ei potius adcrescat, in cuius persona durat adsignatio? & Iulianus libro LXXV. scripsit, adsignationem in huius solius persona locum habere, & solum admittendũ. quod uerum est. Quòd si relictis liberis decesserit an cum uiuo admittantur? & putat adhuc solum admittendum. Defuncto autem eo, liberos alterius succedere, non in familiam libertum redire. Sed si ex duobus filijs alter filios, alter nepotes reliquerit: an simul ad legitimam hæreditatem admittantur? & puto ordinem inter eos faciendum. *Tertia replicatio eſt: Niſi is qui in ciuitate eſſe deſijt, reuerti poſſit. quæ replicatio approbatur l. teſtamento. 13. §. quod inquit. ff. d. tt. his uerbis:* Quod inquit Senatus, Si ex liberis quis in ciuitate esse desijsset: cum significat, qui in perpetuum in ciuitate esse desierit, non etiam si quis ab hostibus captus reuerti possit. *Hæc de duodecima exceptione. Decimatertia exceptio eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, poſtea ſit exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur, ſub conditione tamen, l. 1. §. ſed etſi poſt. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Sed etsi post adsignationem fuerit exhæredatus, non semper exhæredatio adimet adsignationem, nisi hoc animo facta sit. *Concordat l. ſi patronus. 12. §. 1. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide j. cap. 7. quæſt. 3. reg. 1. except. 10. replic. 3. Decimaquarta exceptio eſt: Niſi is cui adſignatus eſt libertus, poſtea ſit emancipatus. De hac exceptione uide §. except. 9. Decimaquinta exceptio eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, adſignationem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. ſed ſi is. ff. de adſignand. libertis, hiſce uerbis:* Sed si is cui adsignatus est, repudiauerit: puto uerius, quod & Marcellus scripsit, posse admitti fratres eius. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi duobus ſimul libertus ſit adſignatus. tunc enim uno repudiante, adcreſcit alteri, nec ad fratres redit. quæ replicatio approbatur per ea quæ propoſita ſunt §. except. 12. repl. 2. Decimaſexta exceptio eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, hæreditatem patroni repudiauerit. Hæc exceptio reprobatur l. filij. 9. in prin. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Filij hæreditate paterna se abstinentes, ius quod in libertis paternis habent, non amittunt. Idem in emancipato. *Decimaſeptima exceptio eſt: Niſi is qui libertum uni ex filijs adſignauit, uoluntatem rurſus mutauerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. adſignare, in fine. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Adimere adsignationem etiam nuda uoluntate poterit. *Decimaoctaua exceptio eſt: Niſi is cui libertus adſignatus eſt, eum capitis accuſauerit. Hæc exceptio approbatur l. etiam. 7. §. ſi capitis. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si capitis libertum accusauerit is cui adsignatus est: non potest is petere cõtra tabulas bonorum possessionem, fratribusque ſuis non obſtabit: sed hi contra tabulas bonorum possessionem petent, quemadmodum peterent, si ex altero filio

nepotes essent. Libertus enim, qui alteri ex filijs adsignatur, non desinit alterius filij libertus esse. Amplius dicendum est, etiamsi omiserit frater bonorum possessionem, alter frater cui adsignatus est, non potest succedere, & contra tabulas bonorum possessionem petere. *Plura de exceptione proposita uide ȷ.cap.7.quæst.2.except.10.* Decimanona exceptio *est: Nisi liberto in diem uel sub conditione adsignato, dies nondum uenerit, uel conditio nondum extiterit. Hæc exceptio approbatur l.sub conditione.10.in prin. ff.de adsignandis libertis, hisce uerbis:* Sub conditione uel in diem liberto adsignato, interim pendente die uel conditione omnia perinde obseruabuntur, ac si adsignatus non esset. Itaq; mortuo eo, interim ad omnes liberos hæreditas & bonorum possessio pertinebit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi duobus libertus sit adsignatus, uni purè, alteri sub conditione. tunc enim portio eius, cui sub conditione libertus est adsignatus, non pertinet ad omnes defuncti liberos, sed ad eum tantùm, cui libertus purè est adsignatus. quæ replicatio approbatur d.l.10. §.fin. his uerbis:* Si uni purè, alij sub conditione libertus adsignatus sit: eum cui purè adsignatus sit, pendente conditione solum patroni ius habere, dicendum est. *Vicesima exceptio, sumpta ex modo quo libertus adsignatur, reprobatur l.1. §.adsignare. ff.de adsignandis libertis, hisce uerbis:* Adsignare autem quis potest quibuscunq; uerbis, uel nutu, uel testamento, uel codicillis, uel uiuus. *Concordat l.adsignare.7. ff.eod.tt. his uerbis:* Adsignare & purè, & sub conditione, & per epistolam, uel testationem, uel chirographũ possumus: quia adsignatio liberti nec quasi legatum, nec quasi fideicommissum percipitur. Deniq; nec fideicommisso onerari potest. *Concordat item l.testam. 13.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Testamento potest quis seruum manumittere, & eundem ut libertum adsignare. *Concordat item Inst.eod.tt. §.fin.his uerbis:* Non interest, an testamento quis adsignet, an sine testamento: sed etiam quibuscunq; uerbis patronis hoc permittitur facere ex ipso senatusconsulto, quod Claudianis temporib. factum est, Sabellio Rufo & Asterio Scapula consulibus. *Vicesimaprima exceptio est: Nisi ex die uel sub conditione adsignatus sit libertus. Hæc exceptio reprobatur d.l.7. Concordat d.l.13.§.fin. cuius uerba uide ȷ.except.proxim. Vicesimasecunda exceptio est: Nisi in diem adsignatus sit libertus. Hæc exceptio approbatur d.l.13. §.fin.his uerbis:* Ex die quoq; certa adsignari potest, sed usq; in diem certum uix potest. nam ipse senatus huic negocio finem proposuit. *Vicesimatertia exceptio est: Nisi operæ serui petantur. Hæc exceptio approbatur l.iniandũ.9.ff. de operis libertorum. cuius uerba uide ȷ.cap.6.quæst.3. except.1. repl.8. Vicesimaquarta exceptio est: Nisi is qui libertum uni ex filijs adsignauit, compatronum habeat, seu partem tantùm in liberto. quæ exceptio approbatur l.si ex.12.ff.de adsignandis libertis. cuius uerba uide ȷ.cap.7.quæst.3.reg.1.except.16.replic.1. Hæc de duodecima regula.*

XIII. *Regula: Mortuo eo cui libertus à patrono fuit adsignatus, cui ius patronatus competat, definitum est s̄.reg.prox.except.12.*

XIIII. *Regula: Si cùm duobus libertus esset adsignatus, & uterq; mortuus esset: unus filium, alter nepotem reliquerit: filius unius præfertur nepoti alterius in iure patronatus. quæ regula approbatur l.interdum.51.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide ȷ.cap.6.quæst.3. except.1.repl.8. Concordat l.utrum.5. §.fin.ff.de adsignandis libertis. cuius uerba uide s̄.d. except.12.repl.2.*

XV. *Regula: Si seruus liber esse iussus sit, & filio legatus, postea à testatore uiuo manumissus: eius solius libertus efficitur, cui legatus est, non etiam cæterorum liberorum patroni. quæ regula approbatur l.si seruus. 6.ff.de adsignandis libertis, hisce uerbis:* Si seruus liber esse iussus fuerit, & filio legatus, deinde testator uiuus eum manumiserit: ad filium libertus quasi adsignatus pertinet. Hoc ita est, siue expressum sit, uel certè intellexerit, non quasi seruum eum legasse, sed quasi libertum adsignasse.

XVI. *Regula: Si unus ex filijs patroni liberto alimenta præstare iussus sit, per hoc sibi soli ius patronatus non uindicabit. quæ regula approbatur l.alimentorum.11.ff.d.tt.his uerbis:* Alimentorum causa libertos filijs attributos, filijs adsignatos non uideri, Papinianus respondit: cùm ea ratione libertis consuli patronus uoluerit, quo facilius uoluntatis emolumentum consequantur, saluo iure communi.

V. IN QVOS IVS PATRONATUS competat?

I. *Regula, De liberis liberti. In hos ius patronatus non extenditur. quæ regula approbatur l.11.in prin.C. de operis libertorum, his uerbis:* Quod ex liberta muliere nascitur; ingenuum est. *Concordat l. libertina.9.in princ. C.de ingenuis manumissis. cuius uerba uide s̄.libro prox.cap.3.causa.1.except.1. Planè ob ingratitudinem etiam liberti filius in seruitutem reuocari potest: quod exceptionis loco notandum. quæ exceptio approbatur l.ult. C. de libertis & eorum liberis. cuius uerba uide s̄.lib.prox.cap.11. quæst.1.causa 2.except.2.*

II. *Regula, De hærede liberti. Nec in hunc patronus ius patronatus potest exercere. quæ regula approbatur l.hæres.8. ff.de obsequijs à libertis, hisce uerbis:* Hæres liberti omnia iura extranei hominis integra aduersus patronum defuncti habet.

III. *Regula: Libertis uni adsignatis, etiam hi qui in eodem testamento manumissi sunt, adsignati censentur. l.Scæuola.243. ff.de uerb. signific.*

DE

DE AMITTENDO IVRE patronatus. Cap. II.

I. CAVSAE EX QVIBVS amittitur ius patronatus, & libertus efficitur ingenuus.

P*Rima causa: Si patronus iureiurando adegit libertum, ne uxorem ducat: uel libertam, ne nubat, liberósue tollat: ius patronatus in eo amittit. quæ causa approbatur l.qui contra.15.ff.de iure patronatus, his uerbis:* Qui contra legem Æliam Sentiam ad iusiurandum libertum adegit: nihil iuris habet nec ipse, nec liberi eius. *Huius causæ seu regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non libertam ne nubat, sed libertum ne uxorem ducat, iureiurando adigat. Hæc exceptio reprobatur l.adigere.6. in prin.ff.de iure patronatus, hisce uerbis:* Adigere iureiurando, ne nubat liberta, uel liberos tollat: intelligitur etiam is qui libertum iurare patitur. *Secunda exceptio est: Nisi non patronus ipse, sed eius filius uel seruus adegerit. Hæc exceptio approbatur d.l.6.in prin.his uerbis:* Sed si ignorante eo suus filius adegerit, stipulatúsue fuerit: nihil ei nocebit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi iussu patroni, eius filius libertum adegerit. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Certè si iussu patroni is qui in potestate est, idem fecerit: dicendum est, eum hac lege teneri. *Secunda replicatio est: Nisi patronus stipulationem, quam filius eius eo nomine fecerit, non remittat. Hæc replicatio approbatur l.ult.in princ. ff. qui & à quibus, his uerbis:* Si non uoluntate patroni is qui in eius potestate sit, iusiurandum adegerit, uel stipulatus fuerit ne nubat: nisi id patronus remittat, aut liberet libertam, incidit in legem. uidebitur enim id ipsum dolo malo facere. *Tertia exceptio est: Nisi patronus libertam, liberos impuberes habentem, iureiurando adegerit ne nubat. Hæc exceptio approbatur l.quæsitũ.31.ff.qui & à quibus, his uerbis:* Quæsitum est, si libertam patronus iureiurando adegisset, ne ea liberos impuberes habens nuberet: quid iuris esset? Iulianus dicit, non uideri contra legem Æliam Sentiam fecisse eum, qui non perpetuam uiduitatem libertæ iniunxisset. *Quarta exceptio est: Nisi ita adegit, ne illicitè nubat. Hæc exceptio approbatur l. intestato.3.§.si quis libertam.ff.de suis & legitimis hæredibus, his uerbis:* Si quis libertam sic iureiurando adegit, ne illicitè nubat: non debere incidere in legem Æliam Sentiam. sed si intra certum tempus ne ducat, néue aliam quàm de qua patronus consenserit, uel non nisi collibertam, aut patroni cognatam: dicendum est, incidere eum in legem Æliam Sentiam, nec ad legitimam hæreditatem admitti. *Quinta exceptio uidetur esse: Nisi non perpetuò, sed ad tempus ne nuberet, adegit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Sed si intra certum tempus ne ducat, &c. *Contradicit l.quæsitum.31.in fine.ff.qui & à quibus. cuius uerba uide paulò superius except.3. Sexta exceptio est: Nisi adegit ne alij nuberet, quàm patronus uellet, uel ut patroni cognatam in uxorem duceret. Hæc exceptio reprobatur uerbis d.§.si quis libertam, iam propositis hisce:* Néue aliam quàm de qua patronus consenserit, &c. *Septima exceptio est: Nisi castratum libertum adegit patronus, ne uxorem ducat. Hæc exceptio approbatur l.adigere.6.§.quamuis.ff.de iure patronatus, his uerbis:* Quamuis nulla persona lege excipiatur: tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaq; si castratum libertum iureiurando quis adegerit: dicendum est, non puniri patronum hac lege. *Octaua exceptio est: Nisi patronus libertam iureiurando adegerit, ut sibi nubat. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.6.§.si patronus, his uerbis:* Si patronus libertam iureiurando adegerit, ut sibi nuberet: siquidem ducturus eam adegit, nihil contra legem fecisse uidebitur. Si uerò non ducturus, propter hoc solum adegerit, ne alij nuberet: fraudem legi factam, Iulianus ait: & perinde patronum teneri, ac si coegisset iurare libertam non nupturam.

II. *Causa: Si mercedem uel precium operarum à liberto patronus stipulatus est, uel operas eius locat, aut mercedem pro ijs capit: ius patronatus perdit. quæ regula approbatur lege Aelia Sentia, quam non habemus. Eius autem exceptio prima hæc est: Nisi libertus sponte mercedem operarum patrono præstet, uel operas eius locari postulet. quæ exceptio approbatur l.ult. §.non prohibentur. ff.qui & à quibus, his uerbis:* Non prohibentur lege Ælia Sentia patroni à libertis mercedes capere, sed obligare eos. Itaq; si sponte sua libertus mercedem patrono præstiterit: nullum legis huius præmium consequetur. *Concordat l.patronus. 25. §. fin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Nonnunquam ipsis libertis postulantibus patroni operas locant. Quo facto, precium magis operarum, quàm mercedem capere existimandi sunt. *Secunda exceptio est: Nisi patronus pauper sit, ut non aliter operis liberti uti possit, quàm si eas locet. Hæc exceptio approbatur d.l. 25.in princ. his uerbis:* Patronus qui operas liberti sui locat, non statim intelligendus est mercedem ab eo capere: sed hoc ex genere operarum, ex persona patroni atque liberti colligi debet. Nam si quis pantomimum, uel archimimum libertum habeat, & is mediocris patrimonij sit, ut non aliter operis eius uti posit, quàm locauerit eas: exigere magis operas, quàm mercedem capere existimandus est. *Concordat l.1. ibi: nisi quando propter. C.de operis libertorum, hisce uerbis:* Si tempore manumissionis operæ tibi impositæ

positæ sunt: scis te eas præstare debere. Solet autem inter patronos & libertos conuenire, ut pro operis aliquid præstetur, licet precium peti non possit, nisi quando propter inopiam pro alimentis id extra ordinem peti necessitas suaserit: cum etsi operæ non erant impositæ, defectis tamen facultatibus patroni, alere eum cogatis. *Tertia exceptio est: Nisi talis sit opera liberti, qua patronus aliter uti non possit, nisi locet: puta si libertus medicus sit. Hæc exceptio approbatur d.l.25. §. item plerunq;, his uerbis:* Item plerunq; medici seruos eiusdem artis libertos perducunt, quorum operis perpetuò aliter uti nõ possunt, quàm ut eas locent. Ea & in cæteris artificibus dici possunt. Sed qui operis sui liberti uti potest, & locando precium earum consequi malit: is existimandus est mercedem ex operis liberti sui capere. *Quarta exceptio est: Nisi patronus alternatiuè stipulatus sit operas, aut in singulas operas certam pecuniam, ita ut in arbitrio liberti sit, utrum operas, an pecuniam pro ijs dare uelit. quæ exceptio approbatur l.adigere.6.§.1.ff.de iure patronatus, his uerbis:* Qui stipulatus est centum operas, aut in singulas aureos quinos dari, non uidetur contra legem stipulatus: quia in potestate liberti est operas dare. *Concordat l.ult. §.is qui operas. ff. qui & à quibus, his uerbis:* Is qui operas, aut in singulas eas certã summam promisit, ad hanc legem non pertinet: quoniam operas præstando potest liberari. Idem Octauenus probat. *Quinta exceptio est: Nisi non à liberto, sed ab alio mercedem operarum liberti sit stipulatus. Hæc exceptio (teste Accursio) reprobatur d.l.ult.§.fin. his uerbis:* Octauenus adijcit, obligare sibi libertum, ut mercedem operarum capiat, & is intelligitur, qui hoc solum agit, ut utiq; mercedem capiat, etiamsi sub titulo operarum eam stipulatus fuerit. *Sexta exceptio est: Nisi pro præteritis operis non præstitis, æstimationem patronus accipiat. quæ exceptio approbatur l.nec patronis.7.C.de operis libertorum, his uerbis:* Nec patronis pro operis mercedem accipere licet, quamuis si indictæ operæ præstitæ non sint, ad pecuniæ exactionem obsequij non præstiti æstimatio conuertatur.

III. *Causa: Si patronus, qui ex causa fideicommissi ancillam sibi legatam manumisit, tutor in eodem testamento datus, à tutela se excusauit. Hæc causa approbatur l.si quis.3.ff.de iure patronatus, his uerbis:* Si quis tutor datus, cum sibi legata esset ancilla, & rogatus eam manumittere, manumiserit agnito legato, & à tutela pupilli se excusauerit: diui Seuerus & Antoninus rescripserũt, hunc esse quidem patronũ, sed omni commodo patronatus carere.

IIII. *Causa: Si patronus ius patronatus liberto remisit. Hæc causa approbatur l.si quis.1. C.de bonis libertorum, his uerbis:* Si quis in posterum patronorum huiusmodi narrationem conceperit, uel in libertatibus quæ inter uiuos actitantur, uel in his quæ ex testamento uel codicillis scriptis uel sine scriptis habitis proficiscuntur, ut liberti eorum à iure patronatus liberentur: antiqua interpretatione semota, non dubitetur patronatus ius ex sola etiam tali uerborum conceptione libertis esse remittendum, nec successionibus quæ ab intestato descendunt, quas ueteres post huiusmodi actus seruari in libertorum bonis decreuerunt, à nobis patronis integris reseruandis. Sed quemadmodum in natalium restitutione omne ius tollitur patronatus: ita & in huiusmodi uerbis eandem esse uim obseruandam, omnes non ignorent. Idemque iuris est, si inter uiuos manumissione imposita, in ultimis uoluntatibus concessio data fuerit patronatus: ita tamẽ, ut in omnibus natalium restitutiones, ex quibus penè solis ingenuitas mera libertis competit, tam obtineant, quàm in nostra republica polleant: cum nõbis cordi est, ingentis magis hominibus quàm libertis eam frequentari. Reuerentia tamen quæ à libertis debetur, & iure quod aduersus ingratos libertos patronis competit, integris reseruandis, etsi per uerborum conceptionem secundum à nobis inductum modum ius patronatus fuerit amissum: cum etiam hæc ingenuitatis præmio tolluntur, quam penè sola natalium restitutio inducit. His uidelicet casibus, per quos pœnalibus modis ius patronatus quasi ab indignis patronis eripitur, in robore suo duraturis. *Concordat Nouell. c.78. §. statuimus. cuius uerba uide 3. causa 14. except.5.*

V. *Causa: Si libertus, conniuentibus patronis, cum ancillis uel colonis Imperatoris consortium elegerit. Hæc causa approbatur l.2. C.d.tt. his uerbis:* Si liberti, conniuentibus patronis, consortium cum ancillis colonisue nostris elegerunt: sciant illi, se deinceps commoda patronatus amissuros.

VI. *Causa: Si consentiente patrono liberta nupserit. Hæc causa reprobatur l.quod ex.11. C.de operis libert. his uerbis:* Is qui libertæ suæ nubẽdi commodauit adsensum: quamuis operas ab ea exigere non possit, iura tamen patronatus non amittit.

VII. *Causa: Si patronus liberto non præstiterit alimenta. Hæc causa approbatur l.diuus.5. in fine. ff.de iure patronatus, his uerbis:* Imperatoris nostri rescripto cauetur, ut si patronus libertum suum non aluerit, ius patroni perdat. *Concordat l.alim.6. in prin. ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis:* Alimenta, liberto petente, non præstando,

stando, patronus amissione libertatis causa impositorum, & hæreditatis liberti punietur: non autem necesse habebit præstare, etiamsi potest. *Concordat l.si patron.13. ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si patronus non aluerit libertum, Lex Ælia Sentia adimit eius libertatis causa imposita tam ei, quàm ipsi ad quem ea res pertinet: item hæreditatem ipsi & liberis eius, nisi hæres institutus sit: & bonorum possessionem, præterquam secundum tabulas.

VIII. *Causa: Si patronus iudicio publico sit damnatus. Hæc causa ipso quidem iure subsistit: uerùm recipit exceptionem primam quidem in patroni liberis, l.iura.4.ff.de iure patronatus, his uerbis:* Iura libertorum paternorum liberis, cum pater eorũ erat perduellionis damnatus, salua esse, diui Seuerus & Antoninus benignissimè rescripserunt: sicut ex alia causa punitorum liberis iura libertorum salua sunt. *Secunda exceptio est: Nisi patronus restitutus sit, & pœna liberatus. quæ exceptio approbatur l.siue lib.21. in prin.ff.cod.tt. his uerbis:* Siue libertus, siue patronus deportetur, & pòst restituatur: amissi patronatus, & petendæ contra tabulas bonorum possessionis ius recipitur. quod ius seruatur, etsi in metallum patronus uel libertus damnatus restituatur. *Concordat l.etiam.3.§.si deportatus. ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si deportatus patronus restitutus sit, contra tabulas liberti possessionem accipere potest. Idemq; & in liberto deportato & restituto dicendum est.

IX. *Causa: Si libertus sit deportatus, uel in metallum damnatus. Hæc causa ipso quidem iure subsistit, uerùm eius exceptio hæc est: Nisi libertus sit restitutus, & pœna liberatus. quæ exceptio approbatur uerbis d.l.21. in prin. iam propositis. item d.l.3.§.si deportatus.*

X. *Causa: Si libertus adrogatus sit. Hæc causa reprobatur l.liberto.49. ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Liberto per obreptionem adrogato, ius suum patronus non amittit. *Concordat l.sed si. 10.§.patronum. ff.de in ius uocando. cuius uerba uide 5. lib.6. cap.1. quæst.4. reg.6. except.7. Concordat l. ultim. ff.de statu hominum, his uerbis:* Eum qui se libertinum esse fatetur, nec adoptando patronus ingenuum facere potuit.

XI. *Causa: Si libertus ingenuus sit pronunciatus. Hæc causa approbatur l.ingenuum.25. ff.de statu hominum, his uerbis:* Ingenuum accipere debemus etiam eum, de quo sententia lata est, quamuis fuerit libertinus: quia res iudicata pro ueritate accipitur. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi colludente domino uel patrono seruus uel libertus ingenuus sit pronunciatus. Hæc exceptio approbatur l.1. ff.de collusione detegenda, his uerbis:* Ne quorũdam dominorum erga seruos nimia indulgẽtia inquinaret amplissimum ordinem, eo quòd paterentur seruos suos in ingenuitatem proclamare, liberosq; iudicari: senatusconsultum factum est Domitiani temporibus, quo cautum est, ut si quis probasset per collusionem quidquam factum: si iste homo seruus sit, fieret eius seruus, qui detexisset collusionem. *Concordat l.si libert.4. ff.cod.tt. his uerbis:* Si libertinus per collusionem fuerit pronunciatus ingenuus: collusione detecta, in quibusdam causis quasi libertinus incipiet esse. Medio tamen tempore, id est, antequam collusio deregatur, & post sententiam de ingenuitate latam, utiq; quasi ingenuus accipitur. *Concordat item l.1. C. de collusione detegenda, his uerbis:* Cum seruum matris tuæ & stupro uiolasse dominam suam, & turpis coniunctionis maculam excogitandæ ingenuitatis collusione, ac falsæ captiuitatis uelamento, apud competentem iudicem obtegere uoluisse proponas, nec libertatem ei matrem tuam dedisse, sed in solam ingenuitatem eum nudæ uoluntatis mendacio producere nisam adseueres: seruum esse palàm est. Quando etiam diui Pij rescriptum super captiuitate emissum, quam non intercessisse significas, ingenuum fecisse non uideatur, nec adseueratio consensus tui ingenuitatis ius tribuere poterit. *Concordat l.2. C.cod.tt. his uerbis:* Libertinæ conditionis constitutis, priuatis pactis immutare statum non licere, Noniano senatusconsulto, contra colluforem pœna statuta, præmio quoque detegenti promisso, manifestè declaratur. *Concordat item l.quicunque. 4. §. fin. C.de seruis fugitiuis. cuius uerba uide 5. lib. 4.cap.6.quæstion.6. in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi intra quinquennium ingenuitatis sententia non sit retractata. Hæc replicatio approbatur l.2. in princ. ff.de collusione detegenda, his uerbis:* Collusionem detegere ingenuitatis post sententiam intra quinquennium posse, diuus Marcus constituit. Quinquennium autem continuum utique accipiemus. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi minor annis sit is qui collusisse dicitur. quæ duplicatio approbatur d.l.2. §.1. his uerbis:* Si cubi planè ætas eius, cuius retractatur collusio, differendam retractationem in tempus pubertatis uel alterius rei suadeat: quinquennium non currere, dicendum est. *Secunda duplicatio est: Nisi intra quinquennium causa retractationis sit inchoata. Hæc duplicatio approbatur d.l.2. §.penultim. his uerbis:* Quinquennium autem non ad perficiendam retractationem, sed ad inchoandam puto præfinitum: aliter atque circa eum qui ex libertinitate se in ingenuitatem petit. *Tertia duplicatio est: Nisi non iusto contradictore quis ingenuus pronun-*

pronunciatus eſt. quæ duplicatio approbatur l.cũ non. 5.ff.eod.tt. his uerbis: Cum non iuſto contradictore quis ingenuus pronunciatus eſt: perinde inefficax eſt decretum, atq; ſi nulla res iudicata interueniſſet: idq; principalib. conſtitutionibus cauetur. *Quis dicatur iuſtus contradictor, definitur l.1.C.de ingenuis manumiſsis. cuius uerba uide j̃.cap.prox.quæſt.6.reg.1. Concordat l.1.ff. ſi libertus ingenuus eſſe dicitur, his uerbis*: Si libertus alterius alio agente ingenuus pronunciatus eſſe dicetur: ſine ulla exceptione tẽporis patronus eius cognitionem ſolet exercere. *Quarta duplicatio eſt: Niſi ignorante patrono ſententia ſit dicta. quæ duplicatio approbatur l. patronum.5.ff.eod.tt. his uerbis*: Patronum poſt quinquennium ſententiæ pro ingenuitate dictæ, quo ignorante res iudicata eſt, non eſſe præſcriptione temporis ſubmouendum, Papinianus reſpondit. *Secunda propoſitæ exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi is de cuius ſtatu quæritur, mortuus ſit. quæ replicatio approbatur l.1.§.ſed interdum.ff.ne de ſtatu defunctorum, his uerbis*: Sed interdum & intra quinquennium non licet de ſtatu defuncti quærere. Nam oratione diui Marci cauetur, ut ſi quis ingenuus pronunciatus fuerit, liceat ingenuitatis ſententiam retractare: ſed uiuo eo qui ingenuus pronunciatus eſt, non poſt mortem: in tantum, ut etiamſi cœpta quæſtio fuit retractationis, morte eius extinguatur, ut eadem oratione cauetur. *Tertia replicatio eſt: Niſi alius, cuius nihil intereſt, ſententiam ingenuitatis retractet. Hæc replicatio reprobatur l.2.§.fin. ff.de colluſ. detegenda, his uerbis*: Oratione diui Marci cauetur, ut etiam extraneis, qui pro altero poſtulandi ius haberent, liceret detegere colluſionem. *Quarta replicatio eſt: Niſi plures ſimul ſententiam ingenuitatis retractare uelint. quæ replicatio approbatur l.ſententiam.5. §.fin.ff.d.tt. his uerbis*: Si plures ad colluſionem detegẽdam pariter accedant: cauſa cognita, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus & ætatibus, & cuius magis interſit, ſtatui oportet. *Quinta replicatio eſt: Niſi ſententia ingenuitatis ſemel ſit retractata. quæ replicatio approbatur d.l.5.in prin. his uerbis*: Sentẽtiam pro ingenuitate latam, colluſionis prætextu ſemel retractare permittitur. *Hæc de prima exceptione. Secunda propoſitæ cauſæ exceptio eſt: Niſi non iuſto contradictore quis ingenuus ſit pronunciatus. quæ exceptio approbatur l.cum non.3.ff.de colluſione detegenda.cuius uerba uide s̃.except.prox. replic.1. duplic.3. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi is qui libertus ab aliquo dicitur, prouocet ad iudicium, ut alter id quod dicit probet: & altero non comparente, iudex ingenuum eum pronunciet. tunc enim, ſi idem eundem rurſus libertum dicens retractare uelit ſententiam ingenuitatis, non auditur. quæ replicatio approbatur l.diffam.5. C.de ingenuis manumiſsis, biſce uerbis*: Diffamari ſtatum ingenuorũ ſeu errore, ſeu malignitate quorundam, periniquum eſt: præſertim cum adfirmes, diu præſidem unum atque alterum interpellatum à te, uocitaſſe diuerſam partem, ut contradictionem faceret, ſi defenſionibus ſuis confideret. Vnde conſtat, meritò rectorem prouinciæ commotum allegationibus tuis ſententiam dediſſe, ne decæterò inquietudinem ſuſtineres. Si igitur diuerſa pars perſeuerat in eadem obſtinatione: aditus præſes prouinciæ, ab iniuria temperari præcipiet. *Hæc de undecima cauſa.*

XII. *Cauſa: Si patronus libertum adrogauerit. Hæc cauſa ingenuitatis reprobatur l.ultim.ff.de ſtatu hominum.cuius uerba uide s̃.cauſa 10. Concordat l.Caius. 12.ff.de iure patronatus, his uerbis*: Caius Seius decedens teſtamẽto ordinato, inter filios ſuos & Iulium libertum ſuum, quaſi & ipſum filium, ex parte hæredem nominauit. quęro, an huiuſmodi ſcriptura poſsit liberto ſtatũ conditionis mutare? Modeſtinus reſpondit, ſtatum mutare non poſſe.

XIII. *Cauſa: Pactis priuatis libertus non efficitur ingenuus. quæ regula approbatur l.ingenui.8.C.de ingenuis manumiſsis.cuius uerba uide s̃.cap.prox.quæſt. 3.cauſa 1.in princ. Concordat item l.2.C.de colluſione detegenda.cuius uerba uide s̃.cauſa 11.excep.1.in prin.*

XIIII. *Cauſa: Si libertus ius aureorum annulorum impetrauit, ut ingenuus habetur. quæ cauſa approbatur l.qui ius.5.ff.de iure aureorum annulorum, his uerbis*: Qui ius annulorum aureorum impetrauit, ut ingenuus habetur: quamuis ab hæreditate eius patronus non excludatur. *Concordat l.libert.6.ff.eod.tt.his uerbis*: Libertinus, ſi ius annulorum impetrauerit: quamuis iura ingenuitatis ſaluo iure patroni nactus ſit, tamen ingenuus intelligitur. Et hoc diuus Hadrianus reſcripſit. *Concordat item l.unica.C. ad l.Viſcelliam. cuius uerba uide j̃.cap.prox. quæſt.6. reg.3. Huius cauſæ exceptio prima hæc eſt, quòd quoad ius patronatus attinet, nihilominus libertinæ ſit conditionis is, qui ius aureorum annulorum impetrauit: quamuis quoad honores, matrimonia & alia huiuſmodi commoda, habeatur pro ingenuo. quæ exceptio ex iam dictis conſtat. Cui concordat l.2. C.eod.tt. his uerbis*: Aureorum uſus annulorum, beneficio principali tributus, libertinitatis, quoad uiuunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis præſtat. Natalibus autem antiquis reſtituti liberti, ingenui noſtro conſtituuntur beneficio. *Concordat item Nouell.c.78. cuius uerba uide paulò inferius except.5. Secunda exceptio eſt: Niſi fœmina ſit libertina, & ius annulorum impetrauerit. quæ exceptio reprobatur l.etiam.4. ff.de iure aureorum annulorum, his uerbis*: Etiam fœminæ ius aureorum annulorum impetrare poſſunt. Sed & iura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui poterunt. *Tertia exceptio eſt: Niſi inuito uel ignorante patrono libertus ius aureorum annulorum impetrauit. Hæc exceptio approbatur l.diuus.3.ff. d.tt.his uerbis*: Diuus Commodus etiam ius annulorum datum ademit illis, qui inuitis aut ignorantibus patronis acceperant.

Quarta exceptio eſt: Niſi ſententia ingenuitatis reſciſſa ſit. tunc enim ius etiam aureorum annulorum amittitur. quæ exceptio approbatur l.1.ff.d.tt.his uerbis: Inter cæteros alimenta liberto relicta non idcirco minus debentur, quia ius aureorum annulorum ab Imperatore libertus acceperit. Diuerſum in eo probatur, qui iudicatus ingenuus, colluſione per alium patronum detecta, conditioni ſuæ redditus, alimenta ſibi, quę Titius patronus reliquerat, pręberi deſiderat. hunc enim etiam beneficium annulorum amittere placuit. *Concordat l.2.ff.d.tt.his uerbis*: Si intra quinque annos pro ingenuitate ſententia dicta reſciſſa fuerat: uictum aureorum annulorum beneficium, quod ante ſententiam dictam pro ingenuitate acceperat & depoſuerat, non retinuiſſe, Papinianus reſpondit. *Quinta exceptio eſt: Niſi ius aureorum annulorum à principe libertus non impetrauerit. Hæc exceptio reprobatur* Nouell.*conſt.78.his uerbis*: Sancimus, ſi quis manumiſſo ſeruo aut ancilla ſua, ciues eos Romanos effecerit, (neque enim aliter licet) certus per hanc legẽ eſto, quòd qui libertatem accepit, continuò tam aureorum annulorum, quàm reſtitutorũ natalium ius conſectaneum habebit, neque neceſſariò id petet à maieſtate Imperatoria. Inſuper neque ulla omnino ſcrupuloſitate indigebit: ſed uigore libertatis, uno eodemq; tempore omnia hæc prouenient, hac noſtra legiſlatione ex præſenti die inchoanda. Neq; enim eorum aliquid quæ antè facta ſunt, curioſius perſequimur. Cõfirmamus igitur quæcunque pręceſſerunt, ut quibus quæque temporibus geſta ſunt, ijs etiam ualeant. Atque hoc quidem ut ita ſe habeat, ſancimus. Statuimus autem & illud inſuper, ne qua in re poſt hanc noſtram legem patronatus iura, quæ nos ſanciuimus, in quibus omnino perſonis ea reſeruauimus, oblædantur, niſi qui libertatem donauit, his quoque libertum abſoluerit, aut per fideicommiſſum hoc relinquens, aut in ipſa libertate hoc adijciens. Nam ſi hoc dederit, omnino ad libertatem deductus, iure etiam patronatus abſoluitor, eo quòd ille hoc ita præceperit. Habento igitur omnia hæc illi qui libertate dignati ſunt. Exhibento præterea, &c. *Reliqua uerba uide s̃.lib.proxim.cap.11.quæſt.1.cauſa 2.except.3. Sed & ſubijciuntur hæc uerba*: Quapropter ſunto & ipſi libertini ingenui, ſiue iam antè libertate donati (ſiquidem expreſsis uerbis hoc eis elargitum fuit) ſiue poſt hanc noſtram legem in liberorum numerum peruenturi ſunt, & ingenui iam facti, ut ingenui uitam colunto, & debitum patronis honorẽ reddunto: ne rurſum ut indeuoti, & de ingratitudine conuicti, & à lege cõdemnati, tam libertate quàm ingenuitate excidant. Erũt enim perpetuò eo pacto liberi & ingenui, ſi patronis eorumq; filijs undique defecatam illimemq́ue & liberalem reuerentiam ac deuotionem exhibuerint: quibus ſanè obſeruatis, nunquam in priſtinam relabentur fortunam. Cæterùm, &c. *Reliqua uerba uide s̃.lib.14.cap.3.exc.25.in fine. Sed & ſubijciuntur hæc uerba*: Hęc nos ſimiliter tam de patronis quàm libertis ſanximus. Niſi enim prædicta patronis reſeruemus, ſegniores fortaſſe homines circa præſtandam libertatem redituri ſumus. Omni autem ſtudio enitimur, ut libertates obtineant & ualeant, & in noſtra floreant uigeantq; republica. Siquidem hac cupiditate adducti, & in Libya, & in Italia, ſimul pro recta erga Deum religione, ſimul pro ſubditorum libertate, tot tantaq; bella ſuſcepimus. Neq; inſolẽs aliquid aut peregrinum ea re facimus, ſed præſtantiſsimos quoſq; ante nos Imperatores imitamur. Quemadmodum enim Antoninus ille, qui ex pietate cognomentum habuit, à quo & ad nos quoq; hæc appellatio deuenit, ius ciuitatis Romanæ, quod antea ſeparatim à ſingulis petebatur ſubditis, & ita ex peregrinis (ut uocabantur) eos ad Romani generis nobilitatem deducebat, in commune omnibus donauit ſubditis: & Theodoſius iunior poſt Conſtantinum magnum, huius ſacræ urbis conditorem, ius liberorum, quod prius petebatur, ſubditis conceſsit in commune: ita & nos hoc illud reſtitutorum natalium & aureorum annulorum ius, quod ſingulis antea petentibus dabatur, & diſpendiorum cauſam præbebat, & longa ſcrupuloſitate ipſaq; patronorum authoritate indigebat, exinde conſimiliter omnibus ſubditis concedimus. Reſtituimus enim deinceps eos qui ingenuitate digni ſunt, non iam ſingulatim, ſed omnes ordine, quicunque à dominis ſuis libertate digni habentur, ut & hanc latè patentem & generalem largitatem ſubditis noſtris apponamus. Obtinebit autem lex in omnibus deinceps & poſt ipſam prouenientibus caſibus. Neq; enim quod legem anteuertit, curioſius perſequimur.

XV. *Cauſa: Si libertus natalibus ſit reſtitutus, ingenuus habetur. quæ cauſa ingenuitatis approbatur l. 2.ff.de natalibus reſtituendis, hiſce uerbis*: Interdum etſi ſerui nati ſint, ex pòſt facto iuris interuentu ingenui fiunt: ut ecce, ſi libertinus à

principe natalibus suis restitutus fuerit. Illis enim utiq; natalibus restituitur, in quibus initiò omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascebatur, cum seruus natus sit. hic enim (quantum ad totum ius pertinet) perinde habetur, atque si ingenuus natus esset: nec patronus eius potest ad successionem uenire. Ideoque Imperatores non facilè solent quenquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono. *Concordat l.quæris.3.ff.eod.tt.his uerbis*: Quæris, an ingenuitatis iure utatur is, quem sanctissimus & nobilissimus Imperator natalibus suis restituit? Sed ea res nec dubitationem habet, nec unquam habuit: quoniam exploratum est, ad omnem ingenuitatis statum restitui eum, qui isto beneficio principis utatur. *Concordat item l.ult.in fine.ff.eod.tt.his uerbis*: Libertinus qui natalibus restitutus est, perinde habetur, atque si ingenuus natus, medio tempore maculam seruitutis non sustinuisset. *Concordat item l.2.in fine.C.eod.tt.cuius uerba uide §. causa proxim.except.1. Huius causæ prima exceptio hæc est: Nisi patronus restitutioni non consenserit. quæ exceptio approbatur uerbis d.l.2.in fine.ff.de natalibus restituendis, iam propositus hisce*: Imperatores non facilè solent quenquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono. *Concordat d.l.ult.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Patrono consentiente debet libertus ab Imperatore natalibus restitui. Ius enim patroni hoc impetrato amittitur. *Ait iurisconsultus*: Ius enim patroni hoc impetrato amittitur. *Hoc mutatum ac sublatum est Nouell.const.78. cuius uerba uide §. causa proxim. except.5. Secunda exceptio est*: *Nisi filius patroni non consenserit. Hæc exceptio approbatur l.nec filio. 4.ff.eod.tt.his uerbis*: Nec filio patroni inuito libertus natalibus suis restitui potest. quid enim interest, ipsi patrono, an filio eius fiat iniuria? *Tertia exceptio est: Nisi fœmina natalibus sit restituta. quæ exceptio reprobatur l.etiam.4.ff. de iure aureorum annulorum. cuius uerba uide §. causa proxim.except.2. Quarta exceptio est*: *Nisi in precibus mentitus est, qui est restitutus. Hæc exceptio approbatur l.1.ff.de natalibus restituendis, his uerbis*: A principe natalibus suis restitutum eum, qui se ingenuum natum principi affirmauit, si ex ancilla natus est, nihil uideri impetrasse, Vlpianus scribit. *Quinta exceptio est: Nisi restitutus ex ancilla natus sit, non ex libera matre. Hæc exceptio reprobatur l.2.ff.eod.tt.cuius uerba uide suprà eod. causa, in princip. Sexta exceptio est: Nisi non à principe, sed à decurionum ordine sit restitutus. quæ exceptio approbatur l.1.C.eod.tt.his uerbis*: Natales antiquos & ius ingenuitatis, non ordo præstare decurionum, sed à nobis peti potuit.

nisi enim hodie ipso iure efficiuntur ingenui, licet nec aureorum annulorum ius à principe impetrauerint, nec natalibus sint restituti: iure tamen patronatus saluo manente. quæ causa cum sua exceptione approbatur Nouel.const.78.cuius uerba uide suprà causa 14.except.5. Hæc de causis ingenuitatis & amissionis iuris patronatus.

II. QVI AMITTANT ius patronatus?

Regulariter ex causis prædictis patronatus iure amisso, tam patronus quàm liberi eius amittunt: uerùm in liberis patroni exceptio prima hæc est: Nisi ob id, quòd patronus publico iudicio damnatus sit, ius patronatus sit amissum. hoc enim casu illud ius liberis patroni manet saluum. quæ exceptio approbatur l.iura.4.ff.de iure patronatus.cuius uerba uide suprà quæstion. proxim.causa 8. Secunda exceptio est: Nisi ob id, quòd patronus eiusue filius libertum capitis accusasset, ius patronatus amiserit. hoc enim non nocet nepoti.quæ exceptio approbatur l.diui.17.ff.eod.tt.his uerbis: Diui fratres in hæc uerba rescripserunt: Comperimus à peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas auiti liberti bonorum possessionem petere possit, si eum libertum pater patris, cum annorum uigintiquinque esset, capitis accusasset? & Proculum sanè non leuem iuris authorem in hac opinione fuisse, ut nepoti in huiusmodi causa non putaret dandam bonorum possessionem. Cuius sententiam nos quoque secuti sumus, cum rescriberemus ad libellum Cepidiæ Longinæ. Sed & Volusius Mætianus amicus noster, ut & iuris ciuilis præter ueterem & bene fundatam peritiam anxiè diligens, religione rescripti nostri ductus est, ut coram nobis affirmauerit, non arbitratum se aliter respondere debere. Sed cum & ipso Mætiano & alijs amicis nostris iurisperitis adhibitis, plenius tractaremus: magis uisum est, nepotem neque uerbis, neque sententia legis, aut edicti prætoris, ex persona uel nota patris sui excludi à bonis auiti liberti. plurimum etiam iuris authorum, sed & Saluij Iuliani amici nostri, clarissimi uiri, hanc sententiam fuisse. Item quæsitum est, si patroni filius capitis accusauerit libertum: an hoc noceat liberis ipsius? & Proculus quidem in hac fuit opinione, notam adspersam patroni filio, liberis eius nocere: Iulianus autem negauit. Sed hic idem quod Iulianus, erit dicendum. *Tertia exceptio uidetur: Nisi ob id, quòd patronus libertum ad iusiurandum adegit, ius patronatus amisit. nam nec hoc quidem liberis patroni nocere debere, exemplo iam propositarum exceptionum uidetur. Verùm exceptio hæc reprobatur l.qui contra.15. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.proxim.causa 1. Hactenus de iure patronatus amittendo.*

§

§ VI. Causa ingenuitatis est manumissio. Manu-

DE ACTIONE, SI LIBERtus se ingenuum dicat: uel contrà, ingenuus dicatur esse libertinus. Cap. III.

I. CAVSAE HVIVS IVDIcij uel actionis.

PRima causa: *Si de eo, utrum quis libertus sit, an ingenuus, quæratur: competit hæc actio. quæ regula approbatur l.1. in prin. C. de ingenuis manumissis. cuius uerba uide §.quæst.6.reg.1. Concordat l.diffamari.5.C.eod.tt. cuius uerba uide d.causa 11.except.2.replicat.1. Concordat item l.quoties.6.ff.si libertus ingenuus esse dicatur, his uerbis*: Quoties de hoc contenditur, an quis libertus sit, siue operæ petantur, siue obsequium desideretur, siue etiam famosa actio intendatur, siue in ius uocetur qui se patronum dicit, siue nulla causa interueniat, redditur præiudicium. *Concordat item l.si quis.5.§.solent.ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Solet iudices cognoscere & inter patronos & libertos, si de alèdis his agatur. Itaque si negent se esse libertos, cognoscere eos oportebit: quòd si libertos esse constiterit, tunc demum decernere ut alant.

II. *Causa: Si de eo quæratur, utrum Seij, an alterius quis sit libertus. Hæc causa approbatur l. quotics.6.§. sed & quoties. ff.si libertus ingenuus esse dicatur, his uerbis*: Sed & quoties quis libertum se quidem confitetur, libertum autem Caij Seij se negat: idem præiudicium datur.

II. VTER SIT ACTOR in hoc iudicio?

Semper is actor est, qui se patronum dicit. quæ regula approbatur d.l.6.§.fin. his uerbis: Redditur autem alterutro desiderante. Sed actoris partibus semper, qui se patronũ dicit, fungitur, probareq; libertum suum esse necesse habet: aut si non probet, uincitur. *Concordat l.quoties.18.in prin.ff.de probationibus, his uerbis*: Quoties operæ quasi à liberto petuntur: probationes ab eo qui se patronum dicit, exiguntur. Et ideo Iulianus scripsit, licet patronus in præiudicio possessor esse uideatur, uerùm partibus actoris non libertum fungi debere, sed eum qui se patronum esse contendat. *Huic quodammodò contradicere uidetur l.circa.14. ff.d.tt.de probationibus, his uerbis*: Circa eum qui se ex libertinitate ingenuũ dicit, referendum est, quis actoris partibus fungatur? Et si quidem in possessione libertinitatis fuit: sine dubio ipsum oportebit ingenuitatis causam agere, docereq; se ingenuum esse. Sin uerò in possessione ingenuitatis sit, & libertinus esse dicatur, scilicet eius qui ei controuersiam mouet: hoc probare debet, qui eum dicit libertum suũ. Quid enim interest, seruum quis suum, an libertum contendat? *Hæc posterior sententia mihi uidetur esse probabilior. Planè propositæ regulæ exceptio est: Nisi aduersarius eius qui actoris partes sustinet, sponte onus probandi suscipiat. quæ exceptio approbatur d.l.14.§.fin.his uerbis*: Si quis autem fiducia ingenuitatis suæ ultrò in se suscipiat probationes, ad hoc ut sententiam ferat pro ingenuitate facientẽ, hoc est, ut se ingenuum esse pronuncietur: an obtemperari ei debeat, tractari potest. & non ab re esse opinor, morem geri probãti se ingenuum, & sententiam secundum se dandam: cum nulla captio iuris intercedat. *Concordat l.cui necessitas.39.in prin.ff.de liberali causa. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.10.quæst.1.reg.1.except.4.*

§

III. PER QVAE PROBANDVM in actione proposita?

I. *Regula: Si pronunciatum sit, eum qui libertus dicitur, alimenta debere patrono: per hoc ingenuitati nõ fit præiudicium. quæ regula approbatur l.si quis.5.§. solent.ff.de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Alimentorum decretum non tollet liberto facultatem, quo minus præiudicio certare possit, si libertum se neget.

II. *Regula: Si is qui status quæstionem mouere coperat, destitit: per hoc ingenuitas non probatur. quæ regula approbatur l.si te.7.C.de ingenuis manumissis. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.10.quæst.11.reg.4. Plures huiusmodi regulas uide §.lib.7.cap.2.quæst.3. de libertate probanda.*

IIII. QVAMDIV COMPETIT actio proposita?

Intra quinquennium ab eo tẽpore, quo quis est manumissus, competit. quæ regula iure quidem antiquo approbatur l.2.§.qui ex libertinitate. ff.si libertus ingenuus esse dicatur, his uerbis: Qui ex libertinitate ingenuitati se adferunt: non ultra quinquennium quàm manumissi fuerint, audientur. *Concordat l.hæc oratio.4.ff.eod.tt.his uerbis*: Hæc oratio, quæ prohibet apud consules aut præsides prouinciarum post quinquennium à die manumissionis in ingenuitatẽ proclamare: nullam causam & personam excipit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi post quinquennium instrumentum ingenuitatis reperiatur. quæ exceptio approbatur d.l.2.§.fin.his uerbis*: Qui post quinquennium instrumenta se ingenuitatis reperisse adseuerant: de ea re ipsos principes adire oportet cognituros. *Secunda exceptio uidetur esse: Nisi intra quinquennii lis sit inchoata. Hæc exceptio reprobatur l.2. §.quinquennii.ff.de collusione detegẽda. cuius uerba uide §. cap.prox. quæst.1. causa 11.exc.1.repl.1.dupl.2.*

Mutatio iuris.

Planè proposita regula atq; quinquẽnalis præscriptio mutatur ac tollitur l.ult.C.ubi causas status agi oporteat, his uerbis: In litibus, in quibus utrum ingenuus, an libertinus sit aliquis, quæritur: quinquennij dimensionem, post quod

diuino adiutorio opus esse ueteres leges præcipiebant, in posterũ cessare sancimus, & huiusmodi lites etiam post memoratũ tempus ad exemplum cæterarum, uel in prouincijs apud earum moderatores, uel in hac alma urbe apud competentes maximos iudices examinari. Quod etiamsi clarissima persona super tali conditione uel etiam seruili quæstionem patiatur, tenere censemus.

V. VBI *& apud quem competat actio proposita, definitur uerbis iam propositis hisce*: Vel in prouincijs apud earum moderatores, uel in hac alma urbe apud competentes maximos, &c.

VI. EVENTVS HVius actionis.

I. *Regula*, *De rebus quas ingenuus pronunciatus ab eo à quo manumissus est, habet, restituendis, proponitur l. hoc sermone. 3. §. uerbo. ff. si libertus ingenuus esse dicatur, his uerbis*: Verbo Reliquerũ etiam hoc intelligendum est, ut quæcunque ex re eius, à quo manumissi erant, adquisita habebant, restituant. Sed id quemadmodũ accipiendum sit, uidẽdum est: utrúmne ea quæ ignorantibus dominis abstulissent, itẽ quod ex re eius adquisitum esset, reddere debeant: an uerò etiam quę concessa & donata à manumissoribus amplexi essent? quod magis est. *Concordat l. 1. C. de ingenuis manumissis, hisce uerbis*: Si ingenuum te & ex testamento manumissum esse dicas: apud suos iudices causam agere debes. Si tamen iustũ cõtradictorem habes, id est, eum qui se patronum tuum esse dicit: memineris senatũ censuisse, ut qui post manumissionem originem repetierint, ea quæ de domo manumissoris habent, ibi relinquant. In qua causa etiã legata ut liberto data esse, iuris prudentibus placuit.

II. *Regula*: *Nati ex ea quæ ingenua pronunciata est, ingenui quoq; sunt, quamuis ante sententiam sint nati. quæ regula approbatur l. si auiam 3. C. d. tt. his uerbis*: Si auiam tuam ut ancillã manumissam, postea ingenuam solenniter constiterit, statumq; eius iustæ sententiæ tuetur authoritas: filios eius, quamuis ante sententiam susceptos, ingenuam libertatem non immeritò flagitare, si cum peritioribus tractatum habuisses, facilè cognosceres.

III. *Regula*, *De pœna liberti ingenuum se dicentis, nec probantis, proponitur l. unica. C. ad l. Viscelliam, his uerbis*: Lex Viscellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea quæ ingenuorum sunt, circa honores & dignitates ausi fuerint attentare, uel decurionatũ arripere: nisi iure aureorum annulorum impetrato, à principe sustineantur. tunc enim, quoad uiuunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinẽt, & sine periculo ingenuorum etiã officia peragunt publica. Qui aũt libertinus se dicit ingenuum: tam de operis ciuiliter poterit, quàm legis Viscelliæ crĩmine perurgeri. In curiam autem se immiscens, damno quidem cum infamia afficitur: muneribus uerò personalibus in patriæ patroni, quæ congruunt huiusmodi hominibus, singulos pro uiribus attributos esse, non dubium est.

IIII. *Regula*, *De collusione detegenda, & ingenuitatis sententia retractanda, proponitur* §. *cap. prox. quæst. 1. causa 11. except. 1.*

QVAE SINT IVRA PATRONatus, & liberti erga patronum officia? Cap. IIII.

HActenus de iure patronatus in genere dictum est, tam de causis eius efficientibus, quàm corrumpentibus, seu ijs quibus ius istud amittitur: necnon de eius iuris actione. Sequũtur nũc eius species.

De reuerentia & obsequio patrono à libertis præstando.

I. *Regula*: *Libertus patrono reuerentiam & obsequium debet. quæ regula approbatur l. liberto. 9. ff. de obsequijs à liberis, hisce uerbis*: Liberto & filio semper honesta & sancta persona patris ac patroni uideri debet. *Concordat l. ult. C. de obsequijs patrono præstandis, hisce uerbis*: Neq; patronæ tuæ obsequijs refragari fas est. *Concordat item l. si manumissori. 4. C. eod. tt. cuius uerba uide* ℥. *reg. 10. Item concordat l. mater. 5. in fine. C. de operis libertorum. cuius uerba uide* ℥. *cap. 6. quæst. 2. except. 2. repl. 4. Item concordat l. ingratus. 10. ff. de iure patronatus, hisce uerbis*: Ingratus libertus est, & qui patrono obsequium non præstat, uel res eius, filiorúmue tutelam administrare detrectat. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi libertus libertatem sibi pactus sit. Hæc exceptio reprobatur l. etiam. 3. C. de obsequijs patrono præstandis, hisce uerbis*: Etiam qui pactione data à dominis manumittuntur, mero iure omne eis obsequium debent. *Secunda exceptio uidetur: Nisi liberto operæ sint remissæ. Sed & hæc exceptio reprobatur l. libertus. 41. ff. de operis libertorum, his uerbis*: Libertus qui operarum obligatione dimissus est, atq; ita liberam testamenti factionem adsecutus est: nihilominus obsequio uerecundiæ tenetur. Alimentorum causa est diuersa, cùm inopia patroni per inuidiam libertum cõuenit. *Sed & quoad obsequium præstandum attinet, exceptionum loco hic possent repeti* ℥. *reg. 13. cum regulis sequentibus.*

II. *Regula*: *Quibus reuerentiam & obsequiũ debeat libertus? De liberis & hæredibus patroni proponitur l. si quis. 5. §. utrum. ibi: nam & obsequiũ. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Obsequium non solùm patronis, uerumetiam liberis eorũ debet præstari. *Concordat l. etiam. 5. C. de obsequijs patrono*

patrono præstandis, hisce uerbis: Etiam liberis dãnatorum consuetum obsequium libertos paternos præstare debere, in dubium non uenit. Proinde si non agnoscunt reuerẽtiæ debitę munus, non immeritò uidentur ipsi aduersus se prouocare seueritatem. *Concordat item l. neq; 7. C. eod. tt. his uerbis*: Neq; libertis nouercæ inferendæ iniuriæ priuignis eius libera facultas esse debet. Paternos etiam libertos (sicut dicis) iniuriosos tibi fuisse, fe rendum non est. Præses igitur prouinciæ uindictam tibi personarum conditioni cõgruentem impertiri non dubitabit. *Concordat item l. liberti. 3. C. de libertis & eorum liberis. cuius uerba uide* ℥. *cap. 5. quæst. 2. reg. 2.*

De patrono alendo?

III. *Regula*: *Alimenta quoq; patrono libertus debet. quæ regula approbatur l. ult. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: In bonis superstitum libertorum nullum omnino ius patroni, liberiue patronorum habent: nisi tam infirmos se esse tamq; pauperes præsidibus probauerint, ut meritò menstruis alimentis à libertis suis adiuuari debeãt. idq; ius ita plurimis principum constitutionibus manifestatur. *Concordat l. si quis. 5. §. solent. ff. eod. tt. cuius uerba uide* §. *cap. prox. quæst. 1. in prin. Item concordat l. 1. in fine. C. de operis libertorum. cuius uerba uide* §. *cap. 2. causa 2. exc. 2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ex causa fideicommissi manumisit is qui se ali desiderat. Hæc exceptio approbatur d. l. 5. §. si quis à. ff. de agnosc. liberis, hisce uerbis*: Si quis à liberti liberto ali se desideret, uel ab eo quẽ ex causa fideicommissi manumisit, quémque suis numis redemit: non debet audiri, ut & Marcellus scribit: qui exęquat eum ei, qui mercedes exigendo ius libertorum amisit. *Secunda exceptio est: Nisi patronus libertũ ipsius numis redemit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Quemq; suis numis redemit. *Tertia exceptio est: Nisi non à liberto, sed à liberti liberto ali desideret. quæ exceptio itidem approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si quis à liberti liberto, &c. *Quarta exceptio est: Nisi patronus pro operis liberti mercedem acceperit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Qui exæquat eum ei, &c. *De qua uide* §. *cap. proxim. quæst. 1. causa 2. Quinta exceptio est: Nisi patronus non egeat. quæ exceptio approbatur d. l. 5. §. alimenta, his uerbis*: Alimenta pro modo facultatum erunt præbenda egentibus, scilicet patronis. Cæterùm si sit unde se exhibeant, cessabunt partes iudicis. *Concordat d. l. 5. §. penult. cuius uerba uide* ℥. *except. prox. Sexta exceptio est: Nisi libertus pauper sit. Hæc exceptio approbatur d. §. penult. his uerbis*: De alimentis patroni arbiter solet dari, arbitraturus quantum sit in facultatibus, ut proinde possit alimenta moderari: quæ tamdiu præstabuntur, quãdiu liberto superstit, patrono desit. *Concordat d. l. 5. §. ult. cuius uerba uide* ℥. *reg. 5. Septima exceptio est: Nisi operarum obligatio liberto sit remissa. Hæc exceptio uidetur approbari l. libertus. 41. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide* §. *reg. 1. except. 2. Octaua exceptio est: Nisi non à liberto, sed à liberta petantur alimenta. Hæc exceptio reprobatur d. l. 5. §. antepenult. his uerbis*: Sed & liberta cogitur patronum alere.

IIII. *Regula*: *Quibus alimenta sint præstanda? Etiam liberis patroni. quæ regula approbatur l. si quis. 5. §. utrum. ff. de agnoscendis liberis, hisce uerbis*: Vtrum tantùm patroni alendi sint, an etiam patronorum liberi, tractari poterit? & puto, causa cognita iudices & liberos quoq; patronorum alẽdos decernere: non quidem tam facilè ut patronos, sed nonnunquam & ipsos. nam & obsequium non solùm patronis, uerumetiam liberis eorum debet præstari. Sed & libertus maternus alere cogitur. *Ait iurisconsultus*: Non quidem tam facilè ut patronos. *In hisce uerbis prima propositæ regulæ exceptio constituenda. Secunda exceptio hæc est: Nisi filius patroni libertum capitis accusauit. quæ exceptio approbatur d. l. 5. §. si quis à, in fine, his uerbis*: Sed & patroni filium, qui capitis accusauit libertum paternum, Marcellus negat exhibendum.

V. *Regula*: *Etiam parentibus patroni libertus debet alimenta. quæ regula approbatur simul & distinguitur d. l. 5. §. fin. his uerbis*: Patrem quoq; & matrem patronĩ, cum patronus & filij eius minimè supersint, alere liberti ipsi (si idonei facultatibus sint) cogũtur.

VI. *Regula*: *Patroni patronum libertus alere non tenetur. quæ regula approbatur d. l. 5. §. si quis à. cuius uerba uide* §. *reg. 3. except. 1.*

VII. *Regula*: *Quanta alimenta libertus patrono debeat? Pro modo facultatum liberti, arbitrio iudicis erunt alimenta constituenda. quæ regula approbatur d. l. 5. §. alimenta. cuius uerba uide* §. *reg. 3. exc. 5. Concordat d. l. 5. §. penult. cuius uerba uide d. reg. 3. except. 6. Hæc de alimentis à liberto præstandis.*

De patrono in ius uocando, & actionibus aduersus eum instituendis.

VIII. *Regula*: *Libertus patronum sine permissu prætoris in ius uocare non potest. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur* §. *lib. 6. cap. 1. quæst. 4. reg. 6.*

IX. *Regula*: *Actiones famosæ liberto aduersus patronum denegantur: item & aliæ quædam, quæ enumerantur* §. *lib. 16. cap. 1. quæst. 5. reg. 4. Concordat l. 1. C. de obsequijs patrono præstandis, hisce uerbis*: Cõtra patronum tuum famosam actionem instituere non potes.

X. *Regula*: *Vt ab atrocitate uerborum aduersus patronum litigans libertus sibi temperet, cauetur l. si manumiss. 4. C. d. tt. his uerbis*: Si manumissori tuo

nim & audaciam obiecisti, ei qui te beneficio suo ex seruitute liberando, ut aduersarium haberet, fecit: præses prouinciæ, quatenus coercere eiusmodi temerariam licentiam debeat, æstimabit. Nam si qua tibi pecunia debebatur, siue de rebus aduersus patronum disceptatio fuerat: non protinus ad litigandum currere debueras. Vt maximè autem hoc facere auderes, sine atrocitate certè uerborum æquitatem petitionis tuæ commendare iudici potuisti, omni honore patrono debito reseruato.

De querelis patroni aduersus libertum, & de pœnis liberti.

XI. *Regula*: *De hisce proponitur l.1.ff.de iure patronatus, his uerbis*: Patronorum querelas aduersus libertos præsides audire, & non translaticiè exequi debent: cum si ingratus libertus sit, non impunè eum ferre oporteat, Sed siquidem inofficiosus patrono, patronæ, liberisue eorum sit: tãtummodò castigari eum sub comminatione aliqua seueritatis nõ defuturæ: si rursum causam querelæ præbuerit, & dimitti oportet. Enimuerò si contumeliam fecit, aut conuicium eis dixit: etiam in exilium temporale dari debebit. Quòd si manus intulit, in metallum dandus erit. Idem erit, etsi calumniam aliquam eis instruxit, uel delatorem suborna uit, uel quam causam aduersus eos tentauit. *Concordat l.1.§.cum patronus.ff.de officio præfecti urbi, cuius uerba uide §.lib.2.cap.11.quæst.2.reg.4.*

XII. *Regula*: *Si res patroni uel tutelam filiorum eius libertus administrare detrectat, punitur l.ingratus.19.ff.de iure patronatus: cuius uerba uide §.reg.1. in prin. Quoad tutelam filiorum patroni administrandam pertinet, distinguitur regula proposita per ea quæ dicta sunt §. lib.17. cap.6. quæstion.1. exception. generali 1.*

XIII. *Regula*: *Si libertus libertatis arte sua contra uoluntatem patroni utatur, non est iusta querelæ causa. quæ regula approbatur l.liberta.11. ff.de obsequijs à liberto, hisce uerbis*: Liberta ingrata non est, quòd arte sua contra patronæ uoluntatem utitur.

XIIII. *Regula*: *Libertus à patrono ne negocietur, uel arte sua utatur, prohiberi non potest. quæ regula approbatur l.2.ff.de iure patronatus, his uerbis*: Libertini homines negociatione licita prohiberi à patronis non debent. *Concordat l.quæro.18. ff. eod. tt. his uerbis*: Quæro, an libertus prohiberi possit à patrono in eadem colonia, in qua ipse negociatur, idem genus negocij exercere? Scæuola respondit, nõ posse prohiberi. *Concordat item l.libertus.45.ff.de operis libertorum, his uerbis*: Libertus negociatoris uestiarij, an eandem negociationem in eadem ciuitate & eodem loco, inuito patrono exercere possit? Scæuola respondit, nihil proponi cur non possit, si nullam læsionem ex hoc sentiret patronus. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi occasione operarum, quæ libertus patrono debet, prohibeatur arte sua uti, & operas debitas iubeatur præstare. Hæc exceptio approbatur l.medicus.26.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide §.cap.6.quæst.5.reg.1.*

XV. *Regula*: *Libertus ubi uult, commorari potest. quæ regula approbatur l.qui manum.12.C.de operis libertorum, his uerbis*: Qui manumittuntur, libertum ubi uoluerint, commorandi arbitrium habent: nec à patronorum filijs, quibus solam reuerentiam debent, ad seruiendi necessitatem redigi possunt, nisi ingrati perhibentur: cum neque cum patrono habitare libertos iura compellant.

De eo quod onerandæ libertatis causa patronus à liberto est stipulatus.

XVI. *Regula*: *Hæc stipulatio inutilis est, & patronus qui illud exegit, contra tabulas bonorum possessionem liberti petere non potest. quæ regula approbatur l.qui oner.12.ff.de operis libertorum, his uerbis*: Quæ onerandæ libertatis causa pecuniam patrono repromiserit, non tenetur: uel patronus, si pecuniam exegerit, bonorum possessionem contra tabulas eius petere nõ potest. *Concordat l.1.§.quæ onerandæ.ff.quarum rerum actio non datur, his uerbis*: Quæ onerandæ libertatis causa stipulatus sum à liberto, exigere non possum. *Declaratur regula proposita d.§.quæ onerandæ, his uerbis*: Onerandæ autem libertatis causa facta, bellissimè ita definiuntur, quæ ita imponuntur, ut si libertus patronum offenderit, petantur ab eo, semperq; sit libertus metu exactionis ei subiectus: propter quem metum quoduis sustineat patrono præcipiente. *Concordat l.2.in fine.ff.eod.tt.cuius uerba inde paulò §.except.4. item concordat l.si quæ.4.in fine. C.de operis libertorum. cuius uerba uide §.cap.6.quæst.5.reg.9. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non in ipsa manumissione, sed ex interuallo stipulatio sit facta. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.in summa. ff.quarum rerum actio non datur, his uerbis*: In summa, si in continenti impositum quid sit liberto, quod ἀνακεφαλαιῶδες (id est, imminens) oneret eius libertatem: dicendũ est, exceptioni locum fore. Sed si post interuallum, habet quidem dubitationẽ (quia nemo cogebat eum hoc promittere:) sed idẽ erit probandum & hic, tamen causa cognita: si liquidò appareat libertum metu solo, uel nimia patroni reuerentia ita se subiecisse. *Secunda exceptio est: Nisi eius nomine à liberto patronus stipulatus sit, quod in seruitute gessit. quæ exceptio approbatur d.l.1. §.si manumisero, his uerbis*: Si manumisero eum seruum, qui negocia mea gesserat in seruitute, deinde stipulatus

tus ab eo fuero qui negocia mea gesserit, Quidquid ob eam rem, si tunc liber fuisset, eum mihi dare oporteret, id dari? deinde ex stipulatu agam: non submoueri me exceptione. Neque enim oneratum se hoc nomine potest queri libertus, si lucrum abreptum ex re patroni non faciat. *Tertia exceptio est*: *Nisi pœnam liberto patronus stipulatus sit, si operas non præstiterit. Hæc exceptio reprobatur l.si ita.29.ff.de operis libertorum, his uerbis*: Si ita stipulatio à patrono facta sit, Si decem dierũ operas non dederis, uiginti numos dare spondes? uidendum est, an nec uiginti actio danda sit, quasi onerandæ libertatis gratia promissi sint: nec operarũ, quæ promissæ non sint: an uerò operæ duntaxat promissæ fingi debeant, ne patronus omnimodò excludatur? & hoc quoq; prætor sentit, operas duntaxat promissas. Sequês illa quæstio est, an libertus impetrare debeat, ne maioris summæ quàm uiginti condemnetur: quia uidetur quodammodò patronus tanti operas æstimasse, ideoq; ipse non debeat egredi taxationem uiginti? Sed iniquum est, nec oportet liberto hoc indulgere: quia non debet ex parte obligationem comprobare, ex parte tanquam denique quæri. *Quarta exceptio est*: *Nisi seruus domino, ut manumittatur, pecuniam promiserit. Hæc exceptio approbatur l.2.§.si seruus. ff.quarum rerum actio non datur, his uerbis*: Si seruus promittat domino pecuniam ut manumittatur, cum aliàs non esset manumissurus dominus, eamque liber factus spondeat: dicitur non obstare exceptionem patrono, si eam petat. non enim onerandæ libertatis causa hæc pecunia promissa est: aliuquin iniquũ esset, dominum & seruo carere, & precio eius. Toties ergo onerandæ libertatis causa pecunia uidetur promissa, quoties suã sponte dominus manumisit, & propterea uelit libertum pecuniam promittere, non ut exigat eam, sed ut libertus eum timeat, & obtemperet ei. *Concordat l.utrum.107.ff.de uerb. obligat. his uerbis*: Verum turpem, &c. *Quinta exceptio est*: *Nisi non pecunia promissa sit, sed societas libertatis onerandæ causa inita. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.si libertatis. ff.quarum rerum actio non datur, his uerbis*: Si libertatis causa societatem libertus cum patrono coierit, & patronus cum liberto pro socio agat: an hæc exceptio sit necessaria? & puto ipso iure tutum esse libertum aduersus exactionẽ patroni. *Concordat l.Labeo.36.ff.de operis libertorum, his uerbis*: Labeo ait, libertatis causa societatem inter libertum & patronum factam, ipso iure nihil ualere, palàm esse. *Sexta exceptio est*: *Nisi operas stipulatus sit patronus onerandæ libertatis causa. Hæc exceptio approbatur l.1.§.& quidem.ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide §.cap.7.in prin.*

XVII. *Regula*: *Quibus exceptio proposita competit? De fideiussore liberti, & alio qui pro liberto promisit, proponitur l.1.§.exceptionem.ff.quarum rerum actio non datur, his uerbis*: Exceptionem onerandæ libertatis causa, sicut & cæteras, fideiussori non esse denegandam, sciendum est: ne ei quidem, qui rogatu liberti reus factus est. sed nec ipsi liberto, siue procurator ad defendendum à reo datus fuerit, siue ei hæres extiterit. Cum enim propositum sit prætoris, in huiusmodi obligationibus reo succurrere: non seruaturus est propositum suum, nisi fideiussorem quoque, & eum qui rogatu liberti reus factus fuerit, aduersus patronum defenderit. Etenim parui refert, protinus libertus patrono cogatur dare, an per interpositam fideiussoris uel rei personam. *De debitore liberti patrono delegato libertatis onerandæ causa. Huic exceptio proposita non datur. quæ regula approbatur d.l.1.§.penult. his uerbis*: Si libertus debitorem suum patrono delegauerit: nulla exceptione submouendus patronus est, sed libertus à patrono per condictionem hoc repetet. *De hæredibus liberti proponitur d.l.1.§.fin. his uerbis*: Hęc exceptio non tantùm ipsi liberto, uerùm successoribus quoque liberti danda est: & uersa uice, hæredem patroni submouendum, si hæc persequatur, sciendum est.

XVIII. *Regula*: *Aduersus quos detur exceptio proposita. De hæredibus patroni dictum uerbis iam propositis hisce*: Et uersa uice, hæredem patroni submouendum, si hæc persequatur, sciendum est. *De eo cui uoluntate patroni promissum est. Aduersus hunc quoque competit exceptio proposita. quæ regula approbatur d.l.1.§. siue autem, his uerbis*: Siue autem ipsi patrono sit promissum, siue alij uoluntate patroni: onerandæ libertatis causa uidetur factum. Et ideo hæc exceptio locum habebit. *Huius regulæ exceptio hæc est*: *Nisi libertus à patrono delegatus, creditori eius promiserit. aduersus hunc enim agentem proposita exceptione non utetur. quæ exceptio approbatur d.§.siue autem. ibi: quòd si patronus. cuius uerba cum alijs similibus uide §.lib.48. cap.14.quæst.3.reg.7.except.6.*

XIX. *Regula*, *De liberto à patrono non uinciendo, proponitur l.libertos.6.C.de obsequijs patrono præst. his uerbis*: Libertos siue libertas, & maximè quibus impositæ operæ non sunt, consuetum potius obsequium, quàm seruile ministerium manumissoribus exhibere debere, neq; uincula perpeti, non est opinionis incertæ.

DE IVRE ACCVSANDI libertum ut ingratum. Cap. V.

I. CAVSA HVIVS ACcusationis.

SI libertus aduersus patronum sit ingratus, proposita accusatione conueniri potest, quæ causa cum suis speciebus proposita est ſ. *cap. prox. reg. 1. cum sequentib. itē* ſ. *lib. prox. cap. 11. quæſt. 1. causa 2. Huius autem causæ exceptio prima hæc est: Nisi patronus ius patronatus liberto remiserit. Hæc exceptio reprobatur l. si quis. 3. §. reuerentia tamen. C. de bonis libertorū. cuius uerba uide* ſ. *cap. 2. quæſt. 1. causa 4. Secunda exceptio est: Nisi patronus ex causa fideicommissi manumisit. quæ exceptio approbatur l. 1. C. de libertis & eorum liberis, hisce uerbis:* Non est ignotum, quòd ea quæ ex causa fideicommissi manumisit, ut ingratum libertum accusare nō potest: cum id iudicium extra ordinem præbeatur ei, qui uoluntate seruo suo libertatem gratuitam præstitit, nō qui debitam restituit. *Tertia exceptio est: Nisi seruus suis uel alterius numis redemptus manumissus sit. Hæc exceptio approbatur l. si tuis. 8. C. de operis libertorum, his uerbis:* Si tuis numis emptus es ab eo à quo manumissus es: nec operas ei debes, nec puniri ab eo utpote ingratus potes. patronum tamen tuum esse, negari non potest. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi dominus serui, non alius, accepto precio seruum manumisit. quæ replicatio approbatur l. Titius. 3. ff. de obsequijs à liberis præst. his uerbis:* Titius puerum emit, quē post multos annos uenire iussit: postea exoratus, accepto eius precio eum manumisit. quæro, an eum filius & hæres manumissoris ut ingratum accusare possit? Marcellus respondit posse, si nihil aliud esset impedimento. nam plurimum interesse, à suo seruo quis, uel etiam ab amico eius acceptis numis dederit libertatem, an ab eo seruo, qui cum esset alienus, in fidem eius deuenit. Etenim ille, etiamsi non gratuitum, beneficium tamen præstitit: iste nihil amplius quàm operam suam accommodare uideri potest. *Concordat l. 1. C. de bonis libertorum. cuius uerba uide* ĩ. *cap. 8. quæſt. 1. except. 6. Quarta exceptio est: Nisi hac lege patronus seruum emerat, ut manumitteret. quæ exceptio approbatur l. si quis. 30. in prin. ff. qui & à quib. manumissi. cuius uerba uide* ſ. *cap. 1. quæſt. 4. reg. 8. except. 1. repl. 22. dupl. 1. Concordat l. 2. C. de operis libertorum. cuius uerba uide* ĩ. *cap. prox. quæſt. 2. except. 3. Quinta exceptio est: Nisi patronus ius patronatus amiserit. quæ exceptio approbatur d. l. 30. §. tamdiu. ff. qui & à quibus, his uerbis:* Tamdiu quis accusare poterit, quamdiu perseuerat patronus. *Pluresbuiusmodi exceptiones uide* ſ. *d. quæſt. 4. item* ſ. *lib. prox. quæſt. 1, causa 2.*

II. QVIBVS ACCVSATIO proposita competit?

I. *Regula, De filijs patroni. His quoque accusatio proposita competit. quæ regula approbatur l. qui. 12. ibi: nisi ingrati. C. de operis libertorum. cuius uerba uide* ſ. *quæſt. prox. reg. 15. Huius exceptio hæc est: Nisi libertus uni sit adsignatus. tunc enim soli illi, non etiam cæteris datur accusatio. quæ exceptio approbatur l. si quis. 30. §. fin. ff. qui & à quib. cuius uerba uide* ſ. *cap. 1. quæſt. 4. reg. 12. in prin.*

II. *Regula, De hæredibus patroni, proponitur l. liberti. 3. C. de libertis & eorum liberis, hisce uerbis:* Liberti non modò aduersus patronos non audiantur, uerumetiam eandem quam patronis ipsis debent reuerentiam, præstent hæredibus patronorum: quibus ingrati actio, sicut ipsis manumissoribus, deferetur, si illi dataē sibi libertatis immemores, nequiciam receperint seruilis ingenij.

III. *Regula, De uno ex pluribus patronis, proponitur d. l. 30. §. quoties. ff. qui & à quib. his uerbis:* Quoties patroni libertum uolunt accusare, utrū omnium consensus necessarius sit, an uerò & unus possit, uideamus. Et est uerius, si saltem in unum hoc commiserit, ut ingratum eum accusari: sed omnium consensum necessarium, si sint eiusdem gradus. *De reliquis huiusmodi regulis uide* ſ. *cap. 1. quæſt. 4.*

III. ADVERSVS QVOS DATVR accusatio proposita?

De filijs libertorum proponitur l. libertinæ. 4. C. de libert. & eorum lib. cuius uerba uide ſ. *lib. prox. cap. 11. quæſt. 1. causa 2. except. 2.*

IIII. PER QVOS DETVR?

Etiam per procuratorem datur. quæ regula approbatur l. per procur. 4. ff. de obsequijs à liberis, hisce uerbis: Per procuratorem ingratum libertum posse argui, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Concordat l. sed & si. 35. §. 1. ff. de procuratorib. his uerbis:* Et patronus libertū per procuratorem, ut ingratum accusare potest: & libertus per procuratorem respondere.

V. APVD QVEM competit?

Apud præsidem prouinciæ competit. quæ regula approbatur l. diuus. 7. §. mandatis. ff. de iure patronatus, hisce uerbis: Mandatis Imperatorum cauetur, ut etiam in prouincijs præsides, de querelis patronorum ius dicentes, secundum delictum admissum libertis pœnas irrogēt. *Concordat l. 1. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ſ. *cap. prox. reg. 11. Item in urbe competit apud præfectum urbi. quæ regula approbatur l. 1. §. sed & patronos. ff. de officio præfecti urbi. cuius uerba uide* ſ. *lib. 1. cap. 11. quæſt. 2. reg. 4.*

VI. QVID VENIAT, SEV quæ sit pœna ingrati libertis?

1. *Regula: Extraordinaria pœna pro modo delicti coercetur. quæ regula approbatur l. diuus. 7. §. mandatis. ff. de iure patronatus. cuius uerba uide* ſ. *quæſt. prox. Concordat l. 1. §. cum patronatus. ff. de officio præfecti urbi. cuius uerba uide* ſ. *lib. 2. cap. 11. quæſtion. 2. reg. 4.*

II. *Regula, De parte bonorum libertum mulctando, & fustibus eum cædendo, proponitur d. l. 7. § fin. his uerbis:* Interdum illæ pœnæ à liberto ingrato exiguntur: uel pars bonorum eius aufertur, & patrono datur: uel fustibus cæditur, & ita absoluitur.

III. *Regula: Sed & ob ingratitudinem in seruitutem libertus repetitur. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt* ſ. *lib. prox. cap. 11. quæſt. 1. causa 2.*

DE ACTIONE OPERArum. Cap. VI.

DEbet etiam libertus patrono operas, ad easq; præstandas patrono competit actio: de qua in hoc Capite dicetur.

I. RATIO *huius actionis proponitur l. 2. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Hoc edictum Prętor proponit coarctandæ persecutionis libertatis causa impositorum. Animaduertit enim, libertatis causa impositorum præstationē ultra modum excreuisse, ut premeret atq; oneraret libertinas personas. Initiò igitur prætor pollicetur, se iudicium operarum daturum in libertos & libertas.

II. CAVSA EX QVA Actio proposita competit.

Si operæ promissæ sunt, uel libertus iurauit se eas præstiturum. quæ causa approbatur l. si quando. 8. §. quod contingit. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide ĩ. *quæſt. 5. reg. 3. Cōcordat l. 1. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide* ſ. *cap. 2. causa 2. exc. 2. Declaratur hæc causa descriptione operarum: quarum definitio proponitur l. 1. ff. d. tt. his uerbis:* Operæ sunt diurnum officium. *Proprium operarum proponitur l. operæ. 9. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide paulò inferius. Cui concordat l. 1. ff. de operis seruorum, his uerbis:* Opera in actu consistit, nec antè in rerum natura est, quàm is dies uenit, quo præstanda est: quemadmodum cum stipulamur, quod ex Arescusa natum erit. *Diuisio operarum in officiales & fabriles, necnon differentia utriusq; speciei proponitur d. l. 9. his uerbis:* Operæ in rerū natura non sunt. Sed officiales quidem futuræ, nec cuiquam alij deberi possunt, quàm patrono: cum proprietas earū & in edentis persona, & in eius cui eduntur, consistat. Fabriles autem aliæue eius generis sunt, ut à quocunque cuicunque solui possint. Sanè enim, si in artificio sint, iubente patrono & alij edi possunt. *Concordat l. hæ operæ. 23. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ĩ. *exc. 30. repl. 2. dupl. 1. distinct. 2. Alia harum specierū differentia proponitur l. quotics. 24. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ĩ. *quæſt. 5. reg. 1. Hæc de descriptione operarū pro declaratione causæ propositæ sint dicta. Planè causa proposita plures recepit exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi operæ non sint promissæ nec impositæ. quæ exceptio approbatur l. operis. 31. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Operis non impositis manumissus, etiamsi ex sua uoluntate aliquo tempore præstiterit, compelli ad præstandas, quas non promisit, non potest. *Concordat l. cum patronus. 22. §. cum liberas, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ĩ. *quæſt. prox. in prin. Concordat item l. 1. ibi: uidelicet si hoc pepigisset. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide* ĩ. *cap. prox. in prin. Secunda exceptio est: Nisi is qui ex causa fideicommissi manumisit, operas sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur l. ut iurisiur. 7. §. rescriptum. ff. d. tt. his uerbis:* Rescriptum est à diuo Hadriano, & deinceps cessare operarum persecutionem aduersus eum, qui ex causa fideicommissi ad libertatem perductus est. *Concordat l. qui ex. 29 ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Qui ex causa fideicommissi manumittitur, est quidē libertus manumissoris, & tam contra tabulas, quàm ab intestato ad bona eius uenire potest quasi patronus: sed operas ei imponere non potest, nec impositas ab eo petere. Sed si defunctus filio suo legauit seruum, & rogauit ut eum manumittat ea mente, ut plenū ius patroni habeat: defendendum est, posse eum operas iure imponere. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filius defuncti ex causa fideicommissi manumisit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed si defunctus filio suo legauit seruum, &c. *Concordat l. si filius. 31. in prin. ff. de fideic. libertatibus, his uerbis:* Si filius defuncti rogatus fuerit seruum sui patris manumittere: dicendum est, posse eum & contra tabulas habere, & operas imponere. hoc enim potuisset, etsi directam libertatem accepisset, quasi patroni filius. *Secunda replicatio est: Nisi ita libertas seruo per fideicommissum relicta sit, ut manumissori operas promittat. Hæc replicatio reprobatur l. cerdonem. 42. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Cerdonem seruum meum manumitti uolo, ita ut operas hæredi promittat. non cogitur manumissus promittere. Sed etsi promiserit, in eum actio non dabitur. nam iuri publico derogare non potuit, qui fideicommissariam libertatem dedit. *Tertia replicatio est: Nisi libertus sciens sibi exceptionem propositam competere, nihilominus sponte promiserit operas. Hæc replicatio approbatur l. Campanus. 47. ff. d. tt. his uerbis:* Campanus scribit, non debere prætorem pati damnum, munus, operas imponi ei, qui ex causa fideicommissi manumittatur. Sed si, cū sciret posse se id recusare, obligari se passus sit: non inhibendā operarum petitionem, quia donasse uideatur.

Quarta replicatio est: Nisi eius temporis operas stipulatus sit, quo seruum antè manumisit, quàm dies fideicommissariæ libertatis existeret. quæ replicatio approbatur l. mater. 5. C. de operis libertorũ, his uerbis: Mater tua ab eo quem ex causa fideicommissi manumisit, operas impositas petere nõ potest: nisi eius tantùm temporis, quo eum antè manumisit, quàm dies fideicommissariæ libertatis existeret. Sed nisi ei honorem patronis debitum exhibuerit, adi competentem iudicem pro modo admissi uindicaturum. *Hæc de secunda exceptione. Tertia propositæ causæ exceptio est: Nisi seruus ita traditus fuit manumissori, ut ab eo manumittatur. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de operis libertorum, his uerbis:* Manumissionis causa traditus, neque in seruitutem reduci à manumissore potest, nec impositas operas præstare cogitur. *Concordat l. si quis. 13. in prin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Si quis hac lege emptus sit ut manumittatur, & ex constitutione diui Marci peruenerit ad libertatem: operæ ei impositæ nullũ effectum habebunt. *Quarta exceptio est: Nisi is cui libertatum conseruandarum causa bona addicta sunt, ijs quibus testamento libertas relicta est, operas imposuerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 13. §. 1. his uerbis:* Sed nec is cui bona addicta sunt ex constitutione diui Marci libertatum conseruandarum causa, poterit operas petere, neque ab his qui directas, neque ab his qui fideicommissarias libertates acceperunt: quamuis fideicommissarias qui acceperũt, ipsius liberti efficiantur. Nõ enim sic fiũt liberti, ut sunt proprij, quos nulla necessitate cogẽte manumisimus. *Quinta exceptio est: Nisi pactione data, seruus à domino sit manumissus. Hæc exceptio reprobatur l. etiam. 1. C. de obsequijs patrono præst. cuius uerba uide §. cap. 4. reg. 1. except. 1. Sexta exceptio est: Nisi libertus suis numis à manumissore emptus sit. Hæc exceptio approbatur l. si tuis. 8. C. de operis libertorum. cuius uerba uide §. cap. proxim. quæst. 1. exc. 1. Septima exceptio est:* Nisi dominus ab extraneo accepta pecunia seruum manumisit. *Hæc exceptio approbatur l. qui numis. 3. C. d. tt. his uerbis:* Qui numis acceptis ab extraneo, seruum suum manumisit, & pro operis pecuniam ab eo accepit: siue fuerant operæ impositæ, siue non, ut indebitam solutam reddere cogitur. *Octaua exceptio est: Nisi non libertus, sed seruus operas promisit uel iurauit. Hæc exceptio approbatur l. ut iur. 7. in prin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Vt iurisiurandi obligatio cõtrahatur, libertum esse oportet qui iuret, & libertatis causa iurare. *Concordat d. l. 7. §. iurare. cuius uerba uide §. exception. 18. Concordat l. licet. 44. in prin. ff. de liberali causa, his uerbis:* Licet dubitatũ antea fuit, utrum seruus duntaxat, an libertus iurãdo patrono obligaretur in his quæ libertatis causa imponuntur: tamen uerius est, non aliter quàm liberum obligari. Ideo autem solet iusiurandum à seruis exigi, ut hi religione adstricti, posteaquam suæ potestatis esse cœpissent, iurãdi necessitatem haberent, dummodò in continenti cum manumissus est, aut iuret, aut promittat. 1ª exceptio

Nona exceptio est: Nisi impubes operas promiserit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 44. §. fin. his uerbis: In eum qui impubes iurauerit (qui & iurare potuerit) danda est utilis actio operarum nomine, cum pubes tamen factus erit. Potest tamen & impubes operas dare: ueluti si nomenclator sit, uel histrio. *Concordat l. ut iurisiurandi. 7. §. dabitur. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Dabitur & in impuberem, cum adoleuerit, operarum actio: sed interdum, & quãdiu impubes est. Nam huius quoq; est ministerium, si fortè uel librarius, uel nomenclator, uel calculator sit, uel histrio, uel alterius uoluptatis artifex. *Decima exceptio est: Nisi pro parte tantùm operæ sint promissæ. Hæc exceptio approbatur l. libertus. 15. §. 1. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Neque promitti, neque solui, nec deberi, nec peti pro parte poterit opera. *Vndecima exceptio est: Nisi non operas, sed pretium uel mercedem operarum patronus sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt suprà cap. 2. causa 2. Planè huius exceptionis etiam replicatio hæc est: Nisi pœnam stipulatus sit, si operæ non fuerint præstitæ. hoc enim casu non est inutilis stipulatio, sed tamen non pœna, sed operæ ex ea sunt petendæ. quæ replicatio approbatur l. si ita. 39. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide suprà cap. 4. regul. 16. exception. 3. Duodecima exceptio est: Nisi seruus patroni sibi, non domino operas dari sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur l. seruus. 10. in prin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Seruus patroni à liberto malè ita stipulatur, Operas mihi dare spondes? Itaque patrono dari stipulandum est. *Decimatertia exceptio est: Nisi patronus alij operas sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur l. operæ. 9. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide suprà cad. quæstion. in princip. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi patronus sibi & uxori suæ operas sit stipulatus. quæ replicatio approbatur l. licet. 44. §. licet. ff. de liberali causa, his uerbis:* Licet circa donum, munus, operas, etiam uxorum personas inferere. *Plura de exceptione proposita uide infrà except. 30. replicat. 2. Decimaquarta exceptio est: Nisi ita sit stipulatus, Operas tuas pictorias centum hodie dare spondes? Hæc exceptio approbatur l. quoties. 24. ibi: & ideo. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide §. quæst. 6. reg. 1. Decimaquinta exceptio, sumpta ex causa, ob quam libertus operas promisit uel iurauit, reprobatur l. ut iurisiurandi. 7. §. 1. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Quæritur, si quis liberto suo legauerit, Si filio suo iurauerit se decem operarum nomine præstaturum, an obligetur iureiurando? & Iu-

& Iubentius Celsus obligari eum ait, paruique referre, quam ob causam de operis libertus iurauerit. Et ego Celso adquiesco. *Decimasexta exceptio est: Nisi non libertatis causa operæ promittantur. Hæc exceptio approbatur d. l. 7. in princip. cuius uerba uide suprà except. 8. Decimaseptima exceptio est: Nisi ante manumissionem promiserit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt suprà d. except. 8. Decimaoctaua exceptio est: Nisi non in ipsa manumissione, sed ex intervallo iuretur uel promittatur. Hæc exceptio approbatur l. licet. 44. in prin. ibi: dummodò. ff. de liberali causa. cuius uerba uide suprà d. except. 8. Contradicit d. l. 7. §. iurare, his uerbis:* Iurare autem debet post manumissionem, ut obligetur: & siue statim, siue post tempus iurauerit, obligatur. *Decimanona exceptio est: Nisi libertæ quæ operas debet, uoluntate patroni nupserit. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de obsequijs patrono præstandis, hisce uerbis:* Libertæ quæ uoluntate patroni autiure nuptæ sunt, non coguntur officium patronis suis præstare. *Concordat l. sicut. 43. in prin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Sicut patronus, ita etiam patroni filius, & nepos, & pronepos, qui libertæ nuptijs consensit, operarum exactionem amittit. nam hæc cuius matrimonio consensit, in officio mariti esse debet. *Concordat item l. quod ex. 11. C. de operis libertorum. cuius uerba uide suprà cap. 2. quæstion. 1. causa 6. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nuptiæ, in quas consensum est, sint inimicæ. quæ replicatio approbatur d. l. 48. §. si autem, his uerbis:* Si autem nuptiæ quibus patronus consensit, nullas habeant uires: operas exigere patronus non prohibetur. *Secunda replicatio est: Nisi nuptiæ sint inimicæ. quæ replicatio approbatur l. planè. 14 ff. de operis libertorum, his uerbis:* Planè cùm nupta esse desierit: operas peti posse, omnes consentiunt. *Tertia replicatio est: Nisi non patronus, sed patrona, uel patroni filia, uel neptis nuptijs consenserit, operasq; petat. Hæc replicatio approbatur d. l. 48. in fine, his uerbis:* Patronæ, item filiæ, & nepti & pronepti patroni, quæ libertæ nuptijs consensit, operarum exactio non denegatur: quia his necab ea quæ nupta est, indecorè præstantur. *Quarta replicatio est: Nisi liberti libertæue nuptijs patronus non consenserit. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 11. §. etiam. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Etiamsi uxorem habeat libertus, non prohibetur patronus operas exigere. *Quinta replicatio est: Nisi patronus impubes nuptijs libertæ consenserit. Hæc replicatio approbatur d. l. 13. §. fin. his uerbis:* Si impubes sit patronus, uoluntate eius non uidetur liberta nupta, nisi tutoris authoritas accesserit. *Sexta replicatio est: Nisi patronus nuptijs libertæ non consenserit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi postea nuptias ratas habuerit. quæ duplicatio approbatur d. §. fin. his uerbis:* Rati quoque habitio patrono obest in nuptijs libertæ. *Secunda duplicatio est: Nisi patronus iureiurando adegerit libertam ne nubat. quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt suprà cap. 2. quæst. 1. causa 1. Septima replicatio est: Nisi unus patronorum tantùm consenserit, alter non. per hoc enim alteri qui non consensit, exactio operarum non denegatur. quæ replicatio approbatur l. si duorum. 28. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Si duorum pluriúmue communis liberta unius patroni uoluntate nupserit, alteri patrono ius operarum manet. *Octaua replicatio est: Nisi operæ præteritæ petantur. Hæc replicatio approbatur l. si libertus. 10. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* In libertam quæ uoluntate patroni nupsit, præteritarum ante nuptias operarum actio datur. *Nona replicatio est: Nisi ipsi patrono liberta nupserit. Hæc replicatio reprobatur l. libertæ. 9. C. de operis libertorum. cuius uerba uide infrà except. proxim. Vicesima exceptio est: Nisi liberta quæ operas promisit, patrono nupserit, uel eius concubina sit facta. Hæc exceptio approbatur d. l. 9. his uerbis:* Libertæ tuæ, ducendo eam uxorem, dignitatem auxisti: & ideo non est cogenda operas tibi præstare, cum possis legis beneficio contentus esse, quòd inuito te iustè non possit alij nubere. *Concordat l. liberta. 46. ff. eod. tt. his uerbis:* Liberta si in concubinatu patroni esset: perinde ac si nupta eidem esset, operarum petitionem in eam dari non oportere, constat. *Vicesimaprima exceptio est: Nisi libertus duos uel plures liberos in potestate habeat. Hæc exceptio approbatur l. qui libert. 37. in prin. ff. de operis libertorum, his uerbis:* Qui libertinus duos plúsue à se genitos natásue in sua potestate habebit, præter eum qui artẽ ludicram fecerit, quinc operas suas, ut cum bestijs pugnaret, locauerit: ne quis eorum operas, doni, muneris, aliúdue quidquam libertatis causa patrono, patronæ, liberisue eorum, de quibus iurauerit, uel promiserit, obligatúsue erit, dare, facere, præstare debet: etsi non eodem tempore duos in potestate habuerit, sed uel unum quinquennem: liberabitur operarum obligatione. Cõcordat *l. nec patronis. 7. in fine. C. eod. tt. his uerbis:* Qui duos filios in potestate uel diuersis temporibus habuit: lege Iulia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberatur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi unum tantùm, non duos uel plures filios in potestate habeat. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi alterum filium amiserit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Etsi nõ eodem tempore duos in potestate habuerit, &c. *Concordat d. l. 7. uerbis iam propositis hisce:* Vel diuersis temporibus, &c.

Concor-

Concordat item d.l.37.§.amißi,his uerbis: Amissi an tea liberi ad eas operas quæ postea imponuntur,prosunt,ut Iulianus ait. Sed etsi uno amisso obliget se,deinde alter nascatur: multò magis Pomponius ait amissum huic iungi,ut liberetur. *Secunda duplicatio est:Nisi unum quinquennem habeat in potestate. Hæc duplicatio approbatur uerbis d.l.37.in prin.* §. *propositis hisce:* Vel unum quinquennem,&c. *Secunda replicatio est: Nisi non eodem,sed diuerso tempore duos habuerit in potestate. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ iam d.dupl.1. sunt proposita. Tertia replicatio est:Nisi post mortem liberti alter filius sit natus.Hæc replicatio approbatur d.l.37.§.posthumus,hisce uerbis:* Posthumus liberti hæredes patris sui non liberat: quoniam proficisci liberatio à liberto debet,nec quisquam post mortem liberari intelligi potest. *Quarta replicatio est: Nisi liberi non sint legitimi. Hæc replicatio approbatur d.l.37.§.penult.his uerbis:* Ex lege autem nati liberi prosunt. *Quinta replicatio est: Nisi alius quàm libertus operarum actione conuentus, proposita exceptione utatur. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.37.§.ultim.his uerbis:* Etiamsi in persona liberti collata liberatio est, fideiussores quoq; liberabuntur ex sententia legis. Quòd si libertus expromissorem dederit, nihil hoc caput ei proderit.

Huius replicationis duplicatio hæc est : Nisi *fideiussor liberti proposita exceptione utatur. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Fideiussores quoq; liberabuntur, &c. *Sexta replicatio est :* Nisi *non ipsi patrono, sed ei qui in patroni est potestate,libertus operas promiserit.quæ replicatio reprobatur d.l.37.§.nihil autem, his uerbis :* Nihil interest, utrum ipsi patrono promittant, an eis qui in potestate eius sunt. *Septima replicatio est :* Nisi *libertus creditori patroni delegatus, & ab eo conuentus,proposita exceptione utatur.Hæc replicatio approbatur d.§.nihil,his uerbis:* Sed si creditori suo libertum patronus delegauerit, non potest idem dici. Solutionis enim uicem continet hæc delegatio. Potest tamen dici, si in id quod patrono promisit, alij postea delegatus sit,posse eum liberari ex hac lege. nam uerum est, patrono eum expromississe, quamuis patrono nunc non debeat. Quòd si ab initio delegante patrono libertus promiserit,non liberari eum. *Octaua replicatio est :* Nisi *operæ, antequam filij nati sint, præteritæ petantur.Hæc replicatio reprobatur d.l.37.§.non solùm,his uerbis :* Non solùm futurarum, sed etiam præteritarum operarum liberatio sit. *Nona replicatio est: Nisi iam petitis operis liberi nati sint. Et hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis:* Iulianus ait, etiamsi iam petitæ sunt operæ, liberis sublatis absolutionem faciendam. *Decima replicatio est :* Nisi *liberto operarum nomine condemnato,liberi sint nati. Hæc replicatio approbatur ibidem,his uerbis:* Sed si iam operarum nomine condemnatus est, non potest liberari: quoniam iam pecuniam debere cœpit.*Hæc de 11.exceptione. Vicesimasecũda exceptio est :* Nisi *libertus ualetudine impediatur, quo minus operas præstet. Hæc exceptio approbatur l.libertus.15.in prin.ff.de operis libertorum,his uerbis:* Libertus qui post indictionem operarum ualetudine impeditur, quo minus operas præstet,non tenetur.nec enim potest uideri per eum stare,quo minus operas præstet. *Concordat l. hæ operæ.23. §. si patroni. ibi:sicut accidit.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.26. Item concordat l.interdum.34.ff.eod.tt.his uerbis :* Interdũ & diminutionem, & augmentum,& mutationem recipere obligationes operarum, sciendum est. nam dum languet libertus, patrono operæ quæ iam cedere cœperunt, pereunt. *Vicesimatertia exceptio est :* Nisi *liberta quæ operas debet,ad eam dignitatem peruenerit,ut inconueniens sit eam operas præstare. Hæc exceptio approbatur d.l.34. his uerbis :* Sed si liberta quæ operas promisit, ad eam dignitatem peruenit, ut inconueniens sit præstare patrono operas:ipso iure hæ intercident. *Vicesimaquarta exceptio est :* Nisi *liberta quinquagenaria sit. Hæc exceptio approbatur l.liberta.35.ff.d.tt. his uerbis :* Liberta maior quinquaginta annis, operas præstare patrono non cogitur. *Vicesimaquinta exceptio est :* Nisi *libertus militiæ nomen dedit.Hæc exceptio reprobatur l.operis.41.ff.de operis libertorum,his uerbis:* Operis obligatus, militiæ nomen non sine iniuria patroni dabit. *Vicesimasexta exceptio est:Nisi patroni,quibus operæ promissæ sunt,in diuersa loca discesserint. Hæc exceptio approbatur l.hæ operæ.23.§.si patroni.ff.d.tt.his uerbis :* Si patroni plures consultò in diuersas regiones discesserint,& liberto simul operas indixerint: potest dici,diem operarũ cedere,sed libertum non obligari: quia nõ per eum, sed per patronos stet, quo minus operæ dentur: sicut accidit,cum ægrotanti liberto operæ indicuntur. Quòd si diuersa rum ciuitatum patroni sint, & in sua quisq; moretur: consentire debẽt in operis ab eo accipiendis. Durum alioquin est, eum qui se liberare potest decem diebus operãdo, simul operis indictis, si in accipiendo non consentiant,compelli ad præstandam alteri quinque operarum æstimationem. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est :* Nisi *libertus etiam absentibus patronis posit operas præstare. quæ replicatio approbatur exemplo l. duorum.49.ff.eod. tt.his uerbis :* Duorum libertus potest aliquo casu singulis diuersas operas uno tempore in solidum edere:ueluti si librarius sit,& alij patrono librorum scribendorum operas edat, alter uerò peregrè cum suis proficiscens, operas custodiæ domus ei indixerit.nihil enim uetat,dum custodit domum, libros scribere. hoc ita Neratius libris membranarum scripsit. *Secunda replicatio est :* Nisi *uni tantùm patrono alibi habitanti libertus operas debeat. tunc enim patronum libertus sequi debet,ut operas soluat.quæ replicatio approbatur l.quod nisi.20.in fine,cum lege sequente. ff.de operis libertorum,his uerbis :* Ex prouincia libertum Romam debere uenire ad reddendas operas, Proculus ait. Sed qui dies interea cesserint, dum Romã uenit,patrono perire:dummodò patronus; tãquam uir bonus ac diligẽs paterfamiliãs; Romæ moretur, uel in prouinciam proficiscatur. Cæterùm si uagari per orbem terrarum uelit,non esse iniungendam necessitatem liberto ubiq; eum sequi. Operæ enim eo loco edi debent, ubi patronus moratur: sumptu scilicet & uectura patroni. *Huius replicationis duplicatio hæc est :* Nisi *patronus incertis sedibus per orbem terrarum uagetur. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Cæterùm si uagari per orbem terrarum uelit,&c. *Vicesimaseptima exceptio est :* Nisi *patronus non præstet sumptus operarum,nec uictum & uestitum.Hæc exceptio approbatur uerbis tã propositis hisce :* Sumptu scilicet & uectura patroni.*Cui concordat l.operarum.50.in fine.ff.eod.tt.his uerbis:* Non solum libertum,sed etiam quemlibet alium operas edẽtem alendum, aut satis tẽporis ad quæstum alimentorum relinquendum: &in omnib.tẽpora ad curam corporis necessaria relinquenda. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi libertus habeat unde se alat.quæ replicatio approbatur l.suo.18. cum duabus legib.sequentibus. ff. eod.tt.his uerbis:* Suo uictu uestituq; operas præstare debere libertum, Sabinus ad edictum prætoris Vrbani lib.v.scribit.Quod si alere se non possit,præstãda ei à patrono esse alimenta:aut certè ita exigendę sunt ab eo operæ,ut his quoq; diebus, quib.operas edat,satis temporis ad quęstum faciendum, unde ali possit,habeat. Quod nisi fiat,prætorem ipsum patrono denegaturum operarum præstationem.idq; uerum est : quia unusquisq; quod spopondit, suo impendio dare debet, quamdiu id quod debet, in rerum natura est. *Secunda replicatio est : Nisi ijs quoq; dieb.quib.operas edit libertus,satis temporis ad quæstum faciendum,unde ali possit,habeat. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Aut cerè ita exigendæ sunt ab eo operæ,&c. *Concordat d.l.50.in fine, uerbis paulò superius propositis hisce :* Aut satis temporis ad quæstũ alimentorum relinquendum. *Tertia replicatio est: Nisi in stipulatione operarum ita conuenerit.ut libertus se alat. Hæc replicatio reprobatur l.imponi.33.ff.d. tt.his uerbis:* Imponi operæ ita,ut ipse libertus se alat, non possunt. *Vicesimaoctaua exceptio est:Nisi bona patroni uẽdita sint.Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.si bona.40. ff.de operis libertorum,his uerbis:* Si bona patroni uenierint, operarum quæ post uenditionem præterierint,actio patrono dabitur: & si alere se possit,ante uenditionem præteritarum non dabitur: quoniam ex antè gesto agit. *Ait iurisconsultus :* Quæ post uenditionem præterierint,actio patrono dabitur. *Hisce uerbis prima propositæ exceptionis replicatio continetur, hæc scilicet: Nisi dies operarum post uenditionem bonorum cesserit. Secunda replicatio hæc est:Nisi patronus alium de non habeat,quo se alat.quæ replicatio cõstat ex uerbis iam propositis hisce:* Si alere se possit,&c. *Vicesimanona exceptio est:Nisi patronus operas non petierit. Hæc exceptio approbatur l.cum patronus.22.in prin.ff.de operis libertorum,his uerbis:* Cum patronus operas stipulatus est: tunc scilicet committitur stipulatio, cum poposcerit, nec libertus præstiterit: nec interest, adiecta sint hæc uerba,Cum poposcero,an non sint adiecta. Aliud enim est de operis,aliud de cæteris rebus. Cum enim operarum editio nihil aliud sit,quàm officij præstatio: absurdũ est credere, alio die deberi officium ; quàm quo is uolet cui præstandum est. *Concordat l.quoties.24.in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.quæst. 6.reg.1. Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi certæ operæ sint promissæ. quæ replicatio approbatur d. l.24.in prin.cuius uerba uide d.reg.1. Tricesima exceptio est:Nisi operæ sint præstitæ uel solutæ. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit,uerùm eius replicatio prima hæc est :* Nisi *pro parte tantùm opera sit præstita. Quæ replicatio approbatur l.operas.3.ff.de operis libertorum,his uerbis:* Pars operæ per horas solui non potest,quia id est officij diurni.Itaq; nec ei liberto,qui sex horis duntaxat antemeridianis præstò fuisset,liberatio eius diei contingit. *Concordat l.libertus.15.§.1.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.10. Secunda replicatio est: Nisi alij quàm patrono opera sit præstita.quæ replicatio approbatur l.operæ.9.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide §.ead.quæst.2. in princ. Huius replicationis duplicatio hæc est : Nisi uoluntate patroni,uel patrono sibi aut alij,puta Titio,stipulante, libertus Titio soluerit. Hæc duplicatio reprobatur l.seruus.10. cum duabus legibus sequentibus. ff.de operis libertorum,his uerbis :* Libertus operarum nomine ita iurando,Patrono aut Lucio Titio,soluere Lucio Titio non potest, ut à patrono liberetur. Nihil autem interest,extraneus sit Lucius Titius,an filius : quia aliæ operæ erunt,quæ Lucio Titio dantur. *Planè admittitur duplicatio proposita primùm, si pecunia pro operis libertatis causa promittatur : quæ distinctio approbatur ibidem, hisce uerbis :* Sed si libertatis causa pecũiam promittat libertus agenti patrono aut Lucio Titio:omnimodò adiectio Titij ualet. *Huic concordat l.ut iurisiurandi. 7.§.1.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.except.15. Secundò*

admittitur duplicatio proposita, si fabriles seu certæ, non officiales uel incertæ operæ debeantur. quæ distinctio approbatur l.operæ.9. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.ead.quæst.2.in prin. Cui concordat l.hæ operæ.13. in princ. ff.eod.tt. his uerbis: Hæ operæ quas libertus promittit, multum distant à fabrilibus uel pictorijs operis. Denique si libertus faber aut pictor fuerit: quamdiu id artificiū exercebit, has operas patrono præstare cogitur. Quare sicut fabriles operas quis potest sibi aut Titio stipulari: ita patronus à liberto operas sibi aut Sempronio rectè stipulatur: & libertus obligatione soluetur, si tales operas extraneo dederit, quales patrono præstando liberaretur. *Tertiò admitti uidetur duplicatio proposita, si patronus filio suo operas stipuletur. uerùm distinctè hæc reprobatur l.nihil.u.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide paulò superius ead.duplic.in prin. Tricesimaprima exceptio est*: *Nisi patronus alij, non sibi uelit operas præstari. Hæc exceptio approbatur l.operæ.9.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide §. ead. quæst. in princ. Planè admittitur exceptio proposita primùm in operis fabrilibus & certis, d.l.9. in fine. Secundò admittitur in liberto pantomimo & medico, l.si libert. 27.ff.eod.tt. his uerbis*: Si libertus artem pantomimi exerceat, uerum est debere eum non solùm ipsi patrono, sed etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere: sicut eum quoq; libertum, qui medicinam exercet, uerum est uolūtate patroni gratis curaturum amicos eius. neque enim oportet patronū, ut operis liberti sui uratur, aut ludos semper facere, aut ægrotare. *Plura de proposita exceptione uide §. capite 2. quæst. 1. causa 2. item 3. quæst. prox. Hæc de exceptionibus aduersus causam propositæ actionis.*

III. QVIBVS COMPETIT actio proposita?

Regulariter alij quàm patrono operarum actio non datur. Quæ regula approbatur l.operæ.9.ff.de operis libertorum. cuius uerba uide §.quæst.prox. in princ. Eius autem regulæ exceptio prima hæc est: Nisi liberi patroni operas liberti paterni petant. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.cum patronus.22. §. cum libertus. ff. de operis libertorum, his uerbis: Cum libertus promiserit patrono operas se daturum, neque adiecerit, Liberisq; eius: constat liberis eius ita demum deberi, si patri hæredes extiterint. Hæredes autem extitisse liberos parenti, ita demum prodesse ad operarum petitionem Iuliano placet, si non per alium hæredes extiterint. Itaq; si quis exhæredato emancipato filio, seruum eius hæredem instituerit, & per eum seruum hæres extiterit filius: repelli eum ab operarum petitione debere, perinde ac repelleretur patronus qui operas non imposuisset: uel quas imposuit, reuendidisset. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi liberi defuncto patrono hæredes non existant. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Constat liberis eius ita demum deberi, si patri hæredes extiterint. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi patronus sibi liberisq; suis operas sit stipulatus. tunc enim liberis etiam non hæredibus patri existentibus actio proposita competit. quæ duplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Cū libertus promiserit patrono operas se daturum, neq; adiecerit, Liberisq; eius: constat, &c. *Concordat l.si oper.29.ff.eod.tt. his uerbis*: Si operarum iudicio actum fuerit cum liberto, & patronus decesserit: cōuenit translationem hæredi extraneo non esse dandam. Filio autem, etsi hæres non existat, & lis contestata non fuerit, tamen omnimodò competere, nisi exhæredatus sit. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi filius à patre sit exhæredatus. tunc enim nec stipulatio illi prodest. quæ triplicatio approbari uidetur uerbis iam propositis hisce*: Nisi exhæredatus sit. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi liberi non per se, sed per alium patri hæredes existant. Hæc replicatio approbatur uerbis d.§. cum libertus, paulò superius propositis hisce*: Hæredes autem extitisse liberos parenti, ita demum prodesse ad operarum petitionem Iuliano placet, si non per alium hæredes extiterint, &c. *Tertia replicatio est: Nisi liberi non fuerint in potestate patris morientis. Hæc replicatio reprobatur l.ut iurisiurandi.7. §. fin. ff.de operis libertorum, his uerbis*: Parui refert, in potestate fuerint liberi, an uerò emancipati. *Quarta replicatio est*: *Nisi liberi patroni alij in adoptionem sint dati. Et hæc replicatio reprobatur d.§.fin. his uerbis*: Sed etsi in adoptionem datum hæredem scripserit patronus, magis est ut operæ ei debeantur. *Quinta replicatio est: Nisi patronæ, non patroni liberi sint. Et hæc replicatio reprobatur d.§.fin.his uerbis*: Nec patronæ liberi submouentur ab operarum petitione. *Sexta replicatio est*: *Nisi liberi post mortem patroni sint nati. Hæc replicatio reprobatur l.si quis.5.ff.de operis libertor.his uerbis*: Si quis operas sit stipulatus sibi liberisque suis, etiam ad posthumos peruenit stipulatio. *Septima replicatio est*: *Nisi cùm duobus patronis operæ deberentur, unus ex ijs mortuus sit, relictis liberis, altero superstite. Hæc replicatio reprobatur l.à duobus.4. ff.d.tt. his uerbis*: A duobus manumissus, utriq; operas promiserat. altero ex his mortuo, nihil est quare non filio eius (quamuis superstite altero) operarum detur petitio. Nec hoc quidquam cōmune habet cum hæreditate, aut bonorum possessione. perinde enim opera à libertis, ac pecunia credita petitur. Hæc ita Aristo scripsit, cuius sententiam puto ueram. Nam etiam præteritarum operarum actionem dari hæredi extraneo sine metu exce-

exceptionis placet. dabitur igitur & uiuo altero patrono. *Octaua replicatio est: Nisi libertus uni ex liberis sit adsignatus. hoc enim casu uidetur ceteris operarum petitio deneganda. uerùm replicatio hæc reprobatur l.interdum.51. ff.de operis libertorum, his uerbis*: Interdum operarum manet petitio, etiamsi ius patroni non sit ut euenit in fratribus eius cui adsignatus est libertus, aut nepote alterius patroni, extante alterius patroni filio. *Nona replicatio est: Nisi ex uno patrono filius, ex altero nepos extet. hoc enim casu uidetur, quòd nepos in actione proposita per filium alterius excludatur. uerùm replicatio hæc reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Aut nepote alterius patroni extante, alterius patroni filio. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi hæredes patroni operas petant. Hæc exceptio ipso quidem iure reprobatur l.liberti.6.C.de operis libertorum, his uerbis*: Liberti libertæq; defunctorum operas neq; extraneis hæredibus, neq; maritis patronarum debent. *Planè admittitur primùm in operis fabrilibus seu certis, l.fabr.6. ff.de operis libertorum, his uerbis*: Fabriles operæ, cæteræq; quæ quasi in pecuniæ præstatione constitunt, ad hæredem transeunt: officiales uerò non transeunt. *Secundò admittitur in operis præteritis, l.d duob.4. in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.proxim.replicat.7. Tertiò admitti uidetur exceptio proposita, si iudicium operarum uiuo patrono cœptum sit. uerùm hæc distinctio reprobatur l.si operarum.29.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except. prox.repl.1.dupl.1. Tertia exceptio est: Nisi maritus patronæ operas petat. Et hæc exceptio reprobatur l. liberti.6. C.de operis libertorum. cuius uerba uide §. except.prox.in prin.*

IIII. ADVERSVS QVOS actio proposita competit?

l.Regula, De fideiussoribus liberti, proponitur l.si quando.8. §. fin.ff.de operis libertorum, his uerbis: Pro liberto iurante fideiubere quemuis posse placet. *Concordat l.si lib.44.ff.eod.tt.his uerbis*: Si libertus moram in operis fecerit, fideiussor tenetur, licet mora fideiussoris nulla existat. In homine autem debito fideiussor etiam ex sua mora in obligatione retinetur.

I I.Regula, De eo qui libertum occultauit, proponitur l.ult. C.de operis libertorum, his uerbis: In rechibitione operarum maneat pœna in eum, qui libertum alienum recipiēdum esse duxerit. *Concordat l.unica. §. fin.C.de colonis Illyricanis. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.14.reg.2.*

V. QVID VENIAT IN operarum actione?

I. Regula: *Quæ & quales operæ præstandæ sint, definitur l.eius.16. §. fin.cum lege sequente.ff.de operis libertorum, his uerbis*: Tales patrono operæ dantur, quales ex ætate, dignitate, ualetudine, necessitate, proposito, cæteris q; eiusdem generis in utraq; persona æstimari debent. Nec audiendus est patronus, si poscat operas, quas uel ætas recusет, uel infirmitas corporis non patiatur, uel quibus institutum uel propositum uitæ minuatur. *Concordat l.hæ demum.38.ff.eod.tt. his uerbis*: Hæ demum impositę operæ intelliguntur, quæ sine turpitudine præstari possunt, & sine periculo uitæ. Nec enim, si meretrix manumissa fuerit, easdem operas patrono præstare debet, quamuis adhuc corpore quæstum faciat. Nec harenarius manumissus tales operas: quia istæ sine periculo uitæ præstari non possunt. Si tamen libertus artificium exerceat: eius quoq; operas patrono præstare debebit, etsi post manumissionem id didicerit. Quòd si artificium exercere desierit: tales operas edere debebit, quæ nō contra dignitatē eius fuerint: ueluti ut cum patrono moretur, peregrè proficiscatur, negocium eius exerceat. *Concordat item l.operarum.50.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Neratius ait, operarum editionem pendere ex æstimatione edentis. nam dignitati, facultatibus, consuetudini, artificio eius conuenientes edendas. *Concordat item l.medicus.26.ff.eod.tt.his uerbis*: Medicus patronus, quòd putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multò plures implorantes se habiturum: postulabat ut sequerentur se, neq; opus facerent. id ius est, nécne? Alfenus respondit, ius esse: dummodò liberas operas ab his exigeret, hoc est, ut adquiescere eos meridiano tempore, & ualetudinis & honestatis suę rationem habere sinerer. Item rogaui, si has operas liberti dare nolint, quanti oporteret æstimari? respondit, quantum ex illorum operis fructus, non quantum ex incommodo illis dādo, si prohiberet eos medicinam facere, commodi patronus consecuturus esset. *Concordat item l.cius artificij.16.in prin. ff.eod. tt.cuius uerba uide §.reg.prox.*

I I. Regula: *Artificij quod libertus exercet, operas patrono præstabit. quæ regula approbatur l.hæ operæ. 23.in princ. ff. de operis libertor. cuius uerba uide §. quæst.2.except.30.repl.2.dupl.1.distin.2. Concordat l. hæ demum.38.ibi: si tamen. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.prox. Huius regulæ exceptio uidetur esse talis: Nisi artificium post manumissionem demum libertus didicerit. Hæc exceptio reprobatur d.uers. si tamen. Cui concordat d.l.16.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Eius artificij, quod post manumissionem didicerat libertus, operas debebit præstare, si hæ sint, quæ quandocunq; honestè & sine periculo uitæ præstantur: nec semper hæ quæ manumissionis tempore præstari debuerint. Sed si turpes operas postea exercere cœperit: præstare debebit eas, quas manu-

partis dimidiæ bonorum possessio. Siue in testatus moriebatur, suo hærede relicto filio adoptiuo: dabatur æquè patrono cõtra hunc suum hæredem partis dimidię bonorum possessio. *Secunda replicatio est: Nisi non in potestate sua cõstitutos, sed emancipatos liberos libertus reliquerit. Hæc replicatio reprobatur instit.d.tt.§. prodesse. cuius uerba uide paulò superius ead. except. in prin. Tertia replicatio est: Nisi liberos reliquerit libertus alij in adoptionem datos. Hæc replicatio reprobatur itidem d.§.prodesse. Quarta replicatio est: Nisi liberi quos libertus reliquit, ab eo sint exhæredati uel præteriti, ita ut non possint de inofficioso querelam instituere. Hæc replicatio approbatur d.§.prodesse. Cõcordat inst.cod.tt.§.sin autem sine liberis. ibi: uel habentes eos exhæredauerint. cuius uerba uide §.quæst. 4.reg.1.except.2. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi filius exhæredatus, per seruum hæres existat. Hæc duplicatio approbatur l.siue libertus.21.§.penult. ff.de iure patronatus, his uerbis:* Naturales liberi liberti exhæredati facti, alio ex parte hærede instituto, si per seruũ ex alia parte parenti successerint: obijciuntur patrono. *Quinta replicatio est: Nisi filius liberti ex modica tantùm parte hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur l.etsi.6.in prin. ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Etsi ex modica parte instituti sunt liberi liberti, bonorum possessionem contra tabulas patronus petere nõ potest. nam & Marcellus lib.IX. Digest. scripsit: Ex parte quantulacunq; hæredem instituũ liberti filium, patronum expellere. *Sexta replicatio est: Nisi filio liberti sub conditione hærede instituto, conditio defecerit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.si libertus.20.§.si libertinus.ff.de bonis libertorũ, his uerbis:* Si libertinus filium emancipatum sub conditione hæredem instituerit, & deficiente conditione substitutus adierit: quæro, utrum patrono aduersus substitutum in partem debitam prætor, an emancipato filio in totam hæreditatem succurrere debeat? Iulianus respondit: Cum pater filium sub conditione primo gradu hæredem instituit, si deficiente conditione, sub qua filius institutus est hæres, ad secundum gradum hæreditas pertinet, uel adhuc pendente conditione filius decesserit: patrono partis debitæ bonorum possessione aduersus substitutum cõpetere. Idemq; est, etsi filius non petierit bonorum possessionem tempore exclusus, uel repudiauerit. Si uerò deficiente cõditione hæreditas ad filium pertineat, emancipatum potius tuebitur prætor aduersus substitutum. Existimo autem, quoties sub conditione hæres filius scribitur, aliàs necessariam esse exhæredationem à substitutis, aliàs superuacuam. Nam si id genus conditionis fuerit, quæ in potestate filij esset, ueluti, Cum testamentum fecerit: puto etiam omissa cõditione filium locum substitutis facere. Si uerò conditio non fuerit in potestate filij, ueluti, Si Titius consul factus fuerit: tunc substitutus non admittitur, nisi filius ab eo nominatim exhæredatus fuerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi conditio, sub qua filius fuit institutus, in potestate eius non fuerit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur uerbis iam propositis hisce:* Si uerò conditio non fuerit in potestate filij, &c. *De qua re uide plura §.in hæredum institutionibus. Septima replicatio est: Nisi filius liberti sub conditione hæres institutus, pendente conditione decesserit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel adhuc pendente conditione filius decesserit, &c. *Octaua replicatio est: Nisi filius tempore petendæ bonorum possessionis fuerit exclusus. Et hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Idemq; est, etsi filius non petierit bonorum possessionem tempore exclusus, uel repudiauerit. *Nona replicatio est: Nisi filius liberti hæreditatem repudiauerit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel repudiauerit. *Cui concordat d.l.20. §.fin. his uerbis:* Cum filius hæreditatem liberti patris omiserit, & cohæres eius totius hæreditatis onus susceperit: danda erit patrono bonorum possessio. utroque enim casu non filio, sed extraneo pars eripitur. *Ait Iurisconsultus:* Vtroque casu. *Scilicet, tam hoc, quàm alio, quo filius compulsus hæreditatem adierit & restituerit: de quo §.replic.prox. Concordat item l.si in.38.§.fin. ff.eod.tt.de bonis libertorum, his uerbis:* Si filius liberti patris sui hæreditatem omiserit, hoc patrono proficiet. *Concordat item l.siue.21. §.fin. ff.de iure patronatus, his uerbis:* Liberti filius hæres institutus, si bona repudiauerit, patronum non excludit. *Item concordat l.etsi.6. §.si filius. ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si filius liberti hæres ab eo institutus abstinuerit: quâuis nomine sit hæres, patronus admittitur. Sed etsi per in integrum restitutionem is qui missus est paternæ hæreditati, uel qui adijt hæreditatem, abstinuerit se: poterit quis patronum admittere. *Concordat item l.1. §.si nemo. ff. ad S.C. Tertyllianum, his uerbis:* Si nemo filiorum eorum, quibus simul legitima hæreditas defertur, uolet ad se eam hæreditatem pertinere: ius antiquum est. Hoc ideò dicitur, ut quamdiu uel unus filius uult legitimam hæreditatem ad se pertinere, ius uetus locum non habeat. Itaque si ex duobus alter adierit, alter repudiauerit hæreditatem: ei portio adcrescet. & si forte sit filius & patronus: repudiante filio, patrono defertur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi uno filiorum liberti repudiante, alius filius hæreditatem agnoscat. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Hoc ideo dicitur, ut quamdiu

diu uel unus filius, &c. *Secunda duplicatio est: Nisi filius qui se hæreditate abstinet, antea se hæreditati miscuerit. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius triplicatio prima hæc est: Nisi postea in integrum sit restitutus. quæ triplicatio approbatur d.l.1. §.si quis, hisce uerbis:* Si quis adita matris hæreditate, per in integrum restitutionem fuerit abstentus: an ius antiquum possit locũ habere? uerba admittunt, ut possit. Si uolet ad se (inquit) eam hæreditatem pertinere. Nam & hic non uult, etsi aliquando uoluit. Et dico posse ius antiquum locum habere. *Concordat l.etsi.6.§.si filius. ff.de bonis libertorũ, cuius uerba uide paulò superius. Secunda triplicatio est: Nisi filius coactus à prætore, adierit. Hæc triplicatio approbatur l.si libertus.20.§.si libertus. ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide §.repl.prox. Decima replicatio est: Nisi filius liberti hæreditatem patris ex fideicommisso restituerit. Hæc replicatio approbatur d.§.si libertus, his uerbis:* Si libertus filium emancipatum hæredem instituerit, eiusque fidei commiserit, ut totam hæreditatem Sempronio restitueret: & filius, cum suspectam sibi hæreditatem diceret, iussu prætoris adierit eam, & Sempronio restituerit: nõ iniquè patrono bonorum possessio partis debitæ dabitur, perinde ac si non filius, sed is cui hæreditas restituta est, liberto hæres extitisset. *Vndecima replicatio est: Nisi filius subiectus dicatur. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.si filius.42.§.cum filius. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Cum filius liberti impubes, qui subiectus dicitur, ex prima parte bonorum possessionem accipiat: an patronus defuncti possessionem accipere possit, quæritum est? Et fine dubio, qui sequentis gradus sunt, non admittuntur interim. Cum enim præcedit alia possessio: qui sequitur, accipere non potest. Planè si contra eum qui subiectus dicitur, fuerit iudicatũ: data non intelligitur. Sed & in patrono pendente controuersia idem erit dicendũ. Planè quod ad patroni quoque personam pertinet, differri cõtrouersia debebit. *Duodecima replicatio est: Nisi filius liberti unà cum patre perierit, ut ignoretur uter utri superuixerit. Hæc replicatio approbatur l.qui duos.10.§.si cum filio. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide §.lib.7.cap.9.reg.13.except.1. Decimatertia replicatio est: Nisi pauciores liberos quàm tres libertus dimes reliquerit hæredes. Hæc replicatio approbatur lege Papia inst.de successione libertorum.§.postea, his uerbis:* Lege Papia adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis eius qui sestertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat: siue is testamento facto, siue intestatus mortuus erat, uirilis pars patrono deberetur. Itaq; cum unum quidem filium filiámue hæredem reliquerat libertus: perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine ullo filio filiáue intestatus decessisset. Cum uerò duos duásue hæredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono. Si tres reliquerat, repellebatur patronus. *Planè replicatio proposita iure nouo reprobatur, dicta lege Papia sublata, inst.d.tt. §.sed nostra, his uerbis:* Sed nostra constitutio, quâ pro omni natione Græca lingua compendioso tractatu habito composuimus, ita huiusmodi causam definiuit: ut si quidem libertus uel liberta minores cẽtenarijs sint, id est, minus centum aureis habeant substãtiam (sic enim legis Papiæ summam interpretati sumus, ut pro mille sestertijs unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione: si tamẽ testamẽtum fecerint. Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus ius, quod erat ex lege XII. Tabul. integrum reseruauit. Cum uerò maiores cẽtenarijs sint, si hæredes uel bonorum possessores liberos habeant, siue unũ, siue plures, cuiuscunque sexus uel gradus: ad eos successiones parentum deduximus, patronis omnibus modis unà cum sua progenie semotis. *Ait Imp. Sed nostra constitutio. Hæc constitutio non extat. Hæc de prima exceptione.*

II. *Exceptio: Nisi libertus defunctus minor centenario sit. Hæc exceptio approbatur, declaratur & distinguitur uerbis iam propositis hisce:* Si quidem libertus uel liberta minores cẽtenarijs sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiæ summam interpretati sumus, ut pro mille sestertijs unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione: si tamen testamentum fecerint. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi libertus intestatus decesserit. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si tamen testamentum fecerint. *Concordant uerba ibidem sequentia, & paulò superius proposita hæc:* Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus ius, quod erat ex lege XII. Tabul. integrum reseruauit. *Secunda replicatio est: Nisi libertus in fraudem legis bona alienauit, ut minor centenario esset. Hæc replicatio approbatur l.si libertus. 16.ff.de iure patronatus. cuius uerba uide §.cap.9.in fine. Tertia replicatio est: Nisi libertus qui minor cẽtenario est, aliquid amplius in actione habeat, quo consecuto, maior centenario sit futurus. Hæc replicatio approbatur l.liberto.26. ff.de bonis libertorũ, his uerbis:* Liberto octoginta habenti, fundus quadraginta legatus est. Is die legati cedente decessit, extraneo hærede instituto. Africanus respondit, posse patronum partem debitam uindicare. Nam uideri defunctũ mortis

tis tempore ampliorem habuisse rem centum: cum hæreditas eius propter computationem legati pluris ueuire possit: neque referre, hæres institutus repudiet legatum liberto relictum, nec ne. Nam & si de lege Falcidia quæratur: tale legatum, quamuis repudiatum, in quadrantem hæreditatis imputetur legatarijs.

III. Exceptio: *Nisi libertus facto testamento, & alio hærede scripto, decesserit. Hæc exceptio approbatur quidem iure antiquo Instit. de successione libertorum, in prin. his uerbis:* Olim licebat liberto patronum suum impunè testamento præterire. Nam ita demum lex XII. Tabularum ad hæreditatem liberti uocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, hærede suo nullo relicto. *Mutatur ac tollitur exceptio proposita iure nouo, nimirum edicto prætoris Inst. eod. tt. §. qua de causa. cuius uerba uide §. except. 1. repl. 1. Item tollitur lege Papia Instit. eod. tt. §. postea. ibi: siue is testamento. cuius uerba uide §. d. exc. 1. repl. 13. Item tollitur constitutione imp. Iustiniani inst. d. tt. §. sed nostra constitutio. ibi: si uerò testamentum. cuius uerba uide §. qæst. 4. reg. 1. except. 2.*

IIII. Exceptio: Nisi liberti bona sint publicata. *Hæc exceptio reprobatur l. si in lib. 28. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si in libertinũ animaduersum erit, patronis eius ius quod in bonis eius habituri essent, si is in quem animaduersum est, sua morte decessisset, eripiendum non est: sed reliquam partem bonorum, quę ad manumissorem iure ciuili non pertineat, fisco esse uindicandã placet. Eademque seruantur in bonis eorum qui metu accusationis mortem sibi conscierint, aut fugerint, quæ in damnatorum bonis constitura sunt.

V. Exceptio: Nisi patronus ius patronatus remiserit. *Hæc exceptio approbatur l. si quis. 3. ibi: nec successionib. C. de bonis libertorum. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 1. causa 4.*

VI. Exceptio: *Nisi patronus elegerit ea quæ libertatis causa liberto impositi. Hæc exceptio approbatur l. sicut. 20. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Sicut testamento facto decedente liberto, potestas dãtur patrono uel libertatis causa imposita petere, uel partis bonorum possessionem: ita & cum intestatò decesserit, earum rerũ ei electio manet. *Concordant ea quæ habentur §. cap. prox. quæst. 1. except. 15.*

VII. Exceptio: *Nisi patronus libertum non aluerit. Hæc exceptio approbatur l. si patronus. 33. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide §. cap. 2. quæst. 1. causa 7. Huius exceptionis replicatio est: Nisi patronus ex testamento succedat liberto. quæ replicatio approbatur d. l. 33.*

VIII. Exceptio: *Nisi municipum uel alterius collegij, non priuati hominis libertus fuit defunctus. Hæc exceptio reprobatur l. unica. ff. de libertis uniuersitatum, his uerbis:* Municipibus plenum ius in bonis libertorũ libertarumq; defertur: hoc est, id ius quod etiam patrono. Sed an omnino petere bonorũ possessionem possint, dubitatur? mouet enim, quòd cõsentire nõ possunt, sed per alium possunt petitam bonorũ possessionẽ ipsi adquirere. Sed qua ratione senatus cẽsuit, ut restitui eis ex Trebelliano hæreditas possit: & qua ratione alio Senatusconsulto, hæredibus eis institutis à liberto, adquirere hæreditatẽ permissum est: ita bonorũ quoq; possessionẽ petere, dicendũ est: tẽporaq; bonorũ possessionis petendæ cedere municipibus exinde, ex quo decernere de petenda potuerunt. Quod & Papinianus respondit. *Concordat l. intestato. 3. §. si municipes. ff. de suis hæredib. his uerbis:* Si municipes seruum manumiserint, admittentur ad legitimam hæreditatem in bonis liberti uel libertæ intestatorum. *Concordat l. 2. ff. de manumiss. quæ seruis ad uniuers. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 5. except. 16.*

IX. Exceptio: Nisi princeps patronus sit. *Hæc exceptio reprobatur d. l. 3. §. principem, his uerbis:* Principem ad bona libertorum suorum admitti, plus quàm manifestum est.

X. Exceptio: *Nisi patronus uel actor capitis accusauerit libertum defunctum. Hæc exceptio approbatur l. eum. 10. in prin. cum lege sequente. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Eum patronum, qui capitis libertũ accusasset, excludi à bonorũ possessione contra tabulas placuit: nec ad legitimam hæreditatem, quæ ex lege XII. Tabularũ defertur, admittitur. *Concordat l. filij. 9. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 14. Concordat itẽ l. etiam. 3. §. si capitis. ff. de bonis libertorũ. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 4. reg. 12. except. 18. Cõcordat item l. si filius. 33. §. 1. in fine ff. de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide §. d. quæst. 4. reg. 8. exc. 1. repl. 2. Declaratur exceptio proposita d. l. 10. §. 1. his uerbis:* Labeo existimabat, capitis accusationẽ eã esse, cuius pœna mors aut exilium esset. *Concordat l. qui cũ. 14. §. is demũ. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Is demum uidetur capitis accusasse, qui tali iudicio appetit, cuius pœna aut supplicium habuit, aut exilium, quod fit uice deportationis, ubi ciuitas amittitur. *Concordat itẽ l. quæro. 48. ff. eod. tt. his uerbis:* Quęro de eo qui libertũ effracturæ crimine accusauit? Scæuola respondit, si eiusmodi effracturæ crimine accusatus sit, ex quo (si probaretur) in metallũ datus esset: denegandam bonorũ possessionem. *Planè propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non ipso iure capitis pœna crimini sit cõstituta, sed iudex capitis pœnam accusato irrogauit. Hæc replicatio approbatur l. qui cũ. 14. §. is demũ. ibi: si tamen. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si quis libertum eo crimine accusauerit, cuius pœna capitalis non est, ueruntamen iudicãti placuit

cuit augere pœnam: non obest hoc patroni filio. neq; enim imperitia aut seueritas iudicantis obesse debet patroni filio, qui crimẽ leuius importauit. *Secunda replicatio est: Nisi ab accusatione destitit actor. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. accusasse, his uerbis:* Accusasse eum dicimus, qui crimina obiecit, & causam perorari usq; ad sententiam effecit. Cæterùm si antè quieuit, non accusauit. & hoc iure utimur. Sed & si appellatione interposita, desijt: benignè dicetur, nõ pertulisse accusationẽ. Si igitur pendẽte appellatione decesserit libertus, patroni filius admittetur ad bonorum possessionẽ: quia ante sententiã libertus morte subtractus est. *Concordat l. eũ. 10. in fine. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Qui nomẽ detulit, accusasse intelligẽdus est: nisi abolitionẽ petat. Idq; etiam Proculo placuisse, Seruius refert. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi abolitione impetrata, reum repetierit. quæ duplicatio approbatur d. l. 14. §. 1. cuius uerba uide §. repl. 5. dupl. 1. Tertia replicatio est: Nisi libertus accusatus, pendente iudicio decesserit. Hæc replicatio approbatur uerbis d. l. 14. iam propositis hisce:* Si igitur pẽdẽte appellatione decesserit libertus, &c. *Quarta replicatio est: Nisi detulerit saltem. Hæc replicatio reprobatur uerbis d. l. 10. in fine, iam propositis. Quinta replicatio est: Nisi minor uigintiquinq; annis accusauerit. Hæc replicatio approbatur l. qui cũ. 14. in prin. ff. de bonis libertorũ, his uerbis:* Qui cũ maior natu esset, quàm uigintiquinq; annorum, libertum capitis accusauerit, aut in seruitutẽ petierit: remouetur à contra tabulas bonorũ possessione. Si uerò accusauerit minor: dicendum est, hunc non excludi, siue ipse, siue tutor eius uel curator accusauerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cœpit in minore ætate accusationẽ maior factus fuerit persecutus. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 14. §. 1. his uerbis:* Sed si minor quidem instituerit accusationẽ, maior autem factus sententiam acceperit: benignè erit dicẽdum, ignosci ei debere: quia minor cœpit. Neq; enim imputare ei possumus, cur non deseruerit accusationem, uel cur abolitionem non petierit: cum alterũ si faceret, in Turpillianum incideret, altorum non facilè impetretur. Certè si abolitione publicè data, repetit iam maior: dicẽdũ est, hunc esse remouendum. maior enim factus potuit sine timore deserere abolitã accusationẽ. *Sexta replicatio est: Nisi patronus à liberto antea accusatus & prouocatus, accusauerit eius calumniam, uel crimen retorserit. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. si libertus, his uerbis:* Si libertus maiestatis crimine patroni filiũ accusauit, & patroni filius calumniæ eum capitis punire desideraueri: non debet repelli hoc edicto. Idem puto, etsi ab eo petitus retorsit in eum crimina. Ignoscendum est enim ei, si uoluit se ulcisci prouocatus. *Septima replicatio est: Nisi defendendæ mortis paternæ causa filius patroni libertum capuis accusauerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. si patris, hisce uerbis:* Si patris mortem defendere necesse habuerit: an dicendum sit, hic quoq; ei succurrendum, si libertum paternum propter hoc accusauit, medicum fortè patris, aut cubicularium, aut quem alium qui circa patrẽ fuerat? & puto succurrendum, si affectione & periculo paternæ substantiæ ducẽte, necesse habuit accusationem uel calumniosam instituere. *Octaua replicatio est: Nisi pater testamento uel qua alia scriptura cauerit, ut accusaretur libertus. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. fin. his uerbis:* Si pater testamento cauerit, ut accusaretur libertus, quasi uenenum sibi parasset, aut quid aliud in se admisisset: magis est, ut ignosci liberis debeat, qui nõ sponte accusauerunt. *Concordat l. Paulus. 47. §. 1. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Quæro, an si Titia patroni filia iactaret, Titiũ patrem suũ, priusquã moreretur, literas ad se dedisse, quibus adijceret, per libertos suos maleficijs se appetitum: easq; literas secuta, post mortem patris libertos accusaret: an aliquid ei prodesse posit hæc excusatio? Paulus respondit, eam quę ex uoluntate patris accusauit, non debere repelli à bonorum possessione cõtra tabulas: quoniam non suum iudiciũ, sed alienum secuta sit. *Nona replicatio est: Nisi libertus damnatus, postea sit restitutus, et pœna liberatus. Hæc replicatio approbatur l. qui cũ. 14. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Sed & si accusauerit libertũ, & probauerit crimen patroni filius, posteaq; hic libertus sit restitutus: non erit repellẽdus. Crimen enim quod intrẽdit, etiã perfecit. *Decima replicatio est: Nisi libertus non capitis, sed mitiore pœna sit damnatus. Hæc replicatio approbatur l. idẽ. 15. ff. eod. tt. his uerbis:* Idẽ est, etsi crimẽ quidẽ, quod in liberto probatũ est, meruerat capitis pœnam, benignius autẽ punitus est libertus: ueluti tantùm relegatus. De calumniatore enim sensit prætor. *Vndecima replicatio est: Nisi actor crimẽ probauerit & obtinuerit contra libertũ, non sit calumniatus. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* De calumniatore enim sensit prætor. *Cui concordat l. qui cũ. 14. §. fin. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò superius repl. 9. Item concordat l. eũ qui. 18. in prin. ff. de iniurijs, hisce uerbis:* Eũ qui nocentẽ infamauit, nõ esse bonũ & æquum ob eam rem condẽnari, Paulus ait. peccata enim nocẽtium nota esse & oportere & expedire. *Duodecima replicatio est: Nisi libertum, dum adhuc seruus erat, & quidem alienus, accusauit. Hæc replicatio approbatur l. ult. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Labeo: Si eundem libertum & tu capitis accusasti, & pater tuus manumisit; non poterit tibi eius libertũ

liberti bonorum possessio ex edicto prætoris dari. Paulus: Imò contrà accidet, si quem seruum accusaueris, deinde is patris tui factus fuerit, & is postea eum manumiserit. *Decimatertia replicatio est: Nisi cum unus ex pluribus liberis defuncti capitis accusasset libertum, cæteri postea omiserint bonorum possessionem liberti. Hæc replicatio reprobatur l. etiam. 3. §. si capitis. ff. de bonis libertorum, cuius uerba uide* ℨ. *cap. 1. quæst. 4. reg. 12. except. 18. Decimaquarta replicationis loco notandũ, quòd exceptio proposita non noceat filio eius qui libertum capitis accusauit. quæ replicatio approbatur l. in seruitutem. 16. §. si patroni. ff. d. tit. his uerbis:* Si patroni filius institutus uel exhæredatus in seruitutem libertum paternum petijt, uel capitis accusauit: non nocet hoc liberis eius qui in potestate nõ sunt. Et hoc diui fratres Quintiliano rescripserunt. *Concordat l. diui fratres. 17. ff. de iure patronatus, cuius uerba uide* ℨ. *cap. 2. quæstion. 2. except. 2. Hæc de decima exceptione.*

XI. *Exceptio: Nisi actor in caput liberti testimonium dixit, uel accusatorem subiecit. Hæc exceptio approbatur l. qui cum. 14. §. sed si non. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Sed si non accusauit, sed testimonium in caput liberti dixit, aut subiecit accusatorem: puto eum à contra tabulas bonorum possessione remoueri.

XII. *Exceptio: Nisi actor aduocationem accusatori liberti præstitit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 14. §. si patroni, his uerbis:* Si patroni filius aduocationem accusatori liberti præstitit, nõ est repellendus. Neq; enim aduocatus accusat.

XIII. *Exceptio: Nisi actor libertum in seruitutem petierit. Hæc exceptio approbatur l. qui in. 9. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Qui in seruitutem libertum paternum petierit, nec nomine libertorum bonorum possessionem accipere potest. *Concordat l. qui cum. 14. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ℨ. *except. 10. repl. 5. Concordat item l. si filius. 33. §. 1. in fine. ff. de fideicom. libertat. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 1. quæst. 4. reg. 8. except. 1. replic. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruo in libertatem proclamanti actor contradixit. Hæc replicatio approbatur l. in seruit. 16. in prin. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* In seruitutem petijsse non is uidetur, qui ei qui in possessione erat seruitutis, petenti se in libertatem cõtradixit: uerùm is qui ex libertate petit in seruitutem. *Secunda replicatio est: Nisi non dominium, sed usum fructũ, uel quid aliud in liberto dicat suum esse, quod nisi in seruo habere non potest. Hæc replicatio reprobatur d. l. 16. §. 1. his uerbis:* Sed etsi quis non totum suum, sed pro parte, uel usumfructum in eo suum dicat, uel quid aliud, quod habere nõ potest in eo, nisi seruus sit: an repellatur quasi in seruitutem petierit? quod est uerius. *Tertia replicatio est: Nisi actor qui libertum in seruitutem petijt & obtinuit, passus sit eum in libertate morari. Hæc replicatio approbatur d. l. 16. §. si petierit, his uerbis:* Si petierit in seruitutẽ, & obtinuerit, mox cognita ueritate, passus sit in libertate morari: non debet ei obesse, maximè si habuit iustam causam errandi. *Quarta replicatio est: Nisi actor qui libertum in seruitutem petijt, à sua actione destitit. Hæc replicatio approbatur d. l. 16. §. petijsse, his uerbis:* Petijsse in seruitutẽ non uidetur, qui ante litem cõtestatam destitit. Sed etsi post litem contestatam: dicendum est, nec id nocere debere, quia nõ usque ad sententiam durauit. *Quintæ replicationis loco notandum, quòd filio eius qui libertum in seruitutẽ petijt, proposita exceptio non obstet. Quæ replicatio approbatur d. l. 16. §. si patroni. cuius uerba uide* ℨ. *except. 10. repl. 13. Sexta replicatio est: Nisi ob id libertum in seruitutem petierit, ut causam euictionis sibi cõseruet. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 30. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si quis libertum paternum in seruitutem ea uoluntate petierit, ut causam euictionis sibi conseruet: non amittit beneficium bonorum possessionis.

XIIII. *Exceptio: Nisi actor rei capitalis damnatus sit, uel index alicuius flagitij fuerit. Hæc exceptio approbatur l. filij. 9. §. ut in bonis. ff. de iure patronatus, hisce uerbis:* Vt in bonis liberti locum quidem nõ habeant, lege excipiuntur rei capitalis damnatus, si restitutus non est: si index cuius flagitij fit fuerit: uel maior annis uiginti quinq; cum esset, capitis accusauerit libertum paternum. *Plures huiusmodi exceptiones uide* ℨ. *cap. 2. quæst. 1. item j. cap. prox. quæst. 1.*

Replicatio præcedentium exceptionum generalis.

Planè iam dictarum exceptionum replicatio generalis hæc est: Nisi is qui quasi patronus deliquit, & ob id succedere non potest, non tanquam patronus, sed tã quã patroni filius hæreditatẽ liberti petat. Hæc replicatio approbatur l. si filius. 42. §. sic edicti. ff. de bonis libertorũ. cuius uerba uide j. quæst. prox. reg. 1. exc. 5.

III. QVIBVS COMPETAT successio in bona liberti?

1. *Regula, De liberis patroni. His quoq; regulariter, perinde ac ipsi patrono, si uiueret, successio in bona liberti competit. quæ regula approbatur l. 2. in prin. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si patronus à liberto præteritus, bonorum possessionẽ petere potuerit contra tabulas, & antequã peteret, decesserit, uel dies eius bonorũ possessionis agnoscẽdę prętulerit: liberi eius uel alterius patroni petere poterunt ex illa parte edicti, qua primis nõ perentibus, aut etiã nolentibus ad se pertinere, sequẽtibus datur, atq; si priores ex eo numero non essent. *Concordat item Inst. de successione libertorum. §. multis alijs, hisce uerbis:* Constituimus, ut tam patroni patronæq;, quàm liberi eorũ, necnon qui ex transuerso latere ueniunt, usq; ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarũmue uocẽtur, sicut ex ea con-

ea constitutione intelligendum est. Et si eiusdem patroni uel patronæ, uel duorum duarumq;, pluriúmue liberi sint: qui proximior est, ad liberti uel libertæ uocetur successionem: & in capita, non in stirpes diuidatur successio: eodem modo & in ijs, qui ex transuerso latere ueniunt, seruando. Penè enim consonantia iura ingenuitatis & libertinitatis in successionibus fecimus. Ait Imperator: Sicut ex ea constitutione intelligendum est. *Hæc constitutio in Codice non extat. Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi patronus ipse adhuc uiuat. tunc enim liberis suis in successione præferendus. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi patronus ipse tempore sit exclusus, uel repudiauerit, uel ex alia causa succedere liberto non possit, tunc enim etiam uiuo eo admittuntur eius liberi. quæ replicatio approbatur l. 2. in prin. ibi: uel dies eius. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide paulò superius eod. reg. in prin. Concordat item ea quæ habentur paulò inferius except. 11. repl. 1. item except. 12. Secunda replicatio est: Nisi patronus pater sit deportatus. Hæc replicatio species est replicationis præcedentis, approbaturq; l. si necem. 4. §. si deportatus, ff. eod. tt. his uerbis:* Si deportatus patronus sit, filio eius competit bonorũ possessio in bonis liberti: nec impedimento est ei talis patronus, qui mortui loco habetur. Et dissimile est, si patronus apud hostes sit: nam propter ipsũ postliminij obstat liberis suis. *Tertia replicatio uidetur esse: Nisi patronus pater apud hostes sit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Et dissimile est, si patronus apud hostes sit, &c. *Hæc de prima exceptione. Secunda exceptio est: Nisi filius patroni uel patronæ, in alterius sit potestate. Hæc exceptio reprobatur l. satis. 22. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Satis constat, etiamsi in potestate sit parentis filius patronæ, nihilominus legitimo iure ad eum pertinere hæreditatem. *Concordat l. patroni. 39. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Patroni filia, si in adoptiua familia sit, ad bona libertorum paternorum admittitur. *Tertia exceptio est: Nisi filius patris necem inultam reliquit, quã seruus detexit, & ob id liber factus est. Hæc exceptio approbatur l. si filius. 23. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si filius patris necem inultam reliquerit, quã seruus detexit, & meruit libertatem: Triphoninus dixit, non habendum pro patroni filio, qui indignus est. *Concordãt ea quæ proposita sunt* ℨ. *cap. 1. quæst. 3. causa 1. except. 3. Quarta exceptio est: Nisi filius patroni actor libertum capitis accusauerit. Hæc exceptio cum alijs similibus approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt* ℨ. *quæst. prox. except. 10. cum sequentibus. Quinta exceptio est: Nisi filius patroni etiam per se patronus existens, tanquam patronus admitti ad successionẽ non potuit. Hæc exceptio reprobatur l. si filius. 42. §. sic edictum. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Sic edictum est, patrono eidemq; patronæ filio non obesse, quod quasi patronus deliquit, si ut patronæ filius uenire possit. *Sexta exceptio est: Nisi liberi sint uulgò quæsiti. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. patronæ. 18. ff. eod. tt. his uerbis:* Patronæ quidem liberi etiam uulgò quæsiti accipient materni liberti bonorum possessionem: patroni autem nõ nisi iure quæsiti. *Septima exceptio est: Nisi patroni filius subiectus esse dicatur. hoc enim casu controuersia differtur. quæ exceptio approbatur d. l. 42. §. cum filius, in fine. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide* ℨ. *quæst. prox. except. 1. repl. 11. Octaua exceptio est: Nisi uni ex liberis libertus fit adsignatus. tunc enim cæteri patroni liberi ab eo excluduntur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt* ℨ. *cap. 1. quæst. 4. reg. 12. Concordat item l. 1. §. fin. ibi: quemadmodum per adsignationem alius excluditur. ff. de adsignandis libertis. cuius uerba uide* j. *quæst. proxim. reg. 3. except. 1. Nona exceptio est: Nisi filius patris atq; patroni hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio reprobatur l. si patronus. 12. §. fin. ff. de bonis libertorũ, his uerbis:* Si patroni filius emancipatus noluerit adire hæreditatem, uel qui in potestate est retinere: nihilominus liberti bonorũ possessionem habebit. *Decima exceptio est: Nisi filius uel nepos patroni à patre uel auo suo sit exhæredatus. Hæc exceptio approbatur l. si ex. 10. §. Iulianus. ff. eod. tt. his uerbis:* Iulianus ait, eum qui ab auo suo exhæredatus est, à bonis libertorum eius submoueri, à patris uerò sui libertorum bonis non excludi. Quòd si à patre sit exhæredatus, ab auo non sit: non solum à libertorum paternorum bonis, uerumetiam ab auitorum quoq; excludi debere: quia per patrem auitorum libertos colequitur. Quod si pater eius sit ab auo exhæredatus, ipse non sit: posse nepotem auitorum libertorum contra tabulas bonorum possessionem petere. Idem ait, si pater me exhæredauit, auus meus patrem meum, & prior auus decesserit: ab utriusq; libertis me repelli. Sed si antè pater decessisset, postea auus: dicendum erit, nihil mihi nocere patris exhæredationem ad auitorum libertorũ bona. *Concordat exceptioni propositæ l. uiuo. 27. ff. eod. tt. his uerbis:* Viuo filio si nepos exhæredetur, nocebit ei exhæredatio ad bona libertorum auitorum. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non exhæredatus sit, sed præteritus in testamento parẽtis. Hæc replicatio ipso quidẽ iure subsistit, cũ querela inofficiosi testamenti adiuuetur: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi à parente milite in militari testamento sit præteritus. quæ duplicatio approbatur l. si patronus. 12. in prin. ff. de bonis libert. his uerbis:* Si patronus testamento iure militari facto, filiũ silentio exhæredauerit: debebit nocere ei exhæredatio. Verum est enim, hunc exhæredatũ esse. *Huius duplicationis triplicatio est: Nisi præteritus alterius*

alterius libertorum bona, quàm eius à quo præteritus est, petat: puta à patre præteritus, libertorum auitorum bona petit: uel contrà ab auo præteritus libertorum paternorum bona petit. Hæc triplicatio approbatur l. Paulus. 47. §. fin. ff. cod. tt. cuius uerba uide ſ. 1. epl. proxim. dupl. 1. tripl. 2. Secunda replicatio eſt: Niſi alterius libertorum bona petat exhæredatus, quàm eius à quo eſt exhæredatus: puta ab auo exhæredatus, non auitorum, ſed paternorum libertorum bona petit. Hæc replicatio approbatur l. ſi ex. 10. §. Iulianus. ff. cod. tt. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi à patre exhæredatus, auitorum libertorum bona petat. hoc enim caſu propoſita replicatione non adiuuatur. quæ duplicatio approbatur d. §. Iulianus, uerbis ſ. ead. except. in prin. propoſitis hiſce: Quòd ſi à patre ſit exhæredatus, ab auo non ſit: non ſolùm à libertorum paternorum bonis, uerumetiam ab auo quoq; excludi debere: quia per patrem auo libertos conſequitur. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc eſt: Niſi pater uiuo auo deceſſerit. hoc enim caſu exhæredatus, ab auitorum libertorum bonis non excluditur. quæ triplicatio approbatur d. l. 10. §. fin. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. Secunda triplicatio eſt: Niſi à patre in teſtamento militari non exhæredatus, ſed præteritus ſit. quæ triplicatio approbatur l. Paulus. 47. §. fin. ff. cod. tt. his uerbis:* Paulus reſpõdit, quamuis filij à patre milite pręteriti pro exhæredatis habeantur: tamen non eouſq; filentium patris eis nocere debere, ut & à bonis libertorum auitorum repelli debeãt. Idem reſpõſum eſt etiam de bonis libertorum paternorum. *Tertia replicatio eſt: Niſi ex hæredato antea libertus fuerit adſignatus. Hæc replicatio approbatur l. ſi patronus. 12. §. 1. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si quis libertum filio ſuo adſignauerit, eumq; exhæredauerit: admitti poteſt ad bonorum liberti poſſeſſionem. *Concordat l. 1. §. ſed etſi poſt. ff. de adſignandis libertis. cuius uerba uide ſuprà cap. 1. quæſt. 4. reg. 12. except. 13.* *Quarta replicatio eſt: Niſi non mala mente parentis ſit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur d. l. 12. §. ſi quis non, his uerbis:* Si quis non mala mẽte parentis exhæredatus ſit, ſed alia ex cauſa: exhæredatio ipſi non nocet. utputa pone furoris cauſa exhæredatum eum, uel ideo quia impubes erat, hæredem quoq; inſtitutum rogatum ei reſtituere hæreditatem. *Concordat d. l. 47. in princ. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Paulus reſpondit, exhæredationem nepotis, quæ non notæ gratia, ſed alio conſilio adiecta eſſet, nocere ei nõ oportere, quo minus contra tabulas libertorum aui bonorũ poſſeſſionem petere poſſit. *Quinta replicatio eſt: Niſi hæres inſtitutus exhæredato hæreditatem reſtituere ſit rogatus. Hæc replicatio approbatur uerbis d. §. ſi quis, iam propoſitis hiſce:* Hæredẽ quoque inſtitutum rogatum ei reſtituere hæreditatem. *Sexta replicatio eſt: Niſi exhæredatus pronunciatus ſit exhæredatus non eſſe. Hæc replicatio approbatur l. ſi patronus. 12. §. ſi quis cum. ff. de bonis. libertor. his uerbis:* Si quis, cum eſſet exhæredatus, pronunciatus uel perperam ſit, exhæredatus non eſſe: non repellitur. rebus enim iudicatis ſtandum eſt. *Septima replicatio eſt: Niſi exhæredatus de inofficioſo teſtamento egerit, & obtinuerit. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius duplicatio hæc eſt: Niſi pro parte tantùm obtinuerit. Hæc duplicatio approbatur d. l. 12. §. ſi filius, his uerbis:* Si filius patroni exhæredatus, in partem obtinuerit de inofficioſo, in partẽ uictus ſit: uideamus, an noceat ei exhæredatio? & nocere arbitror: quia teſtamentum ualet, à quo exhæredatus eſt. *Octaua replicatio eſt: Niſi ex teſtamento, in quo exhæredatus eſt, non ſit adita hæreditas. Hæc replicatio approbatur d. l. 12. §. ex teſtamento, his uerbis:* Ex teſtamento, à quo neque adita eſt hæreditas, neque petita bonorum poſſeſsio, liberis exhæredatio non nocet. Abſurdum eſt enim, in hoc ualere tantùm teſtamentum, ut exhæredatio uigeat, cum aliàs non ualeat. *Nona replicatio eſt: Niſi exhæredatus ſecundo gradu, priore gradu hæres ſit inſtitutus. Hæc replicatio approbatur d. l. 12. §. ſi patroni, his uerbis:* Si patroni filius priore gradu ſit hæres ſcriptus, ſecundo exhæredatus: huic non nocet exhæredatio, cùm uoluntate patris uel extiterit hæres, uel exiſtere potuerit. neq; enim debet uideri pater indignum exiſtimaſſe filiũ bonis libertorum, quem ad hæreditatem ſuã primùm uocauerit. *Decima replicatio eſt: Niſi primo gradu exhæredatus, ſecundo ſit ſubſtitutus. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Ac ne eũ quidem exiſtimandum eſt ſubmoueri à bonis liberti, qui primo gradu exhæredatus, & inde ſubſtitutus eſt. Ergo is qui inſtitutus eſt hęres uel primo gradu, uel ſequenti, uel quoquo alio, licet exhæres ſit eodem teſtamento: non eſt ſubmouendus à liberti bonis. *Vndecima replicatio eſt: Niſi exhæredati filius uel ſeruus hæres ſit inſtitutus. Hæc replicatio reprobatur l. filius. 13. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Filius patroni exhæredatus, quamuis nepos ex eo hæres ſcriptus fuerit, bonorum poſſeſsionem cõtra tabulas paternorum libertorum accipere non poteſt. Licet enim neceſſarius exiſtat patri ſuo, non tamen per ſemetipſum, ſed per alium ad hęreditatem admittitur. Et certè conſtat, ſi emancipatus filius exhæredatus fuerit, & ſeruus eius hæres ſcriptus: etſi iuſſerit ſeruum hæreditatem adire, & ita patri ſuo hæres extiterit: non habiturum cõtra tabulas paternorum libertorum bonorum poſſeſsionem. *Duodecima replicatio eſt: Niſi exhæredato ab exhæredante parente cautum ſit, ut ius in libertum ei ſaluum eſſet. Hæc replicatio approbatur l. ſi pater. 40. ff. de bonis libertorum,*

bertorum, his uerbis: Si pater exhæredato filio ita cauit, ut ius in libertum ſaluum ei eſſet: nihil ei ad hanc rem nocet exhæredatio. *Decimatertia replicatio eſt: Niſi filius exhæredatus, poſtea à fratre adrogatus, tanquam nepos patroni liberti bona petierit. Hæc replicatio approbatur l. ſi filius. 42. in princip. ff. d. tt. his uerbis:* Si filius qui patri hæres extitit, fratrem ſuum exhæredatum adrogauit, atque ita hærede eo relicto defunctus eſt: bonorum poſſeſsionem liberti patris naturalis exhæredatus non habebit. nam cui non exhæredato talis adoptio noceret, nocere debet & exhæredato: quoniam pœna quæ legibus aut edicto irrogaretur, adoptionis remedio non oblitteratur. Paulus notat: Ei qui alio iure uenit, quàm eo quod amiſit, non nocet id quod perdidit, ſed prodeſt quod habet. Sic edictum eſt, patrono eidemq; patronæ filio nõ obeſſe quod quaſi patronus deliquit, ſi ut patronæ filius uenire poſsit. *Hæc de decima exceptione, cuiuſq; replicationibus ſint dicta. Vndecima exceptio eſt: Niſi pater eius qui bonorum poſſeſsionem liberti petit, à patrono ſit exhæredatus. Hæc exceptio approbatur l. quæritur. 38. ff. de bonis liberto rum, his uerbis:* Quæritur, an filio exhęredato, etiam nepotes ex eo à bonorum poſſeſsione liberti excludantur? quod utique ſic dirimendum eſt, ut uiuo filio, donec in poteſtate eius liberi manent, non admittantur ad bonorum poſſeſsionem: ne qui ſuo nomine à bonorum poſſeſsione ſubmouentur, per alios eam conſequantur. Si autem emancipati à patre fuerint, uel alio modo ſui iuris effecti: ſine aliquo impedimento ad bonorum poſſeſsionem admittantur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi actor in poteſtate patris exhæredati non ſit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Si autem emancipati à patre fuerint, &c. *Concordat l. quòd ſi. 11. ff. cod. tt. his uerbis:* Si pater meus à patre ſuo ſit exhæredatus, ego neque à patre meo, neque ab auo: mortuo quidem patre, & aduerſus auitos, & aduerſus paternos libertos ius habeo. uiuente patre, quamdiu in poteſtate eius ero, non petam contra tabulas auitorum libertorum bonorum poſſeſsionem: emancipatus non ſubmouebor. *Concordat item l. ſi ex. 10. §. quòd ſi pater eius. ff. cod. tt. cuius uerba uide ſ. except. prox. in prin. Concordat item l. in ſeruitutem. 16. §. ſi patroni. ff. cod. tt. cuius uerba uide ſ. quæſt. prox. except. 10. repl. 13. Secũda replicatio eſt: Niſi actor filius exhæredati à patrono hæres ſit inſtitutus. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ habentur ſuprà except. prox. replic. 11. Duodecima exceptio eſt: Niſi pater eius qui bonorum poſſeſsionem liberti petit, libertum capitis accuſauit, uel in ſeruitutem petijt. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ habentur ſuprà quæſt. prox. except. 10. repl. 13. Decimatertia exceptio eſt: Niſi is qui bonorum poſſeſsionem liberti petit, poſt mortem patroni aui ſui ſit conceptus. Hæc exceptio reprobatur l. Paulus. 47. §. penult. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Paulus reſpondit, nepotem etiam poſt mortem aui conceptum ſuperſtite liberto, bonorũ poſſeſsionem contra tabulas liberti auiti petere poſſe, & ad hæreditatem eius legitimam admitti. Reſponſum enim Iuliani tantùm ad hæreditatem legitimam, item ad bonorum poſſeſsionem aui petendam pertinere. *Decimaquarta exceptio eſt: Niſi is qui bonorum poſſeſsionem petit, filium in poteſtate patroni defuncti reliquerit. Hæc exceptio reprobatur l. 2. §. fin. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si filius emancipatus nepotem in poteſtate aui reliquiſſet, bonorum poſſeſsionem partis dimidiæ dãdam ei filio inteſtati liberti, quamuis iure ipſo legitima hæreditas ad nepotem pertineat: quia & contra tabulas eius liberti, & filio potius bonorum poſſeſsio partis debitæ daretur. *Ait iuriſconſultus:* Iure ipſo. *Scilicet ciuili. de quo Inſtit. de hæreditat. quæ ab inteſt. deferuntur. §. 1. Hodie tamen iure prætorio coniungitur pater emancipatus cum filijs in poteſtate aui relictis, l. 1. in princip. ff. de coniungendis cum emancipato liberis. Decimaquinta exceptio eſt: Niſi actorem alius gradu præcedat. Hæc exceptio approbatur inſt. de ſucceſsione libertorum. §. multis alijs. ibi: etſi eiuſdem. cuius uerba uide ſ. ead. reg. in prin. Huius exceptionis replicatio prima uidetur eſſe talis: Niſi patronus deceſſerit, relicto filio emancipato, & nepotibus ex eo in poteſtate retentis. hoc enim caſu uidentur nepotes patri præferendi. Verùm replicatio hæc reprobatur ſ. except. 1. repl. 1. cum ſequentibus: item except. 11. replic. 1. & except. 12. Tertia replicatio eſt: Niſi gradu remotiori libertus ſit adſignatus. Quæ replicatio approbatur per ea quæ habentur ſ. cap. 1. quæſt. 4. reg. 12. except. 7. Decimaſexta exceptio eſt: Niſi duobus patronis exiſtentibus, unus mortuus ſit relictis liberis. eius enim liberi uiuo altero patrono non admittuntur. Quæ exceptio approbatur l. quodcunq; 4. in fine. ff. ſi quid in fraudem patroni. cuius uerba uide ſ. cap. 9. quæſt. 5. reg. 5. Huius exceptionis replicatio uidetur eſſe talis: Niſi patronus defunctus, filio ſuo libertum adſignauerit. Hæc replicatio reprobatur l. ſi ex. 12. ff. de adſignandis libertis, hiſce uerbis:* Si ex duobus patronis alter eorum filio ſuo libertum adſignauerit, non obſtat quo minus alter patronus ius ſolidum ſuum habeat. *Decimaſeptima exceptio eſt: Niſi ex uno patrono filius, ex altero nepotes ſuperſint. hoc enim caſu filius unius patroni excludit alterius patroni nepotes. quæ exceptio approbatur l. ſi libertus. 23. §. ſi lib. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Si libertus inteſtatò deceſſerit, relictis patroni filio, & ex altero filio

duobus nepotibus: nepotes nō admittentur, quamdiu filius est: quia proximum quemq; ad hæreditatem liberti uocari, manifestum est. *Concordat Institut. de successione libertorum. §. multis alijs. ibi: uel duorum. cuius uerba uide* ff. *cod. reg. in prin. Concordat item l. interdum. 51. ff. de operis libertorum. cuius uerba uide* ff. *cap. prox. quæst. 2. except. 1. replic. 8.* Huius exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi duobus patronis existētibus, quorum unus unum, alter duos filios reliquit, & uni ex ijs libertum adsignauit: postea is cui libertus adsignatus est, decesserit, relicto ex se filio & fratre superstite, item alterius patroni filio. hoc enim casu filius eius cui libertus fuit adsignatus, patroni nepos, in semisse, quem patruus, si adsignatio facta non esset, habuisset, succedit. quæ replicatio approbatur l. 2. ff. de adsignandis libertis, his uerbis:* Si is cui adsignasset, decessisset, relicto filio & fratre, & alterius patroni filio: Pomponius ait, semissem habiturum eum nepotem, quē esset filius meus is qui uiuit, habiturus, si ego eum libertum non adsignassem. *Secunda replicatio est:* Nisi nepoti unius patroni libertas sit adsignata. *tunc enim succedit cum alterius patroni filio. quæ replicatio approbatur l. idem. 3. in prin. ff. cod. tt. bis uerbis:* Idem erit dicendum, & si is qui filiū & nepotem habebat, nepoti libertum adsignauerit, admittetur enim nepos ad legitimam hæreditatem, licet sit alterius patroni filius. Et hoc contingit patrui uita. Cęterùm si ille non esset, nihil ei prodesset adsignatio ad deminuendum ius alterius patroni filij. *Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi patronus qui nepoti libertum adsignauit, filiū nō habeat, uel filius quem habuit mortuus sit. *quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce* Et hoc contingit patrui uita. Cęterùm, &c. Decimaoctaua exceptio est: Nisi liberi sint ultra quintum gradum. *bi enim non admittuntur ad bona liberti. quæ exceptio approbatur d. §. multis alijs. ibi: usq; ad quintum gradum. Concordat Institut. de bonorum possessionibus. §. cum enim ad similitudinem. cuius uerba uide* ff. *lib. 28. cap. 2. quæst. 4. Hæc de prima regula, liberorū scilicet patroni.*

II. Regula, De parentibus patroni. *His quoque in bona liberti dabatur successio. quæ regula approbatur Institut. de bonorum possess. §. sexto. item §. cumq; antea. cuius utriusq; uerba uide d. quæst. 4.*

III. Regula, De ijs qui ex transuerso gradu patrono iunguntur. *His quoq; liberti bonorum possessio cō-* petebat. *quæ regula approbatur Instit. de successione libertorum. §. multis alijs. ibi: necnon qui ex transuerso latere ueniunt. cuius uerba uide* ff. *reg. 1. in prin.*

IIII. Regula: *Si filiusfamilias seruum manumiserit patri, non filio competit bonorum possessio. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt* ff. *cap. 1. quæst. 4. reg. 1.*

V. Regula: *Si libertus in seruitutem reuocatus, postea ab alio sit manumissus: posterior manumissor in successione præfertur. quæ regula approbatur l. si lib. 32. ff. de bonis libertorū, his uerbis:* Si libertus meus in seruitutē redactus postea ab alio liberatus sit, & eius cœperit esse libertus: præferetur mihi ad cōtra tabulas bonorū possessionē, qui eum manumisit. *Hæc de tertia quæstione. Plures autem huiusmodi regulas uide* ff. *cap. 1. quæst. 4.*

IIII. QVID ET QVANTVM ueniat in successione proposita?

I. Regula: *Regulariter patronus in omnia bona liberti defuncti succedit. quæ regula approbatur Institut. de successione libertorum. §. sin autem sine, his uerbis:* Si sine liberis decesserint liberti, siquidem intestati: ad omnem hæreditatem patronos patronasq; uocauimus. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi libertus liberis relictis decesserit. tunc enim uirilis pars patrono ex lege Papia debebatur: hoc est, tantum, quantū unus ex liberis defuncti habebat. quæ exceptio approbatur Inst. eod. tt. §. postea uerò. cuius uerba uide* ff. *quæst. 2. except. 1. replic. 13. Sed hodie liberis liberti relictis, nihil patrono debetur: de quo dictum d. except. 1. in prin. item d. replic. 13. Secunda exceptio est: Nisi libertus testamento facto decesserit. tunc enim iure quidem antiquo prætorio debebatur dimidia pars patrono per contra tabulas bonorum possessionem. quæ exceptio approbatur Institut. d. tt. §. qua de causa. cuius uerba uide* ff. *d. except. 1. repl. 1. Hodie uerò iure nouo, testamento facto debetur patrono tertia tantummodò pars bonorum liberti. quod ius nouum approbatur Institut. d. tt. §. sed nostra constitutio. ibi: si uerò testamentum, his uerbis:* Si testamentum quidem fecerint, patronos autem aut patronas præterierint, cum nullos liberos haberent, uel habentes eos exhæredauerint, uel mater siue auus maternus eos præterierint, ita quòd non possint argui inofficiosa eorum testamenta: tunc ex nostra constitutione per bonorum possessionem contra tabulas non dimidiam, ut antea, sed tertiam partem bonorum liberti consequantur: uel quod deest eis, ex constitutione nostra repleatur, si quando minus tertia parte bonorum suorum libertus uel liberta eis reliquerit: ita sine onere, ut nec liberis liberti libertæue ex ea parte, legata uel fideicommissa præstentur, sed ad cohæredes eorum hoc onus redundet. *Ait Imperat.* Ex nostra constitutione. *Hæc constitutio non extat.*

II. Regula: *In capita, non in stirpes diuiditur successio in bona liberti. quæ regula approbatur Inst. de succes. libertorum. §. multis alijs, in fine. cuius uerba uide suprà quæst. prox. reg. 1. in prin. Concordat l. si libertus. 23. §. fin. ff. de bonis libertorū, his uerbis:* Si ex duobus patronis alter unum filium, alter duos reliquisset uiriles inter eos partes fiori, Iulianus dicit.

III. Regula:

III. Regula: Ex *tribus uel pluribus patronis, uel patronorum liberis, uno cessante uel deficiente, reliqui æquales partes in bonis liberti habebunt. quæ regula approbatur l. ex trib. 21. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Ex tribus patronis uno cessante bonorū possessionem petere, duo æquas partes habebunt. *Concordat l. quodcunq; 4. ff. si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide* ff. *cap. 9. quæst. 5. reg. 5. Huius regulæ exceptio hæc est:* Nisi duobus patronis existentibus, *quorum unus unum, alter duos filios reliquit, ex hisce duobus alterius patroni filijs uni libertus sit assignatus. tunc enim is cui assignatus est libertus, duas tertias habebit. quæ exceptio approbatur l. 2. §. si sit ex uno. ff. de adsignandis libertis, hisce uerbis:* Si sit ex uno patrono filius, ex altero duo, & uni eorum libertus adsignatus sit: uidendum quot partes fiant hæreditatis liberti: & utrum tres aut duas habeat is cui adsignatus est, id est, suam & fratris: an uerò æquales partes fiant, quoniam per adsignationem alius excluditur? Et Iulianus libro LXXV. scripsit, magis esse ut bessem hic habeat, qui fratrē excludit. Quod uerum est, quamdiu frater eius uiuit, uel admitti potuit ad legitimam hæreditatem. Cæterùm si fuerit capite minutus, æquales partes habebunt. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi frater eius cui libertus est adsignatus, etiam adsignatione non facta, ad hæreditatem liberti admitti non potuit, uel mortuus sit. quæ replicatio cō-* stat *ex uerbis iam propositis hisce:* Quod uerum est, quamdiu frater eius uiuit, uel admitti potuit ad legitimam hæreditatem, &c.

IIII. Regula: *Deficiente uno ex socijs liberti communis, portio eius alteri adcrescit. Hæc regula approbatur l. communi. 24. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Communi liberto, si ex duobus patronis alter iusiurandum adegerit, ne uxorem ducat: siue liberto uiuo decesserit is qui extra hanc culpam fuerit, uel superuixerit, partis utriusque debitæ bonorum possessionem solus habebit. *Ait Iurisconsultus:* Iusiurādum adegerit, ne uxorem ducat. *Hæc est causa amittendi iuris patronatus: de qua dictum* ff. *cap. 2. quæst. 1. causa 1. Concordat l. quodcunq; 4. ibi: sed si utriles. ff. si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide* ff. *cap. 9. quæst. 5. reg. 5.* Pro quota autem parte singulis adcrescat, *si plures supersint, dictum suprà reg. prox. Plane huius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi non hæreditas liberti petatur, *sed ex stipulatu ad operas præstandas agatur. tunc enim portio deficientis ad filium eius pertinet, non socio adcrescit. Quæ exceptio approbatur l. à duob. 4 ff. de operis libertorum. cuius uerba uide* ff. *cap. prox. quæst. 3. reg. 1. except. 1. repl. 7. Secunda exceptio est:* Nisi cum duo patroni essent, libertus uno deferente iurauerit se libertum eius non esse. *hoc enim casu, quamuis unus patronus propter iusiurādum præstitum, & exceptionem ex eo competentem deficiat: portio tamen eius alteri nō adcrescit. quæ exceptio approbatur l. si duo. 17. in prin. ff. de iureiurando. cuius uerba uide* ff. *lib. 7. cap. 7. quæst. 6. reg. 2.* Tertia exceptio est: Nisi unus ex patronis ex debita parte hæres à liberto sit institutus. *tunc enim portio alterius patroni deficientis ei nō adcrescit: quæ exceptio approbatur l. siue libertus. 21. §. ex duobus. ff. de iure patronatus. cuius uerba uide* ff. *cap. prox. quæst. 1. exc. 1. in prin.*

DE CONTRA TABVLAS bonorum possessione liberti. Cap. VIII.

Species successionis in bona liberti, est contra tabulas bonorum possessio: *de qua cum suprà cap. prox. in generali successione multa dicta sunt, tū in hoc capite specialiter etiam dicetur.*

I. CAVSA HVIVS SVCCESSIONIS cum suis exceptionibus.

Si libertus facto testamento patronum eiusue liberos prætermiserit, datur patrono eiusue liberis contra tabulas liberti bonorum possessio. quæ causa seu regula approbatur Inst. de successione libertorum. §. sed nostra constitutio. ibi: si uerò testamentum. cuius uerba uide ff. *cap. prox. quæst. 4. reg. 1. except. 1. Concordat Instit. eod. tt. §. qua de causa. cuius uerba uide* ff. *cap. prox. quæst. 2. except. 1. repl. 1. Huius regulæ exceptiones licet uidere* ff. *cap. prox. quæst. 2. Sed præter eas sunt & aliæ plures speciales hic enumerandæ.*

I. Exceptio: Nisi patronus in testamento liberti hæres sit institutus, iudiciumq; defuncti liberti agnouit. *Hæc exceptio approbatur l. etsi. 6. §. sin. cum lege sequente. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Patronus patronique liberi, si secundum uoluntatem mortui liberti hæreditate adierint, legatumue aut fideicōmissum petere maluerint: ad cōtra tabulas bonorum possessionem non admittuntur. Nam absurdū uidetur, licere eisdem partim comprobare iudicium defuncti, partim euertere. *Concordat l. etiam. 3. §. toties. ff. eod. tt. bis uerbis:* Toties ad bonorum possessionem contra tabulas inuitatur patronus, quoties non hæres est ex debita portione institutus. *Item concordat l. siue libertus. 21. §. ex duobus. ff. de iure patronatus, his uerbis:* Ex duobus patronis unus ex debita parte hæres institutus sine cōditione & dilatione, contra tabulas bonorum possessionem petere nō poterit, nec adcrescit portio alterius patroni non petentis: licet si minor ei portio esset relicta, & contra tabulas bonorum possessionem petijsset, alia etiam portio ei adcrescere potuisset. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi portio alterius patroni *in testamento prætériti postea ei adcrescat. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Nec adcrescit portio alterius patroni non petentis: licet si minor, &c. *Secunda replicatio est:* Nisi *ex minore quàm debita*

parte hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur d.l.21.§.1. his uerbis: Excluditur contra tabulas bonorum possessione patronus, etsi ex uncia hæres instituatur: & id quod deest ad supplendam debitam portionem, per seruum iudicio liberti sine conditione & dilatione ei in hæreditate uel legato siue fideicommisso quæri potest. Hic locus mendosus non caret. Planè hoc casu ad supplendum id quod legitimæ parti deest, agere potest, ut ex iam dictis constat: idq; etiamsi quasi ex debita parte institutus adierit. quod approbatur l.si uerò.8.§.1.ff.de bonis libertorum, his uerbis: Quinimò etsi sic adijt, quasi ex debita portione institutus, mox apparuit eum minorem partem quàm sperauit accepisse: æquissimum est, admitti eum ad suum auxilium. Concordat item l.si libertus.20.§.libertus.ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.quæst.5.except.3. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi non purè, sed sub conditione patronus hæres sit institutus. Hæc replicatio approbatur quidem ipso iure, uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi talis sit conditio, quam prætor remittere solet. quæ duplicatio approbatur d.l. 10. in prin. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Si libertus sub conditione iurisiurandi, quod prætor remittere solet, patronum instituit hæredem: non puto dubitandum, quin à bonorum possessione submoueatur. Verum est enim, eum hæredem factum. Secunda duplicatio est: Nisi conditio, sub qua patronus institutus est, uiuo testatore uel ante aditam hereditatem extiterit. Hæc duplicatio approbatur l.etiã.3.§.si patronus. ff.eod.tt.his uerbis: Si patronus sub conditione sit institutus, eaq; conditio uiuo testatore extiterit: contra tabulas bonorum possessionem accipere non potest. Quid ergo, si mortis tempore pependit, extitit tamen antequam patrono deferatur bonorum possessio, hoc est, ante aditam hereditatem: an inuitetur ex hac parte edicti? & magis est, ut aditæ hæreditatis tempus spectetur. hoc enim iure utimur. Tertia duplicatio est: Nisi conditio in præteritum uel præsens tempus sit collata. Hæc duplicatio approbatur d. §. si patronus, in fine, his uerbis: Si tamen in præteritum collata sit conditio, uel ad præsens: non uidetur sub cõditione institutus. Aut enim impleta est, & purè institutus est: aut non est, nec hæres institutus est. Quarta duplicatio est: Nisi sub hac conditione, Si filius meus me uiuo morietur: patronus hæres sit institutus. Hæc duplicatio approbatur d. l.3.§.libertus, his uerbis: Libertus, si patronum suum ita hæredem scripserit, Si filius meus me uiuo morietur, patronus hæres esto: nõ malè uidetur testatus. nam si decesserit filius, poterit hic existente conditione accipere bonorum possessionem. Hæc de tertia replicatione, eiusq; duplicationib. sunt dicta. Quarta replicatio est: Nisi hæres institutus patronus sit gratus eam hæreditatem, uel certam partem, uel rem aliquam restituere. Hæc replicatio reprobatur, quoniam ad id quod rogatus est præstandum seu restituendum nõ tenetur: de quo dictum ẽ.lib.32.cap.4.except. 40.replic.12.dupl.1. Quinta replicatio est: Nisi patronus hæreditatem uel legatum sibi relictum ex testamento non perceperit: uel petens ex testamento hæreditatem uel legatum, exceptione repellatur. Hæc replicatio approbatur l.si uerò.8.in prin. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Si uerò non habuerit effectũ petitio eius: dico non impediri, quo minus adiuuetur. Huius duplicatio hæc est: Nisi patronus sua culpa relictum non perceperit. Hæc duplicatio approbatur exemplis l.si patronus.19.ff.de bonis libertorum, his uerbis: Si patronus ex minore parte quàm legitima hæres institutus, falsum testamentum dixisset, nec obtinuisset: non est ambiguum, contra tabulas ei non deferri bonorum possessionem, eo quòd facto suo perdidit hæreditatem, cum temerè falsum dixit. Quòd si ex debita parte fuerit institutus: siue adijt, siue non, à contra tabulas bonorum possessione repellitur: quia si debitam sibi portionem acceperit, nec poterit contra tabulas bonorum possessionem petere. Aliud exemplum proponitur l.ſi quis.6. §.si patronus. ff.ad l.Cornel. de falsis. cuius uerba uide suprà lib. 4. cap.8. quæstion.1. causa 17. except. 6. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi patronus hæres institutus, suspectam dixerit hæreditatem, eamq; compulsus adierit & restituerit. Hæc triplicatio reprobatur l.nihil.50. §.si patronus.ff.eod.tt.his uerbis: Si patronus ex debita portione à liberto scriptus, rogatusque hæreditatem restituere, suspectam dixit: & compulsus adire, cum retinere posset, restituerit: non poterit contra tabulas accipere bonorum possessionem: & quia agnouit iudicium liberti, & quia spreuit & quasi damnauit eam possessionem. Secunda triplicatio est: Nisi filius patroni à liberto adrogatus, hæreditatem eius tanquam filius liberti repudiauerit. hoc enim casu non prohibetur eandem tãquam filius patroni per contra tabulas bonorum possessionem petere. quæ triplicatio approbatur d.§.si patronus, his uerbis: Longè distat ab hoc patroni filius, quem libertus adrogauit, & ex minore parte hæredem scripsit, cum nemo ex familia patroni alius esset. quanquam enim hic ipso iure (quippe suus) hæres deprehendatur: si tamen se non immiscuit hæreditati ut patris, sed abstinuit: quasi patroni tamen filius admittendus est ad contra tabulas bonorum possessionem. Sexta replicatio est: Nisi patronus hæreditatem uel legatum ex testamento liberti non agnouerit. Hæc replicatio approbatur l.si uerò.8.§.1.ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide ẽ.repl.2. Huius autẽ duplicatio hæc est: Nisi ex debita parte hæres sit institutus, eamq; accipere recu-

re recuset. quæ duplicatio approbatur l.si patronus.19. §.quòd si ex debita. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.repl. prox.dupl.1.in prin. Septima replicatio est: Nisi patrono quidem hærede instituto, liberi eius, qui postea contra tabulas bonorum possessionem petunt, instituti non sint. Hæc replicatio approbatur l. libert. 5. in prin.ff.de bonis libertorum, his uerbis: Libertinus qui patronum patroniq́ue liberos habet, si patronum ex parte debita hæredem instituit, liberos eius in eandem portionẽ substituere debet: ut licet patronus uiuo liberto mortuus fuerit, satisfactum uideatur liberis eius. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi patrono eiusq; filio emancipato instituto, nepotem ex eo præterierit. quæ duplicatio approbatur d.l.5.in fine, his uerbis: Si patroni filium emãcipatum, & nepotem ex eo, qui in aui familia remansit, libertus habeat: filio tantùm, non etiam nepoti satisfacere debebit libertus: nec ad rem pertinet, quòd ad parentis bona pariter uocantur. Ratio huius duplicationis proponitur l.2.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap. prox.quæst.3.reg.1.except.14. Altera duplicatio est: Nisi patronus hæres institutus, tempore mortis liberti uixerit. Hæc duplicatio approbatur d.l.2.§.sed si patronus, his uerbis: Si patronus hæres institutus, uiuo liberto decessisset, superstitibus liberis: quæsitum est, an illi contra tabulas testamenti bonorum possessionem petere possint? & eò decursum est, ut mortis tempus, quo defertur bonorum possessio, spectari debeat, an patronus non sit: ut si sit, ex parte prima edicti, liberi eius bonorum possessionem petere non possint. Hæc de prima exceptione, eiusq; replicationibus. Plures huiusmodi replicationes uide ẽ.except.prox.

II. Exceptio: Nisi patrono præterito quid legatũ sit à liberto, uel alio modo ei satisfactum. Hæc exceptio approbatur l.etsi.6.§.fin.ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide ẽ.except.prox.in prin. Concordat l.etiam. 3.§.si debita.ff.eod.tt.his uerbis: Si debita patrono portio legata sit: etsi scriptus hæres non fuerit, satisfactum est ei. Sed etsi institutus sit ex parte minore quàm ei debetur, residua uerò pars suppleta est ei legatis siue fideicommissis: & ita satisfactum ei uidetur. Sed & mortis causa donationibus poterit patrono debita portio suppleri. Nam mortis causa donationes uice legatorum funguntur. Concordat item l.nihil.50.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis: Si debẽti patrono certam pecuniam liberationem libertus reliquit, isq; usus est aduersus hæredem petentem debitum exceptione doli, aut acceptilatione liberatus est debito propter legatum: dicendum est, eum non posse accipere contra tabulas bonorum possessionem. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi patronus id quod sibi relictũ est, non agnouit. Hæc replicatio constat ex ijs quæ sequuntur. Secunda replicatio hæc est: Nisi patronus donationem sibi à liberto factam, uiuo eo, nõ post mortem eius agnouerit. Hæc replicatio approbatur l.si uerò.8.§ sed & si.ff.d.tt.his uerbis: Sed & si mortis causa donationem acceperit: dicendũ est, repelli eum à cõtra tabulas bonorum possessione: sic tamen, si post mortem liberti agnouerit. Cæterùm si ei uiuus libertus donauit, & ille accepit: non idcirco erit repulsus à contra tabulas bonorum possessione: quia poterit dicere sperasse, quòd in testamento quoq; gratus circa eum fieret: permittiq; ei debet ab eis decedere, uel ea cõpensare in portionem pro rata. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi uiuo liberto donationem contemplatione debitæ portionis ab eo factam agnouerit patronus. quæ duplicatio approbatur l.etiã. 3.§.antepen.ff.eod.tt.his uerbis: Sed etsi non mortis causa donauit libertus patrono, contemplatione tamen debitæ portionis donata sunt: satisfactum ei uidetur. tunc enim uel quasi mortis causa imputabuntur, uel quasi agnita repellent patronum à contra tabulas bonorum possessione. Tertia replicatio est: Nisi testatò conuento hærede ut legatum solueretur, mox pœnituit patronum. Hæc replicatio approbatur l.si uerò.8. §.1. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Sed & si testatò conuenisset hæredem, ut sibi legatum solueretur, mox pœnituisset: puto eum posse adiuuari. Quarta replicatio est: Nisi legatum patrono sit ereptum. Hæc replicatio approbatur d.l.8.§.si patronus, his uerbis: Si patronus legatum sibi relictum agnouerit, idq; fuerit ereptum: competit ei legitimum auxilium: quia id quod sperauit se habiturum, non habet. Sed etsi non totum ereptum sit, uerùm aliquid minus habet, quàm putauit: erit ei subueniendum. Quinta replicatio est: Nisi seruus legatus mortuus sit. Hæc replicatio reprobatur l.si patronum. 44.§.patronus.ff.d.tt. his uerbis: Patronus hæres institutus, legato ei seruo, per quem suppleretur debita ei portio: nõ petet contra tabulas bonorum possessionem, quamuis seruus clausis tabulis decessit. Sexta replicatio est: Nisi rem alienam, non suam patrono libertus legauerit. Hæc replicatio approbatur ratione supradictæ replicationis quartæ. Eius autem duplicatio hæc est: Nisi rem alienam à patrono emptam libertus ei rursus legauerit. Hæc duplicatio approbatur l. patrono.31. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Patrono libertus fundum, quem ab eo alienum emerat, legauit: & constituit patronus, ad se pertinere legatum. contra tabulas bonorum possessionem accipere nõ potest, etsi nihil profecit ei legatum, quia alienam rem legauerat ei libertus: quia patronus ipse eum liberto uendiderat. Septima replicatio est: Nisi patronus minor uigintiquinque annis agnouerit legatum sibi relictũ. Hæc replica-

tio approbatur l.si uerò.8.§.fin.ff.d.tt.his uerbis: Si patronus minor annis uigintiquinque liberti iudicium agnouerit: in integrum eũ restitui oportere existimamus, ut possit contra tabulas accipere. *Octaua replicatio est: Nisi patronus deceptus falsum defuncti iudicium agnouerit. Hæc replicatio approbatur l. Paulus.4.6.ff.d.tt.his uerbis:* Paulus respondit: Patronus qui deceptus falsum iudicium testatoris secutus est, bonorum possessionẽ contra tabulas testamẽti liberti petere nõ prohibetur. *Plures huiusmodi replicationes uide ẽ. except. prox.*

III. *Exceptio: Nisi patronus præteritus, conditionis implendæ causa quid ex bonis liberti percepit. Hæc exceptio species est exceptionis præcedentis, & approbatur l.etiam.3.§.penult.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si patrono conditionis implendæ causa quid datum sit: in portionem debitam imputari debet, si tamen de bonis sit liberti profectum. *Concordat l. si uerò. 8. §. penult.ff.eod.tt.his uerbis:* Si conditionis implendæ causa fuerit quid datum patrono post mortem liberti: dicitur, repelli eum à contra tabulas bonorum possessione, quasi agnouerit iudicium.

IIII. *Exceptio: Nisi filio uel seruo patroni quid à liberto sit relictum, idq; patronus agnouerit. Hæc exceptio approbatur d.l.8.§.si seruo.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si seruo uel filio suo aliquid relictum patronus agnouerit: perinde à cõtra tabulas bonorum possessione repelletur, atque si agnouisset sibi relictum. *Concordat l.si necem.4.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si extraneus à liberto hæres institutus, rogatus sit patroni filio hæreditatem restituere: cũ ex senatusconsulto Trebelliano restituta hæreditate hæredis loco filius habeatur, patronus submouendus est. *Concordat item l. nihil.50.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Nihil interest, ipse patronus scriptus hæres ex minore parte adierit hæreditatem, an seruum suũ scriptum iusserit adire hæreditatem quam retinet. nihilominus enim repulsus erit à cõtra tabulas bonorum possessione. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi antequam seruum iuberet relictum agnoscere, illum alienauit uel manumisit. Hæc replicatio approbatur d.l.50.in prin. his uerbis:* Si tamen, antequam iuberet liberti hæreditatem adire, seruum uendiderit aut manumiserit, & ita ipse nouus liber tus aut emptor hæredes extiterint: uerbis edicti non prohibetur patronus accipere contra tabulas bonorum possessionem. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ob relictũ pluris seruum uendiderit, uel filium in fraudem edicti emancipauerit. Hæc duplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Sed nunquid prætor denegare ei possessorias actiones debeat, si fraudem edicto eius facere uoluit, ut precio uberiore percepto, uel tacita pactione etiam hæreditatis ex institutione delatæ commodum, & bonorum possessionis contra tabulas haberet? Faciliorque suspicio per filium scriptum hæredem, quamuis emancipatum adeuntem, liberti hæreditatem ipsum patronũ habere: cum omnia quę nostra sunt, liberis nostris ex uoto paremus. Si tamen adhuc clausis tabulis testamenti liberti, cum ignoraret iudicium eius patronus, eorum quid quæ suprà scripta sunt, circa institutum subiectum iuri suo fecit: amota fraudis suspicione, suo iure bonorũ possessione contra tabulas utetur.

V. *Exceptio: Nisi libertus decesserit non soluendo. Hæc exceptio reprobatur l. libertus. 36.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Libertus qui soluendo non erat, prætorio patrono extraneos reliquit hæredes. quæro, an possit patronus petere contra tabulas bonorum possessionem? Iabolenus respondit: Cum à scriptis hæredibus adita est hæreditas, patronus contra tabulas bonorũ possessionem potest petere: quia soluendo hæreditas est, quæ inueniat hæredem. Et sanè absurdum est, ius patroni in petenda bonorum possessione cõtra tabulas aliorum computatione, non iudicio patroni æstimari, auferriq; patrono quod modicum uindicaturus est. Multi enim casus interuenire possunt, quibus expediat patrono petere bonorũ possessionem: quãuis æris alieni magnitudo, quã libertus reliquit, facultates patrimonij eius excedat. Veluti si prædia sunt aliqua ex bonis liberti, in quibus maiorũ patroni sepulchra sint, & magni æstimat patronus bonorũ possessionis iura pro parte eà ad se pertinere: uel aliquod mancipium, quod non precio, sed affectu sit æstimandum. Non ergo ideo minus habere debet ius petendę bonorũ possessionis, quia animo potius quàm aliorũ computatione bona liberti æstimat: cùm eo ipso sufficere patrimonium uideri possit, quòd & hæredem habeat, & bonorum possessorem.

VI. *Exceptio: Nisi seruus suis numis emptus & manumissus sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.1.C.de bonis libertorum, his uerbis:* Multum interest, utrum quis suis emptus atq; manumissus sit ab emptore, an à domino suo data pecunia mereatur libertatem. Priore casu ad bona contra tabulas admitti patronum non placet: posteriore omnia iura patronatus retinet. Et ideo cum Sabiniani patroni filij, qui plenum ius habuit, ut hostis publici bona fisco uindicata sunt: secundum ea quæ diuo Pertinaci placuerunt, & nos secuti sumus, in iura libertorũ eius fiscus noster succesſit. *Huius exceptionis repli-*

catio hæc est: Nisi dominus ipse accepto precio, seruum manumisit, non alij uendidit. Hæc replicatio constat ex uerbis iam propositis. Cui concordat l. Titius.3.ff.de obsequijs. cuius uerba uide ẽ.cap.5.quæstion.1.except.3. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non à seruo, sed ab alio dominus numis acceptis, seruum manumisit. Hæc duplicatio approbatur l. etiam.3.§.1.ff.de bonis libertorum, his uerbis: Si quis numos acceperit ut manumitteret, non habet cõtra tabulas bonorum possessionem. *Planè propositæ duplicationi contradicere uidetur d. l.3.ff.de obsequijs.*

VII. *Exceptio: Nisi præteritus libertum defunctum ex causa fideicommissi manumisit. Hæc exceptio reprobatur l.1. C.de bonor.possess.contra tabul.liberti, his uerbis:* Licet ex causa fideicommissi manumissus sit is, quem ex uoluntate patris cum sorore tua te manumisisse proponis: tamen si extraneos scripsit hæredes, partis legitimæ contra tabulas eius bonorũ possessionem petendo, uel contra nũcupationem, si testamentum sine scriptis cõditum est, intra tempora edicto præstituta eam partem poteris obtinere. *Concordant ea quæ habentur ẽ.cap.1.quæst.4.reg.8.*

VIII. *Exceptio: Nisi præteritus hac lege seruum emerat, ut manumitteret. Hæc exceptio reprobatur l. etiam.3.§.1.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si hac lege emit quis ut manumittat, ad hanc partem edicti pertinebit.

IX. *Exceptio: Nisi libertus defunctus ius aureorum annulorum impetrauerat. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.in prin.his uerbis:* Etiamsi ius annulorum consecutus sit libertus à principe, aduersus huius tabulas uenit patronus, ut multis rescriptis continetur. hic enim uiuit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. *Concordat l.qui ius.5.ff.de iure aureorum annulorum. cuius uerba uide ẽ.cap.2.quæst.1.causa 14.in prin.*

X. *Exceptio: Nisi libertus natalibus fuit restitutus. Hæc exceptio approbatur d.l.3.in prin. his uerbis:* Si natalibus redditus sit libertus, cessat cõtra tabulas bonorum possessio. Idẽ, etsi à principe liberam testamenti factionem impetrauit. *Concordat l.2.ff.de natalib.restituendis. cuius uerba uide ẽ.cap.2.quæst.1.causa 15.in prin.*

XI. *Exceptio: Nisi libertus à principe liberam testamenti factionem impetrauerit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Idem, etsi à principe liberam testamenti factionem impetrauit.

XII. *Exceptio: Nisi præteritus liberam testamenti factionem liberto concesserit. Hæc exceptio reprobatur l. Paulus.47. §. patroni. ff. de bonis libertorum, his uerbis:* Patroni filius epistolam talem liberto misit: Sempronius Zoilo liberto suo S. Ob merita tua fidem q; tuam, quam mihi semper exhibuisti, concedo tibi liberam testamenti factionem. quæro, an patroni filio nihil relinquere debeat? Paulus respõdit, eum libertum de quo quæritur, liberã testamenti factionem consecutum non uideri. *Contradicere uidetur l.si quis.3.C.de bonis libertorum. cuius uerba uide ẽ.cap.2.quæst.1.causa 4.* §

XIII. *Exceptio: Nisi libertus apud hostes decesserit. Hæc exceptio reprobatur l.si necem.4.§.1.ff.d. tt.his uerbis:* Si libertus captus ab hostibus ibi decesserit: quamuis liberti appellatio eũ non tangat: tamen propter legem Corneliam, quæ testamentum sic confirmat, atq; si in ciuitate decesserit: patrono quoq; bonorum possessio danda erit.

XIIII. *Exceptio: Nisi præteritus liberti necem non uindicauerit. Hæc exceptio approbatur l. Iulianus.37.§.fin.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si libertus hæredem scripserit, isq; priusquam de familia quæstionem haberet, adierit hæreditatem: patronum ad contra tabulas bonorum possessionem non admitti, Iulianus ait. debuit enim & patronus liberti necem uindicare. Quod & in patrona erit dicendum.

XV. *Exceptio: Nisi patronus libertatis causa imposita elegerit, uel liberto reuendiderit. Hæc exceptio approbatur d.l.37.in prin.his uerbis:* Iulianus ait, Si patronus libertatis causa imposita liberto reuẽdiderit, filium eius à bonorum possessione submoueri: scilicet, quia nec cõtra tabulas testamẽti liberti bonorum possessionem acciperet, quoties pater eius donũ, mũnus, operas liberto reuendiderit. *Concordat l.qui onerandæ.32.ff.de operis libertorũ. cuius uerba uide ẽ.cap.4.reg.16.in prin. Concordat item l.fi cut.20.ff.de iure patronatus. cuius uerba uide ẽ. cap. prox.quæst.2.exc.6. item concordat l.si quam.4.C.de operis libertorum. cuius uerba uide suprà cap.6.quæst. 5.reg.9. Concordat item l.2.C.de bonor.poss.contra tabul.liberti, his uerbis:* Patronus liberti muneribus electis & operis, à contra tabulas bonorum possessione repellitur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi non patronus, sed patroni filius libertatis causa imposita elegerit. hic enim alijs patroni liberis non præiudicat. quæ replicatio approbatur d.l.37.§.1.his uerbis:* Planè si patroni filius libertatis causa imposita reuendiderit: nihilominus familiam bonorum possessionem cõtra tabulas liberti accipere ait: quia filius reuendendo libertatis causa impositam, fratrem suum non submouet.

XVI. *Exceptio: Nisi hæreditas ex testamento nõ sit adita. Hæc exceptio approbatur l.etiã.2.§.ut patronus.ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide ẽ.quæst. 6. Hæc de exceptionibus propositæ causæ. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide ẽ.cap.2. quæst.1. item suprà cap.prox.quæst.2.*

II. QVIBVS COMPETIT successio proposita?

Patrono prætorio mortuo, eius quoq; liberis da-

tur bonorum possessio contra tabulas testamenti liberti. quæ regulæ approbatur simul & distungitur per ea quæ proposita sunt suprà quæst.proxim. except. 1. repl.7. Plures propositæ quæstionis regulas uide §. cap.proxim.quæst.3.

III. QVID QVANTVM'QVE ueniat in proposita successione?

I. Regula: Patrono præterito,iure quidem antiquo dabatur dimidia pars bonorum liberti,iure uerò nouo dætur tantùm tertia: de qua re dictum §.cap.proxim. quæst.4.reg.1. except.2. Reliquas propositæ quæstionis regulas uide §.d.quæst.4.

IIII. EX QVIBVS LIBERTI bonis portio patroni detrahenda?

Regulariter quidem ex omnibus liberti bonis patrono tertia pars debetur. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ex bonis quæ mortis tempore libertus non habuit.ex his enim patrono tertia pars non debetur. quæ exceptio approbatur l.etiam.3.§.fin.ff.de bonis libertorum,his uerbis: Debitam partem eorum quæ cum moritur libertus habuit, patrono damus. mortis enim tempus spectamus. *Huius exceptionis exempla proponuntur l.si patronum.44.§.si ex bonis.ff.d.tt. his uerbis*: Si ex bonis quæ mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hæreditate uel legato,seruus tamẽ post mortem liberti reuersus ab hostibus augeat patrimoniũ: nõ potest patronus propterea queri, quòd minus habeat in seruo,quàm haberet,si ex debita portione esset institutus. Idem est in alluuione, cum sit satisfactum ex his bonis,quæ mortis tempore fuerunt. Idẽ, etsi pars legati liberto relicti ab eo, cui simul datum erat,uel hæreditatis,nunc illis abstinentibus,adcrescat. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi in fraudem patroni libertus quædam alienauit. quæ replicatio approbatur d.l.3.§.fin. his uerbis*: Sed & si dolo malo fecit, quo minus habeat:hoc quoq; uoluit prætor pro eo haberi,atq; si in bonis esset. *De hac re uide plura §.cap.prox. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi ususfructus fundi à liberto post mortem eius alteri sit legatus. hoc enim casu, quamuis fundus pleno iure ad libertum,dum uiuit, pertinet, & in bonis eius numeratur: tamen ususfructus pars tertia patrono nõ debetur,sed nudæ tantùm proprietatis. quæ exceptio approbatur l.à lib.35.ff.de bonis libertorũ, his uerbis*: A liberto suo hærede Seius usumfructum fundi Mæuio legauit.libertus Mæuio hærede relicto decessit.quæro,cum contra tabulas testamenti petierit Seij filius aduersus Mæuium, utrũ deducto usufructu pars debita eius fundi restituẽda sit,an solida: quia eorum bonorum possessionem acceperit, quæ liberti fuerunt, cum moreretur filius? Iabolenus respondit: Vsumfructum in causam pristinam restituendum puto. Optimũ itaq; erit arbitrum postulare, ut arbitrio eius ususfructus in integrũ restituatur. *Tertia exceptio est: Nisi bona libertus in castris adquisierit. in his enim nihil iuris patronus habet. quæ exceptio approbatur l.etiam.3.§.patronus.ff.de bonis libertorum, his uerbis*: Patronus contra ea bona liberti omnino nõ admittitur,quæ in castris quæsita sunt. *Concordat l.cum antiquis.37.§.hoc nihilominus.C.de inofficioso testamento. cuius uerba uide ff.lib.31.cap.4.quæst.2.except.2. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi libertus de castrensibus tantùm bonis sit testatus,uel alium castrensium,alium cæterorum bonorum hæredem scripserit: quorum hic omiserit hæreditatẽ,ita ut ad hæredes ab intestato pertineant.tunc enim,quia castrensia tãtùm bona ad causam testamenti pertinent, ex his debita patroni portio uidetur deducenda. Quæ replicatio reprobatur l.si filius.42.§.Papinianus.ff.de bonis libertorum,his uerbis*: Castrensium bonorum Titium libertus fecit hæredem, cæterorum alium. adita est à Titio hæreditas. Magis nobis placebat, nondum patronum possessionẽ contra tabulas petere posse. uerùm illa quæstio interuenit,an omittente eo qui reliqua bona accepit,perinde Titio adcrescant,ac si partes eiusdem hæreditatis accepisset? Verius mihi uidetur,intestati iure deferri bona cætera. Titius igitur hæres non poterit euitare manumissorem (cùm Titio nihil auferatur)in cæteris bonis, quæ nondum ad causam testamenti pertinent. *Ait iurisconsultus*: Cùm Titio nihil auferatur. *Scilicet ex bonis castrensibus. Quarta exceptio est: Nisi libertus miles pro parte testatus,pro parte intestatus decesserit.tunc enim ex ijs bonis quæ ad causam testamenti non pertinent, debita patroni portio non uidetur detrahenda. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Titius igitur hæres non poterit euitare manumissorem (cùm Titio nihil auferatur) in cæteris bonis, quæ nondum ad causam testamẽti pertinent. *Cõcordat l.si duob.37.ff.de milẽtari test. cuius uerba uide ff.lib.28.cap.24.reg.1.exc.1.*

V. EX QVORVM PARTIBVS tertia patroni portio deducenda?

Regulariter quidem ex omnium hæredũ partibus, & legatariorum rebus legatis, debita patrono portio est deducenda. quæ regula approbatur l.in seruitutẽ. 16.§.fin.ff.de bonis libertorum,his uerbis: Si patronus sit substitutus, & patronus uiuo testatore decesserit:filium patroni perentem cõtra tabulas bonorũ possessionẽ, non solius substituti partẽ occupare, uerùm omnibus hæredibus pro parte aliquid auferre constat. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi patronus ex aliqua parte sub cõditione institutus uel substitutus fuit. tunc enim existẽte postea cõditione,ex ea sola parte debita portio detrahenda, ex qua patronus inutiliter institutus uel substitutus fuit, non etiam ex partibus*

partibus cæterorum hæredum.Hæc exceptio approbatur l.Iulianus.41.ff.eod.tt.his uerbis: Iulianus putat, patronum, qui Titio pro parte dimidia hærede instituto substitutus, eo deliberante,bonorum possessionem contra tabulas accepit: si postea Titius non adierit hæreditatem: nihil ei qui adijt hæreditatem, abstulisse, non magis quàm si sub conditione fuisset institutus. Igitur Titio deliberante,res in incerto erit,utrúmne semis ex substitutione in possessionem conuertatur,an Titio adeunte singulis hæredibus partes debitæ auferantur? *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi conditio sub qua patronus inutiliter institutus pro parte,uel substitutus fuit,defecerit.quæ replicatio constat ex uerbis iã propositis hisce*: Igitur Titio deliberãte,res in incerto erit,&c. *Secunda replicatio est: Nisi patronus uiuo testatore,uel pendente conditione sit mortuus. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.16.§.fin.§. propositis hisce*: Si patronus sit substitutus,& patronus uiuo testatore decesserit, &c. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi ex duobus patronis unus cum quibusdam extraneis hæres institutus sit,alter præteritus. tunc enim ex patroni hæredis institutis parte præteritus nihil auferet,sed ex partibus coheredum,quæ exceptio approbatur l.si lib.14. ff.de bonis libertorum,his uerbis*: Si libertus,cum duos patronos haberet, alterum præterijt, alterum ex semisse hæredem fecit,& alteri extraneo semissem dereliquit: scriptus quidem patronus debitam sibi partem immunem habet:de cætera autem parte patroni, quæ supra debitam ei relicta est, & de semisse extraneo relicto, alteri patrono pro rata portione satisfieri oportet. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi patronus ex maiore quàm debita parte hæres sit institutus. tunc enim ex eo quod debitam partem excedit,patronus præteritus suã partem pro rata deducet.quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: De cætera autem parte patroni, quæ supra debitã ei relicta est, &c. *Concordat l.si ex.10.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*:Si ex patronis alicui satisfactum non erit, ita ut alteri amplius sua portione ex bonis liberti relinquatur: ei cui satisfactum non erit,ita actio dabitur, ut eius portio suppleatur ex eo quod extraneo hæredi, & quod patrono supra portionem suam relictum est. Eadem ratio & in pluribus patronis seruabitur. *Tertia exceptio est: Nisi patrono aliqua pars bonorum liberti sit relicta,sed minor debita portione, tunc enim non totam debitam portionem ex singulorũ hæredum partibus detrahet:sed illud quod ei relictum est,in debitam portionem computabitur: & si quid minus relictum est, id ex aliorum partibus pro rata supplebitur. Quæ exceptio approbatur l.si libertus.20.ff. de bonis libertorum,his uerbis*: Libertus patronũ & extraneum cõiunctim ex parte dimidia hæredem scripsit.quadrans ex quo institutus erat patronus, totus ipsi imputari debebit:residuum ex debita sibi parte omnibus hæredibus pro portione cuiusq; auferet. Idem seruari conueniet in legato, quod cõiunctim patrono & Titio datum fuerit: ut pars legati in portionem debitam patrono imputetur: ex reliqua parte tantum Titio detrahatur, quantum ab hærede pro rata portione. *Quarta exceptio est: Nisi duos hæredes scripserit libertus, unum castrensium, alterum cæterorum bonorum. hoc enim casu ex parte eius qui castrensium bonorum scriptus est hæres, nihil deducetur, sed ex parte cæterorum bonorum. quæ exceptio approbatur l. si filius. 42. §. Papinianus. ff.d.tt. cuius uerba uide §.quæst.prox.except.3.*

VI. QVANDO CONTRA tabul. bonor. possess. petenda?

Ante aditam hæreditatem non competit. quæ regula approbatur l.etiam.3.§.ut patronus. ff. de bonis libertorum,his uerbis: Vt patronus contra tabulas bonorum possessionẽ accipere possit, oportet hæreditatem aditam esse, aut bonorum possessionem petitam. Sufficit autem uel unum ex hæredibus adijsse hæreditatem, bonorúmue possessionem petijsse. *Ait iurisconsultus*: Sufficit autem uel unum ex hæredibus adijsse hæreditatem. *Huius exceptio hæc est: Nisi imo bonorum castrensium,altero cæterorum hærede instituto:castrensium bonorum hæres adierit,alter non.tunc enim nondum datur propositæ possessio, nisi alter quoq; uel adierit, uel repudiauerit.quæ exceptio approbatur l.si filius.42.§.Papinianus.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.quæstion.4.except.3.repl.1.*

VII. EVENTVS BONORVM possessionis contra tabulas.

I. Regula: Quamdiu bonorum possessio contra tabulas peti potest, scriptis hæredibus aduersus debitores hæreditarios agentibus obstat exceptio. Quæ regula approbatur l. quamdiu. 25. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Quamdiu patrono bonorum possessio partis debitæ dari potest, exceptio debitoribus dabitur aduersus hæredem petẽtem: si non in ea causa sit patronus,ut bonorum possessionem pro parte debita contra tabulas petere possit.

II. Regula: Patronus contra tabulas bonorum possessionem petens, ab omni liberti iudicio repellitur. quæ regula approbatur l. in seruitutem. 16. §. si quis bonorum. ff. de bonis libertorum, his uerbis: Si quis bonorũ possessionẽ contra tabulas liberti accepit, ab omni liberti iudicio repellitur: nec tãtùm,si ipsi libertino hæres fuerit scriptus,uerùm etiã impuberi filio substitutus. Nã & Iulianus scripsit,si post petitã bonorũ possessionem adierit impuberis filij libertl hæreditatem patronus,denegari ei debere

actiones. Sed & ſi quid codicillis fuerit patrono relictum,uel mortis cauſa donatum: ſimili modo horum quoq; perſecutio denegabitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi patronus id quod ſibi relictum eſt,alij reſtituere à liberto fuerit rogatus. Quæ exceptio approbatur ibidem,his uerbis*: Nonnunquam planè poſt petitam bonorum poſſeſsionem dabitur patrono legati perſecutio, ſi nihil ad emolumentum eius peruenturum ſit, quia fortè rogatus eſt alij reſtituere. *Secunda exceptio uidetur: Niſi non ipſi patrono, ſed ſeruo uel filio eius ſit relictum. Hæc exceptio reprobatur ibidem,his uerbis*: Non tantùm quod ipſis nominatim datum eſt, id ſe prætor denegaturum ait: uerùm etiam ſi quid proponas ad ipſos peralios peruenturum: utputa,quòd per ſubiectas quidem perſonas ſunt habituri, non reſtituturi. *Tertia exceptio eſt: Niſi patrono quid legatum ſit, ut ſeruum ſuum manumittat. Hæc exceptio approbatur ibidem,his uerbis*: Dabimus legati petitionem patrono, ſi ſeruo patroni derit libertatem, precio eius patrono prælegato.

VIII. ADFINIA REMEDIA.

I. *Regula: Non adita ex teſtamento hæreditate, Vnde legitimi bonorum poſſeſsio competit patrono. quæ regula approbatur l.ſi lib.23.in prin.ff.de bonis libertorum,his uerbis*: Si libertus præterito patrono extraneum inſtituerit hæredem, & patronus, antequam cõtra tabulas bonorum poſſeſsionem petierit, in adoptionem ſe dederit,deinde ſcriptus omiſerit hæreditatem: patronus totorum bonorum liberti poſſeſsionem ut legitimus petere poteſt. *Concordat l.ſi duob.37.ff.de militari teſtam. cuius uerba proponentur ſ.lib.28.cap.24.reg.1.except.1.*

II. *Regula: Si patrono aliquid in teſtamento liberti relictum ſit:non contra tabulas bonorum poſſeſsionem petere,ſed ad ſupplendum id quod debitæ portioni deeſt, agere debet. Quæ regula approbatur l.ſiue libertus.21 §.1. ff.de iure patronatus. cuius uerba uide §.quæſt.1.except.1.repl.2. Concordat inſt.de ſucceſsione libertorum.§.ſi uerò teſtamentum.ibi:uel quod deeſt.cuius uerba uide §.cod.cap.in prin. Hæc de bonorum poſſeſsione contra tabulas.*

DE ACTIONE FAVIANA ET Calviſiana. Cap. IX.

I. GENVS HVIVS actionis.

PRima regula: *In perſonam,non in rem actio eſt. quæ regula approbatur l.1.§.hæc actio.ff.ſi quid in fraudem patroni, his uerbis*: Hæc actio in perſonam eſt,non in rem.

II. *Regula: Rei habet perſecutionem. quæ regula approbatur l.ſi patronus.3.§.hæc actio.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.quæſt.6.*

III. *Regula: Hæreditaria non eſt. Hæc regula approbatur d.l.1.§.hæc actio, his uerbis* : Hæc actio non eſt hæreditaria, id eſt ex bonis liberti, ſed propria patroni.

II. CAVSAE PROPOSITAE ACTIONIS cum ſuis exceptionibus.

I. *Cauſa: Si libertus quid in fraudem patroni, quo minus debita portio ad eum peruenireț,alienauit: datur actio propoſita. Hæc cauſa ſeu regula approbatur l.1.in prin.ff.ſi quid in fraudem patroni,his uerbis*: Si quid dolo malo liberti factum eſſe dicetur (ſiue teſtamento facto, ſiue inteſtatò libertus deceſſerit) quo minus quàm pars debita bonorum ad eorum quem peruenerit, qui cõtra tabulas bonorum poſſeſsionem accipere poſſunt: cognoſcit prætor,& operam dat, ne ea res fraudi ſit. *Concordat l.1.C. eod.tt.his uerbis*: Si in fraudem patroni libertus aliquid alienauerit: quatenus legitimæ pars deminuta eſt, reuocandi tributam cõuenit eſſe poteſtatem.

II. *Cauſa: Etſi non alienatum, ſed quid aliud in fraudem patroni à liberto geſtum ſit: propoſita actione reuocatur. quæ regula approbatur l.1.§.omne.ff.ſi quid in fraudem patroni,his uerbis*: Omne quodcunque in fraudem patroni geſtum eſt, reuocatur.

III. *Cauſa: Si libertus in fraudem patroni quid, cum poſſet,non adquiſiuit. Hæc cauſa reprobatur d.l.1.§.utrum,his uerbis*: Vtrum ad ea ſola reuocãda Fauiana pertineat, quæ libertus de bonis deminuit: an etiam ad ea quæ non adquiſiit, uidendum eſt? Et ait Iulianus libro XXVI. Digeſtorum, Si hæreditatem libertus non adierit fraudandi patroni cauſa, uel legatum repulerit, Fauianam ceſſare. Quod mihi uidetur uerum. Quamuis enim legatum retrò noſtrum ſit, nihil repudietur: attamen cum repudiatur,retrò noſtrũ non fuiſſe, palàm eſt. In cæteris quoque liberalitatibus, quas non admiſit is libertus, cui quis donatum uoluerit, item erit probandum Fauianam ceſſare. Sufficit enim patrono, ſi nihil de ſuo in necem eius libertus alienauit,etſi nõ adquiſiit. Proinde & ſi cum ſub conditione ei legatum eſſet, id egerit ne conditio exiſteret: uel ſi ſub conditione ſtipulatus fuerit, maluerit deficere conditionem: dicendum erit, Fauianam ceſſare.

IIII. *Cauſa: Si libertus in fraudem patroni in iudicio ſe uinci paſſus ſit. Hæc cauſa approbatur d.l.1.§. quòd ſi in lite, his uerbis*: Si in lite uinci uoluit, ſiquidem condemnatus eſt data opera, uel in iure confeſſus: dicendum erit,Fauianam locum habere. Quòd ſi noluit obtinere,cũ peteret: hic uidendum. & puto hunc deminuiſſe de patrimonio. actionem enim de bonis deminuit, quemadmodum ſi paſſus eſſet

eſſet actionis diem abire. Sed ſi (puta) querelam inofficioſi quam potuit,uel quam aliam (fortè iniuriarum uel ſimilem) inſtituere noluit: nõ poteſt patronus ob eam rem Fauiana experiri.

V. *Cauſa: Si actionem non inſtituit, uel diem eius abire paſſus ſit. Hæc cauſa approbatur ſimul & diſtinguitur uerbis iam propoſitis hiſce*: Quòd ſi noluit obtinere,cum peteret,&c.

VI. *Cauſa: Si in fraudem patroni libertus tranſegit. Hæc cauſa approbatur l.1.§.at ſi tranſegit.ff.ſi quid in fraudem patroni,his uerbis*: Si tranſegit in fraudem patroni,poterit patronus Fauiana uti.

VII. *Cauſa: Si in fraudem patroni libertus uendidit. Hæc cauſa reprobatur d.l.1.§.ſed ſi rem.ibi: & aliàs uideamus.cuius uerba uide ſ.except.10.*

VIII. *Cauſa: Si libertus in fraudem patroni filiofamiliâs crediderit. Hæc cauſa approbatur l.ſi libertus.6.ff.ſi quid in fraudem patroni, his uerbis*: Si libertus, cum fraudare patronum uellet, filiofamiliâs contra ſenatuſconſultum pecuniam crediderit, non erit inhibenda actio Fauiana: quia libertus donaſſe magis in hunc caſum intelligendus eſt in fraudem patroni, quàm contra ſenatuſconſultum credidiſſe. *Huius cauſæ exceptio prima hæc eſt: Niſi ſenatuſconſultum Macedonianum locum non habeat. Hæc exceptio approbatur l. ergo.7. ff. eod.tt.his uerbis*: Ergo & ſi ſenatuſconſultum locum non haber, ceſſat Fauiana,cum exigi poſsit. *Secunda exceptio eſt: Niſi minor uigintiquinque annis filiofamiliâs crediderit. Hæc exceptio approbatur l.ſed ſi.8.ff.eod.tt.his uerbis*: Sed ſi minori quàm uigintiquinque annorum natu filiofamiliàs crediderit: cauſa cognita ei ſuccurri debet.

IX. *Cauſa: Si in fraudem patroni mutuam pecuniam acceperit libertus. Hæc cauſa reprobatur l.1.§. ſi mutuam. ff. ſi quid in fraudem patroni, his uerbis*: Si mutuam pecuniam libertus in fraudem patroni acceperit, an Fauiana locum habeat, uideamus? & quod remedium in hoc ſit, qui accepit mutuam. Si quidem quod accepit, donauit: conueniet eum patronus, cui donauit libertus. Sed ſi acceperit, & prodegerit: non debet perdere qui mutuum dedit, nec ei imputari cur dederit. Planè ſi non accepit, ſed ſpopondit ſtipulanti: erit Fauianæ locus.

X. *Cauſa: Si in fraudem patroni libertus ſtipulanti ſpopondit. Hæc cauſa approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Planè ſi non accepit,ſed ſpopondit ſtipulanti: erit Fauianæ locus.

XI. *Cauſa: Si in fraudem patroni libertus fideiuſſit, mandator extitit pro aliquo, uel res ſuas pro alio pignori obliguanit. Hæc cauſa approbatur,certo tamen modo,d.l.1.§.ſi fideiuſſit. cuius uerba uide infrà quæſt.4.reg.6.*

Exceptiones præcedentium cauſarum generales.

Planè iam dictæ cauſæ,quæ quidem iure approbantur,recipiunt aliquot exceptiones: quarum prima hæc eſt: Niſi non fraudandi animo libertus geſſerit uel alienauerit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.1.§.1.ff.ſi quid in fraudem patroni, his uerbis: Si alienatio dolo malo facta ſit: non quærimus, utrum mortis cauſa facta ſit, an non ſit. omni enim modo reuocatur. Si uerò non ſit dolo malo facta,ſed aliàs: tunc actori probandum erit, mortis cauſa factam alienationem. Si enim proponis,mortis cauſa factam alienationem: non requirimus, utrum dolo malo facta ſit,an non ſit. Sufficit enim docere, mortis cauſa factam: nec immeritò. Mortis enim cauſa donationes comparantur legatis: & ſicut in legatis non quærimus dolo malo factum ſit,an non ſit, ita nec in mortis cauſa donationibus.

Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi mortis cauſa alienauit, tunc enim, quamuis dolus abſit, nihilominus reuocatur id quod geſtum eſt. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce: Si uerò non ſit dolo malo facta, ſed aliàs: tunc actori probandum erit, mortis cauſa factam alienationem. Si enim proponis,&c.

II. *Exceptio: Niſi non mortis cauſa facta ſit alienatio. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi dolo malo ſit facta. quæ replicatio approbatur uerbis d. §. 1. iam propoſitis hiſce*: Si alienatio dolo malo facta ſit: non quærimus, utrum mortis cauſa facta ſit, an non ſit. omni enim modo reuocatur.

III. *Exceptio: Niſi in fraudem alterius quàm actoris factum ſit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi cum in fraudem patroni defuncti geſtum eſſet, filius patroni agat. quæ replicatio approbatur l.1.§.penultim.ff.ſi quid in fraudem patroni, his uerbis*: Si libertus in fraudem patroni aliquid dederit, deinde defuncto patrono,uiuo liberto, filius patroni acceperit bonorum poſſeſsionem contra tabulas liberti: an Fauiana uti poſsit ad reuocãda ea quæ ſunt alienata? & eſt uerum, quod & Põpon.probat libro LXXXIIII. item Papinianus libro IIII. Quæſtionum, competere ei Fauianam. Sufficere enim, quòd in fraudem patronatus factum ſit. Magis enim fraudem rei, non perſonæ accipimus.

IIII. *Exceptio: Niſi non libertus in fraudem patroni, ſed filius emancipatus in fraudem parentis alienauerit. Hæc exceptio approbatur l.2.ff.ſi à parente quis manumiſſus fuerit. cuius uerba uide §.lib.16.cap. 9.quæſt.3.reg.1.except.4. Planè ſi adrogator quid in fraudem adrogati alienauerit, datur hæc actio. quod appro-*

approbatur l. constitutione. 13. ff. si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide suprà lib. 16. cap. 8. quæstion. 3. regul. 11.

V. Exceptio: *Nisi libertus liberis suis alienauerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. quod autem. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Quod mortis causa filio donatum est, non reuocatur. nam cui liberum fuit legare filio, quantum quãtum uellet, is donando non uidetur fraudasse patronum. *Concordat d. l. 1. §. sed si libertus. ff. eod. tt. his uerbis:* Si libertus filiam dotauit, non uidetur fraudare patronum: quia pietas patris non est reprehendenda.

VI. Exceptio: *Nisi benemerentibus amicis libertus donauit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. uiuus. 9. ff. d. tt. his uerbis:* Viuus libertus donare benemerentibus amicis potest: legare uerò nec benemerentibus amicis potest, quo patroni partem minuat. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi non inter uiuos, sed mortis causa benemerentibus amicis donauit libertus. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Legare uerò nec benemerentibus, &c. *Cuius ratio proposita est §. except. 1. repl. 1.*

VII. Exceptio: *Nisi ex duobus patronis uni sit donatum. hoc enim alter reuocare non potest. quæ exceptio approbatur l. 1. §. aduersus. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Aduersus compatronum, qui contra tabulas bonorum possessionem omisit, Fauiana non competit, si non plus sit in eo quod donatum est, quàm pars debita patrono. Quare si mortis causa ei donatum sit: partem faciet compatrono, quèadmodum legatarius patronus facit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi plus debita parte patrono sit donatum. quæ replicatio constat ex uerbis iã propositis hisce:* Si non plus sit in eo quod donatum est, quàm pars debita patrono.

VIII. Exceptio: *Nisi is cui alienatum est, dolo careat. Hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. dolũ, his uerbis:* Dolum accipere nos oportet eius qui alienauit, non eius cui alienatum est. Et ita euenit, ut qui fraudis uel doli conscius non fuit: carere debeat re in fraudem patroni alienata, etsi putauit ingenuum, nec credidit libertinum.

IX. Exceptio, *sumpta ex re alienata, reprobatur l. quodcunq. 4. in prin. ff. si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide §. quæst. 5. reg. 5.*

X. Exceptio: *Nisi res iusto precio sit uendita. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. sed si rem. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si rem bona fide uendiderit, & sine ulla gratia libertus, & precium acceptum alij donauerit: uidendum erit, quis Fauiana inquietetur, utrum qui rem emit, an uerò is qui precium dono accepit? Et Pomponius libro LXXXIIII. rectè scripsit, emptorem nõ esse inquietandum. fraudem enim in precio patrono factã esse. Eum igitur qui precium dono accepit, Fauiana conueniendum. Et aliàs uideamus, si dicat patronus, rem quidem iusto precio uenisse, ueruntamen hic interesse sua, non esse uenundatam: inque hoc esse fraudem, quòd uenierit possessio, in quam patronus habeat affectionem uel opportunitatis, uel uicinitatis, uel cœli, uel quòd illic educatus sit, uel parentes sepulti: an debeat audiri uolens reuocare? Sed nullo pacto erit audiendus. fraus enim in damno accipitur pecuniario. *Planè huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi res minoris non iusto precio uendita sit. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Sed si fortè & res uilius distracta sit, & precium alij donatum: uterque Fauiano iudicio conueniatur, & qui uili emit, & qui pecuniam accepit muneri. Is tamen qui emit, si malit rem restituere, non aliter restituet, quàm si precium quod numerauit, recipiat. Quid ergo, si delegatus emptor soluit ei, cui donabat libertus: an nihilominus recuperat? & magis est, ut recipere debeat, licet precium ad alium peruenerit, qui soluendo non est. Nam etsi acceptum precium libertus prodegisset, diceremus nihilominus eum qui dedit, recipere debere, si uelit ab emptione discedere.

XI. Exceptio: *Nisi emptori non restituatur precium. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Is tamen qui emit, si malit rem restituere, non aliter restituet, quàm si precium quod numerauit, recipiat. *Huius exceptionis replicatio uidetur esse talis: Nisi precium ad alium peruenerit, uel consumptum sit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Quid ergo, &c.

XII. Exceptio: *Nisi patronus alienationi consensit. Hæc exceptio approbatur l. nõ uidetur. 11. ff. si quid in fraudem, his uerbis:* Non uidetur patronus fraudari eo in quod consentit. Sic & quod uolente patrono libertus donauit, non poterit Fauiana reuocari.

XIII. Exceptio: *Nisi patronus factam alienationem ratam habuerit. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. si in fraudem patroni, his uerbis:* Defuncto quidem liberto patronus intestato succedens, per actionem Caluisianam in eius fraudẽ alienata reuocare potest. Verùm cum patronum post liberti sui mortem ab eo fundi collatam donationem habuisse ratam adseueras: manumissoris factum infirmare successores eius minimè possunt.

XIIII. Exceptio: *Nisi patronus ex testamento liberti hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur l. si patronus. 3. in prin. ff. si quid in fraudem patr. his uerbis:* Si patronus hæres institutus ex debita parte adierit hæreditatem, dum ignorat aliqua libertum in fraudem suam alienasse: uideamus, an succurri eius ignorantiæ debeat,

debeat, ne decipiatur liberti fraudibus? & Papinianus libro XIIII. Quæstionum respondit, in eadem causa manere ea quæ alienata sunt. Idcirco patronum sibi imputare debere, qui cum posset bonorum possessionem accipere contra tabulas propter ea quæ alienata, uel mortis causa donata sunt, non fecit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex asse hæres fuerit institutus patronus. Hæc replicatio approbatur d. l. 3. §. patronum, his uerbis:* Patronum ex asse hæredem institutum, uolentem Fauiana actione uti, prætor admittit: quia erat iniquum, excludi eum à Fauiana, qui non sponte adijt hæreditatem, sed quia bonorum possessionem contra tabulas petere non potuit. *Secunda replicatio est: Nisi ab intestato patronus liberto successerit. quæ replicatio approbatur d. l. 3. §. si intestatus. cuius uerba uide §. except. proxim.*

XV. Exceptio: *Nisi libertus intestatus decesserit. Hæc exceptio reprobatur d. §. si intestatus, his uerbis:* Si intestatus libertus decesserit, patronus adeundo hæreditatẽ eius reuocat per Caluisianam actionem ea quæ alienata sunt dolo malo, quo minus pars ex testamento debita bonorum liberti ad patronum libertúe eius perueniret: idque est, siue petita sit à patrono ab intestato bonorum possessio, siue non sit.

XVI. Exceptio: *Nisi debita portio patrono sit relicta. Hæc exceptio approbatur d. l. 1. §. fin. his uerbis:* Si libertus intestatus decesserit, relicta patrono debita portione, aut aliquo amplius, aliquid etiam alienauerit: Papinianus libro XIIII. Quæstionum scribit, nihil esse reuocandum. nam qui potuit alicui relinquere quid testamento, si debitam portionem patrono relinquat, præterea donando nihil uidetur in fraudem facere.

XVII. Exceptio: *Nisi res in fraudem patroni alienata non extet. Hæc exceptio approbatur l. si id. 10. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si id quod à liberto in fraudem alienatum est, non extet: actio patroni cessat, quemadmodum si pecuniam in fraudem abiecisset: aut etiam is qui mortis causa à liberto accepisset, eam rem uendidisset, & bonę fidei emptor eam usucepisset.

XVIII. Exceptio: *Nisi res in fraudem patroni alienata, usucapta sit. Hoc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Aut etiam is qui mortis causa à liberto accepisset, &c.

III. QVIBVS DETVR actio proposita?

I. Regula: *De alio quàm in cuius fraudem est alienatum, uide §. quæst. prox. except. 3.*

II. Regula, *De hæredibus patroni, proponitur l. 1. §. hæc actio. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Hæc actio in personam est, non in rem: & in hæredem competit, & in cæteros successores, & hæredi & cæteris successoribus patroni.

IIII. ADVERSVS quos datur?

I. Regula: *In personam est eius cui alienatio facta est, non in rem. quæ regula approbatur uerbis iã propositis hisce:* Hæc actio in personam est, non in rem.

II. Regula, *De pluribus quibus res alienata est. Aduersus omnes competit. Quæ regula approbatur l. 1. §. si pluribus. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si pluribus in fraudem libertus donauit, uel pluribus mortis causa: æqualiter patronus aduersus omnes in partem sibi debitam siue Fauiana, siue Caluisiana experietur.

III. Regula: *Si libertus in fraudem patroni rem uendidit, & precium alij donauit: non aduersus empto rem rei, sed aduersus donatarium datur actio. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. 1. §. sed si rem quidem. ff. si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 10.*

IIII. Regula: *Si libertus in fraudem patroni mutuam accepit pecuniam, eamq; alij donauit: non aduersus creditorem mutui datur exceptio, sed aduersus donatarium actio. quæ regula approbatur d. l. 1. §. si mutuam. cuius uerba uide §. quæst. 2. causa 9.*

V. Regula, *De eo qui iussit rem alij dare. Hic tenetur, non is cui eius iussu datum est. quæ regula approbatur l. libertus. 12. ff. si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Libertus cum fraudandi patroni causa fundum Seio tradere uellet, Seius Titio mandauit ut eum accipiat, ita ut inter Seium & Titium mandatum contrahatur. quæro, post mortem liberti patronus utrum cum Seio duntaxat, qui mandauit, actionem habeat: an cum Titio, qui fundum retinet, an cum quo uelit, agere possit. Iabolenus respondit: In eum cui donatio quæsita est, ita tandem, si ad illum res peruenerit, actio datur: cum omne negocium quod eius uoluntate gestum sit, in condemnationem eius conferatur: nec potest uideri id præstaturus, quod alius possidet, cùm actione mandati cõsequi rem possit, ita ut aut ipse patrono restituat, aut eum cum quo mandatum contraxit, restituere cogat. Quid enim dicemus, si is qui iure interpositus est, nihil dolo fecit? non dubitabimus, quin omnimodò cum eo agi non possit. Quid enim potest uideri dolo fecisse, qui fidem suam amico commodauit, qua alij quàm sibi ex liberti fraude adquisijt. *Concordat l. tenetur. 5. ff. eod. tt. his uerbis:* Tenetur Fauiana actione tam is qui accepit ipse, quàm qui iussit alij dare id quod ipsi donabatur. *Ait Iurisconsultus:* Qui accepit ipse. *Scilicet suo nomine, non alieno: ne contradicat præcedentibus.*

VI. Regu-

VI. *Regula, De creditore apud quem libertus fraudandi patroni causa intercessit, & debitore pro quo intercessit, proponitur l.1.§.si fideiussit. ff.si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si fideiusserit apud me libertus, uel rem suam pro alio pignori dedit in necem patroni: an Fauiana locum habeat, uideamus? sed & nunquid cum damno meo non debeat patrono subueniri? neque enim donauit aliquid mihi, si pro aliquo interuenit, qui non fuit soluendo. eoque iure utimur. Igitur creditor non poterit Fauiana conueniri: debitor poterit quidem, sed potest & mandati. Planè si deficiat mandati actio, quia donationis causa interuenit: erit Fauianæ locus. Sed & si mandator extitit pro aliquo libertus, idem erit probandum.

VII. *Regula, De domino & patre eius, cui libertus in fraudem patroni donauit, proponitur d.l.1.§.si seruo, his uerbis:* Si seruo meo uel filiofamilias libertus in fraudem patroni quid dederit: an aduersus me iudicium Fauianum competat, uideamus? & mihi uidetur sufficere aduersum me patremque, arbitrioque iudicis contineri tam in id quod in rem uersum est condemnandi, quàm in id quod in peculio. Sed si iussu patris contractum cum filio est, pater utique tenebitur. *Propositæ regulæ, quoad dominum, exceptio hæc uidetur esse: Nisi seruus fuerit manumissus. tunc enim aduersus ipsum seruum, non dominum uidetur actio danda. Verùm exceptio hæc reprobatur d.l.1.§.si cum seruo, his uerbis:* Si cum seruo in fraudem patroni libertus contraxerit, isque fuerit manumissus: an Fauiana teneatur, quæritur? & cum dixerimus, dolum tantùm liberti spectandum, non etiam eius cum quo cõtraxit: potest manumissus iste Fauiana non teneri.

VIII. *Regula, De hæredibus eius cui alienatio facta est. Aduersus hos quoque actio proposita datur. quæ regula approbatur l.1.§. hæc actio. ff.si quid in fraudẽ patroni. cuius uerba uide §.quæst.prox.reg.2.*

V. QVID ET QVANTVM ueniat in actione proposita?

I. *Regula: Quatenus legitima pars deminuta est, reuocatur alienatiõ. Quæ regula approbatur l.1.C.si in fraudẽ patroni. cuius uerba uide §.quæst.2.in princip.*

II. *Regula: Si res in fraudem patroni minoris uendita sit, defertur conditio emptori, utrum malit rem emptam iusto precio habere, an recepto precio rem restituere. quæ regula approbatur l.1.§.si quis in fraudem. ff.si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si quis in fraudem patronorum rem uendiderit, uel locauerit, uel mutauerit: quale sit arbitrium iudicis, uideamus? & in re quidem distracta deferri conditio debet emptori, utrum malit rem emptam habere iusto precio, an uerò à re discedere precio recepto. Neq; omnimodò rescindere debemus uenditionem, quasi libertus ius uendendi non habuerit, ne fraudemus emptorem precio: maximè cum de dolo eius non disputetur, sed de dolo liberti.

III. *Regula: Si libertus in fraudem patroni pluris emit: quid ueniat, definitur d.l.1.§. sed si emerit, his uerbis:* Si emerit in fraudem patroni libertus: æquè dicẽdum erit, si magno emit precio, releuandum patronum: conditionẽ nõ ipsi delata, an uelit ab emptione discedere: sed uenditori, utrum malit de precio remittere, an potius rem quam uendidit, recipere persoluto precio. & in permutatione, & in locatione, & in conductione similiter idem obseruabimus.

IIII. *Regula: Si res in fraudem patroni sit permutata, locata uel conducta: quid ueniat, definitur his iam propositis hisce:* Et in permutatione, & in locatione, & in conductione similiter idem obseruabimus.

V. *Regula: Si plures agant, singulis pro uirili tantùm parte competit actio. quæ regula approbatur l.si patronus.3.§.si plures. ff.si quid in fraudem patroni, his uerbis:* Si plures sint patroni & patronæ, singuli uirilem tantùm reuocabũt per Calusianam. *Concordat l.quodcunq;.4.ff.eod.tt.his uerbis:* Quodcunque dolo malo liberti alienatũ est, & Fauiana actione reuocatur: & si plures patroni sint, omnes unam partem habebunt. Sed si uiriles non petant, portio cæteris adcrescet. Quod in patronis dixi, & in liberis patroni est: sed non simul uenient, sed patronis deficientibus. *Huius exceptio hæc est: Nisi res quæ petitur, diuidi non posit. quæ exceptio approbatur §.reg.prox.excepta.*

VI. *Regula: Si plures conueniantur, singuli pro parte, non in solidum tenentur. quæ regula approbatur l.1.§.si pluribus. ff.si quid in fraudem patroni. cuius uerba uide §.quæst.proxim.reg.2.* *Huius exceptio hæc est: Nisi res quæ petitur, diuidi non posit. quæ exceptio approbatur d.l.1.§.quamuis, hisce uerbis:* Quamuis in partem Fauiana competat: attamen in his quæ diuidi non possunt, in solidum competit, utputa in seruitutem.

VII. *Regula, De fructibus, proponitur l.1.§.fin. ff.d.tt.his uerbis:* In hanc actionem etiam fructus ueniunt, qui sunt post litem contestatam percepti. *Concordat l.uideamus.38.§.in Fauiana. ff.de usuris & fructibus, his uerbis:* In Fauiana actione & Pauliana, per quam, quæ in fraudem creditorum alienata sunt, reuocãtur: fructus restituuntur. Nam prætor id agit, ut perinde sint omnia, atq; si nihil alienatum esset. quod non est iniquum. Nam & uerbum Restituas, quod in hac re prætor dicit, plenam habet significationem, ut fructus quoque restituantur. Et ideo cum restitui

stitui prætor uult (ueluti in interdicto Vnde ui) etiam fructus sunt restituendi. Item si ui metuẽte causa rem tradam, non aliter mihi restituisse uidetur, quàm si fructus restituat: nec mora mea mihi aliquid aufert. *Huius regulæ exceptio uidetur esse talis: Nisi ante litem contestatam fructus sint percepti. Hæc exceptio reprobatur l.2.ff.si quid in fraudem patroni, his uerbis:* In Fauiana & Calusiana actione rectè dicitur etiam præteritos fructus uenire, quatenus prætor omnem fraudem liberto rum uult rescindere.

VIII. *Regula: In quantum pater filij, dominus seruui nomine tenetur, definitur l.1.§.si seruo. ff.si quid in fraudẽ patroni. cuius uerba uide §.quæst.prox.reg.7.*

IX. *Regula: Si res non restituatur: tanti reus est condemnandus, quanti actor in litem iurauerit. Quæ regula approbatur l.tenetur.5.in fine. ff.eod.tt. his uerbis:* In actione Fauiana, si res nõ restituatur, tanti damnabitur reus, quanti actor in litem iurauerit.

VI. QVAMDIV COMPETAT?

Perpetua est actio. quæ regula approbatur l.si patronus.3.§.hæc actio. ff.si quidem in fraudem patroni, his uerbis: Hæc actio in perpetuum datur, quia habet rei persecutionem. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi cum domino agatur, seruo manumisso, alienato uel mortuo. tunc enim annalis est. quæ exceptio approbatur l.1.§.item quæri. ff.d.tt. his uerbis:* Quæri potest, manumisso, uel mortuo, uel alienato seruo, an intra annum agẽdum sit? & ait Pomponius, agendum.

VII. ADFINE REMEDIVM.

Interdum ipso iure non ualet alienatio, si scilicet in fraudem legis libertus alienauit, quo minor centenario esset. quæ regula approbatur l.si libertus.16.ff.de iure patronatus, his uerbis: Si libertus minorem se centenario in fraudem legis fecit, ipso iure non ualebit id quod factum est. Et ideo quasi in centenarij liberti bonis locum habebit patronus. Quidquid igitur quaqua ratione alienauit, ea alienatio nullius momenti est. Planè si qua alienauerit in fraudem patroni, adhuc tamen post alienationem maior centenario remaneat: alienatio quidem uires habebit, ueruntamen per Fauianam & Caluisianam actionem reuocabuntur ea quæ per fraudem sunt alienata: & ita Iulianus sæpissimè scripsit, eoq; iure utimur. Diuersitatis autẽ ea ratio est: quia quoties in fraudem legis fit alienatio, non ualet quod factum est. In fraudem autem fit, cum quis se minorem centenario facit ad hoc, ut legis præceptum euertat. At cùm alienatione facta nihilominus centenarius est: non uidetur in fraudem legis factum, sed tantùm in fraudem patroni. Idcirco Fauiano & Caluisiano iudicio reuocabitur id quod alienatum est. Si quis plures res simul alienando minorem se centenario fecerit, quarum una omnium partium reuocata, maior centenario efficitur: utrum reuocamus omnes, an pro rata ex singulis, ut ex singulis centenarium cum faciamus? magisq; est, ut omnium rerum alienatio facta nullius momenti sit. Si quis planè non simul alienauerit, sed quasdam res antè, quasdam postea: alienatio earum rerũ, quæ postea alienatæ sunt, ipso iure non reuocabitur, sed prior. in posterioribus Fauianę & Caluisianæ locus erit.

Hactenus iura quæ in personis habemus, cum suis causis & actionibus exposita sunt atque digesta. Planè præter ea sunt & plura personarum iura, puta magistratuum, clericorum, militum, iudicum, adsessorum, aduocatorum, procuratorum, apparitorum: de quibus cum aliis similibus in Prima parte est dictum. Sed & sunt iura peculiaria fœminarum, puta quòd pro aliis intercedere non possint: item minorum, puta quòd in eo quod gesserint, in integrum restituantur: item furdorum, mutorum, furiosorum & similium. quæ iura suis locis subijcientur. Sed & in personis seruorum perinde ac in rebus non solùm dominium habemus, uerùm etiam possessionem, usumfructum, usum: de quibus in Parte proxima inter rerum iura dicetur. Sit igitur Secundæ partis Digestorum finis.

DIGESTORVM SECVNDAE PARTIS FINIS.